

Google


HIERONYMUS

FRANCISCI TURRETTINI

OPERA.

TOM. IV.

DE NECESSARIA SECESSIONE

AB ECCLESIA ROMANA,

DISPUTATIONES;

DISPUTATIONUM MISCELLANEARUM DECAS;

ACCESSERUNT,

DE SATISFACTIONE CHRISTI; DE CIRCULO PONTIFICIO; DE CONCORDIA PAULI ET JACOBI IN ARTICULO JUSTIFICATIONIS;

DISPUTATIONES.

AUTHORE

FRANCISCO TURRETTINO,

IN ECCLESIA ET ACADEMIA GENEVENSI PASTORE
ET S.S. THEOLOGIÆ PROFESSORE.

Turrettini

EDINBURGH:
JOHN D. LOWE, 69 GEORGE STREET.

M.DCCC.XLVIII.

PRÆFATIONES

ET

INDICES DISPUTATIONUM.

I. PRÆFATIO

AD DISPUTATIONES DE NECESSARIA SECESSIONE

AB ECCLESIA ROMANA.

INTER omnes, quæ Nobis cum Pontificiis intercedunt, Controversias, nullam dari, quæ momentosior sit, nullam, quæ majori animorum contentione, et jam antea agitata fuerit, et nunc etiam agitetur, ea quæ Secessionem nostram ab Ecclesia Romana spectat, apud omnes debet esse in confesso. Cum enim aliæ circa singularia quædam doctrinæ Capita versentur, in quibus ab invicem dissidemus: Hæc vero omnia in universum complectatur, quæ causam huic nostræ Secessioni præbere potuerunt; Nemo non videt, quantum intersit accurate eam expendi, ut primariam et capitalem, a qua cæteræ omnes pendeant. Constat sane nihil esse, quod ab illarum partium hominibus, vel frequentius objectetur, vel exagitetur odiosius, quasi non modo temeraria, sed et injusta et Schismatica fuerit, quæ pacis, quam tantopere Christus nobis commendavit, sacratissimum vinculum impie abruperit, et communionem Corporis Christi mystici nefarie lacerarit. Cui perniciosissimo malo remedium aliud afferri non posse clamitant, quam si eo unde exivimus revertamur, et cum Ecclesia sua, a qua per Schisma voluntarium divortium fecimus, in gratiam redeamus. Nostri vero vicissim, ne veritati ac sibi deessent, in id etiam sedulo laborarunt, ut falsitatem et injustitiam istarum criminationum demonstrarent, et subdolas eorum artes retegerent, qui sub insidiosæ pacis obtentu, hoc unum agebant, ut conscientias, semel a Christo liberatas, sub durissimæ servitutis jugum ἀβάστακτον reducerent. Quod ab eximiis Dei Servis ea solertia et soliditate præstitum, ut nihil habeat superstitio quod cum ratione reponere possit. Demonstratum quippe non una ratione, Pios Majores nostros non sine gravissimis causis post tentatam sæpius et expetitam frustra Reformationem in Capite et Membris, Secessionem

tandem fecisse, vel potius ad eam faciendam Adversariorum furore adactos fuisse : Nec amorem pacis, ad quem nos toties Christus hortatur, a pio hoc proposito avocare eos potuisse aut debuisse ; memores ex præscripto Dei, pacem indissolubili cum veritate sociandam esse vinculo, nec ullam unitatem probari posse, quæ veritate non nitatur ; omnem aliam consociationem pacis nomen non mereri, sed exitialem esse in errore et mendacio conspirationem, quæ a Deo veritatis et pacis auctore nos separat, nedum ut ad ejus communionem nos adducat.

Sed quamvis hoc argumentum a magnis Viris Dei non semel occupatum fuerit, et solide pertractatum ; non desinunt tamen Adversarii identidem illud reponere, et ad ravim usque urgere, novissimis imprimis hisce temporibus, quibus Clerus Romanus nihil non molitur, ut opus suum, purioris scilicet Religionis, quam infami hæresis nomine injustissime notat, excidium promoveat, et si potest absolvat. Hinc ut immani persecutionum antea inauditarum crudelitate grassatur ad fidem piorum penitus dejiciendam ; blandis etiam et ad fallendum compositis verbis incautos inescare, et in retia sua pertrahere conatur. Quod visum nuper in *Admonitione Pastorali*, a Clero Gallicano ad Reformatos per Galliam data, ubi dum *Fratribus Secessionis Calvinianæ*, uti loquuntur, *correctionem, reditum et concordiam exoptant*, impia sub dulci melle venena latent, verbis meram charitatem spirantibus, et piam Pastorum oves perditas requirentium sollicitudinem, præ se ferentibus, utentes, sed quæ reipsa malum animum et dirum virus satis produnt, dum odiosissimis titulis, quos ad se amice revocare se velle profitentur, traducere non erubescunt, quasi *Religionis transfugas, militiæ veteris desertores, Schismaticos, impios*, qui fugæ suæ flagitiosæ, et secessionis rationem nullam reddere possint. Quod ideo acerbe insectantur et exprobrant : "Nos ideo," inquiunt, "Clerus omnis Gallicanus, etc., Vos convenimus, et qua legatione pro Christo defungimur, tanquam Deo per nos hortante, Quærimus a vobis, Cur Schisma feceritis ? Excusate si potestis apud Patrem, apud Matrem, apud Fratres, fugæ tam flagitiosæ, tam abruptæ et præcipitis infamiam, divisionem Christi, rescissionem Sacramentorum Christi, criminationes in Conjugem Christi, negationem promissionum Christi, etc. Hoc adversus vos nominatim expostulamus, hoc ex vobis quærimus indesinenter, Cur Schisma feceritis ? Ad hoc nisi responderitis, quantumcunque in aliis dicendo aut scribendo contendatis, superflua loquimini." Hæc vero si tam vere dicerentur, quam confidenter jactantur, non equidem repugnaremus, quin jure in nos conflata sit omnis illa invidia, qua nunc immerentes obruimur. Sed si rem ipsam, detracta verborum inanium pompa, penitius attendimus, liquido apparebit, nihil iniquius, nihil falsius adversum nos vel excogitari vel dici potuisse. Unde colligere licet, quam necesse sit ad

justam bonæ causæ et innocentiæ nostræ defensionem, calumniarum istarum vanitatem in aperta luce collocare, ne simplicioribus imponant. Quod ab iis potissimum requiri nemo negabit, qui ad bella Domini decertanda vocati, et aliis præpositi, prospicere debent, ne quid Religio patiatur detrimenti, cæteris fidelibus, et Juventuti inprimis sacræ ipsis commissæ, λόγῳ καὶ ἔργῳ præeundo. Quæ effecit ratio, ut ex Muneris mihi demandati ratione, pro more in Academiis recepto, de hoc argumento nonnullas disputationes, publici juris ante aliquot annos facerem, quibus probandam suscepi Secessionis nostræ ab Ecclesia Romana necessitatem, et Syncretismi cum ea impossibilitatem. Quæ cum supra spem meam cum aliquo applausu exceptæ fuerint, et brevi quotquot supererant Exemplaria distracta sint, de illis denuo sub prelum mittendis cogitare cœptum est, ut eorum desiderio fieret satis, qui illas avide requirebant, persuasi hoc Opusculum fructu suo non cariturum, hoc præsertim tempore, quo Quæstio ista non minori fervore quam antea renovari cœpit, Pontificiis nihil intentatum relinquentibus, ut sive vi sive dolo, sive promissorum dulcedine sive calumniarum acerbitate et persecutionum omnigenarum diritate, et inprimis odioso isto schismatis præjudicio, fideles a vera fide avocent, et in partes suas pertrahant. Ad quorum votum facile passus sum Velitationes istas Academicas, quæ mei juris amplius non erant, denuo evulgari, licet multa in iis, ut in tumultuario opere, desiderari non nesciam, quæ in pleno et accuratiori tractatu observari potuissent. Interim ut paulo excultiores prodirent, secundis curis non parum auctæ fuerunt, et illis additamentis locupletatæ, quæ novitias Adversariorum exceptiones et objectiones discutere, et veritatem Sententiæ nostræ contra Sophistarum cavillationes fortius asserere possunt. Quod an assecutus fuerim, Lectorum erit judicium. Exinde saltem, ut spero, patebit vanitas Postulatorum, quæ tanto cum verborum apparatu μετὰ πολλῆς φαντασίας a Clero proposita sunt. Patebit non sine gravissimis et urgentissimis causis Patres nostros ab Ecclesia Romana secessisse, et nos cum illa, dum infallibilem se jactat, et irreformabilis manet, omnem Syncretismum respuere. Causas istas non fuisse, ut illi perperam, et contra propriam conscientiam fingunt, vel statum Ecclesiæ depravatum, et mores Cleri corruptissimos, de quibus Scriptores ipsi Pontificii graviter conqueruntur, quamvis non leve præjudicium inde adversus eam oriatur: Sed errores capitales et fundamentales multiplices tum in Doctrina, tum in Cultu, tum in Regimine, quos vel errare vel profiteri nefas esse duximus, et sine præsentissimo salutis nostræ discrimine non potuimus. Patebit iniquissime postulari, Cur ab ipsis secesserimus? Cum constet nos non tam fugisse, quam fugatos fuisse diris ipsorum persecutionibus et anathematis, quæ secedendi necessitatem nobis imposuerunt. Sed nos justissime vicissim ab

ipsis postulare posse, Cur nos a seipsis tot Excommunicationibus et proscriptionibus durissimis separarint? Qua tandem de causa tanto furore in nos exarserint, ut ferme ubique terrarum diras faces belli sacri in nos accenderint? Imperatores, Reges, Principes, Populos adversus nos concitarint, qui lanienis, cruciatu, ferro, igne, et nullo non supplicii et tormenti genere grassati sint ad nos internecione delendos, tanquam scelestissimos mortalium, atheos, impios, detestandarum hæresium reos, indignos qui lucis usura fruantur? Licet convicti esse debeant, nihil nos credere, quod a Christo et Apostolis non sit traditum, et quod ipsi se nobiscum credere non profiteantur quoad Articulos affirmativos; Et unum crimen nostrum esse, quod nolimus papali jugo, quod antichristianum censemus, nos mancipare, et hæreses ac cultus superstitiosos et idololatricos ab ipsis præter et contra Dei Verbum invectos, admittere. Patebit odiosum *Schismatis* crimen, quod nobis falsissime impingitur, qui a fide semel tradita, et vera Christi Ecclesia, quæ vocem ejus audit et sermones retinet, nunquam recessimus; in ipsos vere recidere, qui a fide Christi non uno modo recesserunt. Ut ab ipsis longe meliori jure, quam ipsi a nobis, quærere possimus, Cur a Veritate ipsis tradita defecerint? Cur fidem datam Christo fregerint, ut in castra Antichristi transirent? Cur Sacramenta Christi corruperint? Cur veram, puram et Catholicam Ecclesiam reliquerint, ut falsæ et idololatricæ se adjungerent? Cur Scriptura non contenti, quæ in unicam fidei morumque regulam nobis tradita est, voluerint sapere πάρ' ὁ γέγραπται, et Traditiones ἀγράφους credendas nobis obtrudere, contra expressum Dei mandatum? Ad hæc nisi responderint, Quicquid de Infallibilitate et Antiquitate sua, de Successione non interrupta, de Unione Membrorum sub uno Capite, et de aliis, quæ ab ipsis afferri solent, Authoritatis suæ firmamentis, et Ecclesiæ suæ criteriis dixerint, superfluum erit et inutile. Nam si certum est eos a Christi fide defecisse, nos vero semper in ea mansisse, ut statuimus, et parati sumus ex Doctrinæ ipsius examine, ad quod provocamus, probare, quo jure possunt Sponsæ Christi nomen sibi arrogare, et nos schismatis reos peragere, cujus ipsi manifeste tenentur? Patebit ulterius tantum abesse, ut Secessio nostra infami *fugæ flagitiosæ et præcipitis* nomine traduci debeat, quæ *divisionem Christi, rescissionem Sacramentorum Christi, bellum impium in ejus Membra, et negationem Promissionum ejus* induxerit; Ut contra non alia de causa ab ipsis secesserimus, quam ut Christo indivulse adhæreremus; ut in veræ Ecclesiæ communione maneremus, ut Sacramenta pura et incorrupta retineremus, ut genuinis ejus Membris conjungeremur, et ut Promissiones soli veræ Ecclesiæ factas, falsæ et adulteræ tribui non pateremur. Patebit denique, conciliationem omnem et syncretismum, ad quem adeo blande

nos invitare videri volunt, sub spe Reformationis alicujus, mera esse verba, et fucum, nihilque aliud quæri sub fraudulentæ pacis prætextu, quam errorum semel receptorum non correctionem, sed incrustationem, et conscientiarum sub Ecclesiæ Papalis jugum feliciter excussum, reductionem ; a qua reformationem ullam expectare, dum se infallibilem jactat, nihil aliud est quam suaviter delirare, et seipsum sponte decipere. Absit vero ut tale quid vel cogitemus unquam vel præstemus ; Absit ut pacem cum mundo, pacis cum Christo et veritatis ejus cœlestis dispendio, eamus redemptum.

Sed ista fusius in Disputationibus exponentur, ut opus non sit diutius in iis immorari. Hoc unum Lectorem monere debeo, additam hic fuisse Decadem Disputationum Miscellanearum quæ, ut multiplici Argumentorum quæ in iis tractantur varietate, et Quæstionum quæ ibidem agitantur gravitate, Sacrorum Mystis sponte se commendant ; ita nec ingratas nec inutiles illis fore speramus. Quod si contigerit, voti mei compos sum futurus.

II. PRÆFATIO

AD DISPUTATIONES DE SATISFACTIONE CHRISTI.

LECTORI S.

Si, quas hic vides, *Disputationes*, Lector Amice, eo consilio primum conscriptæ fuissent, ut in volumen aliquod collectæ publici juris fierent, et justi tractatus loco esse possent, major forte in eis ἀκρίβεια, majus certe ac diligentius paulo adhibitum fuisset studium, ut opus accuratius, excultiusque prodiret. Sed cum nihil minus in animo haberem quum ab initio de illis parandis cogitavi; et id tantum apud me statuerem, ut studiosæ juventuti nobis commissæ informandæ, et exercendæ pro more in academiis vulgo recepto inservirent; mirum tibi haudquaquam videri debet, si non pauca in iis jure desideres; plura forte et ipse requiro, quæ nisi vis major obstitisset ab omni editione procuranda deterrere me debuerant: Et sane cum in immensa illa qua ferme obruitur orbis literatus hodie Scriptorum copia, tam rari occurrant libri qui usquequaque lectoribus placeant, tot contra reperiantur qui tristia experiuntur fata, sive quod novitatis lenocinio quo plerique allici solent destituantur, sive quod per summum quod ubique ferme obtinet scribendi cacoethes cruda et indigesta a variis in publicum propellantur studia, et ea promantur quæ vel penitus premenda fuerant, vel nonum certe aut decimum in annum condenda. Quis tenuitatis suæ sibi conscius satius non judicet latere, et serio expendere quid valeant humeri, quid ferre recusent, quam in medium temere prodire, et lectori negotium facessere? Ego certe hac potissimum ratione ab ista scriptione, ut ab omni alia, alienum me hactenus fuisse libens profiteor, quod non ignorant qui me norunt. Accedebat et altera, quod cum perspectum

esset, quamplures viros celeberrimos et veteranos theologos hoc argumentum ita solide pertractasse, ut post eorum messem vix ulli spicilegio locus esse possit; Non ita mihi Suffenus esse potui, ut arbitrarer ex opere hoc tumultuario, et velitationibus istis academicis, quæ nec excultæ ingenio, nec elaboratæ sunt industria, multum utilitatis et fructus ad Ecclesiam redire posse. Verum cum a variis non plane improbatos fuisse hosce nostros conatus intelligerem; nec amplius mei juris essent quæ jam in publicum emissa erant; effecerunt amicorum et eorum qui apud me plurimum possunt hortationes et desideria, ut primum hunc ingenii fœtum, et hoc quicquid est operis petenti typographo quamvis ægre permitterem.

Non est porro quod quæras cur hoc argumentum potius quam quodlibet aliud selectum fuerit. Præterquam quod enim non sponte a me susceptum, sed a piis studiosis ad συζήτησιν propositum; si rem ipsam expendis, facile mecum fateberis nullum aliud in tota theologia nostra momentosius esse, et cujus cognitio fidelibus magis sit necessaria; Nullum sane quod majori impetu Satan hostis ille ἄσπονδος salutis nostræ evertere semper sit conatus: novissimisque imprimis hisce temporibus, per pestilentissimos hæreticos, qui ut religionem christianam pessundarent, duo primaria ejus fundamenta, *divinitatem* Domini nostri Jesu Christi, et ejus *satisfactionem* convellere omni ope sategerunt. Optandum equidem fuerat, ut hujusmodi monstra ab ipso ortu necarentur, nec tam infausti fœtus nanciscerentur qui obstetrices manus illis porrigerent. Sed cum nimis late venenum hoc serpere jam satis constet, et exitialia hæc scripta plurium manibus hodie terantur; Æquum etiam fuit alexipharmaca subinde parari, quibus juniores adversus luem istam pestiferam præmunirentur, et animi piorum in veritate magis magisque confirmarentur. Hoc consilio viri doctissimi, quos Deus subinde excitavit ut orthodoxæ veritatis in Ecclesia essent πρόμαχοι fortissimi, in eo hactenus operam suam utilissime collocarunt; Horum et nos prementes vestigia licet non passibus æquis, haud abs re nos facturos sumus arbitrati, si in propugnanda ista veritate adversus ignita Satanæ tela nostram qualemcunque explicaremus industriam.

Cum autem tria vulgo de SATISFACTIONE CHRISTI quæri possint, 1. An *necessaria* fuerit, 2. An *vera*, 3. An *perfecta*, De tribus istis quæstionibus distincte agendum nobis esse duximus; In duabus prioribus cum Socinianis; In postrema cum Pontificiis manus conserendæ fuerunt. Sed ita tamen in iis sumus versati, ut primam et tertiam de *necessitate* et *perfectione* brevius absolverimus; secundam vero de *veritate* quæ ampliorem explanationem requirere videbatur, quamque majori molimine impetunt adversarii, fusius paulo simus persecuti, et nihil quantum quidem a nobis fieri potuit

ex iis omiserimus quæ tum ad veritatis confirmationem, tum ad erroris confutationem facere poterant, non modo objectiones contrarias solvendo, sed et argumenta orthodoxa a strophis et cavillis τῶν ἐξ ἐναντίας vindicando, additis etiam variis currente prelo quæ ad argumenti illustrationem pertinere videbantur. Si quid porro a nobis hic sit præstitum, tuum erit, candide lector, judicium; nobis sat fuerit, nostrum hac in parte tibi in asserendo gravissimo hoc religionis nostræ mysterio probasse studium. Hoc ergo æqui bonique consule, et conatibus nostris in posterum fave. Vale.

III. INDEX DISPUTATIONUM DE NECESSARIA SECESSIONE

NOSTRA AB ECCLESIA ROMANA, ETC.

IV. INDEX DECADIS DISPUTATIONUM MISCELLANEARUM.

V. INDEX DISPUTATIONUM DE SATISFACTIONE CHRISTI, ETC.

* Scil. a Decade præcedenti enumerata; primo tamen hae disput. separato tractatu evulgatæ sunt. Vid. Præf.

Erroribus aliquot typographicis qui in opus tanti moliminis, partim vestigia exemplaris Genevensis nimium premendo, partim de aliis causis, irrepserunt, Lector candidus facile dabit veniam; hisque laboribus Editoriis, ad finem demum perductis, humanissime favebit.—Valeto.

EDINB. ID. JAN. MDCCCXLVIII.

DISPUTATIO THEOLOGICA

PRIMA DE NECESSARIA

SECESSIONE NOSTRA AB ECCLESIA ROMANA,

ET IMPOSSIBILI CUM EA SYNCRETISMO.

DISPUTATIO THEOLOGICA

PRIMA DE NECESSARIA

SECESSIONE NOSTRA AB ECCLESIA ROMANA,

ET IMPOSSIBILI CUM EA SYNCRETISMO.

Respondente JOANNE JACOBO GESNERO *Tigurino.*

I. QUOD apud malæ fidei possessores usu venire solet, ut solidis juris fundamentis et justis causæ præsidiis destituti, in adversarii personam quibuscunque possunt modis invehantur, ut hoc modo suspectam et exosam illam reddendo, facilius omnem dictis ejus fidem abrogent. Id ipsum in gravissimo quod inter nos et Pontificios agitur Religionis negotio experimur. Cum enim facile deprehendant, quotiescunque missis ambagibus jugulum causæ petitur, et ad examen doctrinæ descenditur, se longe inferiores causa cadere, nec sententiam suam ex Scriptura, quæ sola fidei est norma infallibilis, ut nos nostram comprobare posse; huc omnes ingenii nervos intendunt, ut odiosis præjudiciis, et suspicionibus sinistris nostrum agendi modum gravent, quibus infirmorum præoccupatæ et tantum non fascinatæ mentes, vel ad nos accedere cane pejus et angue reformident, si adhuc a nobis sunt alieni, vel si in castra nostra jam transierunt, a nobis recedere, et ad ipsos redire quacunque tandem ratione conentur.

Præjudicium falsum de Secessionis nostræ ab Ecclesia Rom. injustitia.

II. Inter varia autem hæc præjudicia, nullum gravius videtur et periculosius, eo quod vulgo a *Secessione nostra ab Ecclesia Romana* peti solet, quasi ea injusta fuerit et schismatica; nosque adeo cum Reformatoribus nostris, summis illis et invictis Heroibus, Schismaticis et Turbonibus accensendi veniamus, qui viscera Matris optimæ dilaniando, et inconsutilem Christi tunicam dilacerando, sanctissimum charitatis vinculum nefarie abruperimus, nec modo temere et sine necessitate, sed perperam et injuste ab Ecclesia discesserimus. Hinc nulla gratiæ, spes nulla salutis nobis extra Ecclesiam positis reliqua dicitur esse, nisi amica pace Matri unicæ denuo conciliati, eo, unde summo nostro malo egressi semel sumus, postliminio redeamus.

III. Unde quivis facile deprehendit, quantum intersit Orthodoxos hac in parte bonæ causæ non deesse, non modo ut a se gravissimum illud crimen, falsissime sibi impactum, amoliantur, sed etiam ut pro virili, quod

debent veritati testimonium ultro perhibeant, et præjudicatarum harum opinionum, quibus variis infirmis remora in via salutis potest injici, vanitatem demonstrantes, illorum saluti non secus ac suæ eant prospectum. Quod cum jam sæpe antea a plurimis viris doctissimis feliciter sit præstitum, nunc etiam omitti non debet: hoc potissimum tempore, quo Sinonias istiusmodi artes, et pseudo-henotica Neutralium et Politicorum consilia renovari subinde cernimus. Nec dubitamus quin multi viri docti et pii, necessitatem istius laboris agnoscentes, pro sancto zelo suo argumentum hoc sponte sint occupaturi. Nos interea, quod ingratum fore non putavimus, breviter σὺν Θεῷ hic contra Pontificios demonstrandum suscipiemus, *Justissimam ac summe necessariam fuisse Secessionem nostram ab Ecclesia Romana, et injustum ac impossibilem, rebus ita stantibus, cum ea Syncretismum.*

Pax Ecclesiæ optanda et quærenda, sed quæ comitem habeat veritatem.

IV. Atque hic antequam ulterius progrediamur, semel monere debemus; nos licet Secessionis justitiam, et Syncretismi ἀδυναμίαν tueamur, nihil tamen adversus charitatem admittere, nihil adversus pacem Ecclesiæ nobis unice a Christo commendatam, Marc. ix. 50; Joann. xiv. 27, eoque modis omnibus procurandam et expetendam Psal. cxxii. 6, 7, 8, et cxxxiii. Absit a nobis tam durus et implacabilis animus, ut qui filii sumus Principis pacis, a pace et concordia alienum pectus penitus geramus. Volumus sane et quærimus Pacem, sed *Pacem*, quæ cum *Veritate* conjuncta sit, et in ea fundata ex præscripto Zachar. viii. 19, et Pauli Ephes. iv. 4, 5, 15; pacem Christi, ut bene olim monuit Hilarius contra Auxent. "Speciosum quidem est nomen pacis, et pulchra opinio unitatis, sed quis ambigat, eam solam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitam esse pacem, quæ Christi est?" Et Hieron. Epist. ad Theoph. contra errores Joh. Hieros. "Volumus et nos pacem, et non solum volumus, sed et rogamus; sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem in qua non sit bellum involutum, pacem, quæ non ut adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat." Hanc si nobis adversarii offerrent, næ iniquissimi mortalium essemus, si eam rejiceremus. Sed si pax hic nulla, nisi cum veritatis jactura et memorabili detrimento detur, valeat tam infaustæ pacis non libido tantum, sed et commemoratio: nullum dari potest bellum adeo ferum, quod non conducibilius et melius sit fucata ista pace, quæ blando nomine quum arridet, insidiatur, ut hic vere aureum *Nazianzeni* dictum usurpandum sit, Oratione 1. de pace: Κρείσσων ἐμπαθοῦς ὁμονοίας ἡ ὑπὲρ εὐσεβείας διάστασις. "Melius est dissidium, pietatis causa ortum, vitiosa concordia," et ut idem, Orat. 12. dum ad pacem suos stimulabat, prudenter excipiebat, "Ne suspicetur quispiam, quod pacem, omnem amandam et complectendam esse existimem, nam ut optimam quandam dissensionem, ita perniciosam quandam esse concordiam perspectum habeo, ἀλλὰ τήν γε καλὴν, καὶ ἐπὶ καλῷ, καὶ θεῷ συνάπτουσαν, "quæ bona est, ad bonum, et quæ Deo copulat," alias ut ille ipse ait, κρεῖσσον ἐπαινετὸς πόλεμος εἰρήνης χωριζούσης Θεοῦ, "Satius est bellum laudabile pace, quæ nos a Deo separat."

V. Nostrum est ergo pacem solidam et cum veritate conjunctam, ut novissimam Christi tesseram, omni modo fovere et procurare. Sed ubi ea nonnisi veritatis dispendio redimi potest, nec conciliatio quæritur, sed errorum tantum incrustatio, Ecclesiæ pernicies, et Conscientiarum sanguine Christi redemptarum servitus, speciosa ista pacis et unionis nomina, sed nomina tantum, nunquam admittet vir pius; imo potius infamem et perniciosam in malo conspirationem a Dei Ecclesia pro virili amolietur, nec patietur unquam, ut sub insidiosæ pacis obtentu bellum ipsi veritati indi-

catur, Christus cum Belial, lux cum tenebris, Arca cum Dagone componatur, idolum denuo erigatur in domo Dei, et Conscientiæ iis compedibus illigentur, quibus divino beneficio semel fuerunt exolutæ.

VI. Eo vero respexisse malefida eorum consilia, qui et superiori seculo, et hoc etiam nostro, Reformatas Ecclesias cum Romana consociare studuerunt, cæcus est qui non videat. Nam dum illi, vel controversias nostras imminuere et elevare subdole, dissimulata sententia sua, vel fucata et incrustata speciosis pigmentis, sunt conati, vel simpliciter nostrum ad suos reditum urserunt ad pacem et unionem colendam, promissa et oblata a parte sua non abolitione eorum quæ nos offendunt, et a communione sua hactenus absterrent, sed evidentiori tantum explicatione et excusatione. Vel si Deo placet, aliqualem in ritibus externis nonnullis reformationem sunt polliciti; nihil interim remittentes de præcipuis auctoritatis Pontificiæ fundamentis, quibus salvis manentibus, nulla vel reformatio vera, vel solida reconciliatio expectari potest aut debet. Facile colligere est quid illi artibus suis moliti sint, et etiamnum moliantur, nihil scilicet aliud, quam ut fucato pacis prætextu nos in pristinum servitutis jugum reducant, et eundem magnæ meretricis craterem, quo virus suum terrarum incolis propinat, auro quidem et melle illitum, sed venenatum semper æterno animarum dispendio, bibendum porrigant. Absit ut nos tam inauspicatæ pacis amor unquam incessat, non si totus mundus lucrandus foret; "Quid enim juvat mundum lucrari, si animam perdas?" Marc. viii. 36. Pacem quidem cum omnibus colendam docuit Paulus, sed εἰ δυνατὸν, Rom. xii. 18. Quam autem fieri hoc non possit, quantumvis optari debeat, certissimus magister eventus jam satis docuit, et nos paucis demonstraturi sumus.

Secessio duplex, alia justa et laudabilis, alia injusta et culpabilis.

VII. Ut ergo facilius rem totam persequi valeamus, antequam in *hypothesi* de Secessione nostra ab Ecclesia Romana disputemus, quædam de Secessione in *thesi* præmittenda sunt, ex quibus de illius vel necessitate vel temeritate judicare promptum erit. Hoc autem ante omnia præstruendum est fundamentum; quemadmodum *Martyrem causa facit, non supplicium*, sic *non quævis* statim *separatio* crimen inducit, et *Schisma* facit, sed *causa*, ut bene olim notabat *Cassander de Offic. viri pii.* Ut ergo *duplex* secessionis *causa* dari potest, vel *justa*, vel *iniqua;* ita duplex occurrit *secessio*, alia *bona* et laudabilis, alia *mala* et culpabilis. *Bona* est a falso et malo ad bonum et verum, quæ ex bono principio, zelo scilicet Dei gloriæ, et odio non hominum, sed erroris et idololatriæ, ad bonum finem tendit, scilicet liberam confessionem veritatis, et puri cultus divini exercitium. *Mala* contra, quæ ex malis principiis oritur, et ad malum finem fertur, quæ est a vero et bono ad falsum et malum. Illius exemplum extat in Setho ejusque posteris a Caïni propagine se segregantibus, Gen. iv. 26; in Abrahamo e Chaldæa et patria sua divino mandato secedente, Gen. xii. 1, 2, 3; Jos. xxiv. 3; in Proselytis ex Ethnicismo ad populum Dei accedentibus; in Apostolis aliisque fidelibus a Judaïsmo ad Christianismum transeuntibus; in vere fidelibus ex Babel exeuntibus, ad quam secessionem nos vocat Dominus, Isa. lii. 11; 2 Cor. vi. 17; Apoc. xviii. 4. Istius vero in secessione decem tribuum sub Jeroboamo vitulos aureos in Dan et Bethel colentium, 1 Reg. xii. 28; Samaritanorum in templo Garizim; Judæorum in templo Heliopolitano adorantium; hæreticorum ex Ecclesia Apostolica tempore Johannis exeuntium, 1 Johan. ii. 19; carnalium illorum de quibus Judas. 19. "Qui seipsos segregant, Spiritum non habentes." Utriusque meminit Paulus, 2 Tim. ii. 18, 19, cum hinc quidem impiam notat apostasiam Hymenæi et Phileti, qui a veritate recede-

bant, resurrectionem jam factam dicentes; inde vero justam et sanctam verorum Christianorum ἀποστασίαν sigillo Dei expressam innuit, quorum est ἀποστῆναι ἀπὸ τῆς ἀδικίας, *quicunque nomen Christi nominat*, ἀποστήτω, *recedat ab iniquitate.* Illa est a veritate et fide ad mendacium, ista ab errore et impietate ad veritatem et sanctitatem. Hoc demum sensu Apostasiam et abscessionem Sanctorum ab iniquitate agnoscimus, et nos Apostatas esse libenter fatemur, et dè eo gloriamur.

VIII. Unde colligitur omne quidem *Schisma* separationem esse, sed non statim omnem separationem esse Schisma. Nam licet ex vi vocis σχίσμα, Græcis et Latinis *scissura*, quamlibet secessionem videatur importare, cum partes inter se cohærentes vi quadam vel dissiliunt vel divelluntur, sive de corpore naturali, sive de mystico et politico agatur, quo sensu dixit Poëta,

Scinditur incertum studia in contraria Vulgus,

tamen ut in cæteris bene multis vocabulis occurrit, quæ jure quodam Ecclesiæ facta sunt Ecclesiastica, in usu Scriptorum Ecclesiasticorum strictiori paulo significatu, non tantum pro secessione in Religionis negotio, sed in malam partem pro *secessione*, vel *injusta* vel *temeraria* usurpatur, quo sensu Paulus, 1 Cor. i. 11. Corinthios arguit, quod inter ipsos audiat esse schismata: plane ut vox *idolum*, quæ quamlibet imaginem in notatione nominis designat, peculiariter in Ecclesia restricta est ad imaginem significandam, cui defertur honos religiosus. Et ut *hæresis* primario quamlibet opinionem innuit, quam quis eligit ut verissimam, mox specialiter applicatur singulari opinioni, quam pro genio et arbitrio aliquis amplectitur et retinet, cum abhorreat tamen a norma veritatis. Sic et *schisma*, quod secessionem in genere dicit, secessioni vitiosæ et illicitæ vulgo solet tribui. Verum est, strictius adhuc usurpari aliquando contradistincte ad *hæresin*, quatenus hæc est *contra fidem*, illud vero *contra mores* proprie, et vinculum charitatis, ut loquitur *Bonaventura* in iv. sent. dist. 11, quo sensu διχοστασία, quæ schismati æquipollet, hæresi contradistinguitur, Gal. v. 20. Hoc sensu sæpe de eo Patres, et Augustinus in primis, quamvis ex schismate fere postea fieri hæresin doceat contra Donatistas, unum tamen ab altero distinguit, de fide et symbolo. "Quemadmodum hæretici, de Deo falsa sentiendo, fidem ipsam violant, ita schismatici secessionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt,quamvis ea credunt quæ credimus." Sed laxiori sensu ambitu suo comprehendit separationem quamcunque Ecclesiasticam per doctrinæ, aut vitæ, aut utriusque corruptelas, quomodo hic a nobis usurpatur.

Schisma non facit separatio a Pontifice Romano.

IX. Quid autem secessionem vitiosam et illicitam faciat, quam Schisma vocamus, operæ pretium est cognoscere. Sane si adversarios consulimus, ut *Unitatem Ecclesiæ* ex *Unione* membrorum *sub uno Capite visibili et externo*, *Pontifice* scilicet *Romano*, eique debita subjectione metiuntur, ut Bellarm. lib. iii. de Ecclesia cap. v. observat; ita *Schisma* ex *discessione ab ejus obsequio et jurisdictione* statim colligunt. Thomas ii. 2, q. 39, art. 1. "Schismatici dicuntur, qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant." Emanuel Sa, "Schisma est nolle obedire Papæ, ut Christi Vicario, aliisque ut ejus subditis communicare." Quo pertinet impium decretum *Bonifacii* viii. in Extravagante de majoritate et obedientia, Cap. i. "Unam sanctam," &c. ubi sub finem concludit, "Porro subesse Romano Pontifici, omni humanæ Creaturæ, declaramus, dicimus, definimus et pronunciamus, esse omnino de necessitate salutis." Sed cum Paulus, qui sollicite omnes unitatis Ecclesiæ rationes persequitur, Eph. iv.

3, 4, 5, nuspiam talis communionis cum Papa meminerit; cum nuspiam gloriosa hæc prærogativa Capitis cuiquam, excepto Christo, tribuatur, ut nec tribui potest sine immani sacrilegio; mirum videri non debet, si πρῶτον illud ψεῦδος, quod τῇ ὑποθέσει δουλεύοντες excogitarunt, eadem facilitate rejiciamus qua proponitur. Imo quod magis est præfidenter asserimus, ut in sequentibus sumus demonstraturi; tantum abesse ut discessio ab obsequio Pontificis sit schisma, ut subjectio et unio sub ipso sit verum et proprie dictum schisma, quando nemo potest uniri sub Papa, et ipsi subjici ut Capiti, quin eo ipso discedat a Christo.

X. Ut ergo vera *Unitas* Ecclesiæ a Christo demum unice petenda est, in quo fideles uniuntur sancto fidei et charitatis vinculo, Eph. iv. 3, 13, 15, Col. iii. 11, ita *Schisma* non melius potest dignosci, quam ex Unionis istius abruptione, quum scilicet a Christo, et vera ejus Ecclesia disceditur. Porro *discessio* duplex debet distingui, ut *Unio* duplex potest observari inter Ecclesias, alia *interna* et *formalis*, alia *externa* et *materialis*. Illa Ecclesiæ invisibili Electorum et vocationi efficaci respondet, ista visibilem Ecclesiam constituit, et vocationis externæ fructus est. Per illam fideles, tanquam verum corpus, cum Christo Capite suo per veram fidem conjunguntur, et ut membra inter se mutuo charitatis vinculo copulantur. Ista vero in externa ejusdem fidei et cultus professione, eorundemque Sacramentorum participatione posita est. Et ad primam quidem quod attinet; cum constet ex Scriptura eos, qui semel vere uniti sunt Christo et insiti corpori ejus mystico, nunquam ne per mortem quidem ab eo divelli et separari posse, cum fundamentum Dei firmum maneat, et dona Dei sint ἀμεταμέλητα, 2 Tim. ii. 19; Rom. xi. 29, certum est etiam nullam talem dari posse separationem, quæ nos ab Ecclesia invisibili disjungat et revellat. Neque de ista secessione quæritur nunc, de qua in loco de Perseverantia Sanctorum disputatur, quæritur ergo unice de *Secessione externa a visibili Ecclesia*, qua sacrorum communio et vinculum abrumpitur, ita ut una pars cum altera communionem nec colere velit amplius, nec putet se salva conscientia posse.

Quodnam sit schisma temerarium et injustum?

XI. Quia autum talis Secessio, vel *levem* causam et occasionem habet, vel *nullam*, vel *justam* et *necessariam*; ita diversimode de ea judicandum. Nam si nullam habet aut exiguam, et non valde momentosam, Schisma merito dicetur, vel injustum plane, vel saltem temerarium; sin vero graves subsunt et necessariæ causæ, Secessio quidem erit, sed non schisma. Quando causa nulla occurrit legitima cur secessio fiat, vel in doctrina, vel in cultu, vel in regimine, tunc *injustum* est *Schisma*, et merito culpandum, tanquam vulnus gravissimum Ecclesiæ illatum, quo unitas corporis solvitur, et salus eorum qui secedunt in præsentissimum discrimen adducitur; siquidem Deum in cœlo non potest habere Patrem, qui Ecclesiam in terra Matrem non agnoscit; nec cum capite uniri, qui membrorum communionem spernit et deserit. Cum vero causa quidem et occasio videtur aliqua dari, sed levis et exigua, quæ tali remedio nondum egeat, tum, si secessio fit, *Schisma* dicetur *temerarium*; v. g. si error quidam in aliquo cœtu foveatur in doctrina, sed qui non sit fundamentalis, qui hæresim facit; si ritus occurrat in cultu superstitiosus et vanus, sed tolerabilis tamen, qui conscientiam non omnino inficiat; si morum deformatio et corruptelæ quædam dentur; si in regimine seu in disciplinæ administratione peccatum aliquod aut defectus notetur, non statim est secedendum. Ut in corpore naturali, etsi ulcus partem aliquam occupavit, puta, vel manum vel pedem, non statim dixeris rescindendam esse eam partem, sed vel remediis curanda erit, vel tolerandum erit malum,

donec viribus naturæ expugnetur, sic in corpore hoc sacro, etsi aliquando opinionum oritur divortium aliquod, non statim ferrum adhibendum est aut ignis, sed fraterna charitate vel sanandum et resarciendum, vel saltem tolerantia Christiana ferendum, donec Deus ipse, plenius illuminando, ad sanctam unitatem fidei dissentientes reducat, juxta præscriptum Pauli, Phil. iii. 15, 16, "Quotquot sumus perfecti idem sentiamus, et si quid aliter sentitis, Deus hoc etiam vobis revelabit. Attamen in eo ad quod usque pervenimus, eadem incedamus regula." Uno verbo, nisi morbus sit lethalis et contagiosus, non est deserendus æger, imo ne tunc quidem nisi ægre admodum. Ita injustitiæ et temeritatis vulgo arguitur *Secessio Donatistarum* in Africa, qui non propter dogma aliquod periculosum, cujus incusarent omnes Ecclesias, sed propter factum personale *Felicis* et *Cæciliani* se segregarunt, quod nec verum erat, nec, si verum fuisset, poterat justam secessioni dare causam. Talis secessio fuit *Victoris* ab Ecclesiis Asiaticis, cum quæstio de Paschate non esset fundamentalis; talis *Latinorum* a Græcis propter errorem eorum de processione Spiritus Sancti; talis *Brownistarum* et *Separatistarum*, et id genus fanaticorum, qui hodie sese a puriori Ecclesia segregant.

Quænam Secessio sit justa et necessaria.

XII. Verum ubi graves et momentosissimæ occurrunt secedendi causæ, tum non modo *licita* et *justa*, sed et *necessaria* censenda est *Secessio*. Cujusmodi autem sint graves istæ causæ, melius aliunde innotescere non potest, quam ex principiis veræ illius Communionis, quibus Ecclesia instituitur et conservatur. Cum vero tria sint præcipua, *Doctrina*, *Cultus*, *Regimen*; illa, quæ fidem instruit credenda proponendo; iste, qui mores informat facienda exigendo; hoc, quod εὐταξίαν conservat, circa utriusque legitimam administrationem versando; tres etiam primariæ causæ Secessionis istius esse possunt, *Hæresis* in Doctrina, *Idololatria* in Cultu, *Tyrannis* in Regimine. Cum enim Hæresis fundamentum fidei evertat, Idololatria puritatem cultus penitus corrumpat, et Tyrannis verum Christi regnum destruat, nemo sanus ibit inficias veram Ecclesiam non posse cum his corruptelis subsistere, adeoque neminem in cœtu tali sine certissimo salutis dispendio morari posse. Si ergo vel in *Doctrina*, non modo sit error quidam levis, sed plures exitiales et capitales, qui cor salutis et fidei fundamentum petant; vel in *Cultu*, non superstitio duntaxat, sed infamis etiam idololatria; vel in *Regimine*, non aliqua demum ἀταξία, sed tyrannis durissima, et intolerabilis persecutio, tum corporalis, tum spiritualis, ex eo cœtu secedendum esse nemo negare potest. 1. Quia communionem colere nec possumus nec debemus cum hominibus, nisi quatenus potest subsistere cum communione Dei, qui a nobis supra cætera omnia diligendus est et colendus. At communio Dei non potest haberi, ubi hæreses capitales cum Verbo Dei pugnantes grassantur, vel ubi obtinet Idololatria, quæ adulterium est spirituale, vel Tyrannis in conscientias usurpatur, quæ crimen est læsæ majestatis in Deum, et Christum unicum Ecclesiæ Regem, ἀσύστατον cum obsequio illi debito. 2. Cum communio ista cum hominibus non alium in finem quæratur, quam ad salutem obtinendam, ubi salus in discrimen adducitur, quod fit ex causis prædictis, ratio salutis postulat, ut talis communio deseratur. 3. Quia talis secessio veram Ecclesiæ unitatem conservat, quam communio cum Ecclesia hæretica et idololatrica destruit. 4. Quia ubicunque communio non potest haberi nisi injusta, justissima censenda est ab ea separatio; sed communio cum societate, quæ fovet errores et cultus exitiales injusta est, quia nemo debet errori et idololatriæ adhærere; ergo secessio ab ea juste potest fieri.

XIII. Sed non tantum justa censenda est talis secessio, sed etiam

necessaria et *indispensabilis*. Primo, propter periculum præsentissimum, cui fideles exponerentur, corrumpendi fidem suam et cultum, manendo in istiusmodi hæretica et idololatrica societate: fieri enim vix ac ne vix quidem potest, ut qui cum errantibus et idololatris manet, se purum ab omni corruptela præstet, nec quicquam labis contrahat, quantacunque utatur cautela. Secundo, propter liberos, qui eidem discrimini expositi manerent, imo longe majori, qualiscunque cura eorum educationis posset haberi. Cum ergo unusquisque non modo de salute sua Deo rationem reddere teneatur, sed etiam de salute liberorum, debet illis mature prospicere, ne prostituantur et salutis jacturam faciant, manendo in tali societate. Tertio, nemo sine crimine potest habere pro fratribus, quos credimus Deum non habere pro filiis, quales sunt hæretici et idololatræ. Quarto, obligatio colendi communionem cum Christianis non est illimitata, sed certis legibus adstricta, nimirum veræ fidei professionis, quæ saltem immunis sit ab erroribus capitalibus; cultus puri et ab omni idololatria repurgati; et regiminis legitimi et bene ordinati. Dum istæ leges et conditiones manent, perstat etiam communio, sed ubi cessant, cessat etiam de jure communio, et locus datur justæ secessioni. Perronius non potest justitiam talis secessionis negare in Repli. lib. i. c. 83, "Quando corruptio," inquit, "est in doctrina, vel in sacramentis, vel in ritibus universalibus Ecclesiæ, nemo potest in ea communione illius Ecclesiæ manere, quin participet ejus contagio.

XIV. Eo autem justior et magis necessaria est ista secessio, quando *malum* non modo est *grave* et periculosum, sed absolute *lethale*, quod non debilitat tantum, sed mortem et exitium necessario post se trahit, 2. *contagiosum*, quod instar gangrænæ serpit, et facile totum corpus potest inficere, 3. *publicum* et commune, quod non in uno vel altero tantum deprehenditur, sed in pluribus, et in ipsa communitate, 4. *insanabile*, quod nullis remediis potest curari, quando omnis cura, et secundum curam remedia omnia sunt adhibita, sed frustra; imo æger non modo noluit curari, sed in medicos ipsos insurgit et sævit, et pios monitores ferro et flammis persequitur. Quum illi, ad quos Reformationis cura spectat, quales sunt Rectores Ecclesiæ, non modo de ea non cogitant, sed illi modis omnibus se opponunt, corruptelarum autores et fautores acerrimi, qui alios ad eas recipiendas et profitendas cogunt, etiam sub anathematis pœna; tunc sane quisquis de salute sua et vita est sollicitus, ut omnes esse debent, sibi prospicere debet sine mora, ab eo cœtu secedendo, ne morbo isto lethali et insanabili correptus pereat.

XV. Fortius vero necessitatis istius vinculum adstringitur ex Dei mandato, qui talem secessionem non semel imperat, Isa. lii. 11. Propheta Judæos Babylone degentes hortatur ad secessionem, ne ejus impietatibus et sordibus inficiantur, "Recedite de medio ejus, pollutum ne attingite, purificate vos, qui fertis vasa Domini." Quod Paulus, applicans Ecclesiæ Christianæ, 2 Cor. vi. 16, 17, "Quænam communio," inquit, "justitiæ et iniquitatis, luci cum tenebris? Quis consensus Christi cum Belial, templi Dei cum idolis? Itaque exite e medio ipsorum, et ab ipsis secedite, pollutum ne attingite, et ego vos recipiam," id est, ab omni inquinamento tam erroris quam idololatriæ, et vitii infidelium, puros vos præstate, et ego vos in meam amicitiam et societatem recipiam. Sic Johannes in 2ª, 9, 10, 11, vult fidelem recedere a communione et societate hæreticorum, qua errores eorum probentur, vel dissimulando foveantur. "Si quis venit ad vos, et doctrinam istam non affert, ne recipite eum in ædes vestras, nec salutate ipsum, quia qui illum salutat, communicat ejus malis operibus." Sic Apoc. xviii. 4, populus Dei jubetur exire Babylone, ne erroribus et

idololatriis ejus participet. "Exite ex ea, populе mi, ne participando ejus peccatis, participetis ejus plagis." Hujusmodi autem extitisse nobis secedendi ab Ecclesia Romana causas, non seorsim tantum quasdam, (quod tamen jam sufficere poterat) sed conjunctim omnes in sequentibus probaturi sumus.

Secessio alia Politica, alia Ecclesiastica.

XVI. Priusquam vero illud faciamus, notandæ sunt adhuc aliquot distinctiones, quæ ad *Statum Quæstionis* recte percipiendum apprime sunt necessariæ, tum ex parte *Subjecti*, quod est *Secessio*, tum *Prædicati*, quod est *Ecclesia Romana*. I. *Secessio* alia est *Ecclesiastica* et sacra, a *doctrina* et *cultu*. Alia *Politica* et civilis, ab *hominibus* et *personis*. De ista non loquimur, sed de illa. Possunt pii cohabitare heterodoxis et idololatris ut concivibus suis, sed non possunt nec debent cum illis communionem colere in sacris, ut cum fratribus. Prima est *secessio* quoad *fidem*, altera quoad *charitatem*. Illa licita est et necessaria, quia nulla est communio Christi cum Belial, luci cum tenebris; ista vero nequaquam, quandoquidem charitas ex præscripto legis ad omnes homines extendi debet, modo ne quid detrimenti veritas, aut fides per id patiatur. Hic namque semper illud obtinere debet, *usque ad Aras*. Sic possunt fœdera pangi cum iis etiam, qui a veri Dei cognitione et cultu sunt alieni, ut Davidis, Salomonis, Macchabæorum exempla docent. Sic humanitatis et charitatis officia nemini mortalium denegari possunt aut debent.

Secessio sacra, alia latens, alia patens.

XVII. II. *Secessio* sacra et Ecclesiastica, vel est *Occulta* et latens, vel *Aperta* et patens. Illa, qua fideles, sive multi sive pauci, qui in cœtu aliquo impuro et idololatrico degunt, ita vivunt hominibus obscuri, et soli Deo cogniti, ut puros se et immunes ab erroribus illis et superstitionibus tueantur; quales fuere septem mille homines illi, qui Eliæ tempore genua Baali non flexerunt; quales illi omnes pii, qui ante sublatum Evangelii vexillum per Reformationem in Papatu morabantur et gemebant. *Aperta* est eorum, qui palam profitentur se ab illius cœtus doctrina, et cultu alienos, ut Elias, Daniel, et socii ejus, qui aperte cum idololatris communicare renuebant, in quorum ordinem referre debemus sanctos illos veritatis testes, qui ante Reformationem non tantum in corde clam Ecclesiæ Romanæ errores et corruptelas detestabantur, sed et publice eas incusarunt et oppugnarunt, et fidem suam etiam proprio sanguine obsignarunt, ut constat ex *Catalogo testium veritatis*.

Alia positiva, alia negativa.

XVIII. III. Rursus *Secessio* alia est *negativa*, alia *positiva*. *Negativa*, quando cum aliquo cœtu non communicamus, et sive clam, sive palam nos ab ejus fide et cultu avertimus, sed ita tamen ut nondum propterea novum cœtum constituamus, et altare altari opponamus. Qualis fuit patrum nostrorum, qui in Ecclesia Romana corrupta olim latuerunt, non adhærendo tamen illius erroribus. *Positiva*, quando non modo nos alienos ab aliquo cœtu testamur, sed etiam cœtus ab illo separatos habemus, priorem Ecclesiam deserendo, et novam instituendo, quæ legibus Ecclesiasticis, Dei Verbo, Sacramentorum administratione et sacris istiusmodi separatim utatur. Cujusmodi putabatur esse secessio Rubenitarum et Gaditarum, exstructo prope ripam Jordanis altari præter altare Dei, Jos. xxii. Quæstio vero nostra est, non de *prima*, sed de *secunda*. Neque enim disputamus tantum, an licita fuerit secessio illa negativa fidelium, qua pertendimus pios omnes sese a Papatu separasse, sic enim nunquam exivissemus ex eo; sed an positiva, qua Patres nostri egressi sunt ex Papatu, et novas Ecclesias passim exstruxerunt, necessaria fuerit et justa.

Ecclesia respectatur hic non ut vetus et Apostolica, sed ut nova et Papalis.

XIX. Ut vero *Subjectum* distinguendum est, ita et *Prædicatum*, scilicet *Ecclesia Romana*, qui est terminus a quo facta est secessio. *Ecclesiæ* autem *Romanæ* nomine primo intelligitur ea, quæ tempore Apostoli viguit, cujusque fides ab eo celebratur Rom. i., et quæ aliquandiu postea in doctrinæ integritate perstitit, quo sensu de ea non disputamus. 2. Designatur ea, quæ sequioribus seculis extitit, et etiamnum extat, ab illa puritate et integritate plane degenerans, et hoc modo sumitur peculiariter, vel pro cœtu qui concluditur mœnibus Romanis, vel pro Ecclesia repræsentativa, Papa scilicet et Conciliis, vel pro ipso Pontifice ut Capite, vel denique pro iis omnibus cœtibus, qui Romano Pontifici adhærent et ab eo pendent ubicunque locorum sint, quæ *Ecclesia collectiva* dicitur. Quo respectu potissimum, non exclusis tamen aliis, Ecclesiam Romanam attendimus.

Non secundum materiale, sed quoad formale.

XX. Sed in hac rursus Eccl. Rom. consideratione, distinguendum est τὸ *Materiale*, et τὸ *Formale*. *Materiale* sunt homines ipsi qua tales, qui Ecclesiam istam constituunt. *Formale* vero positum est in *Vocatione*, secundum quam in eam societatem Ecclesiasticam convenerunt. Ut vero illa duplex potest esse, vel qua est a *Christo*, qui supremus est Ecclesiæ Pastor et Dominus, vel qua a *Papa*, qui se Vicarium ejus esse falso gloriatur. Ita duplex est istius σχέσις Ecclesiæ, vel qua ad *Christum* refertur, Christiani nominis et veritatis aliquid adhuc retinendo, vel qua *Papam* respicit, illius dominio et jugo sese subjiciendo. Unde colligimus in Ecclesia Romana tria hæc imprimis esse distincte attendenda: 1. *Subjectum*. 2. *Accidens* quoddam adnatum Subjecto. 3. *Compositum* ex utroque. 1. *Subjectum* sunt *homines Christiani*, in quibus nonnihil est adhuc vocationis et gratiæ divinæ, potius quam in Turcis et Judæis; ut liquet ex eo quod symbola et sigilla fœderis non plane abstulerit Deus, quod retineantur adhuc principia Theologiæ, tum *Essendi*, Deus unus essentia, trinus Personis, utraque Christi natura in unitate personæ, tum *Cognoscendi* Verbum scilicet Dei, quamvis multiplici adjectione et substractione postea corruptum, quæ argumento sunt aliquid adhuc ex parte Dei remanere in illo cœtu, licet ex parte hominum nil nisi infidelitas supersit.

XXI. Secundo, *Accidens* sive adjunctum adnatum, est *Papatus*, qui in Ecclesiam multiplices corruptelas tam quoad fidem, quam quoad cultum invexit, et merito censetur tanquam ulcus pestilentissimum, gangræna, et carcinoma in corpore Ecclesiæ, et tota essentia differt ab Ecclesia. Ecclesia enim est cœtus vocatorum in unam fidem sub uno Christo, at Papatus relationem habet ad Pontificem, et ἀποστασίαν a Christo eatenus facit. Unde etsi Christianum nomen adhuc retinet, sub specioso tamen illo nomine Antichristi tyrannidem exercet, et virus ac venenum per totum corpus diffundit.

XXII. Tertio, *Compositum ex utroque* ejusmodi est, ut quædam ex Christianismo supersint, quæ sunt institutionis Christi, multo plura vero ex Antichristianismo irrepserint, quæ sunt corruptelarum Antichristi. Quoniam enim Satan mysterium hoc iniquitatis formare non potuisset, si Christianismum directe et γυμνῇ τῇ κέφαλῇ oppugnasset et extinguere suscepisset, ideo os draconis cornubus et exuviis agni operire sategit, ut facilius incautos deciperet. Sic ex doctrina Christiana, aliquid quidem a Pontificiis retentum est, sed simul innumera alia huic doctrinæ addita sunt, quibus ita adulteratur et corrumpitur, ut omnis ejus efficacia enervetur, plane ut olim idololatræ in Judaïca Ecclesia Baalis cultum cum divino conjungebant, ut jurarent per Deum et Milchom, Ammonitarum idolum, Sophon. 1. 5, et ut

Achaz altare Damascenum in templo juxta altare Dei collocavit, 2 Reg. xvi. 11, 12. Ita in Papatu ad principia Christianismi tot adjunxerunt depravationes et corruptelas, ut vere templum Dei cum idolis, lux cum tenebris, et veritas cum mendacio consociata dicantur, et ita conjuncta, ut quod malum est et exitiale quod reliquum est boni suffocet et extinguat. Atque hoc est discrimen quod inter hanc, et alias falsas religiones, hæreses, et schismata observari potest, quod *Hellenismus*, *Mahumedismus*, *Judaïsmus*, et si quæ sunt aliæ infidelium religiones, Christianismi fundamenta negent. *Hæreses* articulos singulares fidei lædant et pervertant; *Schismata* charitatis vinculum solvant: sed hoc *Antichristianismi* proprium, ut subjectum retineat, sine quo ipse constare non potest. Ut enim gangræna tollitur corporis nece, et veneni nulla est propinatio crudi, sed in cibo vel potu, sic nulla esset Antichristi vis, nisi templum Dei clamaret, hac specie populo illudendo, et hoc vinculo conscientias illaqueando.

XXIII. Ex quibus colligere licet, quid de Ecclesia Romana judicandum sit. Nam qua vocationis et veritatis divinæ residuum adhuc aliquid est in ea, Ecclesiæ nomen, sed late sumptum, non putamus ei absolute denegandum. Qua vero *Papatus* spectatur, quod est accidens et adjunctum adnatum et adhærens illi Ecclesiæ, veram Ecclesiam esse negamus, sed Ecclesiæ pestem, corruptelam, exitium, Ecclesiam ex Apostolica et Christiana Apostaticam et Antichristianam faciens. Qua Ecclesiam ex utroque compositam et compactam attendimus, eam moribundam, tabescentem, peste infectam et intereuntem esse dicimus. Sic quum Ecclesiæ titulum concedere nolumus Pontificiis, non ideo aliquod ejus vestigium apud eos manere inficiamur, sed ut bene Calvinus l. iv. Instit. 2, s. 12, observat, "tantum litigamus de vera et legitima Ecclesiæ constitutione, quæ in communione tum sacrorum, quæ signa sunt professionis, tum veræ potissimum doctrinæ requiritur." Hic autem quando de secessione ab Ecclesia Romana agitur, certum est non intelligi secessionem ab *Ecclesia Romana*, qua Christiana, sed qua *Papali*. Non qua aliquid veri et boni adhuc retinet a parte Christi, sed quatenus mirum in modum corrupta est et adulterata per Antichristum. Non est desertio Ecclesiæ aut communionis sacræ, sed desertio tantum. corruptionis, errorum, apostasiæ et discessionis factæ a vera, antiqua, Apostolica et Catholica fide et Ecclesia, ejusque Capite Christo.

Aliud est secedere ab Ecclesia, aliud ab Ecclesia Romana.

XXIV. Hinc patet longum latumque discrimen intercedere inter hæc duo, quæ tamen subinde turpissimo errore confunduntur ab adversariis, *discedere ab Ecclesia, et discedere ab Ecclesia Romana*. Nam cum Ecclesia, proprie ita dicta, sit societas omnium fidelium per verbum et Spiritum ad communionem Christi vocatorum, procul dubio nemo potest, sine gravissimo, imo certissimo salutis periculo, ab ea discedere, quandoquidem extra eam non potest dari salus. Sed *Ecclesia Romana* cum sit cœtus particularis visibilis, non modo potest sine periculo deseri, sed et debet, si ita corrupta est, ut fundamenta salutis in ea illibata non maneant amplius, nec ullus salva conscientia illius sacris interesse possit. Quod ergo adversarii subinde vociferantur, salutem nostram conclamatam esse, quia Ecclesiam deseruimus, absurdissime petunt principium, et confundunt distinguenda, quasi *Ecclesia* et *Ecclesia Romana* identificarentur, ita ut nemo possit ab ista secedere, quin illam simul et semel deserat. Cum contra, ut antea dictum, contendamus, Ecclesiam Romanam per suam apostasiam Ecclesiæ veræ et proprie ita dictæ nomine excidisse. Ita secessimus quidem ab Ecclesia Romana, ut particulari cœtu visibili, quia non potuit conscientia ejus abominationes ferre, sed ab Ecclesia nunquam, nunquam a Catholica illa

societate, quæ corpus Christi constituit, et in qua sola obtinetur salus, nunquam a Christianismo seu veris Ecclesiis Christianis, quæ tum temporis fuerunt in mundo. Imo tantum abest ut ab iis sit discessum, ut propius sit ad eas accessum, ita ut separatio ista sit terminus separationis et apostasiæ, in qua nostri cum reliquis ambulabant, atque adeo *Regressus ad Unionem*, et communionem sacram in et cum unico capite Christo et mystico ejus corpore: propterea enim ab errore et superstitione discessum est, ut propius ad veritatem et pietatem accederetur, et ut a corruptionibus Antichristi, ad veram fidei Christi professionem rediretur.

XXV. Sane si nunquam a Christo secessisset Ecclesia Romana, si semper, ut sponsa Christi, intemeratam fidem sponso suo servasset, nec passa fuisset adulterum sponsi sui thalamum subire, et servum solium Regis et Domini impie occupare; si doctrinam et cultum semel traditum purum et illibatum retinuisset: utique ab ea secedendum nunquam fuisset, sed eadem, quam cum aliis Ecclesiis particularibus communionem fovere debemus, cum ipsa etiam colenda fuisset. Sed ubi ipsa prior turpiter a Christo descivit, postquam adultera facta est et mater fornicationum, postquam ipsa salutis fundamenta subruere conata est, et cœlum terræ miscere, quis jure queri possit, si turpiter a Christo deficientem deseruimus, et adulteræ nuncium remittentes, verum et unicum sponsum nostrum sequi voluimus, et illi æteıno et indissolubili vinculo copulari? An culpa schismatis aut divortii in eos transferetur, qui desertores deserunt? Annon potius in ipsos desertores, qui prius Christum, antiquam fidem, et Ecclesiam in tam multis deseruerant? Ut in causa divortii, culpa non in maritum insontem, sed in uxorem adulteram confertur, ille quidem libellum repudii mittit, sed hæc prior jura et vinculum conjugii violavit; ille uxorem deserit, sed hæc prior maritum deseruit et conjugium adulterio rupit.

Status Quæstionis.

XXVI. Ex quibus ita positis, non obscure colligitur verus Quæstionis Status. Non enim simpliciter quæritur, an quævis secessio ab Ecclesia Romana licita fuerit et necessaria. Non disceptatur etiam, an quovis tempore secessio fieri potuerit legitime. Sed controversia ad hosce redigitur terminos: "An licitum fuerit et necessarium Patribus nostris superiori seculo segregare se secessione," non politica, et civili, quoad charitatem et ejus officia, sed *sacra et ecclesiastica*, quoad fidem ejusque professionem; non latente tantum et negativa, sed *patente et positiva*; ab *Ecclesia Romana*, non qua Ecclesia simpliciter, vel qua Ecclesia Romana veteri et pura, sed qua *Ecclesia Romana novitia*, *corrupta et impura*, id est qua *Papali* et hæretica, quæ et ipsa secessionem primo fecit a Christo. Vel "An exitus Patrum nostrorum ab Ecclesia Romana qua tali legitimus sit, an infami schismatis nomine sit traducendus, nosque adeo qui eorum premimus vestigia, cum ipsis pro schismaticis jure haberi debeamus, quia nolumus ad ejus communionem redire, et cum ea συγχρητίζειν." Posterius affirmant Pontificii. Nos vero prius tuemur.

Probatur secessionem nostram non factam esse temere et sine necessitate.

XXVII. Assertionis autem nostræ, ut ab hoc capite exordium ducamus, causas et rationes habemus complures gravissimas, quas quia operosum esset sigillatim referre, præcipuas tantum notamus. Primo secessionem nostram non temere, et sine necessitate, sed gravi aliqua de causa factam fuisse, vel hoc unum jam luculenter probat, quod si unam conscientiæ vocem excipias, cætera omnia non modo eam non suaderent, sed et aperte illi repugnare viderentur. Nam cum nihil ex ea lucri et commodi secundum mundum sperare possent Patres nostri, nihil non contra damni et incommodi expectare, utique si carnem et sanguinem consuluissent, nunquam

secedere debuissent. Prævidebant quippe, imo re ipsa jam satis suo damno experiebantur, non posse se ab ea societate discessionem facere, quin eo ipso Magnatum et Principum indignationem, popularium et concivium malevolentiam, et omnium odium incurrerent; quin bonorum, dignitatum, amicorum, patriæ et eorum omnium, quæ dulcissima et carissima nobis in hac vita esse solent, jacturam facerent; quin denique paupertati, ignominiæ, exiliis, persecutionibus, tormentis, morti, et rebus quibusque dirissimis seipsos exponerent. Certo persuasi erant contra, se, si in Romana communione manere voluissent, nihil tale passuros fuisse, imo prospera omnia et felicia fuisse habituros. Quid ergo causæ fuit, cur secedendo vitam in speciem miserrimam, et innumeris incommodis obnoxiam, jucundissimæ et florentissimæ prætulerint? Sane vel eos plane mente captos, et insanos fuisse dicendum est, (quod de tot præstantibus et doctissimis viris, de tot hominum myriadibus, non ex compacto, sed seorsim variis temporibus et locis in unum consentientibus, quis nisi amens ipse dixerit?) vel gravissimas aliquas fuisse causas, et rationibus omnibus mundanis longe potentiores, quæ eos adegerint ad ea spernenda, et tanquam damna refugienda, quæ natura in deliciis habere solet, ad ea vero sponte eligenda et constantissime patienda, a quibus quam maxime abhorremus.

XXVIII. 2. Tales autem causas non inanes fuisse et ludicras, vel pro cujusque arbitrio confictas, sed veras et reales, quæ conscientiam ipsam urgerent, ex eo rursus liquido constare potest, quod non nobis tantum deformis et corrupta visa sit Ecclesia Romana, sed et quamplurimis Pontificiis, qui hanc matris suæ turpitudinem diffiteri non potuerunt, quique propterea reformationem aliquam summe necessariam esse agnoverunt. Clamant hoc querelæ et gravamina Maximiliani Imperatoris, Germanorum, Gallorum, &c. *in Fasciculum rerum expetendarum ab Orthuino Gratio* congesta. Clamant Scripta *Nic. de Clemangis*, *Alvari Pelagii*, *Theod. a Niem*, *Wicelii*, *Wesselii Groningensis*, *Cassandri*, *Rayneri*, et aliorum plurium, quos vide in *Catalogo Testium Veritatis*, et *Plessæi mysterio iniquit.* quibus *Vivem*, *Erasmum*, *Ferum* addimus, qui multa in Ecclesia Romana jam desiderari aperte sunt fassi, et gravissimos ejus errores et corruptelas dissimulare non potuerunt. Notum est etiam celebre *Fr. Petrarchæ*, viri docti et diserti, testimonium, qui ante annos ducentos ita Papatum et Arcem ejus graphice depingit, et alibi sæpe, et præsertim *lib. epist. sine titulo*, epist. 16, ut nominet eam "impiam Babylonem, proditionum nidum, in quo totum terrarum orbis venenum fovetur, crapulis et ebrietatibus obstrictum, meretricem execrabilem, in qua luxuria undiquaque vagatur et viget, hæresium errorumque asylum, carcerem ubi bonum extinguitur et quodvis malum scelestumque alitur, Christo ejusque Apostolis rebellem, ut Venerem Bacchumque Deos colat." Et alibi, "Roma non jam civitas, sed larvarum ac lemurum domus est, et, ut breviter dicam, scelerum, et dedecorum omnium sentina, atque ille viventium infernus tanto ante Davidico ore notatus quam fundatus aut cognitus." Notæ sunt etiam *Mantuani* monachi Italiæ querelæ, laudati etiam *Espensæo* Sorbonistæ in epist. ad Tit.

Quisquis opes sacras nummo reperire profano
Quærit, eat Romam, sacra sunt venalia Romæ.

Et cum alia vendant alii, inquit ex eodem Espensæus,

venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cælum est venale Deusque.

Nec solum moderatiores illi et mitiores Pontificii, sed et acerrimi Papatus defensores agnoverunt, vide *Contareni*, *Sadoleti*, *Poli*, aliorum ad emendandam Ecclesiam a Papa electorum, consilium *Paulo III.* exhibitum apud *Onuphrium*, in quo scribunt, fere "in præceps collapsam esse Ecclesiam Christi, abusus et gravissimos morbos, quibus jampridem Ecclesia Dei laborat, et præsertim Romana Curia, effecisse, ut ingravescentibus pestiferis morbis magnam hanc ruinam traxerit:" item, "Ecclesiam ad desperationem fere salutis laborare." Hoc viderat *Marcellus* II. qui de controversiis religionis componendis ac de reformatione cogitans, aliam quam decessoribus, ab emendationis nomine, ut autoritati Pontificiæ ominoso, abhorrentibus, sibi esse mentem palam profitebatur. Et hic est qui post lectionem Scripturæ et Patrum ab anagnoste in prandio factam, post longum silentium recordatus Adriani Papæ verba, "Romano Pontifice nemo est miserior," inquit, &c., et manu mensam percutiens: "Non video quomodo, qui locum hunc altissimum tenent, salvari possint." *Onuph.* in Marcello II. *Ferus* non uno in loco de hisce Ecclesiæ Romanæ corruptelis loquitur, nominatim vero in cap. 8. "Judic. Quam multa instituerunt sancti bona intentione, quæ tamen nunc videmus partim in abusum, partim in superstitionem versa! Exemplo sunt Festa, Cæremoniæ, Imagines, Missa, Monasteria: nihil horum ea intentione institutum fuit qua nunc habentur, et tamen Gedeones nostri tacent, non abolent abusus, non auferunt superstitiones," &c. Cum vero ex hisce, ut innumera alia omittamus istius generis, ipsis adversariis testibus, satis constet varios abusus et corruptelas et in fide et moribus in Ecclesiam Romanam irrepsisse, quæ statum ejus et puritatem deformarent, facile est colligere, quam non temere, et sine gravi ratione Majores nostri opus hoc Reformationis susceperint, et ad istud peragendum secessionem sibi faciendam esse duxerint.

XXIX. Reponent hic forsan adversarii, *Quamvis daretur corruptam fuisse Ecclesiam diversimode, non tamen propterea locum fuisse justæ secessioni; sanandam fuisse et corrigendam, non vero deserendam, non denudandam fuisse turpitudinem matris, si quæ fuit, sed pro virili obtegendam. Reformationem quidem necessariam fuisse et potuisse postulari, sed ab iis expectandam fuisse, penes quos jus et potestas erat reformandi, non temere a quovis suscipiendam.* R. Sed facili negotio hoc, quicquid est ratiocinii, solvi potest. 1. Fateor lubens et concedo, non statim propter quamvis corruptionem et ægritudinem deserendam esse Ecclesiam; corrigendam esse, et mediis appositis, si pote, curandam. Sed ubi malum eo usque excrevit, ut factum sit penitus immedicabile; ubi omnis cura facta est inanis, et omnia remedia frustra tentata sunt; ubi ipsa non modo medicinam admittere recusat, sed et medicos suos fugat, et ferro ac flammis persequitur; quid ulterius curæ et sollicitudinis impendi potest? Hunc autem fuisse Ecclesiæ Romanæ statum, res ipsa, nobis etiam tacentibus, clamat. Notum est, quantas querelas boni omnes diu fuderint super gravissimis ejus corruptelis; quam ardentibus votis et publice et privatim reformationem aliquam sæpius postulaverint; et quam sæpe promissam, frustra tamen et incassum expectaverint. Notum, quanta sollicitudine in id incubuerint, ut, malis medelam aliquam afferendo, unionem semel factam conservarent, eatenus ut nullam fere pacis conditionem recusarent, præter eas, unde secutus foret omnis religionis interitus: sed tantum abest, ut pio zelo suo summa charitate temperato quicquam profecerint; ut contra, magis ac magis in malo suo obfirmata, in medicos suos insurrexerit, et omnem remediorum apparatum procul a se rejecerit. Ubi ergo monita nihili fieri, et via mansuetudinis se nihil proficere, animadverterunt Nostri, quid faciendum ipsis fuit am-

plius, nisi ut mandato divino olim adversus Ecclesiam Israëliticam idololatriæ ream tradito Hos. ii. 2, "Litigate, litigate cum matre vestra, neque enim uxor mea est, dicite ei ut tollat scortationes de facie sua et ex uberibus suis," in simili casu obsequentes, cum ea litigare inciperent, vitia ei ob oculos subjicientes, et exprobrantes, ut pudore suffusa ad Deum se converteret? Sed quia nedum ut via ista etiam ad correctionem adducta sit, ut ex adverso rabies ejus magis sit exasperata, eatenus ut pios monitores omni persecutionum genere sit insectata, quid antiquius ipsis esse debuit, si salutis suæ desiderio tenerentur, quam ut eam desererent, atque ita certissimo ejus exitio se subducerent? juxta illud Jer. li. 9, "Curavimus Babylonem, sed noluit sanari, eam deserite, et revertatur unusquisque in terram suam, judicium enim ejus ad cœlos usque pervenit."

XXX. 2. Falso supponitur tanquam simpliciter et absolute verum, Ecclesiam nunquam esse deserendam: nam etsi sponte hoc largimur respectu *Ecclesiæ Catholicæ* et *Invisibilis*, quia extra eam nulla est salus; item, respectu *Ecclesiæ visibilis veræ et puræ*, quæ genuinas Ecclesiæ Christi notas retinet, nemo tamen dixerit hoc locum habere debere respectu *Ecclesiæ* cujuslibet *particularis visibilis falsæ* et corruptæ, quæ et ipsa prior defecit a Christo. Alias nec Paulus secedendum esse a falsis fratribus, qui diversam docent doctrinam, bene præscriberet, 1 Tim. vi. 3, 4, 5, nec Judæi a Samaritanis, nec Orthodoxi ab Arianis juste secessissent, nec Propheta fideles sic hortari potuisset, "Ne ascendatis Bethaven," Hos. iv. 15. Hæc enim *Bethaven*, si locum spectamus, nihil aliud fuit quam *Bethel*, sed cum nomine esset Bethel, idola colendo facta est Bethaven. Si Roma, quæ olim fuit *Bethel*, id est *Domus Dei*, fit *Bethaven*, id est, *Domus vanitatis*, quis sine crimine eo ascenderet? Cum ergo Ecclesia Romana non aliter hic consideranda veniat, quam ut cœtus particularis visibilis corruptus, patet causam nullam fuisse cur ab ea secessio fieri non potuerit. Unde male hic arguitur a non distributo ad distributum, ab Ecclesia simpliciter et in genere, ad Ecclesiam Romanam in specie; quasi nemo possit deficere ab Ecclesia Romana, quin deficiat ab Ecclesia, et ab Ecclesia Universali. Cum contra quo magis ab Ecclesia Romana qua tali recedimus, eo propius ad veram Christi Ecclesiam accedamus. 3. Damus obtegendos esse nævos et defectus Ecclesiæ alicujus, cum adhuc sunt tolerabiles et emendabiles, sed quum facti sunt exitiales et capitales, atque ita invaluerunt, ut eorum corrigendorum nulla spes amplius affulgeat, tum causam Christi proderet, qui illos dissimularet, et iis conniveret.

XXXI. 4. Reformatio postulanda fuit quidem primo et expectanda ab iis, qui in autoritate erant constituti, (et hoc non semel, sed sæpissime præstitum,) sed cum spes suas delusas viderent Nostri, et illi, penes quos potestas tum fuit, omnium maxime reformatione indigerent, nec modo de ea cogitare nollent sed et totis viribus illi reluctarentur, an quia non potuit ab iis obtineri, misere in errore pereundum fuit? Nonne necessitatis lex, et vocationis generalis ratio unumquemque obligabat, etiam nullo alio accendente mandato, huic operi manum admovere? Ubi passim grassatur incendium, nonne quisque tenetur, cessantibus præsertim iis, qui ad id publice sunt constituti, aquam undique comportare, et pro virili illud restinguere? In Republica, si νομοφύλακες stertunt, si janitores ipsi portas adventanti hosti aperiunt, annon licebit civi claves e manu proditoris eripere, et hostem irruentem repellere? Si milites vident urbem a suo duce prodi, an fidelitatis laudem merebuntur, si taceant et quiescant? annon perfidiæ et proditionis merito insimulabuntur, nisi protinus a duce illo secedant, et supremi Principis autoritatem adversus ipsum tueantur,

scelestissimis ejus conatibus obsistendo? Ea fuit piorum conditio; stertebant Rectores Ecclesiæ, imo ipsi gregem Christi misere seducebant et hosti tradebant. Quid mirum ergo, si fideles, divinitus excitati in præsentissimo hoc periculo et summæ necessitatis casu, sibi salutique suæ prospicere ante omnia conati sint, desertores et perduelles deserendo, ut fidem intemeratam supremo Principi et Duci Christo conservarent? Sed de his postea fusius, cum de *Vocatione Reformatorum* disputandum erit; nunc obiter notasse sufficiat, non potuisse reformationem ab iis expectari, qui deformitatum et corruptelarum maximarum vel autores erant, vel approbatores. 5. Denique gratis semper supponitur tales abusus et corruptelas non fuisse, propter quas secedendum fuerit. Hoc ipsum enim est τὸ κρινόμενον, cujus contrarium rationibus variis jamjam sumus probaturi, ex quibus constabit causas secedendi nobis non fuisse tantum, vel mores cleri corruptissimos, qui tamen multis ingens scandalum præbebant, vel disciplinæ laxatæ varios abusus, vel errores tantum quosdam leves et tolerabiles, sed gravissimos et teterrimos complures, quos amplecti vel profiteri sine salutis dispendio non poteramus.

XXXII. Hoc ipsum vero ut demonstremus, 1. de *erroribus circa fidem* dicendum, antequam ad cultum et regimen descendamus. Tale autem nobis esto principale argumentum. Ab ecclesia hæretica, et quæ multiplices errores capitales et fundamentales fovet, necessario secedere tenemur; at Ecclesia Romana talis est; ergo ab ea secedendum nobis fuit. Major extra controversiam est posita, quandoquidem nulla potest esse communio luci cum tenebris, veritati cum mendacio, Christo cum Belial, 2 Cor. vi. 14, 15, 16, et res ipsa loquitur, salutem consistere non posse subruto ejus fundamento. Unde Paulus hominem hæreticum, et qui sanos sermones Domini nostri Jesu Christi et doctrinam secundum pietatem non retinet, fugere jubet, 1 Tim. vi. 3, 4, 5, et 2 Thess. iii. 14. Ergo tota lis est de minore, ut probemus tales esse Romanæ Ecclesiæ errores, qui fundamentum ipsum salutis oppugnent, et hæresin faciant. Hoc autem facile evinci poterit, si et fundamentum ipsum respicimus, et Pontificiorum circa illud doctrinam. *Fundamentum* religionis quum dicimus, intelligimus doctrinam omnem, quæ ita ad salutem creditu et factu necessaria est, ut absque ea nemo adultus servari possit. Quæ vox a Judæis primo est usurpata, qui præcipua religionis dogmata hoc nomine designare solebant, ut *Maimonides* initio nobilissimi operis, quod יד dicitur, eo usus est היסו־ יסודי, id est, *fundamentum fundamenti, et columna sapientiæ hæc est, ut sciamus, quod sit Ens primum, &c.*, mox ab Apostolis ad mysteria Evangelica translata est, 1 Cor. iii. 11, Eph. ii. 20, Heb. vi. 1. Ea vero, ut notum, metaphorica est, et ab ædificiis petita, sicut enim ista absque fundamento stare non possunt, sed corruunt illico, ita fideles, qui sunt domus Dei, 1 Cor. iii. 16, stare nequeunt, nisi doctrinæ isti salutari tanquam petræ immobili innitantur, ab eaque sustentantur, Mat. vii. 24, 25. Quemadmodum vero *religio Christiana* duabus partibus potissimum absolvitur, *fide* et *cultu*, *veritate* et *pietate*, hinc duæ partes istius fundamenti vulgo recensentur: altera, quæ *fidei dogmata* complectitur, et quæ *Evangelio* continetur, altera, quæ *morum præcepta* tradit, et *Lege* describitur; illa τὰ θεωρητικὰ et credenda, ista vero τὰ πρακτικὰ et facienda proponit. Quæ ergo in unam vel alteram, vel utramque fundamenti istius partem doctrina impingit, *fundamentalis error* dicitur, cum quo salus consistere nequit.

Quid sit fundamentum fidei.

Quis error fundamentalis.

XXXIII. Verum et hic distinctio quædam notanda. Datur enim *error*, qui fundamentum tantum *tangit*, datur alius, qui fundamentum ipsum *evertit*. Ille *circa* ipsum versatur, iste vero *contra*. Est qui *primo*, *directe*, *et immediate* ipsum oppugnat et convellit; est qui *indirecte* tantum et *secundario* illud impetit. Denique occurrit talis error, qui mediate quidem et per *consequentiam*, sed *necessariam*, *proximam*, *evidentem* et ἔμφυτον seu *innatam*, in fundamentum fertur, et talis, qui per consequentiam tantum *remotam*, *contortam*, et παρείσακτον seu *illatam*, ad illius ruinam tendit. Ut autem hæc duo longe inter se differunt, ita pari loco non debent haberi. Sicut enim non quælibet rima in fundamento ædificium ipsum subvertit, ita nec quilibet error circa fundamentum statim est proprie fundamentalis, sed ille demum, qui ipsum ita impugnat, ut eo ipso evertat et diruat.

Tres partes fundamenti theoretici: Scriptura, Christus, Gratia.

XXXIV. Tales autem errores esse Pontificiorum in utramque fundamenti istius, theoretici et practici, partem asserimus. Et ut de *theoretico*, quod ad fidem pertinet, primo dicamus, de quo nunc disputamus, mox de altero, quod ad mores sive cultum spectat, disputaturi. Quia longum esset ire per omnia, pauca, speciminis ergo, ex multis aliis dogmata eorum notabimus erronea, quæ in ipsum fundamentum manifeste incurrunt. Cum vero variæ constitui possint fundamenti istius partes, nemo negabit tres hasce inter primarias et præcipuas merito reponi, *Scripturam*, *Christum*, et *Gratiam*. *Scriptura* est *fundamentum doctrinæ et institutionis*, quatenus norma et basis est invariabilis fidei, quo sensu Ecclesia dicitur superstrui *fundamento Prophetarum et Apostolorum*, Ephes. ii. 20, non ratione *personæ* ipsorum, quæ fundamento et ipsa egebat, quo niteretur, sed *doctrinæ*, quæ ab ipsis tum in Veteri tum in Novo Testamento tradita est. *Christus* est *fundamentum salutis*, tum acquirendæ per meritum mortis, tum conservandæ, per efficaciam vitæ, siquidem, teste Petro, "Non datur in alio salus," Act. iv. 12, et, "Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus," 1 Cor. iii. 11, 1 Pet. ii. 4, 5. Unus enim est Princeps vitæ et Auctor salutis, qui eam in *Decreto* ab æterno destinatam, in *Verbo* sæpius promissam, in *Cruce* semel acquisitam, in *Corde* subinde obsignat, donec in *Gloria* tandem impleat. *Gratia* est *fundamentum applicationis*, quatenus ea nituntur omnia Dei erga nos beneficia, tam, quæ *pro nobis* a Christo, ut *Vade*, parata sunt, quam quæ *in nobis* ab ipso, ut *Capite*, per Spiritum producuntur, cujusmodi sunt, Justificatio, Sanctificatio, Perseverantia, &c., quo sensu gratiæ omnia tribuuntur in Evangelio, Rom. iv. 16, et xi. 6, 2 Tim. i. 9, et 1 Pet. v. 10. Deus auctor omnis gratiæ dicitur fundare fideles, peculiariter vero Heb. xiii. 9. Cor dicitur *firmari gratia*, *&c.* In tria autem ista fundamenta graviter impingere adversarios luce meridiana clarius est.

Ecclesia Romana impingit in Verbum Dei.

XXXV. Nam ad primum quod attinet, quod *Verbum Dei* esse diximus, patet quam turpiter hic labantur, dum omnia istius Scripturæ θεοπνεύστου adjuncta vel directe vel indirecte eunt eversum, *Originem* certam, quum occasionaliter tantum, non ex professo, traditam esse volunt; *Auctoritatem* et αὐτοπιστίαν divinam, quum illam suspendunt saltem quoad nos a testimonio Ecclesiæ, et ipsi Judicium controversiarum fidei abrogant; *Perfectionem* omnimodam, quum traditionum ἀγράφων necessitatem urgent, quas non modo ipsi pari pietatis affectu et reverentia suscipiendas cum Scripturis decernunt, ut *Conc. Trid. Sess.* iv., sed et sæpius præferunt, adeo ut *Baronio*, ad an. 53, tanti ponderis sit traditio, ut fundamentum existat ipsarum Scriptu-

rarum; *Perspicuitatem* et certitudinem evidentem, obscuritatis et incertitudinis eam impie arguendo, ut ipsis sit nasus cereus et regula lesbia, quæ pro libitu huc illuc inflecti possit; *Puritatem* et integritatem, corruptionis fontes ipsos insimulando; *Finem* primarium, negando esse solam normam, sed commonitorium tantum aliquod fidei et morum; *Usum* denique, lectionem ejus severe interdicendo, et lucernam reponendo sub modio, ne scilicet ad illius lucem detegatur mysterium iniquitatis. Atque eo usque furor ille grassatus est, ut etiamnum hodie, ubi plenius Pontifex dominatur, capitale sit S. Scripturam, aut ullam ejus partem, quacunque vulgari lingua expressam, domi habere vel legere, juxta impiam regulam *Indicis Expurgatorii*, qui Madriti excusus est an. 1612, his verbis expressam, quam nemo pius sine horrore legere vel audire potest: "Cum experimento manifestum sit, si S. Biblia vulgari lingua permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, prohibentur Biblia cum omnibus eorum partibus sive excusa, sive manuscripta, in quacunque vulgari lingua extent," &c. Quia vero *Pius IV.* videbatur consilio ordinarii permittere, ut Bibliorum versorum lectio quibusdam concederetur, *Clementis VIII.* secuta observatio spem istam plane illusoriam esse docuit, dum negat "ullam de novo tribui Episcopis vel aliis facultatem licentiam talem concedendi, quæ ipsis hactenus sublata fuit mandato S. R. univers. Inquisitionis," &c. Quæ omnia, ne quid jam, vel de *canone*, vel de *sensu* et *interpretatione Scripturæ*, *versionis vulgatæ authentia*, &c., dicamus, satis ostendunt, quam graviter impegerint in primum caput. Quid opponant adversarii circa singula hæc capita, ad crimen sibi impactum diluendum, vide in *Institutionis nostræ Elenct. Part. I.*

In Christum.

XXXVI. Sed non minus peccarunt circa secundum caput. Quamvis enim Christum ore profiteantur, et duas ejus naturas in una persona agnoscant, nonne reipsa eum abnegant, dum officium mediatorium ita pervertunt, ut non possit amplius dici, quod est tamen revera, *Unus Mediator* noster apud Deum, 1 Tim. ii. 5? Nam quo pacto illum retinere censendi sunt, qui alios Mediatores etiam redemptionis excogitarunt, quam Christum; aliud purgatorium quam ejus sanguinem, qui "purificat nos ab omni peccato," 1 Johan. i. 7; aliud sacrificium propitiatorium, quam ejus passionem, in qua "semel oblatus, ut auferret multorum peccata, æternam redemptionem nobis est adeptus," Heb ix. 12, 28; aliud meritum coram Deo, quam ipsius obedentiam, per quam tamen "multi constituuntur justi," Rom. v. 19; aliam salutis regulam, quam ejus Verbum, licet solus sit Doctor audiendus in Ecclesia, Mat. xxiii. 10, et anathema nobis debeat esse, qui supra Evangelium aliquid docet, Gal. i. 8; aliud orationum fulcrum, quam ejus meritum et intercessionem, quamvis hoc officium uni illi demandatum legatur, 1 Johan. ii. 1; aliud denique universalis Ecclesiæ caput, quam ipsius personam, utut constanter hæc prærogativa illi soli exclusive ad omnes alios tribuatur, Eph. i. 22, 23, et ii. 20, et iv. 15, 16? Alia mittimus bene multa, quæ congeri possent. Sed hæc satis superque probare possunt quod intendimus, gravissimos errores esse in secundum fundamentum.

In Gratiam.

XXXVII. In tertio non major est difficultas. *Gratiam* enim basim esse et fundamentum totius Christianismi, quo posito ponitur, et quo sublato tollitur, nemo ignorare potest, qui Scripturam novit. Sive eam in decreto respicias, ratione *Prædestinationis* Dei, in qua gratia nobis data esse dicitur in Christo ante tempora secularia, 2 Tim. i. 9; sive in executione, ratione *Redemptionis* Christi, *Gratia* quippe *servamur*, Eph. ii. 8, Tit. iii. 4, 5; sive in applicatione, ratione *Vo-*

cationis et Regenerationis Spiritus, quia Deus dat velle et perficere, omnis ἱκανότης nostra ab eo est, et gratia ipsius sumus quod sumus, Phil. ii. 13, 1 Cor. xv. 10, 2 Cor. iii. 5. Hanc autem gratiam non modo obscurari ab adversariis, sed et everti et de solio deturbari, quis ire possit inficias, qui dogmata ipsorum hac in parte cognoverit? Nam ut nihil jam dicamus de *prævisione operum* et meritorum propriorum, cui electionem fidelium inniti plurimi ex ipsis statuunt, quod revera liberrimam et gratuitam Dei prædestinationem evertit; nihil etiam de *operibus satisfactoriis*, quæ satisfactioni Christi perfectissimæ assuunt, quod etiam gratuitam redemptionem tollit; cui obscurum esse potest *gratiam justificationis*, et *gratiam sanctificationis* apud ipsos enervari, et tantum non abrogari? dum merita et opera nostra ad illam concurrere necessario debere statuunt, cum ista vero liberum arbitrium tanquam causam sociam ad minimum cooperari, ita ut præcipua discretionis et conversionis ratio ab illo pendeat, directe contra Paulum, 1 Cor. iv. 7. Quo pacto tum in *Pharisæorum* et *Pseudo-apostolorum* castra transeunt, qui vel justitiam propriam stabilire conabantur, vel opera cum fide (exitiali mixtura) confundere satagebant, tum *Pelagianorum* et *Semipelagianorum* hæresim pridem damnatam renovant, qui sub specioso gratiæ nomine idolo liberi arbitrii litantes, ut facerent homines liberos, faciebant sacrilegos.

XXXVIII. Hæc vero quanti in religione Christiana sint momenti, norunt omnes, qui veram Christianismi naturam tenent. Cum enim eo tota dirigatur, ut homo proprii peccati et miseriæ sensu dejectus, de se ipso viribusque suis plane desperans, in uno Christo salutem suam quærat, qua tandem ratione principium hoc retinere censendi erunt, qui non patiuntur hunc honorem Christo tribui, ut tota salus nostra in solidum ab ipso pendeat, nisi in partem veniant simul et operum merita et liberi arbitrii molimina. Sane vel hoc unum, et si nihil aliud extitisset, plusquam sufficere potuit ad secessionem instituendam. Nam ut de *Justificatione* tantum dicamus, quis ambigat eam et Christianismi basim esse præcipuam, et Christianorum peculium, in qua cardo consolationis et salutis nostræ unice vertitur, discrimen Legis et Evangelii continetur, veræ εὐθανασίας fundamentum proponitur, et quod omnium maximum est, conscientiæ coram judicio Dei tranquillandæ certissima ratio habetur. Sed quis non videat pariter, ex quo Pontificiorum sententia de *Justificatione operum* obtinuit, et sub anathematis pœna in *Concil. Trid. Sess.* vi. sancita est, præcipuum hunc et fundamentalem articulum ita deformatum fuisse et corruptum, ut Christo et Evangelio nuncium remittere teneatur, qui illum amplecti et retinere satagit. Sic enim mors Christi vana et inutilis redditur, "Si ex Lege justitia, Christus frustra mortuus," Gal. ii. 21; aboletur gratia, et irrita fit promissio, Rom. iv. 14, et xi. 6; Evangelium in Legem commutatur, et quod ἀσύστατον semper judicavit Paulus, Fœdus Novum cum Veteri confunditur, Gal. v. 3, 4, quia non extra nos in alio justitiam et salutem quærere jubemur per fidem, quod gratia docuerat, Phil. iii. 9, Rom. x. 3, sed in nobis per propriam obedientiam, quod lex postulabat. Sic conditio Fœderis Gratiæ tollitur, sic fiducia omnis salutis et consolatio perit, sic hæsitatio et tremor conscientiam, peccati sui et judicii divini metu anxiam, ita premit, ut instar arundinis fluctuet semper, nihilque habeat nisi vanissimum et incertissimum, quo nitatur. Quid enim in operibus suis reperiet homo nisi dubitandi et tandem desperandi materiam? Quæ cum ita sint, ut sane sunt verissima, ipsis etiam adversariis testibus, qui incertitudinem propriæ salutis et perpetuam dubitationem de gratia Dei inter præcipua fidei capita reponere solent, quis jam facile non judicet, quam gra-

viter hic impegerit Ecclesia Romana, et quam juste *Lutherus*, *Zuinglius*, et alii propter hunc etiam articulum Reformationis opus sint aggressi, et de secessione cogitarint?

XXXIX. Quod si ulterius inquirere in ejus doctrinam esset animus, quanta hic errorum colluvies esset detegenda? Quid non de absurdissimo Transubstantiationis et Sacrificii Missatici commento dicendum esset? de sacrilega Calicis Eucharistici detractione, de superba perfectionis et impeccantiæ fidelium præsumptione, de falsissima Papæ infallibilitate, et aliis innumeris, quæ apud eos paulatim invaluerunt, et omnibus credenda proponuntur? Sed ne plura congeram, unicum tantum præcedentibus attexere non pigebit, ex quo constabit, religionem totam Pontificiam ita dubiam esse et incertam, ut non tantum de salute sua quisque hæsitare possit et debeat, (ut jam ante observatum) sed et quotidianæ idololatriæ objiciatur periculo; imo nec ullus in ea persuaderi unquam possit se esse Christianum. Mira sane res et incredibilis, sed tamen verissima quam nemo potest diffiteri, si memineris hoc vulgo receptum esse dogma apud Pontificios, *intentionem ministri esse de essentia Sacramenti*, ita ut nisi hæc adsit, nulla sit Sacramenti consecratio. Verba sunt *Concilii Tridentini*, Sess. vii. Canon. 11. "Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit." At si hoc verum est, cum intentio sit arcana et occulta, de qua nemini constare potest extra hominem ipsum, nullus mortalium etiam de veritate Sacramenti persuaderi poterit. Putat ille se bonum esse Christianum et Catholicum, sed ne quidem scire potest, an revera sit baptizatus, cum hoc pependerit ex intentione ministri, quam ignorat. Iste arbitratur se legitimo matrimonio copulatum esse, sed adulterium forte committit, si intentio defuit in sacerdote. Credit hic se devote adorare Christum in hostia consecrata, sed nec scire certo potest, an ibi sit vere Christus, quia nescit an intentionem habuerit consecrandi sacerdos; vel an sacerdos iste habeat revera consecrandi potestatem; an Episcopus, a quo fuit ordinatus, habuerit intentionem id ipsum et non aliud quid præstandi. Ita in ancipiti hæreant semper necesse est, nec unquam immunes esse poterunt a periculo crassissimæ idololatriæ. Non absimili argumento olim Donatistas urgebat August. Epist. 166, qui peccatum personale ministri sacramentum irritum reddere statuebant. Quis dixerit vero religionem, tam vanis et ruinosis fundamentis nixam, ab homine pio retineri posse sine gravi salutis dispendio? Ut ergo semel primum hoc argumentum concludamus, cum tam graviter et fœde impegerint in *Verbum*, in *Christum* et in *Gratiam*, illius *auctoritatem* negando, istius *meritum* interpolando, hujus *efficaciam* enervando, jure colligimus fundamentales et capitales errores fovisse, atque adeo cum pertinaciter eos tuerentur, et quibusvis credendos imponerent, necessario deserendos fuisse, si saluti consultum voluimus.

XL. Quid ad hoc argumentum excipient adversarii? An respondebunt ista dogmata, etsi erronea forte, non esse tamen fundamentalia et capitalia, quæ justam secessioni causam præbere potuerint, sed talia quæ tolerari potuerint, et quibus non obstantibus, charitas inter nos integra potuerint manere? Sic sane censet *M. Ant. de Dominis Spalatensis Archiepisc. lib.* 7. *de Repub. Eccles. cap.* 11, ubi operose conatur probare, dogmata ista, licet falsa et erronea, non esse tamen fundamentalia. Nec multum abludere videtur *Cardinalis Richelius* in tract. *Gall.* de *Conversione eorum qui ab Ecclesia Romanâ secessionem fecerunt*, qui lib. iii. c. 1, multus est in probando plerosque articulos, quos tanquam præcipuas secessionis causas ob-

trudimus, non esse fundamentales, ut *Sacrificium Missaticum*, *Transubstantiationem*, *Liberum Arbitrium*, *Invocationem Sanctorum*, *Cultum Imaginum*, *Papæ Primatum*, &c. R. Sed non difficile est respondere. 1. Petitur principium et supponitur quod est in quæstione. Damus distinguenda esse fundamentalia a non fundamentalibus, ut Paulus inter fundamentum distinguit, et ea quæ illi inædificantur, 1 Cor. iii. 11, 12. In istis tolerantiæ alicui et charitati locum esse posse non inficiamur, sed quoad illa negamus, quia sublato et everso fundamento, corruere totum ædificium necesse est. Sed falsissime supponitur errores Papatus non esse fundamentales, quasi vero *Traditionum necessitas*, *Justificatio ex operibus*, *Satisfactiones et merita hominum*, *Sacrificium Missaticum*, *Papæ ὑπεροχὴ*, *Indulgentiarum Papalium nundinatio*, et similia, de quibus antea, quæ tam aperte in Verbum Dei, Christi personam et officia, Gratiæ efficaciam et beneficia incurrunt, ad fundamentum non spectent, nec in ipsum impingant! Quasi aliam normam fidei proponere quam Scripturam, alios Mediatores agnoscere quam Christum, aliud sacrificium quam cruentum Crucis, aliam causam justificationis et sanctificationis quam solam gratiam, non sit fundamentum aliud ponere præter id quod positum est! 2. Etsi daremus quosdam ex erroribus istis seorsim consideratos, non esse proprie et directe fundamentales, eatenus ut unusquisque eorum potuerit quadantenus tolerari, si Ecclesia in cæteris omnibus pura fuisset et sana, certum est tamen eos simul sumptos, et in concatenatione et dependentia, quam habent ad se invicem, morbum facere complicatum et capitalem, qui vere lethalis sit. 3. Denique aliud est dogma aliquod non esse fundamentale re ipsa, aliud pro fundamentali obtrudi. Fatemur quidem multa in Ecclesia Romana proponi, quæ de ratione fundamenti nequaquam censeri possunt aut debent, sed quia necessitatem ipsa imponit conscientiis sub gravissimis pœnis ea admittendi et fidei articulis annumerandi, hoc respectu fundamentalia ipsi fiunt. Sic ne quidem ex ejus hypothesi leviter potest errare, qui in talibus impingit.

XLI. II. Excip.—Aliud esse "addere fundamento," aliud "fundamentum evertere;" potuisse quidem Ecclesiam Romanam addere nonnulla, sed non propterea tamen ab ipsa eversum esse fundamentum; retinuisse semper et retinere adhuc Verbum, ut normam fidei, Christum ut auctorem salutis, Gratiam ut principium regenerationis. R. 1. *Addi* potest aliquid fundamento bifariam, vel ut *pars ædificii*, quæ illi superstruitur, vel ut *pars fundamenti*, quæ cum illo pro fundamento teneatur. Priori sensu non statim quicquid additur fundamento illud evertit, ut qui *fœnum* et *stipulam* addit fundamento, id est, doctrinam, non quidem hæreticam et perniciosam, sed minus sinceram et solidam, curiosam magis quam utilem, retinet quidem fundamentum, et propterea servandus est, sed veluti *per ignem*, id est, ægre, opera, et mercede sperata, licet non vita, mulctatus, 1 Cor. iii. 11, 15. Sed posteriori sensu, quia addit fundamento ut sit pars fundamenti, addendo destruit, quia aliud fundamentum præter positum dari non potest. Talia sunt autem Ecclesiæ Romanæ additamenta, quæ non tantum fundamento superstruuntur, sed et quæ pro fundamento obtruduntur. 2. Qui addit fundamento quæ sunt illi homogenea et conformia, non evertit fundamentum, sed qui addit *contraria et ἀσύστατα, addendo evertit;* hujus criminis autem reos esse adversarios quis dubitet? Spiritus Sanctus docet Scripturam talem esse normam fidei, cui nihil addendum nec detrahendum sit, et præter quam nihil sub gravissimi anathematis pœna sit admittendum, Galat. i. 8. Volunt tamen isti traditiones ἀγράφους pari affectu et reverentia suscipi. Docet idem Chris-

tum unicum esse Mediatorem nostrum, 1 Tim. ii. 5, et Caput Ecclesiæ, Ephes. i. 20; justitiam ejus unicum meritum, quo justi constituimur, Rom. v. 18 19; ejus intercessionem unicum medium accendendi ad Patrem, Joh. xiv. 6, 1 Joh. ii. 1, et Ephes. ii. 18. At Pontificii, his non contenti, mediatores alios, aliud sacrificium propitiatorium, alia merita, aliud caput commenti sunt. Quid est fundamentum evertere, si hoc non est?

XLII. Frustra regeres, palam tamen eos profiteri se istud retinere, nihilque minus quam de eo convellendo cogitare. Quid enim juvat retinere, si cum eo conjungas corruptelas exitiales quibus pervertitur? Quid juvabit adulteram clamare se virum, cui matrimonio juncta est, pro legitimo marito suo habere, si adulterum in sinum recipit, et corporis sui illi copiam facit? An minus ideo adulterii rea peragetur, cum constet protestationem esse facto contrariam? Aliud itaque est *ore tenus profiteri*, aliud *corde credere*; aliud nomen tenere, aliud rem ipsam et mysterium agnoscere. Damus eos profiteri Christum, et nomen ejus constanter obtrudere, sed sincere recipere, et illi vere adhærere negamus, quia verbis gloriam ejus prædicando, re ipsa abnegant, dum inter se et ipsum salutis opus dimidiant, et quod unius Christi est ad homines transferunt. Ut ergo fundamentum rite teneatur, tres conditiones potissimum requiruntur. 1. Ut non ore tantum sed corde, non in verborum cortice, sed in rerum et mysteriorum veritate recipiatur, *fundamentalia* enim *non in verbis consistunt*, ut bene *Hiero*, sed *in sententia*. 2. Ut non pars tantum quædam, sed totum in solidum retineatur, quia religionis doctrina est una copulativa, quæ facit unam ac individuam veritatis regulam, quæ nec additionem, nec detractionem ullam patitur. 3. Ut solum sine aliis ullis assumentis possideatur, "aliud enim fundamentum nemo ponere potest præter positum," 1 Cor. iii. 11. Unde qui unicum non habet, plane non habet; *Christus non μεμέρισται*, 1 Cor. i. 13; vel solus adest, vel abest; impatiens consortis, nec priorem, nec parem ferre potest. Sic additio omnis, non minus ac detractio, in materia *fidei et cultus* ita prohibetur, ut quod est *præter*, sit etiam *contra*, Deut. iv. 2, et v. 32. Unde Paulus non jubet tantum fugere eos, qui *contrarias* doctrinas tradunt, sed qui *diversas*, et alias εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, 1 Tim. vi. 3, 4. Vetat sapere non modo *contra*, sed ὑπὲρ "*supra* id quod scriptum est," 1 Cor. iv. 6, et anathemati subjicit, quisquis tentaverit evangelizare παρ' ὃ *præter* id quod evangelizatum fuerat ab ipso, Gal. i. 8. Cum ergo fundamentum sive doctrinæ, sive salutis, unicum tantum sit, ultra et præter quod nihil admitti potest, quicunque solum non retinet, omnino non retinet, sed evertit.

XLIII. Dices non tolli veritatem exclusivarum, nec per consequens fundamentum everti, quia subordinata non pugnant; talia autem esse dogmata ista, de quibus agitur, quæ suam Christo gloriam et ὑπεροχὴν semper relinquant; Papam quidem esse caput Eeclesiæ, sed visibile tantum, secundarium et ministeriale, sed Christum esse solum caput primarium, invisibile; mediatores sanctos credi, sed intercessionis tantum, Christum solum proprie dictum redemptionis; opera et merita propria induci, sed quæ omnem vim suam, et efficaciam a Christo mutuentur, qui fidelibus virtutem merendi acquisivit; sacrificium missaticum urgeri, sed sacrificium crucis manere semper solum propitiatorium, quia illud nihil aliud sit, quam istius commemoratio et applicatio; et sic in cæteris, tantum abesse ut injuria fiat Christo, et gloria ejus imminuatur, ut magis gratia ejus commendetur et illustretur. R. Sed hæ sunt inanes offuciæ, quæ nequicquam obtenduntur commento isti stabiliendo. 1. Quod hic de *subordinatione* no-

tatur merum est figmentum, quasi ulla concipi possit subordinatio inter ea, quæ plane sunt opposita et adversa, nam si gloria Capitis et functio Mediatoris soli Christo sit propria et ἀκοινώνητος, ut omnino fateri coguntur, qui norunt opus esse virtutis infinitæ, quod in creaturam finitam cadere nequit, quomodo dividi poterit sine manifesto sacrilegio et aperta contradictione? Nec valet σοφὸν φάρμακον distinctionum positarum, quia ut natura rei eas non patitur, ita ἄτερ γραφῆς finguntur, quæ nusquam vel Capitis secundarii et visibilis, vel Sacrificii commemorativi et applicativi, vel Mediatoris Intercessionis et non Redemptionis meminit. 2. Licet Christus hominibus utatur tanquam *ministris* ad regimen externum Ecclesiæ, nunquam tamen *Capitis* dignitatem in unum quempiam contulisse dici potest, nisi caput monstrosum et biceps tribuere velimus Ecclesiæ, quæ non modo Christi, sed et Papæ vocetur corpus. Sancti non tantum mediatores sunt intercessionis, sed et redemptionis ex sententia Pontificiorum, quia eorum *precibus et meritis* nixi, remissionem peccatorum et vitam æternam petunt, vide *Breviarium Romanum* passim, et *Hortul. anim.*. editum per Plant. an. 1557, in officio B. Mariæ, *precibus et meritis B. Mariæ semper virginis et omnium sanctorum perducat nos Dominus ad regnum cœlorum*, &c. Sic modo ut *socia* Christo adjungitur, modo ut *superior* præficitur, quum orant, ut *Matrem esse se monstret, et jure matris Redemptori imperet.* An hoc est subordinari Christo, an non potius in ejus officium involare? 3. Falso supponitur Christum meritum nobis esse virtutem merendi. Cum in creaturam finitam et peccatricem non cadat, meruit salutem, et remissionem peccatorum, sed merendi facultatem nusquam, quid enim opus est merito nostro, ubi meritum Christi plenissime sufficit? Quod ergo merita nostra non opponi meritis Christi, sed componi et subordinari volunt, absurdum est; nam eo ipso quo *componuntur*, *opponuntur*, gloriam capitis propriam in membra transferendo. 4. Ridicula est distinctio *Sacrificii commemorativi* et *applicativi*, nam commemorare rem gestam est agnoscere nos non facere quod est factum, sed tantum recolere et repetere, ne excidat illud quod fuit factum; nec applicatio potest esse oblatio, cum hæc applicatio facienda illam oblationem præsupponat factam. Præterquam quod applicatio fieri debet homini, sacrificium autem offerri debet Deo. Unde, ne ulterius pergamus, satis liquet adversarios ἀσύστατα velle conjungere, nec posse, quicquid profiteantur, Christum cum hisce commentis suis retinere. Paulum ipsum audiamus in simili plane negotio. Pseudo-Apostoli Christum sane profitebantur, et dicit tamen eos *pervertere Evangelium*, et καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, quia cum fide et meritis Christi Legis opera et merita propria, plane ut hodie Pontificii, in justificatione urgebant, Gal. i. 7, et v. 4. Angelici veteres, qui cultum angelorum, a Platonicis haustum, introducere satagebant, Christianum quidem nomen retinebant, sed tamen quia adjungebant Christo, vero cultus objecto, falsum et adulterinum, dicuntur "non retinere caput," Col. ii. 19. Idololatræ qui claudicabant in utrumque latus, Jehovæ nomen retinebant, Hos. iv. 15, sed non minus deseruisse Deum dicuntur, 11. Adeo verum est, nihil componi posse hac in parte cum Verbo, vel cum Christo, et Gratia, quod non illis opponatur.

XLIV. III. Excip.—"In Ecclesiis Galatarum et Corinthiorum fuisse errores capitales in doctrina de justificatione, de observatione legis cæremonialis, de resurrectione mortuorum, nec tamen propterea communionem earum deserere jubere Paulum. Ergo licet errores essent in Ecclesia Romana capitales, non tamen statim secedendum fuisse." R. 1. Dist. *Ecclesiam a Seductoribus, qui sunt in Ecclesia.* Fateor quosdam fuisse in illis Ecclesiis, qui tales errores foverent, sed Ecclesiam ipsam hoc errore infectam fuisse

totam negamus, cum Apostolus aperte eos distinguat, 1 Cor. xv. 12, "Quomodo dicunt quidam ex vobis, non esse resurrectionem mortuorum?" et Gal. i. 7, "Sunt quidam qui vos turbant." 2. Distingue *errores privatorum* paucorum, qui disseminari incipiunt in Ecclesia, nec approbantur tamen ab Ecclesia, ab *erroribus publicis Ecclesiæ*, qui sunt in ἀκμῇ, et qui auctoritate publica sanciuntur, et ita sunt confirmati, ut in leges abierint. Illi sane exitiales quidem sunt eos foventibus et cæteris periculosi, sed non tamen fideles, qui in illo cœtu versantur, ad secessionem statim obligantur, quum immunes se ab iis tutari possunt. Imo Paulus testatur "oportere hæreses esse inter fideles, ut probati noscantur," 1 Cor. xi. 19. At alia ratio est istorum, quia cum publici sint, singulos inficiunt. Jam primi generis fuisse errores illos Galatarum et Corinthiorum antea visum ex distinctione Apostoli, qui seductores a fidelibus secernit. Quod si fideles compellare, vel de iis loqui videtur, non tam loquitur de iis, ut jam lapsis, quam ut vacillantibus, ut eos confirmet, et adversus seductores præmuniat. Non enim simpliciter dicit *translati* estis, sed μετατίθεσθε *transferimini*, tacite culpam ab ipsis in impostores removendo, et bene adhuc de iis sperando, ut infra Gal. v. 10, dicit, "Confido vos nihil aliter sapere." Sed errores Papales non fuerunt tantum quorundam in Ecclesia, sed Ecclesiæ totius, in qua publice docebantur et defendebantur. Non fuerunt in *initio*, quos admittere, vel rejicere liberum fuerit, sed ἐν ἀκμῇ et *fastigio*, qui auctoritate publica vim legis obtinuerunt, maxime ex quo Concilium Tridentinum eos sub pœna anathematis singulis credendos obtrusit. Hactenus ergo discrimen est longe maximum inter Ecclesias illas et Romanam, ut ab illis ad hanc argumentari sit disparia plane conjungere.

XLV. Ut vero clarius pateant errores capitales Eccl. Rom. libet hic apponere novum symbolum, quod a Pio IV. traditur in Bulla super forma juramenti professionis fidei, quam juxta hanc et non aliam formam fieri, Apostolica auctoritate districte mandat, ut extat in Catech. Trident. "Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur: videlicet credo in unum Deum Patrem, omnipotentem factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre, natum ante omnia secula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine. Et homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in cœlum, sedit ad dextram Patris, et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur. Qui loquutus est per Prophetas. Et in unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptismum in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum et vitam æternam. Amen.

"Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.

"Item S. Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

"Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ Legis,

a Jesu Christo D. Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Præceptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

"Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de Justificatione in S. S. Tidentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

"Profiteor pariter in Missa offerri proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, esse vere, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate D. N. J. Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

"Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

"Similiter et sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

"Firmissime assero imagines Christi, et Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam.

"Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

"Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri, Apostolorum Principis, Successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro.

"Cætera item omnia a sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, et rejectas atque anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, sine qua nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia."

XLVI. Ex quibus proclive est colligere, quantum non modo diversa sit a Scriptura Ecclesiæ Romanæ fides, innumera recipiendo præter ea quæ in ea continentur, sed et ei adversa et δὶς διὰ πασῶν opposita plurima sanciendo, et tanquam necessaria ad salutem obtrudendo, quæ aperte eĭ repugnant, nec aliud fundamentum habent, quam in traditionibus ἀγράφοις, quarum nulla potest aut debet apud nos esse auctoritas, quæque ideo recipere et amplecti sine præsentissimo salutis periculo non possumus, diro anathemati, quod Paulus denunciat, nos subjiciendo. Non nos latet equidem varias novissimis istis temporibus *Expositiones Doctrinæ*, ut vocant, *Catholicæ* in medium prodiisse ad errorum fœdorum, quibus inquinatur, turpitudinem abstergendam, vel saltem utcunque tegendam, quasi fides ejus probe hactenus perspecta non fuerit. Verum qualescunque colores

et pigmenta quærantur ad cruda ista dogmata incrustanda, si penitius in rei veritatem inquirimus, facile patebit, merum esse fucum, ad fallendum compositum, quo simplicioribus imponere satagunt, quod certius constat vel ex eo, quod, quicquid Methodistæ et Elucidatores isti in medium afferant ad emolliendam falsissimorum dogmatum duritiem, non desinunt tamen obtrudere Concilium Tridentinum tanquam fidei regulam, et pro Ecclesiæ suæ infallibilitate, quæ errorum omnium fons est et mater, tanquam pro aris et focis decertare. Quod dum urgebitur necessariam secessionem nostram ab Ecclesia Romana reddet semper, et impossibilem cum ea Syncretismum, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

DISPUTATIO SECUNDA.

QUÆ PRIMA EST

DE IDOLOLATRIA ROMANA.

DISPUTATIO SECUNDA.

QUÆ PRIMA EST

DE IDOLOLATRIA ROMANA.

Respondente Marco Michælio *Genevensi.*

I. Superiori disputatione diximus, tria hæc præcipue secessionis nostræ necessitatem, et syncretismi impossibilitatem facere, *Hæresim* in Doctrina, *Idololatriam* in Cultu, et *Tyrannidem* in Regimine, et de *Hæresi* jam egimus, demonstravimusque adeo tot capitales et fundamentales errores obtinere in Papatu, ut impossibile sit eos fovere et profiteri sine præsentissimo salutis discrimine. Sequitur jam ut de duobus aliis capitibus disputemus; et primo de *Idololatria*, postmodum de *Tyrannide*.

Idololatria justa causa secessionis.

II. Ut autem de *Idololatria* dicamus, quia res est maximi momenti, et quæ sola necessitatem secessionis nostræ abunde comprobat, paulo plenius de ea est disserendum. Hoc vero nobis argumentum esto primarium. Ab illius Ecclesiæ communione et sacris necessario secedere tenemur, quæ multiplicis idololatriæ in cultu suo rea est; at Ecclesia Papalis hoc crimine manifeste tenetur; ergo. Majorem propositionem vix opus est ut probemus, quando Scriptura passim *idololatriam* damnat, tanquam fœdissimum crimen, et cum vera Dei communione plane *ἀσύστατον*; hinc Paulus, 1 Cor. vi. 9, idololatras a regno cœlorum excludit, et 1 Cor. x. 14, jubet Corinthios fugere idololatriam, et, 2 Cor. vi. 16, 17, nullam communionem esse posse inter templum Dei et idola profitetur, *τίς συγκατάθεσις ναῷ Θεοῦ μετὰ εἰδώλων*. Petrus, cap. iv. 1æ. v. 3, idololatriam inter peccata Gentilium recenset, quæ procul esse debent a Christianis; Johannes, 1æ c. v. ult., hoc unum præ cæteris commendat, *Filioli, cavete ab idolis.* Nec ob ullum aliud peccatum gravius unquam iratus Dominus legitur adversus populum Israëliticum, vel ad deserendum ipsum, et libellum repudii ipsi dandum, ullo alio crimine fortius est impulsus, ut passim apud Prophetas videre est. Nec sane mirum, nam si non alia re magis mariti ira accenditur in uxorem, quam si videat ab ipsa violari fidem conjugalem, quanto justius Deus zelotypus, qui impatiens est consortis, nec parem aut superiorem ferre potest, commovebitur adversus Ecclesiam, quæ sacrum fœderis et conjugii spiritualis, quod cum ipsa contraxit, vinculum infami idololatriæ adulterio abrumpit? Tale enim est vinculum religionis, quæ nos soli Deo religat, quale est

conjugii, Deus quippe in Scriptura se Sponsum nostrum esse testatur. Ecclesiam vero Sponsam suam, quam in uxorem sibi desponsavit, Hos. ii. 2, 16, 20, Ezech. xvi. 8. Ideo toties spirituale adulterium committit, quoties aliud quicquam præter verum Deum religioso cultu prosequitur, quo crimine nullum aliud gravius dari potes, nec quod acrius zelotypiam Dei in Ecclesiam accendat, ut passim apud Prophetas legitur. Hinc Thomas 2, 2. q. 943. "In peccatis," inquit, "quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendit." Si ergo demonstraverimus Ecclesiam Romanam Papalem esse idololatricam, causæ nihil dici poterit, cur Majores nostri ab ea secedere non debuerint, et cur, rebus sic stantibus, impossibilem non dicamus cum ea syncretismum. Quænam enim posset esse legitima consociatio? Quænam unio cum adultera, quandiu vigent et durant ipsius fornicationes? 2 Reg. ix. 22, Apo. xvii. 4. Amoveat eas et redeat in gratiam cum Domino suo, et nobiscum etiam pax erit.

III. Etsi autem majoris propositionis veritas ita evidens est, ut nemo nisi aperte idololatra huic refragari posse videatur, eam tamen intactam non relinquunt adversarii, sed quibuscunque possunt modis infringere conantur. Primo *Gregorius de Valentia*, lib. ii. de Idol. cap. 5, distinguere non erubescit *idololatriam* in *licitam*, et *illicitam*, et ad tam nefarium commentum confirmandum trahere conatur locum 1 Petr. iv. 3, ubi damnantur ἀθέμιτοι εἰδωλολατρείαι, quod V. V. reddit *illicitos simulacrorum cultus*, quasi illicita tantum idololatria lege Dei vetaretur, non vero licita, quæ a suis exerceatur. R. Monstrum doctrinæ, cujus ipsum Satanam pudere debuit, nedum hominem Christianum; si vero hoc credit cum sociis suis, cur tantopere laborant, ut se crimine idololatriæ liberent, cur adeo excandescunt quum idololatræ vocantur, nonne facile se hac distinctione expedire possunt? Sed quis ferat hominis insaniam? Quasi epitheta, quæ rebus significandis adhibentur, essent semper διακριτικὰ, non vero etiam sæpe ἐξηγητικὰ, ad *distinctionem* tantum, non item ad *amplificationem*, concludat ergo pari ratione peccatores quosdam dari pios, quia judicium Dei futurum dicitur adversus *peccatores impios*, Jud. 15; quasi darentur optimæ quædam abominationes, quia pessimarum fit mentio Ezech. viii. 9; quasi quædam stupra et scelera licita esse *Cicero* innueret, quia pro Milone *nefaria stupra* et *nefaria scelera* Clodii vocat. Quis vero non videt Petrum, hoc epitheto, nihil aliud quam nefariam et infamem Gentilium idololatriam carpere voluisse, et gravitatem tanti criminis describere?

IV. II. Excip. Idololatriam non esse sufficientem secessionis causam. 1. Quia certum est Ecclesiam Israëliticam sæpe in idololatriam esse prolapsam, nec tamen vel pios ab ea secessionem statim fecisse, vel Deum hoc illis præcepisse. 2. Eliam non recessisse ab Ecclesia Israëlitica, licet se solum relictum esse putaret, qui verum Deum coleret, 1 Reg. xix, nec septem illa millia quæ genua non flexerant Baali, licet Ecclesia illa idololatrica foret et corruptissima. 3. Azam, Josaphatum, Joazum, Amaziam, Azariam, et alios reges celebrari, quod ambulaverint recto pede coram Deo instar Davidis, qui tamen excelsa, in quibus adhuc sacrificabat populus, non sustulerant, 1 Reg. xv. 14, et xxii. 43, 2 Reg. xii. 3, et xv. 4, 2 Chron. xv. 17, et xx. 33. Quidni ergo potuerint ἡττήματα et abusus, si qui erant, relinqui in Ecclesia Romana, salva tamen conscientia? 4. Naamanem Syrum jam conversum sese incurvasse in æde Rimmonis, cum rex coram idolo procumberet, neque hoc a propheta prohibitum fuisse, qui eum in pace dimittit, 2 Reg. v. 18, 19; idem ergo et nobis licere. 5. Ecclesiam Judaïcam tempore Christi corruptissimam fuisse et in fide et in moribus, domum Dei in spe-

luncam latronum esse mutatam, nec tamen pios, qui in ea adhuc degebant, Zachariam, Elizabetham, Simeonem, Annam, beatam Virginem, et alios eam deseruisse. Licet ergo concederetur, gravisimos fuisse errores et corruptelas in Ecclesia Rom., non ideo statim relinquendam fuisse.

V. Quia exceptiones istæ subinde recurrunt apud adversarios, et magno apparatu identidem reponuntur, diligentius paulo sunt excutiendæ. R. 1. Quum supponunt, idololatriam non esse secessionis causam sufficientem, in eo perperam principium petunt, et tanquam certum et indubitatum assumunt, quod est in quæstione; imo tantum abest ut non sufficiat, ut vel hæc una ratio, si nullæ aliæ darentur, ad secessionem faciendam necessario nos impellere deberet, quia nulla communio potest esse Deo cum idolis, nec sancto et cœlesti sponso cum adultera. 2. Exempla, quæ ad exceptionis probationem afferuntur, vel falso, vel præter rem et ἀπροσδιονύσως adducuntur. Primo negamus pios sub Veteri Testamento nullam ab idololatris secessionem fecisse, nec a Deo hoc illis præceptum. Secedebant *secessione* saltem *mentali et negativa*, abstinendo ab erroribus et idololatria; secedebant etiam sæpius *secessione aperta* et patente, per *protestationem* seriam contra tales corruptelas, et gravem eorum increpationem, qui iis se polluebant. Sic Moses secessit ab idololatris, cum Levitarum ministerio gravissime hoc crimen ultus est, Exod. xxxii. Sic Prophetæ concionibus et declamationibus suis secedebant ab impuro cultu. Sic fideles praxi pietatis et vitæ se puros et immunes præstabant ab istiusmodi sordibus, dum *gemebant propter abominationes Israëlis*, Ezech. ix. 4, ut Lothus, qui Sodomis affligebat animam suam justam propter peccata Sodomæorum, 2 Pet. ii. Nec dici potest, secessionem illam præceptam non fuisse. Nam præterquam quod pœna mortis in idololatras denunciatur, Exod xxii. 20, et Deut. xvii. 2, quoties prophetæ nomine Dei increpabant idololatras, toties piis secessionem ab ipsis præcipiebant, imo diserte non semel hoc præscriptum legimus, Isa. lii. 11, "Discedite, discedite, exite illinc, immundum ne attingitote, exite e medio ejus," &c. Et Hos. ii. 2, "Contendite cum matre vestra, contendite ipsam non esse uxorem meam, et me non esse virum ipsius, ut amoveat scortationes suas a conspectu suo et adulteria sua e medio uberum suorum, ne denudem eam plane," &c., quod non semel alibi iteratur.

VI. Dices, qualiscunque fuerit eorum secessio, certum est non fuisse *positivam*, qualis a nobis facta est, quæ cœtus habuerit segregatos, et aliam Ecclesiam erexerit. R. Gratis supponitur nullos secessisse positive. Quis dixerit e decem tribuum numero, temporibus regum piorum, neminem Samariam reliquisse et vitulos, ut ascenderet Hierosolymam, et ad sacra in templo facienda rediret? Deinde si talis facta non est secessio, qualis nostrorum fuit a Papatu, mirum videri non debet, quia nec fieri potuit, nec absolute adhuc, quo loco res erant in populo Dei, necessaria fuit. 1°. Deus sub V. T. uni loco cultum suum affixerat, nec alibi quam in Judæa notus erat, unde alio se recipere non poterant fideles, vel Ecclesias novas erigere cum spe salutis, sed tenebantur ibi morari, ubi Verbum Dei audiebatur, ubi signa salutaris præsentiæ habebantur, et fœdus ac promissiones proponebantur. 2°. Licet idololatria sæpe obtinuerit in populo, nunquam tamen eatenus invaluisse eam videmus, ut abiret in legem, et populus ad eam per vim adigeretur, alias septem illa millia Eliæ tempore genua flectere Baali coacta fuissent, quod tamen negat Dominus. Pertrahebatur quidem populus ad peccandum exemplo regum vel sacerdotum, vel propria sponte, ut constat fuisse ad idololatriam maxime pronum et φιλείδωλον, sed non constat necessitatem hanc cuiquam impositam fuisse. Imo non

desinebant Prophetæ, qui tunc temporis vivebant, acerrime invehi et in reges et in populum, et a gravissimo illo crimine eos revocare. Non deerant etiam veri et puri Dei cultores, qui animum et corpus ab istiusmodi abominationibus illibatum servarent. Sic in vituli aurei idololatria, non omnes eo crimine se polluisse certum est, ex eo quod Moses hortatur eos, ut vindictam Dei in fratres exequantur, Exod. xxxii. 26, "Quisquis est Jehovæ ad me aggregator." Sic tempore Judicum, quo corruptissimus erat Ecclesiæ status, excitabat subinde pios vindices, qui eos ab idololatria sua avertere conabantur, sed iis non auscultabant, Jud. ii. 16, 17. Sic tempore Achabi, Hobadias, præfectus domus regis, dicitur *timuisse Jehovam valde*, et occultasse centum et quinquaginta prophetos Jehovæ, 1 Reg. xviii. 3, 4. Sic quum tempore Achazi, altare Damascenum erectum est in templo, non sublatum fuit Mosaïcum, sed remotum tantum aliquantisper, ita ut in eo sacrificia non desinerent offerri, 2 Reg. xvi. 14, 15. Tempore Ezechielis, dum principes, sacerdotes, et maxima populi pars abominanda idololatria se contaminabant, Ezech. viii., supererant tamen veri fideles, "qui suspirabant in corde, et exclamabant aperte propter abominationes Israëlis," Ezech. ix. 4, quos ideo, ut a judicio, quod in alios immittere decreverat, tutaretur, nota aliqua in fronte signari jubet. Sed jam plane alia est ratio sub N. T. Nam Deus uni loco non amplius affixit Ecclesiam suam, sed in omnes gentes extendit, ita ut ubivis coli possit in spiritu et veritate, in omni loco suffitus et oblatio, id est, λογικὴ λατρεία et sacrificia spiritualia precum et laudum offerri possunt nomini ejus, ut prædixerat Mal. i. Itaque liberum est et integrum fidelibus secedere ab Ecclesia idololatrica, non tantum negative, sed etiam positive, maxime cum Deus vexillum Evangelii erexit, et ad libertatem vocavit; quomodo potior fuit conditio nostra præ aliis fidelibus, qui ante reformationem in Papatu vivebant, ut suo loco plenius dicetur. Deinde non tantum liberum fuit, sed et necessarium, quia non simpliciter superstitio et idololatria multiplex in Ecclesiam invecta est ut olim, sed in legem jam abierat, et sub servissima anathematis pœna fuerat sancita, quod factum imprimis fuit in Conciliabulo Tridentino. Unde non potuit amplius secessio negativa sufficere, sed necessario, vel secessio positiva facienda fuit, ut saluti fidelium prospiceretur, vel participandum idololatriæ, quod piæ mentes merito horrebant.

VII. Sic ad rationem primam patet responsio. Secunda facili negotio pariter solvitur. Nam licet Elias non recesserit positive ab Ecclesia Israëlitica, non sequitur, neque nos ab Ecclesia Papali recedere debuisse. Rationes disparitatis jam dedimus, quibus et hanc addimus, quod Elias peculiari vocatione ad populum illum, ut propheta Dei, missus esset, qui resisteret impio regi Achabo, sacerdotes et falsos prophetas Baaliticos occideret, et populum idololatriæ convictum ad veri Dei cultum reduceret. Sed quis dixerit fideles tali munere instructos fuisse, et silentio exitiali premendam veritatem cognitam, et Christum abnegandum, vel si quis mutire ausus fuisset ad errores et idolomanias arguendas, paratas fuisse in eum cruces, exilia, ferrum, et flammas, et omnis generis tormenta, ut innumerorum martyrum exemplis patet. Cum E. malum eatenus factum esset immedicabile, ut non solum vocem monitoris audire nollet Roma, sed et in monitores ipsos immaniter sæviret, quid faciendum fuit, nisi ut fugati diris persecutionibus ab ea recederemus, et quando sanari noluit, saluti nostræ tempestiva et justissima secessione consuleremus. Itaque non negamus Ecclesiam Israëliticum post decem tribuum defectionem sub Jeroboamo corruptissimam fuisse et apostaticam, et veram Ecclesiam tunc temporis in regno Judæ superstitem fuisse, ubi Arca erat et Templum, ubi

Sacerdotes et Levitæ legitime vocati sacris operabantur, (quanquam fatendum est neque illam Ecclesiam, licet gravissimi peccati ream, adhuc absolute a Deo rejectam fuisse, suos enim ad eam adhuc mittebat prophetas, suos habebat in ea fideles et electos, suumque adhuc vocabat populum, 2 Reg. ix. 6, 9.) Sed hoc tantum volumus plane aliam esse in hoc negotio Eliæ et nostri rationem. Nec opponi hic debet, quod Elias interfuerit etiam sacris idololatricis, quando non ut approbator, sed ut irrisor adfuisse legitur, non qui iis communicaret, sed qui eorum impietatem et stultitiam sarcastice traduceret, 1 Reg. xviii. 27. Sic adfuisse legitur vir Dei sacro Jeroboamico, cum ipse rex vitulis immolaret, sed eo venit missus a Deo, ut impium cultum detestaretur, iis adjectis minis, quas Deus illi mandaverat, 1 Reg. xiii. 1, 2. Sed alias nec propheta, nec pius ullus ostendi potest, quia noverant se id non facturos, quin aliquo sacrilegio se contaminarent.

VIII. Ad 3um de piis regibus, qui excelsa non sustulerunt. R. 1° pietatem eorum quidem in cæteris laudari, sed factum hoc tamen peculiariter carpi et vituperari, ut in Salomone, 1 Reg. iii. 3, "Salomon dilexit Dominum et ambulavit in statutis Davidis patris sui, sacrificabat tantum et incensum offerebat in excelsis." Et in Amazia, 2 Reg. iii. 3. et xiv. 3. et xv. 34. "Fecit quod gratum est Deo, sed non sicut David, nam excelsa non fuerunt remota, et populus adhuc sacrificabat in excelsis." Verum quidem est, ante exstructum templum ibi sacra facere licitum fuisse, ut Samuel in excelso sacrificavit, 1 Sam. ix. 12. et xvi. 3, in area Araunæ David, 1 Chro. xxi. 27, 28, 29, 30. Salomon et populus in excelsis sacrificavit, 1 Reg. iii. 2, 3, 4. Et variis ex locis constat prophetis concessum esse, ut in certis quibusdam casibus extra ordinem alibi, quam supra altare Mosaïcum sacrificia præsertim eucharistica offerrent, quod in abusum ordinarium postea traxit populus. Quia vero in eam rem seligebantur potissimum colles et loca excelsa, hinc *Excelsorum* nomen datum est iis omnibus locis, in quibus sacra Deo fiebant extra locum a Deo constitutum. Quod Gentes etiam κακοζηλίᾳ quadam imitantes, in collibus et locis excelsis fana et altaria Diis suis erigebant, unde vox Græca βωμὸς ab Heb. במה, quod *excelsum locum* notat, manifeste deducitur. Sed postquam semel exstructum fuit templum, non fas fuit amplius in excelsis sacrificare, sed in solo templo. Unde non carebat vitio cultus in excelsis, sed peccatum tamen differebat a crimine idololatrarum. Nam quod 2° loco observandum est, tolerabantur a piis regibus excelsa, non ut in iis falsi Dii et idola colerentur, sed verus tantum Deus, Bahalim enim et cætera idola, quibus sacra fiebant, dicuntur destruxisse, ideoque laudantur. Peccatum ergo fuit, sed in *loco cultus* tantum, non vero in *objecto*. Sed Pontificii longe aliter se gerunt, nec enim peccant circa locum, quod levius esset, sed circa *objectum ipsum* et *modum* cultus, ut jam jam sumus probaturi. Itaque est hic fallacia parium, nec ab uno ad aliud valet consequentia.

IX. Ad 4um de *Naamane Syro* ex 2 Reg. v. R. 1° Regulis et legibus vivendum, non exemplis, neque si aliquid minus recte ab ipso admissum est, continuo in exemplum debet trahi; et mirum est homines istos, cum habeant in Verbo viam universalem, ac bene tritam, in qua non possunt aberrare, in particulare exemplum tanquam in angustam semitam declinare malle, in qua facilis sit error. Naaman adhuc semipaganus et νεόφυτος exiguam tantum intelligentiæ scintillam habebat, ideo non mirum si adhuc hærebat, sed Christiani in tanta Evangelii luce, quomodo adhuc cæspitare possunt sine gravi crimine? 2° Si urgeatur exemplum, tantum abest ut illis faveat, ut satis aperte adversetur, nam publice ille abjuravit idolorum

cultum, et verum Deum agnovit, cum inter alia vovet "se posthac sacra non facturum, nisi Deo Israëlis," v. 17. Id autem quid aliud erat quam publicam et omnibus notam professionem facere, se non amplius esse idololatram? Deinde duos mulos onerat terra sancta, in qua Deum adoret, ne terræ profanæ contagione pollueretur, quod et si superstitione non caruit, testabatur tamen eo ipso se a superstitionibus Syrorum vehementer abhorrere. 3°· Incurvatio illa, de qua loquitur, non tam erat religiosus cultus idoli quam officium politicum, et civilis obedientia, quam regi exhibere tenebatur oranti in templo illo, sic ut esset illi scipionis loco. Verba sunt manifesta, postquam enim protestatus est, v. 17, "se non amplius facturum sacrificium aut holocaustum Diis alienis, sed Jehovæ," addit, "hac in re condonet Jehova servo suo, quum ingreditur Dominus meus ædes Rimmonis, ut incurvet se ibi (nam is nititur manu mea) si incurvavero me in æde Rimmonis, hoc incurvare meum in æde Rimmonis, condonet, quæso, Jehova servo suo in hac re." Ex quibus liquet, hanc incurvationem non fuisse adorationem vel idololatriæ simulationem, alias protestatio fuisset facto contraria, sed civile demum obsequium, quod regi exhibere consueverat. Exemplum simile habet Ecclesiastica Historia apud *Theodor.* lib. iii. cap. 15, in Valentiniano I. qui Julianum Apostatam deduxit ad Fortunæ fanum. Et *Sleid.* lib. vii. idem notat de Electore Saxoniæ, qui ensem præferens Carolo V. Missam adiit, non repugnantibus theologis, quia ad suum officium vocabatur, non ad Missam ut ad cultum divinum. Hic tantum diligenter attendendum est, ne quis dubitante aut reclamante conscientia hoc faciat, satius enim alias foret cedere munere, Rom. xiv. 23. Ne item ullum reverentiæ signum mysteriis impiis exhibeat, quod vel in speciem consensus trahi possit, sed manifesta sit improbatio et detestatio impiorum sacrorum. Quam in rem memorabile est ejusdem Valentiniani exemplum, qui cum æditiuus introëuntes aqua lustrali ethnico more expiaret, et guttam aquæ lævæ suæ ab eo aspersam videret, pugnis cædit æditiuum, seque inde non expiatum, sed turpi labe pollutum ait. 4°· Eo ipso quo veniam facti postulat, agnoscit posse aliquod in eo esse peccatum, alias nihil opus fuisset, non semel sed bis tam sollicite petere sibi hoc condonari, nisi alicujus culpæ reum se hoc præstando fieri videret; quis vero dicat Naamanem peccantem imitandum esse? 5°· Responsio prophetæ factum absolute non probat, nec ei licere affirmat, sed tantum in pace dimittit, et hoc responso abeuntem salutat. Non dicit, *Abi, sic agito, Dominus tibi propitius erit*, sed tantum, *abi in pace*, quod perinde est ac si polliceretur, se illum, prout petierat, precibus suis adjuturum. Neque hic mirum videri debet, quod propheta eum non arguat, nec sedulo moneat, ut ab hoc peccato sibi caveat, cum enim peccatum esse, pro quo veniam rogabat, non ignoraret, docendus non tam fuit, quam consolandus et confirmandus. Ideo cum dicit, *Vade in pace*, videtur illi polliceri divinam opem non defuturam, quæ illum a tali lapsu conservaret; nec constat deinceps eum in eo perseverasse.

X. Ad 5um. de Ecclesia Judaïca tempore Christi. R. Disparem esse rationem. Primo quia licet essent multi abusus et corruptelæ in cultu Dei, erant potius vitia personarum, quam doctrinæ apud omnes receptæ. Traditiones et δευτερώσεις Pharisæorum erant, sed observationis liberæ et privatæ illius sectæ, non totius religionis. Præcipue in templo nullum apparebat idolum, quod a laxata captivitate Babylonica horruit semper populus Judaïcus. 2°· Etsi Christus abrogaturus erat cultum illum Mosaïcum, nondum tamen abrogaverat, nondum Christianos cœtus publicos a Judaïcis separatos cogebat, sacrificia in templo legitimo ritu peragebantur, et nulla

alias Ecclesia præter Judaïcam adhuc erat constituta. At hic alia omnia. Nam et Ecclesia Papalis tota idololatriæ plena est, Christus alibi Ecclesias puriores erexit. Ut ergo, licet Christus permitteret tum audire Pharisæos, modo ab eorum fermento sibi caverent fideles, tamen Christiani nomen non meritus esset is, qui obtentu dicti Christi a Synagoga Judaïca non recessisset, post constitutam Ecclesiam Christianam, ex quo Apostoli secessionem a Judæis urgebant, Act ii. 40, *Exite ex hac generatione*, ita nec verorum fidelium nomine digni sunt, qui Pharisæos hodiernos audiunt, et Ecclesias quas collegit Deus contemnunt. Babylone manserunt Judæi sine crimine, nondum soluta captivitate, sed quum tempus liberationis accessit, qui se fratribus non adjunxerant ad exeundum, merito culpandi veniebant. Dum captivitatis durant tempora, licet esse captivum, postea vero non captivus; sed servus est qui manere statuit, nec licet moram trahere sonante turba, *Exi e Babylone*, nisi pessime nobis consultum volumus.

Ecclesiam Rom. esse idololatriæ ream probatur.

XI. His vero in antecessum ad majoris propositionis confirmationem et vindicias ita dictis, descendimus ad minoris probationem, et ostendere suscipimus *Ecclesiam Papalem* vere esse *idololatricam*. Non quod crassam Gentilium idololatriam huic affingere velimus, quasi vel Jovem, vel Martem, vel alia exoleta et fictitia gentium numina adhuc veneretur. Sed quia etsi subtilius, non minus tamen vere et proprie peccatum istud committit. Nam cum duæ potissimæ sint idololatriæ species, prima respectu *objecti*, quæ damnatur præcepto primo, quando aliud quid præter verum Deum divino et religioso cultu colitur, quomodo idololatræ erant Gentiles, qui falsos Deos colebant, et quotquot creaturis, honorem et cultum Deo soli debitum reddunt; altera respectu *modi*, quæ secundo mandato prohibetur, quando vel verus Deus in imagine colitur, quomodo Israëlitæ in deserto, et Jeroboam in defectione sua, Deum in vitulis coluerunt, vel falsus itidem in imagine adoratur ut simulacra Gentilium erant falsorum Deorum. Utriusque idololatriæ ream esse Romanam sedem pertendimus.

Ratione Objecti.

XII. Ut ergo a prima specie ordiamur, quæ circa *objectum* versatur. Sic arguimus. Qui divinum et religiosum cultum exhibet creaturis, et iis qui natura non sunt Dii, is bene dicitur et est revera idololatra. At Ecclesia Romana talem cultum defert creaturis, ergo. Major ab ipsa idololatriæ de definitione petitur, quia idololatria, ex definitione Apostoli, nihil aliud est quam σεβάζεσθαι καὶ λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, Rom. i. 25, nec abnuit Thom. ii. 2æ. q. 94. art. 3. et in Ephes. v. 5, qui *idololatriam* dicit esse, *cum honor Deo debitus creaturæ impenditur*, quod Tertull. lib. i. de idolol. jam ante notaverat, *Idololatra est, qui Deo suos denegat honores et confert aliis.* Sic errorem Collyridianorum, B. Virginem religiose adorantium, αἵρεσιν εἰδωλοποιὸν vocavit oxthodoxa antiquitas, ut est apud *Epiph.* hære. 79. Sic Arianos, qui Christum, quem meram creaturam arbitrabantur, religiose colebant, vocavit εἰδωλοποιοῦντας, *creaturam facientes idolum.* Ita si probatum semel fuerit, religiosum et divinum cultum creaturis exhiberi a Pontificiis, eo ipso demonstratum fuerit esse idololatras. Cultus autem religiosus, soli Deo debitus, vel est *internus* cordis, vei *externus* corporis. Ut enim utramque hominis partem creavit et redemit, in utraque etiam et coli et adorari vult. Ad *internum* refertur *spes et fiducia*, quæ in solo Deo collocanda est, unde ipse *fiducia nostra et spes* dicitur, Psal. lxxi., Col. i. 27., 1 Timoth. i. 1. Deo enim non tantum, ut *primo Vero* per fidem, sed ut *summo Bono* per fiduciam et spem, est adhærendum. Cui enim cor nostrum

apponimus, id nobis Deus est, unde avari, quia divitiis fidunt, iisque cor suum apponunt, dicuntur *idololatræ*, Eph. v. 5., et iis Deus Mammon est, Matth. vi. 24. Omnesque mundani, qui rebus secularibus et terrenis affixi sunt, *adulteri* dicuntur, Jaco. iv. 4. A Deo enim certum est cor ejus recedere, qui in creatura fiduciam ponit, Jer. xvii. 5. Fiducia cordis sacrificium est. Cui confidimus, ei sacrificamus, Habac. i. 16. Unde recte *Basil.* in Ps. xvii., ὥσπερ οὐδὲ σέβειν ἄλλο τι παρὰ τὸν Θεὸν προσῆκεν, οὕτως οὐδὲ ἐπὶ ἄλλον ἐλπίζειν ἢ ἐπὶ τὸν Θεὸν τῶν πάντων Κύριον. *Ut non licet colere aliud præter Deum, ita nec sperare in aliquem præterquam in Deum omnium Dominum.* Hoc non diffitetur *Bellar.* de Christo lib. i. c. 5: *In Scripturis passim in solo Deo confidendum esse dicitur, Jer.* xvii., et hinc recte probat *Christum esse Deum,* quoniam de eo scriptum est, *Psalm.* ii. *Beati qui confidunt in eo.*

XIII. Exterior cultus Deo debitus *adoratione* et *servitute* vulgo exprimitur. Utraque vero Deo soli, ut peculiaris et propria, reservatur, nam de creaturis dicitur, Exod. xx. 5, *Non adorabis eas neque coles*, de Deo autem, *Dominum tuum adorabis, eique soli servies*, Matth. iv. 10. Ubi *Maldona.* in h. l. et *Janseni. concord. Evang.* c. 15. bene observant exclusivam *solum* non ad secundam tantum, sed et ad primam partem referendam esse, alias Tentatori adorationem postulanti minus apte respondisset Christus. Unde etsi a Mose non sit expressa αὐτολεξεὶ implicite tamen et virtualiter continetur, tum in scopo Mosis, qui est soli Deo cultum religiosum, exclusis Diis omnibus alienis, vindicare, tum ex natura subjecti de quo agitur ibidem, quæ enim Deo reduplicative ut Deo debentur, illa soli debentur, cum quo nulla creatura in societatem adorationis se jungere potest sine sacrilegio, nulla admitti sine idololatria. Nec alia hic veterum mens. *Justinus Apol.* ii. Θεὸν μὲν μόνον προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, *nos solum Deum adoramus, et vobis in rebus aliis læti servimus.* Ecclesia Smyrnensis apud Eusebium, lib. iv. c. 15., in Polycarpi martyris actis se Christum Dei Filium una cum Patre colere professa, negat exerte *se quenquam alium colere posse.* Epiph. hæres. 69. *Sancta Dei Ecclesia creaturam non adorat.* Origen. contra Celsum, lib. i., Christum ait docere τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν μόνον δεῖν σέβειν, *summum Deum solum oportere colere.* Athan. cont. Arianos ad Adolphium, οὐ κτίσμα προσκυνοῦμεν, *non adoramus creaturam, absit in Ethnicos et Arianos istud delirium competit.* Hinc veteres Arianos idololatriæ insimulabant, eo quod adorarent Christum, quem tamen volebant esse creaturam et merum hominem.

XIV. Quæ autem est adorationis ratio, eadem *religiosæ servitutis*, quæ Deo soli vindicatur, 1. Sam. vii. 3., Matt. iv. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ad hanc autem varii actus pertinent, 1. *Invocatio.* 2. *Voti nuncupatio.* 3. *Juramenti conceptio.* 4. *Consecratio altarium, templorum et festorum.* 5. *Thurificatio*, qui omnes ad Deum ita pertinent, ut ad alterum sine crimine transferri nequeant. 1°. *Invocationem* ad solum Deum dirigi, et præceptum Dei, Psal. l. 15, et oratio Dominica, quæ ad unum Deum nos revocat, abunde docent. Ut sane ille solus potest esse objectum invocationis, qui est fidei, *quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Rom x. 14. Ille solus potest invocari legitime, qui potest exaudire, Ps. lxv. 2, 3. Et cum sacrificium sit omnibus hecatombis longe præstantius, Ps. l., 13, 14, 15, ut sacrificium nonnisi Jehovæ offerri potuit, Exod. xxii. 20., ita nec oratio. 2. *Vota* soli Deo nuncupanda esse, et Scripturæ auctoritas, Ps. lxxvi. 11., Isa. xix. 21., Psal. l. 15, et praxis Sanctorum evincit, Gen. xxviii. 20, Num. xxi. 2, 1 Sam. i. 21, et hoc tam verum est, ut *Bellar.* ipse non potuerit diffiteri, sed misero effugio conatur elabi *lib.* iii. *de Sanct.* c. 9, scilicet "cum scriberentur Scripturæ, non-

dum cœpisse usum vovendi Sanctis." Ergo jam ex adversarii confessione, votorum nuncupatio, quæ fit Sanctis, non habet fundamentum in Scriptura, sed in mero hominum commento. 3°· *Attestatio juramenti* ad solum Deum refertur, Deuteron. vi. 13, et x. 20, "Per nomen Domini Dei tui jurabis." Unde ipsi etiam Ethnici θεὸν ὅρκιον, *Deum juramenti arbitrum*, dixerunt, nec quisquam ut testis vel vindex in juramento præter eum compellari potest, solus enim potest esse testis, quod vere juramus, solus potest esse vindex, si falso juramus. Unde eum, per quem juramus, quasi deificamus, si ita loqui licet, attribuentes ei cordium scrutationem, occultorum cognitionem, veritatis patrocinium, falsitatis judicium et potestatem ac potentiam perjuria vindicandi. Hinc jurare per eum, qui non est Deus, est Deum ipsum relinquere, et abnegare, Soph. i. 5, et juramenta per creaturas et falsos Deos diserte prohibentur, Jer. v. 7. Non tantum Deus præcipit, ut quicunque jurat, per Deum *amen*, id est veracissimum, juret, Is. lxv. 16, sed ipse etiam juravit unumquemque vere Christianum per se juraturum, Is. xlv. 23, ideo juramentum peculiariter Jehovæ dicitur, Exod. xxii. 11, quia nomine Dei interposito concipitur. 4°· Eadem est *templorum*, *altarium* et *festorum* ratio. Ista enim solius Dei cultui in Scripturis passim deputantur, quod agnovit *Durandus*, Ration. divin. offic. lib. iv. c. 39. "Ad λατρείαν pertinent templa et altaria, sacerdotalia, sacrificia, festivitates, cæremoniæ, et hujusmodi, quæ soli Deo sunt exhibenda." Ipse *Thomas*. ii. 2. q. 85. art. 2., cum oppositum esset templa et altaria erigi Sanctis et Angelis, respondet verbis Aug. de Civ. Dei, lib. viii. c. ult., "Non constituimus martyribus templa, sacerdotia, sacra, sacrificia, quoniam non ipsi, sed eorum Deus, nobis est Deus." 5°· Denique *thurificationem* uni Deo deberi, quod de sacrificiis jamjam diximus docet, quia incensum sive suffitus, est vel pars, vel species sacrificii, ut constat ex Levit. i. 2, 3, 6, capitibus. Unde jam propositionis nostræ probatio exsurgit. Nam qui in creaturis spem et fiduciam collocat, qui creaturas religiose adorat, qui eas invocat, et per eas jurat, qui iis vota nuncupat, templa et altaria erigit, festa consecrat, suffitum adolet, is procul dubio cultum religiosum soli Deo debitum in creaturas transfert, et sic idololatriam committit; at Ecclesia Romana hæc omnia præstat, ergo.

XV. Ecclesiam autem Romanam hæc omnia sancire, et præstare, ejus constitutiones et praxis luce meridiana clarius probant, circa quatuor potissimum objecta. 1. *Sanctos defunctos et Angelos*. 2. *Pontificem*. 3. *Sacramentum*. 4. *Crucem et Reliquias*, quod in singulis breviter demonstramus. Et ad *Sanctos* quidem quod attinet, licet eos honorandos esse propter imitationem cultu dilectionis et societatis, qualis conservis et concivibus debetur, non abnuamus, ut eorum memoriam gratia et jucunda recordatione usurpemus, virtutes prædicemus, exempla sequamur, et doctrinam tueamur, adorandos tamen propter religionem, quæ soli Deo convenit, cum Augustino, lib. de vera religione, c. ult., negamus. Verum Pontificii longe aliter: nam ut a Beata Virgine incipiamus, quum nos beatam prædicamus, et ad honorem, non ad adorationem nobis datam cum *Epiphanio* profitemur, hæres. 79., τετιμημένην, ἀλλ' οὐκ εἰς προσκύνησιν ἡμῖν δοθεῖσαν. Quem latet, non modo titulos divinos, sed et cultum divinum tum internum tum externum ei exhiberi? Quid enim aliud sibi volunt, quum eam *spem mundi* vocant, *matrem misericordiæ*, *vitam*, *dulcedinem et salutem omnium in ipsa sperantium?* In *Officio Beatæ Mariæ reformato*, jussu Pii V. edito, dicitur *Consolatio desolatorum*, *via errantium*, *salus omnium in te sperantium.* Et in Hortulo animæ, impress. Antuerpiæ, 1557., "Ave, mundi spes, Maria. Exaudi me miserum peccatorem, in tua misericordia et pietate confiden-

tem." Nec eam ut spem solum suam, sed etiam ut *spem unicam* invocant, in Breviario Rom. §. sept., "Tu es spes unica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, et in te beatissima nostrorum est expectatio præmiorum." Eo pertinet quod in Psalterio Mariæ, quæcunque ad Deum solum dirigebantur, ad eam blaspheme transferuntur, profitentur se illi confidere, in eam sperare, Psal. vii., "Domina, in te speravi," Psal. xxx., "In te, Domina, speravi, non confundar in æternum," Psal. xlvi., "Miserere mei, Domina, miserere mei, quoniam tu es spes et lux omnium confidentium in te," Psal. xciv., "Venite, adoremus et procidamus ante eam," Psal. xcvi., "Adorate eam, cives curiæ Paradisi," Psal. l., "Miserere mei, Domina, quæ mater misericordiæ nuncuparis, et secundum viscera misericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis," et alia id genus quæ sine indignatione legi non possunt.

XVI. Si ad *Invocationem* transimus, quid clarius quam eam in precibus sæpius interpellari, quam ipsum Deum, non solum ut mediatricem intercessionis, sed etiam ut largitricem gratiæ et gloriæ, protectricem a malis. Quo spectant orationes illæ, quibus se custodiæ et tutelæ B. Virginis commendant, tam in vita quam in morte; in Offic. B. Mariæ, "Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe." Et quare ad eam preces non dirigerent, quando *deum præpotentem eam divinæ majestatis potestatisque sociam sibi ascivisse*, pertendunt? ut loquitur *Viega in Apoc. cap.* 12., "Constituisse eam super omnem creaturam, et quicunque Jesu curvat genu, Matri quoque pronum supplicare, Deum ei dedisse dimidium regni sui," quod duobus aiunt contineri, potentia et misericordia, potestate ergo Deo remanente, cessisse quodammodo misericordiam Dei Matri, itaque Virginem divisum habere cum Deo imperium. Biel *In Exposit. Cano. Miss. Lect.* 80., quod *Cassand.* consult. art. 21, cum indignatione annotavit, nec nos sine horrore audire possumus. Ita aliquando ut *sociam* Christo adjungunt, interdum ut *superiorem* præficiunt, nonnunquam etiam, excluso, ut videtur, Christo, ei *soli* adhærent. Ut Christum Dominum vocant, sic Mariam Dominam; illum Regem, hanc Reginam Cœli; illum denique Deum, hanc Deam, vid. *Offic. B. Mariæ*; *Bemb.* epist. ad Carol. V.; *Hortul. anim.* Nec adæquant tantum, sed et quodammodo præficiunt. Eo enim ventum est, ut ipse fatetur Cassander artic. 21. consult., ut Christus etiam jam in cœlo regnans matri subjiciatur. Siquidem orant, "ut se matrem esse monstret, matrisque jure imperet;" *Breviar. Rom. et Offic. Mariæ*, quo pertinent illa *Missal. paris.*, "Ora patrem, jube filio," imo et sæpe solam eam videntur in throno locare, unicam eam miserorum spem appellantes, nec alteram desolatorum spem agnoscentes, eique soli se commendantes. Quid est creaturam loco creatoris ponere, si hoc non est? Sed ne in his diutius immoremur, qui plura voluerit adeat celeb. *Drelincurtii* accuratum opus de *honore debito B. Virgini*, qui totum hoc argumentum solidissime et plenissime est executus. Videndus etiam liber *Crasseti* Jesuitæ, ante aliquot annos editus, qui Virginis cultum ad immensum extollit.

XVII. Quod de Beata Virgine, idem et in reliquis Sanctis, et Angelis observare est, quos tanquam Deos tutelares et averruncos colunt et venerantur, in iis fiduciam et spem suam collocant, per eos jurant, et vota ac preces ad eos dirigunt. Et ad angelos quidem quod attinet, notum est eos passim invocari, non modo ut mediatores intercessionis, sed ut largitores bonorum, et protectores a malis. Sic in Hortulo animæ, "Omnes novem angelorum ordines orant, ut dirigant cogitatus, verba et actus nostros in viam salutis et prosperitatis." Præcipuam vero angelo cujusque

proprio devotionem exhibent tam in vita quam in morte, ibid., "Obsecro te, angelice Spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, ut indesinenter protegas, defendas, mundes, munias me ab omni incursu Diaboli." Luculentius vero hoc ex cultu Sanctorum apud ipsos præcepto et usitato probatur, qui tanto iis exhibetur studio et fervore, ut *Espensæus* in 2 Tim. iii. fateatur, "plerosque omnes apud ipsos non minus fidere ac tribuere Divis quam Deo, quia hunc quam illos minus placabilem putant et exorabilem," et *Vives*, in August. de C. D. lib. viii. cap. 27., ingenue agnoscat, se "non videre in multis, quod sit discrimen inter eorum opinionem de sanctis, et quod Gentiles putabant de Diis suis." Longum esset recensere orationes varias, quibus Sanctos et Sanctas compellant, non solum ut intercessores, sed ut protectores a malis, et largitores suis meritis gratiæ, vide *Hortul. Animæ, et Breviaria*, ubi passim occurrunt. "Nos," inquit Biel in expos. Canon. Missæ, lect. 30., "fiducialiter ad Sanctos recurrimus, eorum memoriam venerantes, ut nos fragiles et mortales mereamur, eorum meritis et precibus ad eorum immortalitatis gloriam pervenire." Eo spectant preces illæ variæ, quæ tum ad Apostolos in genere, tum ad singulos diriguntur, in Hortu. animæ, "O beati Apostoli, solvite me a peccatis, defendite me, confortate me, et ad cœleste regnum me perducite," et in Breviario Romano in Aposto. festo.

Vos secli justi judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite preces supplicum.
Qui cœlum verbo clauditis,
Serasque ejus solvitis,
Nos a peccatis omnibus
Solvite jussu, quæsumus.
Quorum præcepto subditur
Salus et languor omnium,
Sanate ægros moribus,
Nos reddentes virtutibus.

Et ad Petrum ibi in festo Petri.,

Jam bone pastor Petre, clemens accipe
Vota peccantium, et peccati vincula
Resolve, tibi potestate tradita,
Qui cunctis cœlum verbo claudis, aperis.

Idem facile ostendi posset de aliis Apostolis, et de Sanctis qui religiose invocantur. Unde jam liquet, præcipuas et primarias divini cultus partes Ecclesiam Romanam Sanctis defunctis exhibere. Cætera quæ ad religionis cultum pertinent, juramenti conceptionem, votorum nuncupationem, templorum et altarium erectionem, festorum consecrationem, et id genus alia in honorem Sanctorum fieri, notius est, quam ut probatione indigere videatur.

Canonizatio Sanctorum. XVIII. Hæc vero omnia cultus religiosi erga Sanctos officia fundantur in eorum *Canonizatione*, qua ex decreto Papæ et Papalis Consistorii defunctus aliquis propter bonam famam et miraculorum evidentiam inscribitur Catalogo Sanctorum, et jubetur haberi Sanctus

ab Ecclesia Romana, et publice privatimque coli et adorari, quem in finem templa et altaria ei eriguntur, missæ ei dicuntur, Christus in honorem ejus sacrificatur, dies festus peculiaris ei consecratur, pinguntur ejus imagines in templis, et reliquiæ adorantur, quæ canonizatione contineri docet *Bell. lib. de Beatif. Sanct. c.* 7. Et ut scias magnæ molis opus esse, anxia hic sollicitatione opus est, circa quam sæpe plures anni conteruntur. Imo non pauci sanctitatis candidati petitione sua excidunt, quia non habent Papam propitium. Alii bene sperare jubentur, et titulum *Beati* impetrant, qui gradus est ad sanctitatem, quasi sanctitas non esset gradus et via ab beatitatem. At nos ab Ethnicis quidem *Apotheoses* fieri olim solitas didicimus, sed ut Spiritus Sanctus ulli mortalium potestatem concesserit Sanctos faciendi et cœlo inferendi, ut de aliena salute pronunciet, quasi librum vitæ legerit, qui non est certus de sua; ut ab ejus arbitrio, Sanctorum, quos Divos vocant, non veneratio solum et cultus, sed et sanctitas divinitasque pendeat, hactenus in Verbo Dei legere non potuimus, et tanquam paganorum inventum, Deo ipsi verisque Sanctis injurium, bene damnamus. Videant nunc qui hæc statuunt, utri nostrum iniquiores simus sanctis, an nos, qui nolumus iis tribui cultum soli Deo debitum, an illi, qui eos vertunt in idola, et Dei amicis abutuntur ad eum ad zelotypiam provocandum. Qui si ex culmine illo gloriæ possent pervidere quæ hic geruntur, non modo cultum, qui eis defertur, aspernarentur, sed et gravissime talia facientibus indignarentur, et succenserent. Sed de his alibi.

XIX. Sed neque in Sanctis *defunctis* subsistit religiosus ille cultus, ad *viventes* etiam transfertur, cum Sanctissimum Dominum suum, Papam, ut numen quoddam, adorant. Nec mirum id cuiquam videri debet, nam si colendi sunt Sancti, quos Papa auctoritate sua deifica canonizat, quis æquum non dixerit, ut colatur is qui Sanctos facit, iisque omnibus ipsorum opinione major est? Hoc autem apud eos receptum esse dubitare non potest, qui E.R. sacra noverit. Nam præterquam quod nonnunquam ipse Pontifex *adoratione* creatur, saltem certum est, recens electum bis super altare collocari cum mitra, primum in sacrario, deinde in ecclesia S. Petri, ibique a cardinalibus adorari. Vid. lib. Cærem. Rom. Nec admittit solum adorationes religiosas et oscula pedum, sed expectat et requirit, non ab inferioribus modo hominibus, sed a principibus etiam maximis, supremisque regibus, ipsisque adeo imperatoribus. In processionibus vero super humeros hominum sublimis gestatur, ut idola gentium olim, succollantibus maximis quibusque, qui adsunt, principibus, et turbis populi, tanquam numen quoddam adorantibus, ab eoque gratiam expectantibus. Titulos autem cum honoribus divinis deferri clarum est, vel ex eo, ne alia plura commemorem, quod tritum sit et Pontificiorum scriptis pervulgatum, "Pontificem Rom. Deum esse in terris." Notum est quid in honorem Sixti IV. arcui triumphali inscriptum fuerit,

Oraclo vocis mundi moderaris habenas,
Et merito in terris crederis esse Deus.

Notum quid in *Glossa Juris Canonici* habeatur, Extrav. Joan. XXII., ubi hæc leguntur, "Credere Dominum Deum nostrum Papam, conditorem dictæ decretalis et istius, non sic potuisse statuere, prout statuit, hæreticum censeatur," et ne adjectionem vocis *Deum* dicat quis esse erratum typographicum, in Censuris Glossæ Juris Canon., jussu Pii V. editis, nihil mutatum est. Notum quid *Christophorus Marcellus*, in oratione habita coram Julio II. in Concilio Lateranensi, diserte posuerit, sess. 4.,

"Cura denique ut salutem quam dedisti nobis, et vitam et spiritum non amittamus. Tu enim Pastor, tu Medicus, tu Gubernator, tu Cultor, tu denique alter Deus in terris." Possemus hic alia plura ex eorum libris congerere, ex quibus constat, Pontifici honorem et cultum religiosum exhiberi, ipsumque adeo imperium et potestatem affectare in spiritualibus et in temporalibus super ipsos reges et imperatores, reclamantibus licet variis, et imprimis Gallis, qui strenue sæpius libertatem suam adversus ejusmodi tyrannidem propugnarunt. Sed quia de his dicendum erit fusius, quum de Antichristo ejusque revelatione disputabimus, sufficit hic annotare, quod novissime *Jesuitæ*, in thesibus in Colleg. Claromontano agitatis, publice propugnarunt, "Pontifici eandem infallibilitatem, quam Christus ipse habuit, non tantum in quæstionibus juris, sed et facti concessam esse," quod merito alii tanquam hæreticum et idololatricum exagitant, quia ex Papa Deum, et ex Verbo hominis Verbum Dei faciunt. Idololatria quippe, ut bene iidem observant, non tantum fit, cum Dei nomen alicui tribuitur, sed cum qualitates Deo propriæ vel cultus divinus rei creatæ transcribuntur, cum submissio fidei divinæ exhibetur verbo hominis. Itaque ex istorum sententia, "quicunque, profitetur se credere fide divina id, quod ideo tantum credit, quia homo dixit, hominem loco Dei statuit, in creaturam honorem soli Creatori debitum transfert, et, quantum in se est, idolum ex Vicario Christi facit." Vide Theses Jesuit. et "Novam hæresim," quæ illis ideo impingitur, p. 5, 6.

XX. Ex his vero non obscure colligitur veritas minoris propositionis, R. E. scilicet multiplicis idololatriæ esse ream. Non nos latet equidem, varias illam distinctionem captare argutias, quibus tanquam sudariis, ut mulier illa, Proverb. xxx. 20, os suum abstergit frontemque perfricat, negans se in B. Virginis, Sanctorum, Angelorum, et Pontificis cultu, idololatriam ullam committere. Sed quidquid moliatur, non posse tanti criminis notam effugere, luce meridiana clarius demonstrari potest. I. Negant se ulli creaturæ adorationem deferre, hanc enim soli Deo deberi, sed venerationem et reverentiam, non esse religionem, sed observantiam, nec statim imperiti vulgi praxim et abusum Ecclesiæ ipsius sanctionibus adscribendum. Sic *Richeli lib.* 3°. *c.* 4°., *Valentia. de Idol.* l. ii. c. 6. R. Sed qui sic loquuntur, vel sub aliis tantum nominibus rem eandem retinent, et sic fucum faciunt, vel aperti sunt religionis suæ transfugæ. Nam ne hic privata Pontificiorum Doctorum scripta referam, ubi passim legitur et ex professo traditur, adorandos esse Sanctos, Crucem, Reliquias, Imagines; unde *Maldo.*, homo ex Jesuitarum sodalitio nobilissimus, eorum sententiam, qui nullum nisi Deo religionis honorem tribuunt, errorem esse dixit impium et imperitum, in Matth. v. 34, et *Sanderus* lib. vii. de visi. Monarch. inter pseudoprophetas et hæreticos, et civitatis Diaboli membra, eos censet reponendos, qui dicunt, crucem et imagines Sanctorum non esse adorandas. Si scripta publica, quæ doctrinam et confessionem continent Ecclesiæ Romanæ, et quorum auctoritas non potest in dubium a Pontificiis vocari, attendimus, hanc adorationem frequenter ingerunt. *Catechis. Trident.* p. iii. c. 2, 5, 8, et 9, docet, "Angelos esse a Christianis adorandos." *Missale Roma.*, auctoritate Trident. Concil. editum, feri. 6, in Paras., identidem repetit *adorandam esse crucem. Concil. Nicæn. II.*, ad quod in hac causa Tridentini Patres Sess. 25. suos ablegant, sæpissime illud ingeminat, adorandas esse imagines. *Index Expurgatorius*, Madriti editus an. 1612, inter cætera passim deleri jubet, quæ in scriptis Patrum observantur de adoratione solius Dei, ut ista Augustini et Athanasii, "Adorari solius Dei est, nulla creatura adoranda, sancti honorandi imitatione, non adora-

tione," &c. Quæ omnia luculenter docent, adorationem apud ipsos tribui etiam creaturis, non tantum ex praxi, sed ex instituto.

XXI. II. Excip. "Adorationem aliam esse *supremam*, aliam *subalternam*. Illam soli Deo reservandam, istam etiam Sanctis et Angelis posse impendi sine idololatriæ nota, quia idololatria est, cum cultus divinus creaturæ exhibetur sicut Deo, se autem cultum non exhibere Sanctis sicut Deo, sed sicut amicis Dei." Valentia. lib. ii. *de Idolo.* c. 1. R. 1. Hic peti principium et πρῶτον ψεῦδος retegi; dari scil. gradus religiosi cultus, et *adorationem* aliam esse *subalternam*, aliam *supremam*, quod ut controversum probari debuit, non supponi. Dari quidem cultus et reverentiæ civilis gradus non negamus, pro ratione gradus excellentiæ cujusque, sed in cultu religioso non item. Gloria Dei punctum est, quod dividi nequit, et cultum religiosum concipere est summum cultum concipere. 2. Hæc ipsa fuit Gentilium exceptio, in cultu idolorum, qui distinguebant inter numina cœlestia, terrestria, et media, inter adorationem supremam et subalternam; illam soli Deo deberi, istam Diis inferioribus et per participationem talibus: sic *Marsil. Ficinus*, in arg. lib. iv. et viii. de Leg., "Platonem," inquit, "universam Deorum synagogam uni subdere regi prout vult singulis imperanti, jubere quidem primum Deum propter se adorari, sequentes vero qui participes ejus Dii quoque dicuntur, amari tanquam illi similiores, honorari etiam ut vicarios, imo et advocari quasi conciliatores." Nonne hæc ipsissima est Pontificiorum Theologia? 3. Glossa Valentiniana, quæ negat idololatriam committi, etsi cultus divinus deferatur creaturæ, modo non deferatur *sicut* Deo, mera est vitilitigatio. Nam (1.) contradictionem implicat, cultum divinum alicui deferri *non sicut Deo*, quia si non defertur sicut Deo, non est cultus divinus. (2.) Sic sequeretur nullam esse idololatriam in actu externo, et neminem idololatram dici posse, nisi qui fatebitur se conciliare voluisse divinam plane æstimationem rei quam colit, qua ratione nulli aut paucissimi fuerunt, aut sunt idololatræ. An qui ventrem pro Deo habent, Phil. iii. 19, aut nummos, Eph. v. 5, cogitant de concilianda iis rebus divinitatis opinione? Nihil minus, imo palam profitentur se in Deum fide recumbere, et nullum aliud numen venerari, et tamen idololatræ dicuntur. Sic Israëlitæ non fuerint idololatræ colentes vitulum, nec Ethnici divinitatem in simulacris colentes, qui noluerunt illis cultum exhibere *sicut Deo*. Sic Patres Arianos idololatriæ insimulare non potuissent, quia adorabant Christum, qui illis merus erat homo, hunc enim cultum non illi deferebant *sicut Deo*. (3.) Hoc perinde est, ac si cujuspiam uxor in adulterio deprehensa, os suum abstergeret, et negaret se adulterii ream, qui usuram corporis sui huic homini concesserit, *non ut marito, sed ut mariti amico*, non conjugalem ei benevolentiam, quam soli marito debitam novit, sed *amicalem* tantum exhibendo; quis vero ferret adulteram ita se excusantem? An minuitur crimen, quamvis uxor sui copiam faciat adultero illi, non tamen ut illi conciliet existimationem, quæ in solum maritum competit. Quis etiam idololatras, spirituale adulterium suum ita extenuantes, admittat? Tam enim soli Deo proprius est omnis religionis cultus, quam illa marito soli conjugalis benevolentia debetur.

Latria et dulia non differunt.

XXII. III. Excip. "Distinguendam esse λατρείαν et δουλείαν, cultum λατρείας soli Deo vindicari, δουλείαν vero creaturis etiam posse deferri. Nec novam videri debere istam distinctionem; Augustinum passim ea usum, et veteres, qui cultum falsorum Deorum vocabant idololatriam non idoloduliam, quod cultus Deo proprius vocetur λατρεία, non δουλεία. Naturam rei etiam hanc docere; nam pro gradibus excellentiæ varium etiam esse debere cultum.

Excellentiæ infinitæ deberi cultum λατρείας, humanæ vel civili civilem, mediæ vero sive donis tum gratiæ tum gloriæ medium, δουλείαν quidem Sanctis et Angelis, ὑπερδουλείαν vero B. Virgini ob singulare ἀξίωμα." R. Sed commentum istius distinctionis ex variis confutari potest. 1. Ex *vocum proprietate* et primigenia significatione, quia sunt voces synonymæ, quæ obtenduntur pro speciebus oppositis sub eodem genere. Hesych. exponit λατρεύειν per δουλεύειν, λατρείαν per δουλείαν. Gloss. δουλεία, λατρεία, λατρεύω, δουλεύω. *Vives* apud August. de Civit. Dei, lib. x. c. 11, agnoscit ex Valla, promiscuum esse earum usum apud Scriptores profanos, quod multis exemplis probari potest. Imo si vim vocum spectare volumus, apposite λατρεία ad cultum Dei designandum adhiberetur quam δουλεία, quia ista majorem qualis του δούλου, id est, servi, λατρεία minorem, qualis του λάτρεως mercenarii, servitutem denotat; δοῦλος enim et ἐλεύθερος opponuntur, est enim δοῦλος alterius hominis, quasi ὅλος ἐκείνου, λάτρις autem Hesyc. est μισθοῦργος ὁ ἐπὶ μισθῷ δουλεύων, μίσθιος ἐργάτης. Sic apud Suidam λατρεία ἡ ἐπὶ μισθῷ δουλεία. Si E. hanc distinctionem urgere volunt Pontificii, fatendum eos minorem Deo cultum, creaturis majorem reservare.

XXIII. 2o. Ex *usu Scripturæ*, quæ promiscue verbis λατρεύειν et δουλεύειν utitur, ut LXX. τὸ עבד Hebræorum passim per alterutrum reddunt; δουλεία sæpe de *cultu divino* usurpatur, δουλεύειν τῷ θεῷ ζῶντι, 1 Thess. i. 9; Mat. vi. 24, "Nemo potest duobus Dominis δουλεύειν;" Gal. iv. 8, Gentiles damnantur quod ἐδουλεύσατε iis, qui natura non sunt Dii; cur vero hoc impactum istis ab Apostolo, si hoc ex Pontificiorum Theologia licitum credidisset, modo non deferretur illis λατρεία? Sic 1 Sam. vii. 3, *parate corda vestra Domino*, καὶ δουλεύσατε αὐτῷ μόνῳ. Sic Rom. xii. 11, et xiv, 18, Ephes. vi. 7, Col. iii. 24. Unde passim fideles, et peculiariter viri Dei vocantur δοῦλοι θεοῦ. Vicissim λατρεία sæpe de *cultu humano* intelligitur, Deut. xxviii. 48, "καὶ λατρεύσεις ἐκεῖ τοῖς ἐχθροῖς σου, et servies inimicis tuis." Levit. xxiii. 7, πᾶν ἔργον λατρευτὸν non faciendum Sabbatho, id est *servile*, et manuale, quod sæpe repetitur v. 25, 35, 36, et Num. xxviii. 18. Ergo cum Scriptura non distinguat, neque nobis est distinguendum. 3. Ex *adversariorum confessione*. Bellarminus fatetur distinctionem hanc esse ἄγραφον, et a Schola Theologica excogitatam, licet tum Hebræa tum Græca vocabula promiscui sint usus, lib. i. *de Beati. Sancto.* cap. xii. *Vasques* adhuc expressius, "Nomen dulia nullus ex antiquis Patribus docet usu Ecclesiastico applicatum ad significandum cultum et honorem Sanctorum." Disputat. 93. in 3. part. c. i. *Marti. Peresius* lib. de Tradit. part. 3. considerat. 7. hanc distinctionem improbavit, teste Bellarmino.

XXIV. 4. Sed ex *ipsa natura rei* fortius adhuc refellitur. Nam cum, uti jam diximus, unicus tantum detur cultus religiosus, qnaliscunque sit cultus duliæ, si religiosus dicitur, non desinit in Deum esse contumeliosus, quia creaturam Dei perfectione induit, ei tribuens infinitam cognitionem et scrutationem cordium, et vim sublevandi animas pressas sensu peccati. Quod si in schola nuperorum Theologorum versati fuissent Ariani olim, qui idololatriæ arguebantur a Patribus et Anthropolatriæ, facile patuisset illis effugium hac distinctione, dixissent enim se Christo deferre cultum duliæ, non latriæ. Sic et Joannes potuisset adorare Angelum sine crimine, et Angelus potuisset cultum illum admittere sine periculo, Apocal. xix. 10, et xxii. 8, quam proclive enim fuerat Joanni se excusare, et dicere, non colere ipsum cultu latriæ, sed duliæ. Sed hactenus inaudita fuerat novitia ista theologia, et pro certo receptum unicum tantum cultum religiosum dari, et quidem soli Deo debitum. 5. Ex *adversariorum praxi*. Nam licet nomen λατρείας deludendæ plebi removeant a cultu creaturarum, certum est

tione," &c. Quæ omnia luculenter docent, adorationem apud ipsos tribui etiam creaturis, non tantum ex praxi, sed ex instituto.

XXI. II. Excip. "Adorationem aliam esse *supremam*, aliam *subalternam*. Illam soli Deo reservandam, istam etiam Sanctis et Angelis posse impendi sine idololatriæ nota, quia idololatria est, cum cultus divinus creaturæ exhibetur sicut Deo, se autem cultum non exhibere Sanctis sicut Deo, sed sicut amicis Dei." Valentia. lib. ii. *de Idolo.* c. 1. R. 1. Hic peti principium et πρῶτον ψεῦδος retegi; dari scil. gradus religiosi cultus, et *adorationem* aliam esse *subalternam*, aliam *supremam*, quod ut controversum probari debuit, non supponi. Dari quidem cultus et reverentiæ civilis gradus non negamus, pro ratione gradus excellentiæ cujusque, sed in cultu religioso non item. Gloria Dei punctum est, quod dividi nequit, et cultum religiosum concipere est summum cultum concipere. 2. Hæc ipsa fuit Gentilium exceptio, in cultu idolorum, qui distinguebant inter numina cœlestia, terrestria, et media, inter adorationem supremam et subalternam; illam soli Deo deberi, istam Diis inferioribus et per participationem talibus: sic *Marsil. Ficinus*, in arg. lib. iv. et viii. de Leg., "Platonem," inquit, "universam Deorum synagogam uni subdere regi prout vult singulis imperanti, jubere quidem primum Deum propter se adorari, sequentes vero qui participes ejus Dii quoque dicuntur, amari tanquam illi similiores, honorari etiam ut vicarios, imo et advocari quasi conciliatores." Nonne hæc ipsissima est Pontificiorum Theologia? 3. Glossa Valentiniana, quæ negat idololatriam committi, etsi cultus divinus deferatur creaturæ, modo non deferatur *sicut* Deo, mera est vitilitigatio. Nam (1.) contradictionem implicat, cultum divinum alicui deferri *non sicut Deo*, quia si non defertur sicut Deo, non est cultus divinus. (2.) Sic sequeretur nullam esse idololatriam in actu externo, et neminem idololatram dici posse, nisi qui fatebitur se conciliare voluisse divinam plane æstimationem rei quam colit, qua ratione nulli aut paucissimi fuerunt, aut sunt idololatræ. An qui ventrem pro Deo habent, Phil. iii. 19, aut nummos, Eph. v. 5, cogitant de concilianda iis rebus divinitatis opinione? Nihil minus, imo palam profitentur se in Deum fide recumbere, et nullum aliud numen venerari, et tamen idololatræ dicuntur. Sic Israëlitæ non fuerint idololatræ colentes vitulum, nec Ethnici divinitatem in simulacris colentes, qui noluerunt illis cultum exhibere *sicut Deo.* Sic Patres Arianos idololatriæ insimulare non potuissent, quia adorabant Christum, qui illis merus erat homo, hunc enim cultum non illi deferebant *sicut Deo.* (3.) Hoc perinde est, ac si cujuspiam uxor in adulterio deprehensa, os suum abstergeret, et negaret se adulterii ream, qui usuram corporis sui huic homini concesserit, *non ut marito, sed ut mariti amico*, non conjugalem ei benevolentiam, quam soli marito debitam novit, sed *amicalem* tantum exhibendo; quis vero ferret adulteram ita se excusantem? An minuitur crimen, quamvis uxor sui copiam faciat adultero illi, non tamen ut illi conciliet existimationem, quæ in solum maritum competit. Quis etiam idololatras, spirituale adulterium suum ita extenuantes, admittat? Tam enim soli Deo proprius est omnis religionis cultus, quam illa marito soli conjugalis benevolentia debetur.

Latria et dulia non differunt.

XXII. III. Excip. "Distinguendam esse λατρείαν et δουλείαν, cultum λατρείας oli Deo vindicari, δουλείαν vero creaturis etiam posse deferri. Nec novam videri debere istam distinctionem; Augustinum passim ea usum, et veteres, qui cultum falsorum Deorum vocabant idololatriam non idolodouliam, quod cultus Deo proprius vocetur λατρεία, non δουλεία. Naturam rei etiam hanc docere; nam pro gradibus excellentiæ varium etiam esse debere cultum.

Excellentiæ infinitæ deberi cultum λατρείας, humanæ vel civili civilem, mediæ vero sive donis tum gratiæ tum gloriæ medium, δουλείαν quidem Sanctis et Angelis, ὑπερδουλείαν vero B. Virgini ob singulare ἀξίωμα." R. Sed commentum istius distinctionis ex variis confutari potest. 1. Ex *vocum proprietate* et primigenia significatione, quia sunt voces synonymæ, quæ obtenduntur pro speciebus oppositis sub eodem genere. Hesych. exponit λατρεύειν per δουλεύειν, λατρείαν per δουλείαν. Gloss. δουλεία, λατρεία, λατρεύω, δουλεύω. *Vives* apud August. de Civit. Dei, lib. x. c. 11, agnoscit ex Valla, promiscuum esse earum usum apud Scriptores profanos, quod multis exemplis probari potest. Imo si vim vocum spectare volumus, apposite λατρεία ad cultum Dei designandum adhiberetur quam δουλεία, quia ista majorem qualis του δουλου, id est, servi, λατρεία minorem, qualis του λάτρεως mercenarii, servitutem denotat; δουλος enim et ἐλεύθερος opponuntur, est enim δουλος alterius hominis, quasi ὅλος ἐκείνου, λάτρις autem Hesyc. est μισθουργος ὁ ἐπὶ μισθῳ δουλευων, μίσθιος ἐργάτης. Sic apud Suidam λατρεία ἡ επι μισθῳ δουλεια. Si E. hanc distinctionem urgere volunt Pontificii, fatendum eos minorem Deo cultum, creaturis majorem reservare.

XXIII. 2o. Ex *usu Scripturæ*, quæ promiscue verbis λατρεύειν et δουλεύειν utitur, ut LXX. τὸ עבד Hebræorum passim per alterutrum reddunt; δουλεία sæpe de *cultu divino* usurpatur, δουλεύειν τῳ θεῳ ζῶντι, 1 Thess. i. 9; Mat. vi. 24, "Nemo potest duobus Dominis δουλεύειν;" Gal. iv. 8, Gentiles damnantur quod εδουλευσαν iis, qui natura non sunt Dii; cur vero hoc impactum istis ab Apostolo, si hoc ex Pontificiorum Theologia licitum credidisset, modo non deferretur illis λατρεία? Sic 1 Sam. vii. 3, *parate corda vestra Domino*, και δουλευσατε αυτῳ μόνῳ. Sic Rom. xii. 11, et xiv, 18, Ephes. vi. 7, Col. iii. 24. Unde passim fideles, et peculiariter viri Dei vocantur δουλοι Θεου. Vicissim λατρεια sæpe de *cultu humano* intelligitur, Deut. xxviii. 48, "καὶ λατρεύσεις ἐκεῖ τοῖς ἐχθροῖς σου, et servies inimicis tuis." Levit. xxiii. 7, πᾶν εργον λατρευτὸν non faciendum Sabbatho, id est *servile*, et manuale, quod sæpe repetitur v. 25, 35, 36, et Num. xxviii. 18. Ergo cum Scriptura non distinguat, neque nobis est distinguendum. 3. Ex *adversariorum confessione*. Bellarminus fatetur distinctionem hanc esse αγραφον, et a Schola Theologica excogitatam, licet tum Hebræa tum Græca vocabula promiscui sint usus, lib. i. *de Beati. Sancto.* cap. xii. *Vasques* adhuc expressius, "Nomen dulia nullus ex antiquis Patribus docet usu Ecclesiastico applicatum ad significandum cultum et honorem Sanctorum." Disputat. 93. in 3. part. c. i. *Marti. Peresius* lib. de Tradit. part. 3. considerat. 7. hanc distinctionem improbavit, teste Bellarmino.

XXIV. 4. Sed ex *ipsa natura rei* fortius adhuc refellitur. Nam cum, uti jam diximus, unicus tantum detur cultus religiosus, qnaliscunque sit cultus duliæ, si religiosus dicitur, non desinit in Deum esse contumeliosus, quia creaturam Dei perfectione induit, ei tribuens infinitam cognitionem et scrutationem cordium, et vim sublevandi animas pressas sensu peccati. Quod si in schola nuperorum Theologorum versati fuissent Ariani olim, qui idololatriæ arguebantur a Patribus et Anthropolatriæ, facile patuisset illis effugium hac distinctione, dixissent enim se Christo deferre cultum duliæ, non latriæ. Sic et Joannes potuisset adorare Angelum sine crimine, et Angelus potuisset cultum illum admittere sine periculo, Apocal. xix. 10, et xxii. 8, quam proclive enim fuerat Joanni se excusare, et dicere, non colere ipsum cultu latriæ, sed duliæ. Sed hactenus inaudita fuerat novitia ista theologia, et pro certo receptum unicum tantum cultum religiosum dari, et quidem soli Deo debitum. 5. Ex *adversariorum praxi*. Nam licet nomen λατρειας deludendæ plebi removeant a cultu creaturarum, certum est

tamen rem omnem per λατρείαν designatam tribuere creaturis, et ad eas vota precesque emittere, in illarum intercessione, precibus, meritis, præsidio spem et fiduciam ponere, iis templa, altaria, imagines suspendere. In scholis quidem nomine tenus distinguunt hunc cultum, sed in praxi nequaquam. Quotusquisque enim ex plebe Sanctos invocat et vota nuncupat, eademque reverentiæ signa illis exhibet, quæ Deo solet reddere, qui ita secernat ut illis quidem duliam, huic vero latriam reddat? Imo nequidem harum distinctionum naturam percipere potest. Ne jam dicamus, quod posthac probandum erit, cum de σταυρολατρεία agemus, cruci ipsi latriam exhiberi. Conclusum ergo esto, distinctionem hanc, tanquam nullius commatis, merito a nobis rejici.

XXV. Neque hic opponenda est *Augustini* auctoritas. Nam quanquam distinctionem λατρείας et δουλείας nonnunquam usurpavit, tamen neque Scripturæ usui ea promiscue utenti in religionis negotio, præjudicatum voluit, neque in eum sensum usus est, quem sequitur hodie Ecclesia Romana. Nam Augustini mens nunquam fuit, cultum religiosum distribuere in latriam et duliam, ita ut hæc ad Sanctos, illa ad Deum pertineret, sed *duliæ* voce designare voluit cultum civilem, quo alii alios colimus in hac vita, non *cultum religionis*, sed *dilectionis* et *societatis* erga præsentes, et charitatis erga defunctos, quos honorandos docet "propter imitationem, non adorandos propter religionem," lib. de vera Relig. cap. lv. "Non sit nobis religio," inquit ibidem, "cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores, sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante, lætantur meriti sui nos esse consortes." Per λατρείαν vero intelligit Augustinus cultum religiosum cum omnibus actibus suis, tam *imperatis* quam *elicitis*, quales sunt actus precum, sacrificiorum, ut et templorum, dierum festorum, nostri et omnium quæ in nobis et a nobis, religiosis ritibus consecratio. Sic ille lib. x. de C. D. c. 1., "Latriam nostri, ubicunque S. Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem, sed ea servitus, quæ debetur hominibus, secundum quam præcipit Apostolus, servos Dominis suis subditos esse debere, alio nomine nuncupari solet Græce latria secundum consuetudinem, qua loquuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pene semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicitur, non soli Deo deberi videtur. Dicimur enim etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione, vel præsentia frequentamus," &c. Ex quibus, ne alia loca jam congeramus, patet *Augustinum* distinguere *servitutem* in eam, quæ soli Deo debetur, et quam, docendi causa, vocat λατρείαν, quamque alibi vocat *servitutem religionis*, lib. v. de C. D. cap. 15. et servitutem, quæ hominibus debetur, quam peculiariter duliam dicit. Aliud est vero cultum in genere distinguere in λατρείαν et δουλείαν, quod facit *Aug.*, aliud cultum religiosum ita dispescere, quod volunt Pontificii. Aliud λατρείαν et δουλείαν genere dispescere cum Augustino, aliud gradu tantum cum Pontificiis. Quod si liberet hic in veterum mentem et verba inquirere, facile esset ostendere, promiscue eos istis vocibus usos fuisse; sed quia non iis stamus aut cadimus, neque decet virum Dei νοσεῖν περὶ λογομαχίας, litem de verbis non facimus, sed de rebus. Parum refert λατρεία an δουλεία dicatur cultus Deo proprius, modo fixum ratumque maneat, cultum religiosum soli Deo, nulli vero creaturæ esse deferendum.

XXVI. Quod vero secundo loco affertur de *gradibus excellentiæ*, probat quidem distinguendum esse *cultum religiosum* et divinum, a *civili* et mundano, *pietatem a charitate;* ut duæ sunt *excellentiæ* species, alia increata et *infinita* nimirum Dei, alia *finita* et creata, qualis est omnium creaturarum, sed non probat

dari cultum religiosum, qui sit medius inter divinum et civilem. Nam etsi non diffiteamur, varios esse gradus excellentiæ finitæ in creaturis, tamen cultus species non debent juxta eos multiplicari; alias non jam duæ aut tres, sed innumeræ pene cultuum, creaturis debitorum, species essent. Certum quidem est, ex diversis gradibus dignitatum in creaturis conspicuarum posse oriri diversos gradus cultus et venerationis, sed ita ut semper inter limites cultus civilis maneatur, neque transitus fiat ad cultum religiosum, qui soli Deo, excellentiæ puta infinitæ, sit debitus. Ita alio cultu regem, alio præceptorem, vel patrem colo; sed utroque tamen humano et civili. Ita dispari quidem gradu illos colere possumus, qui gratiæ vel gloriæ eminentia sunt conspicui, sed sub eadem tamen cultus specie, quem cultum socialem et dilectionis vocat Augustinus. Alii *civilem* indigitant, ut contradistinguatur religioso, sed rursus civilem distinguunt, vel respectu *civitatis mundanæ*, qui complectitur officia omnia reverentiæ, amoris, timoris, quæ hominibus debentur, etsi sint a fide alieni; vel respectu *civitatis supernæ*, quo honore domesticos fidei prosequitur. Quo pertinet τιμῆς illa, qua nos invicem complectimur, Rom. xii. 10. Item observantia illa et reverentia, quam fidelibus exhibemus juxta conditiones varias et excellentiæ dotes, et gloriam eorum qui civitatem illam supernam constituunt, quo sensu *honoramus Sanctos et Angelos*, *charitate*, ut loquitur August., *non servitute*, rursus *cultus civilis* dicitur, vel *formaliter* ratione *subjecti* et *modi*, qui, in se revera civilis, est distinctus a religioso, qui exhibetur iis, qui in eadem nobiscum societate degunt, vel *causaliter* ratione *principii*, qui propter causas mere civiles impenditur. Prior oritur etiam a causis supernaturalibus, ut regem Christiani colunt, colunt et infideles; sed hi tantum politiæ gratia, nec quicquam habentes præ oculis, quam potentiam illam regiam, cui civiliter subsunt, illi vero propter conscientiam. Jam cultus qui Sanctis exhibetur, dicitur nobis *civilis* priori tantum, non posteriori ratione. Quomodocunque vero vocetur vel *moralis reverentiæ*, vel *socialis dilectionis*, vel *officiosæ charitatis*, per nos licet modo toto genere distinguatur a religioso, qui soli Deo deferendus. Iste ad primam, ille ad secundam Legis tabulam pertinet; prior religionis *pars*, posterior est tantum *effectus*. Quæ ergo ratio est excellentiæ creatoris et creaturarum ea debet esse ratio venerationis et cultus, qui illis debetur. At excellentia creatoris infinitis modis major est excellentia creaturarum, imo nulla analogia vel proportio unius ad alterum. Idem ergo discrimen debet esse in cultu, nec creaturarum et creatoris cultus sub unum genus reducendus, sed potius cum creatoris cultus religiosus sit, creaturarum talis esse nequit.

XXVII. Absurda est distinctio *adorationis absolutæ et relativæ*, qua hic uti solent, quasi adoratio quidem absoluta soli Deo relinquenda sit, relativa vero deferri possit creaturis, tum Sanctis, tum eorum reliquiis. Nam præterquam quod, proprie loquendo, nulla est adoratio, quæ non sit relativa, quia refertur ad objectum suum, adeoque est ἐκ τῶν πρὸς τὶ, genere negato, negantur species, adoratione religiosa negata creaturis, negantur etiam species ejus. Adde quod sic excusari potuissent Gentiles in cultu idolorum, quem pertendebant relativum tantum esse, non absolutum. Denique Pontificii ipsi non pauci cultum istum pertendunt esse absolutum, non tantum relativum et respectivum, ut suo loco inferius probabitur.

XXVIII. Frustra etiam distinguunt inter *actus* religionis *elicitos* et *imperatos*; quasi illi soli Deo debeantur, isti etiam creaturis tribui possint. Nam actus imperati alii sunt pars religionis, puta omnes actus qui referuntur ad primam tabulam, quales sunt invocatio, vota, sacrificia, &c., alii

sunt tantum ejus effectus, nimirum illi qui pertinent ad secundam: Istos creaturis posse et debere tribui fatemur, sed illos negamus; hic vero, ut notum, agitur de cultu religioso qui respicit actus religionis elicitos, quos Pontificii fatentur soli Deo tribuendos, et de actibus imperatis, qui sunt pars religionis, non de actibus imperatis, qui pertinent ad secundam tabulam, et qui sunt effectus religionis.

XXIX. Sed quia Pontificii varia excipere solent in specie pro invocatione Sanctorum, ad diluendum crimen idololatriæ, quod illis propterea impingitur, vanitas exceptionum paucis est demonstranda. I. Excip. Ecclesiam cultum et invocationem Sanctorum tanquam utilem et bonam præscribere, sed nihil ulterius addere, quasi necessaria sit, vel absolute præcepta. Sic Episcopus Condomiensis loquitur in prima editione Expositionis Catholicæ, pag. 33. "Nihil injustius est quam objicere Ecclesiæ, quod totam pietatem in cultu Sanctorum constituat, cum contra non imponat privatis ullam obligationem praxim istam observandi;" et addit ibidem, "Verba Concilii notavimus, quod satis habet praxim istam bonam et utilem vocare, non docendo ulterius quod sit necessaria et precepta, unde patet satis clare, Ecclesiam non alios damnare quam eos, qui ab ea recedunt per contemptum, et rebellionis ac dissensionis animo." Sed qualiscunque sit erroris istius incrustatio, certum est sub utilitate cultus istius necessitatem includi, quod patet ex ipsis Concilii decreti verbis de Invocatione et Veneratione Sanctorum, &c. Sess. 25. "Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis et cæteris docendi munus sustinentibus, ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, &c. in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, et reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus offerre, bonum atque utile esse simpliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos vero qui negant Sanctos, æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse, vel qui asserunt eos pro hominibus non orare, &c. impie sentire;" et sub finem, "si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, Anathema sit." Quis vero ex his non colligat, non modo utilitatem, sed et necessitatem cultus istius induci? Alias cur juberentur Doctores diligenter instruere fideles de hoc cultu? Cur dicerentur impie sentire, qui negant Sanctos invocandos esse, et quidem ex usu Apostolicæ et Catholicæ Ecclesiæ? Cur anathema illis denunciaretur? Cur tot præscriberentur tam sollicite orandi formulæ? Cur indulgentiæ orantibus concederentur, negligentibus vero pœnitentiæ injungerentur? 2. Id ipsum non obscure confirmat *Catechismus Romanus*, qui expresse dicit confugiendum esse ad gratiam Sanctorum, et eos invocandos et colendos esse, addita hac ratione, quod protectionem et tutelam salutis nostræ suscipiant. *Professio fidei* venerandos et invocandos esse Sanctos per modum præcepti statuit. 3. Nullus cultus religiosus potest præscribi, quin transeat in officium debitum, quod proinde non est modo utile, sed et necessarium. 4. Idem evincit praxis constans et universalis Ecclesiæ, non quorundam tantum, sed omnium populorum, qui ubique cultum hunc usurpant, et magno studio, tanquam maximam partem religionis suæ exequi solent. Hinc *Perronius*, in resp. ad regem M. Britanniæ, cultum istum non modo ut utilem, sed etiam ut necessarium, urget.

XXX. II. Excipitur, "orationes dirig ad Sanctos eodem charitatis

spiritu et fraternæ societatis ordine, quo ad fratres in terris viventes confugere solemus ad auxilium et opem eorum implorandum." Sic Episcopus loquitur, art. 4. Sed quis non videt vanitatem illusionis, quia simplicioribus fucum facere conatur, dum diversissima confundit, actum puta humanum, civilem, Christianæ societatis, opis mutuæ inter vivos et præsentes, quæ præscribitur nobis in Scriptura, cum actu religioso invocationis, adorationis, fiduciæ, voti sacrificii, cujus objectum non sunt viventes, sed mortui, procul a nobis nec præsentes aut essentia aut operatione cum scientia, cujus nec vola nec vestigium in Scriptura, imo non obscura interdictio. 2. Si eadem cultus istius esset utrobique ratio, et eodem spiritu cultus iste peragitur, ergo poterunt rite canonizari viventes, templa et altaria poterunt illis erigi, incensus adoleri, sacrificia offerri, et alia id genus quæ fiunt erga Sanctos demortuos; poterunt preces et compellationes Christianæ, quæ illis fiunt, cultus religiosi nomen obtinere, quod nemo non videt absurdum esse, imo impium.

XXXI. III. Excipitur, "non rogari Sanctos ut causas principales, qui vel bona dent, vel liberent a malis, nec iisdem quibus ad Deum confugitur precandi formulis, maximumque esse discrimen inter modum, quo auxilium Dei imploratur et quo Sanctorum; nam Deum proprie invocari, *ut nostri misereatur*, sed Sanctos tantum, *ut pro nobis Deum orent.* Sic Catechism. Roma. p. 3. Tit. de Cultu et Invocatione Sanctorum, et ex eo Episcopus, Exposit. p. 22. Sed frustra hoc effugium quæritur, quod praxi aperte repugnat. Nam si nihil aliud petitur a Sanctis, quam ut orent pro nobis, cur Concilium *suppliciter invocari* vult, et *ad eorum opem et auxilium confugi?* Cur formulæ publicæ expresse petunt, "ut misereri velint, ut parcant, liberent, exaudiant, imo ut deleant peccata, conferant cor contritum, corda illuminent, largiantur spiritualem gratiam, in hora mortis suscipiant," et alia id genus, quæ passim in Litaniis et orationibus ad Beatam Virginem et Sanctos leguntur, ut supra visum. Nec reponendum cum Bellarmino, lib i. de Beati. Sanctorum, cap. 17, "Talia non alio animo dici, quam ut ista beneficia nobis conferant, orando pro nobis, itaque licere quidem quoad verba dicere, B. Petre, miserere mei, serva me, aperi mihi portam cœli," &c. "modo ita intelligamus, miserere mei et salva me, orando pro me." Quia si non aliud munus habeant Sancti, quam orandi pro nobis, cur præficiuntur urbibus, provinciis, et regnis mundi tanquam Dii tutelares, a quibus, utpote mundo præsidentibus et Ecclesiam gubernantibus, se regi et gubernari arbitrantur? Cur singulæ artes et vocationes, imo et morbi peculiares patronos habent, ad quos confugiunt, qui eos profitentur, vel iis detinentur, non tantum ut precibus, sed etiam protectione et auxilio eorum juventur? Rursus si nihil aliud intendunt per cultum Sanctorum, quam ut orent pro nobis, cur patiuntur preces ad ipsos dirigi expresse, tanquam bonorum largitores et protectores a malis, atque ita exponunt simplicem popellum periculo continuo teterrimæ idololatriæ? Quotusquisque enim est, qui, dum jubetur orare aliquem Sanctum, ut sui misereatur, et se salvet, ut peccata sua deleat, intelligat, hoc non alio sensu dici, quam ut pro se oret apud Deum, ut talia beneficia obtineat, non vero proprie ab ipso hæc directe petat?

XXXII. IV. Denique excip., "nullam injuriam fieri Christo, quia quodcunque consequimur intercessione Sanctorum, id nos reipsa per Christum solum consequi, inque ejus nomine, cum ipsi Sancti nonnisi per Christum orent, nec nisi in ejus nomine exaudiantur." Sic Episcopus post Bellarminum et Tridentinos. Sed quid juvat nomen Christi prætendere, si merita et virtutes Sanctorum cum ipso obtenduntur, ad hæc aut illa beneficia obtinenda?

Quis vero ignorat Sanctorum meritis inniti preces Romanas, eorumque intercessioni, merito, virtuti, accepta ferri beneficia, et invocari eorum nomen? Quin in precibus, juramentis, votis, confessionibus, gratiarum actionibus, missaticis sacris, Paparum bullis, sociari nomen Virginis, et Sanctorum nomina, collaterali cultu, nominibus Dei et Christi? Quis vero non videt hoc pacto grandem fieri injuriam Christo, qui Intercessoris et Redemptoris in Scripturis solus nomen habet, et dignitatem possidet? Ex quo facile colligere licet, Romam pati, devotionis et venerationis affectu, si non majori, Sanctos æque ac Deum et Christum colere. De quo jam olim *Vergilii*, *Cassandri*, *Vives*, *Espencæi*, et alii questi erant. Nec diffiteri possunt, qui sincere ex rei veritate loquuntur, patet ex libro *Consiliorum salutarium S. Virginis ad indiscretos sui cultores*, Coloniæ edito, ubi auctor fatetur populum, prælatos, doctores et prædicatores colere Virginem, ut alteram divinitatem, illi reddi cultum soli Deo debitum, in ea spem omnem collocari, eam supra Filium elevari, et illi dari omnem salutis nostræ gloriam.

XXXIII. Hoc vero ne cuiquam dubium sit, consulendus est ante citatus *Crasseti* liber, ubi auctor fuse hoc argumentum tractat, et inter alia asserit, "Deum nullam gratiam ordinarie hominibus largiri, nisi per intercessionem Matris suæ." Probat de ea recte dici, "omnipotentiam ad eam pertinere et in cœlo et in terra, nihil illi impossibile esse, posse eam servare desperatos, accedere ad Dei tribunal, non modo ut servam, quæ orat Dominum suum, sed ut matrem, quæ imperat Filio. Ita ut nulla creatura ullam gratiam aut virtutem acceperit, quæ non dispensata fuerit manibus misericordiis istius Matris. Posse eam imperare Jesu Christo auctoritate Matris. Et servare adhuc speciem auctoritatis super ejus personam, super bona, et super omnipotentiam. Posse dici libere, posse quicquid potest Filius, quia cum Filius et Mater eandem carnem habeant, eandem etiam potentiam indivisim possideant, Filium per naturam, Matrem per gratiam." Hinc istas ad eam preces dirigit, "O Mater misericordiæ, miserere mei; serva me in familia tua; si cado, erige me; si aberro, corrige me; et si pugno, protege me; recipe animam meam in manus tuas." Alibi "reddendam esse," ait, "adorationem religiosam B. Virgini, Sanctis, et Angelis," et alia id genus, quæ rotunde sententiam Ecclesiæ R. circa cultum B. Virginis exprimunt. Quis enim credat talem virum de argumento toties agitato scribentem, Ecclesiæ suæ fidem ignorasse, vel dedita opera in ea tradenda lectoribus imposuisse? Vel quis sibi persuadeat librum, qui, cum Examinatorum approbatione et privilegio, Parisiis excuditur an. 1679, quique publice prostat, nec ulla censura notatur, receptam doctrinam dissimulare et corrumpere? Videat jam lector quam belle illi conveniat, cum fucatis et dolosis fidei Rom. expositionibus, quibus falsitas ejus incrustrari solet.

Tract. i. p. 2.

p. 28.

p. 30.

p. 58.

p. 101.

XXXIV. Posset ulterius crimen idololatriæ Rom. in cultu Sanctorum evinci, ex sacrificio missatico, quod in honorem eorum Deo offerri solet. Cum enim honor sacrificii ad Deum solum pertineat, et res oblata inferior debeat esse eo, in cujus honorem offertur, non potest offerri Christus in missa in honorem Sancti, quin Sanctus eo ipso, horresco referens, major statuatur Christo, et honor soli Deo debitus in eum transferatur. Sed quia alibi de eo actum est, plura non addimus.

DISPUTATIO TERTIA,

QUÆ EST SECUNDA

DE IDOLOLATRIA ROMANA.

DISPUTATIO TERTIA,

QUÆ EST SECUNDA

DE IDOLOLATRIA ROMANA.

Respondente Jacobo Du Gué *Parisino.*

I. Diximus superiori disputatione, Ecclesiam Romanam duplici nomine a nobis idololatriæ ream peragi, tum respectu *objecti*, quia religiosum iis exhibet cultum, qui natura non sunt Dii, tum respectu *modi*, quia etiam verum Deum superstitiose et idololatrice in imaginibus colit. Et ad primam illam idololatriæ speciem quod attinet, multiplicia esse objecta ostendimus, quibus cultus iste religiosus defertur, 1. *Angelos et Sanctos*, 2. *Pontificem*, 3. *Sacramentum*, 4. *Crucem et Reliquias*. De duobus primis jam actum, superest ut de duobus postremis disputemus, *Sacramenti* scilicet et *Crucis* ac *Reliquiarum* adoratione: quibus addenda erit pars tertia de *Imaginum cultu*, ut, quod nos antea facturos recepimus, demonstremus Ecclesiam Romanam Papalem vere esse idololatricam, adeoque legitimam fuisse nostram ab ea secessionem, et illicitum ad eam, rebus sic stantibus, reditum.

Adoratio Sacramenti a Pontificiis instituta.

II. Ut ergo de *Sacramenti adoratione* dicamus primum: crassissimam hic pertendimus a Pontificiis idololatriam committi, dum Hostiæ, ut vocant, consecratæ, sive sacramento Eucharistiæ cultum non quemvis, sed summum, latriæ ipsis dictum, qui soli Deo debetur, deferunt, et ab omnibus sub anathematis pœna deferri jubent. Cum enim certum nobis sit et indubitatum, sacramentum istud a Christo institutum, non aliud continere, quam substantiam panis et vini, quæ symbola carnis et sanguinis sui esse voluit Dominus, nemo non videt talem cultum non posse illi exhiberi, quin in creaturam adoratio, soli creatori debita, transferatur, quod sine immani sacrilegio fieri non posse credimus, nec ullus, opinor, inficias iverit.

III. Fatemur quidem Eucharistiam, ut a Domino ad memoriam suæ mortis institutam, nobisque in amoris sui nostræque salutis pignus datam, reverenter in religionis nostræ sacris habendam, neque unquam, nisi serio probata prius conscientia, animoque ad sinceram peccatorum confessionem et pœnitentiam, ad pietatem in Deum, ad charitatem in homines comparato, esse sumendam; plane eôdem modo, quo Baptismum, ejusdem quoque ordinis, et ab eodem auctore traditum, mysterium eos decet suscipere, qui

adulti Christianismo rite initiantur. Agnoscimus etiam Christum Dominum in hujus sacramenti celebratione esse adorandum, non tantum quia dum celebratio fit, in Christum toto ferri animo debet vir pius, sed etiam quia ipsa illa celebratio est actus religiosus, qui proinde ab adoratione Christi separari non potest. Unde etiam *Eucharistias* nomen, nam quisquis pius agit gratias Deo, ideo idem adorat Deum. Sed negamus, quod volunt Pontificii, sacramentum ipsum esse adorandum, et Christum, ut sub speciebus per μετουσιαν latentem, esse quærendum vel colendum, quia cum merus ibi sit panis, ἀρτολατρείαν necessario committit, qui ad eum adorationem dirigit.

IV. Verum ne quis arbitretur nos hic Pontificiis imponere, audiendi sunt ipsi, ut, quid hac in parte statuant, perspicue dignoscatur. Nolumus hic in principium et originem istius erroris inquirere, quanquam non difficile esset demonstrare, inauditum plane fuisse et incognitum puriori antiquitati, et sub Innocentio III. demum in Lateranensi Concilio an. 1215, inchoatum per transubstantiationis figmentum, quod ibidem sancitum fuit; sub Honorio III., vero circa an. 1220, immediato Innocentii successore, confirmatum decreto peculiari, quo Eucharistiæ adoratio sancitur. Extat in decretalibus Gregorii IX., titulo Celebrat. Missar. c. x., "Sacerdotes," inquit, "frequentes doceant plebem, et cum in celebratione Missarum elevatur hostia, reverenter se inclinent, idemque faciant cum eam defert presbyter ad infirmum." Sed quia errores isti in ακμῇ demum fuerunt in Conciliabulo Tridentino, in quo leges de iis sancitæ sunt sub anathematis pœna, et quæ hodie passim in Papatu obtinent, non aliunde certius Eccl. Rom. sententia, quam ex concilii istius verbis, elici potest. Sic autem patres postquam Transubstantiationis commentum, quod primum est erroris istius fundamentum, stabiliverunt, de Sacramenti veneratione loquuntur, Sessione xiii. cap. 5, "Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione adhibent, neque enim minus est adorandum, quod fuerit a Domino, ut servetur, institutum, nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus, introducens in orbem terrarum, dixit, et adorent eum omnes angeli," &c. Et canon. vi. subjiciunt, "Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, venerandum, atque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ usum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores idololatras esse, anathema sit." Ex quibus verbis liquido constat, non modo Christum ipsum in sacramento, sed totum sacramentum proponi adorandum, atque adeo non simpliciter corpus Christi, in quod panem ipsum converti per consecrationis verba existimant, sed etiam ipsa symbola et species panis et vini, sub quibus Christum contineri statuunt.

V. Nec ab instituto praxis ordinaria abludit, nihil enim frequentius apud Pontificios occurrit, nihil religiosius observatur hac sacramenti adoratione. Primo, sacrificulus quamprimum verba consecrationis protulit, eorumque prolatione creatorem suum, ut illi impie loquuntur, creavit, ipse statim hostiam a se consecratam genuflexus adorat, et similiter calicem. Postquam ipse adoraverit, surgit, hostiamque utraque manu supra caput suum, aversus a populo, magna cum reverentia elevat, populoque spectandum, proque ipso Christo adorandum proponit, et pariter calicem. Dum elevatur sacramentum, pulsatur campanula, quo veluti signo dato,

populus summa cum veneratione sacramentum tanquam Christum ipsum adorat. Deinde ante receptionem, sacramentum rursus adorat, eique inclinatus dicit, *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis*, et rursus, *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*, quæ omnia extant *in Missal.*, in rit. celeb. Miss. Sect. 8. Sic in Hortulo animæ, "O venerabile sacramentum, per te quæso," &c. Item

Ave, caro Christi cara,
Immolata crucis ara,
Pro redemptis hostia,
Morte tua nos amara
Fac, Redemptor, luce clara
Tecum frui gloria, &c.

Post Missam peractam, quod reliquum est sacramenti in sacrario asservatur, ut ad ægrotos deferatur, et in solemnibus quandoque processionibus circumgestetur. Sed præcipua istius idolomaniæ pars in festo, quod huic panaceo Deo dicatum est, elucet. Festum hoc corporis Christi Urbanus IV. instituit circa an. 1262. Clemens V. in Concilio Viennensi indulgentiis quibusdam locupletavit anno 1310. Julius denique III. in Concilio Tridentino confirmavit, anathema iis denuncians, qui sacramentum hoc, quod Dominum Deum et creatorem suum indigitare solent, latriæ cultu adorandum et festivitate peculiari venerandum negaverint. Sic lege lata, Pontificii jam cultum missatici Dei omnibus imponunt, ferroque et flammis persequuntur, qui secum Deum hunc suum proni in terram et cernui non adorarint. Huc facit etiam, quod preces et gratiarum actiones vulgo ad sacramentum dirigantur; quod tempore gravis alicujus calamitatis exponatur populo orandum et adorandum, nihilque sæpius apud ipsos audias hac benedictionis divinæ formula, *Laus sanctissimo sacramento.*

VI. Ex hac vero sententiæ adversariorum declaratione colligimus, non posse eos, quicquid moliantur, ab idololatriæ crimine se liberare. Primo, quia sacramentum ipsum, in quo præsentem Christum dicunt, adorari jubent, quod tamen certo certius est, meram esse creaturam, utpote symbola ipsa terrena a Christo instituta, et si credimus ipsis, species seu accidentia tantum panis et vini. Secundo, quia loco Christi, veri et æterni Dei Filii, quem in locum substantiæ panis per μετουσίωσιν succedere falsissime arbitrantur, nihil aliud quam crustum et buccellam panis adorant. Quæ sententia tanta fuit Averroi scandalo in Hispania degenti, ut dixerit, *inter omnes sectas nullam vidisse stultiorem Christiana*, Papalem innuere volebat, *cujus sectatores adorent quod manducant*, quod antea jam observaverat *Theodoretus* q. 55, in Genesim, "summæ esse insaniæ, id adorare quod comeditur."

VII. Nihil attinet autem argumenta varia referre ad errorem hunc jugulandum. Ut quod talis sacramenti adoratio, quæ tamen necessitatis esse creditur, nusquam vel a Christo imperata in sanctæ cœnæ institutione, vel ab apostolis in ejus praxi observata, legatur. Quod nuspiam a Paulo, qui tam sollicite verba institutionis refert cap. xi. ad Corinth. vel unico verbulo sit commendata, quod tamen locus ille, si ullus unquam, exigere videbatur, ut dignitatem mysterii adversus profanorum contemptum eo magis extolleret. Quod in Ecclesia Apostolica nullum praxeos istius deprehendatur vestigium. Quod ab omnium aliorum sacramentorum, quotquot in Vet. vel Novo Test. leguntur instituta, ritibus sit alienissima, quæ nec adorata videntur, nec ad adorandum proposita. Hoc unum nobis esto

instar omnium, quod propius facit ad institutum. Non posse cultu illo defungi Pontificios, quin creaturæ cultum soli Deo debitum deferant, dum sacramentum adorando, panem loco Christi, et species ipsas cum Christo eodem cultu venerantur et colunt, quod utrumque fœdam idololatriam involvere, cæcus est qui non videat.

VIII. Quia tamen in omnes formas se verrunt adversarii, ut tanti criminis invidiam declinent, age videamus paulo accuratius quid ad incrustandum errorem hunc adferant. Primo, quod *ad adorationem specierum* attinet, excipiunt "non adorari apud ipsos sacramentum ipsum seu species, sed Christum ipsum sub speciebus latentem, nec si adorandum dicitur in Concilio Tridentino, alio sensu hoc intelligendum esse, quam respectu Christi solius, qui totam hujus mysterii majestatem includit; ideo esse quidem de fide, Christum adorandum esse in sacramento, et ipsi latriæ cultum deberi, sed non pariter de fide, sacramentum, prout sumitur pro speciebus solis Christum continentibus, latriæ cultu adorandum esse." Sic Cardinalis Richelius in novissimo opere Gallico, lib. iv. cap. 3. R. Sed quicquid dicat Cardinalis, vel plane suos hic deserit, vel sententiam dissimulat, et nobis imponere conatur. Nam verba Concilii supra allata manifesta sunt, quæ nulla sophistica possunt eludi, "Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Ecclesia Catholica semper recepto, huic sanctissimo sacramento latriæ cultum, qui vero Deo debetur, adhibeant. Nec enim minus est adorandum, quod fuerit a Domino institutum, nam illum eundum Deum præsentem in eo esse credimus," &c. Ubi diserte patres sanciunt adorandum non tantum Christum, sed sacramentum ipsum in quo præsens dicitur, et quod ab ipso est institutum. At num Christus in se ipso præsens est, numquid in sacramento? Num est ipsum sacramentum, vel nihil ad sacramentum pertinet nisi Christus? Nonne ex ipsorum etiam hypothesi ex Christo et speciebus constat? Itaque non tantum rem sacramenti, vel Christum in Eucharistia, sed ipsam etiam Eucharistiam adorant. Fateor fundamentum istius adorationis secundum ipsos peti a Christo, qui dicitur sub speciebus contineri, sed hoc non obstat, quin adorationem ipsam ad totum sacramentum, et per consequens ad ipsas species externas visibiles extendant.

IX. Quod si minus nobis in hac parte creditur, consulantur præcipui ex Pontificiis doctoribus, qui eam esse Ecclesiæ suæ mentem, et praxim non dissimulant. Audiatur ipse *Bellarm.* lib. iv. de Eucharistia, cap. 25, "Fatemur sacramentum ipsum esse adorandum, ut Concilium Tridentinum loquitur, nam etsi cultu latriæ dicimus per se et proprie Christum esse adorandum, tamen eam adorationem ad symbola etiam panis et vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut unum quid cum Christo," &c. Audiatur *Suaresius* in 3 Thom. q. 79. art. 8, "Ecclesia totum sacramentum adorat, et Concil. Tridentinum non sub nomine Christi, sed sacramenti, docet adorandum esse hoc sanctissimum sacramentum," et fusius hanc eandem sententiam explicans, "Hoc totum sacramentum potest uno actu adorari, quo primo et per se adoratur Christus, qui est unicum suppositum hujus sacramenti, ad quod per se tendit adoratio, coadorantur autem species tanquam Christo conjunctæ, et cum illo unum constituunt." Imo ulterius progreditur, sect. 2, "Etsi species nunquam per se atque disjuncto actu adorentur, sed adoratione latriæ absoluta et perfecta ordinarie et regulariter coadorentur cum Christo, sicut caro coadoratur cum Verbo, si quis tamen velit mente disjungere quæ in re conjuncta sunt, quod possit solas species adorare," addit quidem, "talem adorationem non posse esse

absolutam, nec latriam primariam et perfectam, sed respectivam et secundariam, qualis est imaginis, quando hoc modo et separatim adoratur a prototypo." Non jam disputamus de commento latriæ absolutæ vel respectivæ, primariæ aut secundariæ, sed hoc tantum habemus juxta illius sententiam, species adorari cum Christo, latria perfecta et absoluta, et species solas adorari posse seorsim, latria respectiva et secundaria. Ad hos etiam accedit *Gregor. de Valent.* tom. 4. com. in 3 Thom. disput. 6. quæst. 11. puncto 2. "Quod autem nullo modo isti (Protestantes intelligit) censent ad species ipsas illam venerationem pertinere, in eo hæretici pugnant contra perpetuum usum et sensum Ecclesiæ," &c. Ex quibus, ne alia jam congeramus testimonia, luculenter constat, inter ipsos non tantum Christi in sacramento, sed sacramenti ipsius seu specierum adorationem obtinere, quod Cardinalis negabat.

X. Quia vero vidit non satis tutum esse præsidium in hoc primo effugio, quod facile falsitatis convinci potuit ex domesticis testibus, ad secundum postea se recipit, quod Bellarminus etiam amplectitur; nimirum "Nolle," verba sunt Bellarmini, lib. 4. de Eucharistia, cap. 29., "symbola externa proprie et per se adoranda esse cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus sacramentis convenit; cultu autem latriæ per se et proprie Christum esse adorandum, et eam adorationem ad symbola etiam panis et vini pertinere, quatenus apprehenduntur, ut unum quid cum Christo quem continent, ut qui Christum in terris adorabant, non ipsum solum, sed etiam vestes quodammodo adorabant, nec enim jubebant ipsum nudari antequam adorarent, aut animo et cogitatione separabant a vestibus cum adorarent, sed simpliciter Christum, ut tunc se habebat, adorabant, tametsi ratio adorandi non essent vestes, nec ipsa humanitas, sed sola divinitas." Clarius vero id ipsum explicat capite sequenti, quum discrimen ostendit præsentiæ Dei in rebus omnibus, et in Eucharistia; "Nam in Eucharistia," inquit, "unum tantum suppositum est, idque divinum. Cætera omnia ad illud pertinent, et cum illo unum quid faciunt, licet non eodem modo, ideo recte totum illud simul adoratur. At in aliis rebus, Deus quidem est, sed non est unum suppositum cum illis, neque dici possunt unum quid Deus et creatura, in qua est Deus." R. Sed hæc omnia nodum stringunt potius quam solvunt. 1. Si per *cultum minorem* intelligit Bellarm. æstimationem et usum reverentem et sacrum symbolorum, hactenus nos habet assentientes, nec enim diffitemur, sacra hæc sancte et maxima cum devotione tractanda esse. Sed si innuit cultum aliquem religiosum, qui terminetur ad ipsa symbola, et ut loquebatur *Suaresius*, latriam secundariam et respectivam, hoc sensu negamus cultum ullum talem illis exhibendum esse; quia cultum religiosum, qualiscunque demum sit, uni Deo putamus deferendum, et distinctionem latriæ respectivæ et absolutæ, primariæ et secundariæ, tanquam humani cerebri figmentum, de quo Scriptura nunquam loquuta est, procul esse jubemus. 2. Cum symbola bifariam spectari possint, vel in esse suo *physico* et absoluto, quatenus sunt substantiæ quædam et res terrenæ, vel in esse σχετικῷ *et sacramentali*, quatenus sunt symbola et signa sacra a Deo instituta ad significandam et obsignandam Dei gratiam; priori sensu nullus illis cultus debetur, non magis quam rebus aliis creatis, posteriori vero reverenter quidem, uti diximus, excipienda credimus, et non nisi cum serio sui examine, ne indigne et illotis, quod aiunt, manibus ea tractemus, sed religiose adoranda negamus, quia etsi mutantur quoad usum et significationem, eadem manent tamen quoad naturam et substantiam.

XI. Quod vero secundo loco affertur de unione specierum cum Christo,

ex qua fiat ut coadorentur legitime, quatenus ad unum quid apprehenduntur cum Christo, et unum fiunt cum ipso suppositum. Non magis facit ad rem, et falsissimum est. Non negamus quidem dari unionem quandam in sacramento inter symbola et rem significatam, sed unionem istam mere σχετικὴν et *sacramentalem* esse pertendimus, non vero vel *physicam*, qualis est partium inter se ad constituendum aliquod compositum, vel *hypostaticam*, qualis est naturarum in Christo. Itaque panis et vinum cum corpore et sanguine Christi constituunt quidem unum sacramentum, sed nequaquam unum suppositum, quia nec essentialiter nec hypostatice, sed relative tantum cum eo uniuntur. 2. Quid quod si accidentia panis constituerunt unum cum Christo suppositum, vel erunt accidentia panis, vel accidentia corporis Christi. Non prius, quia ex illorum hypothesi, esse physicum panis cessat vi consecrationis, jam destructo accidentium subjecto, ab illo non amplius denominationem possunt accipere. Non posterius, quia hoc pacto corpus Christi contrariis accidentibus substabit, nam visibile erit et invisibile, &c., illud secundum accidentia, hoc secundum naturam et statum in quo est, quod nemo non videt esse absurdissimum. 3. Denique ex hoc Pontificiorum hypothesi de accidentium inhærentia in hypostasi Christi, error oritur crassissimus, incarnationi, quæ fuit naturæ humanæ gratiosa in hypostasin Verbi assumptio, accessisse novam accidentium panis in sacra cœna ἐνυπόστασιν, contra totius Scripturæ fidem et rationis lumen.

XII. Denique ad exemplum seu similitudinem, qua utitur Bellarm. vestium Christi, quæ cum Christo quodammodo adorabantur, R. falsissima eum niti hypothesi, quasi qui adorabant Christum, Christi vestes etiam adoraverint. Aliud est salutare regem purpura indutum, aliud salutare ipsam purpuram. Aliud adorare Christum vestitum, aliud ipsas vestes. Distingue *adorationis objectum*, quod est Christus θεάνθρωπος, et *objecti adjunctum* extrinsecum, quod fuerunt vestes. Qui Christum vestitum adorabant, non quidem jubebant eum vestibus nudari, quibus indutus fuit, antequam adorarent; interim adorationem suam non terminabant ad vestes, sed ad Christum tantum. Sic etsi supponeretur adorandus in sacramento quomodo pertendunt Pontificii, non tamen ipsum sacramentum propterea esset adorandum. Quum vero hic quidam ad carnem Christi confugiunt, quasi eadem sit ratio specierum et carnis, quæ coadoratur Verbo, bifariam peccant: 1. Quia non est par unio utriusque, nam respectu carnis cum Verbo est unio hypostatica, sed respectu symbolorum et Christi, tantum sacramentalis et relativa, quæ proinde non potest facere unum suppositum, ut jam dictum. 2. Supponitur carnem esse proprium objectum adorationis, quod dici non potest, quando nihil creatum per se est adorabile. Persona proprie adoratur; causa propter quam adoratur est divinitas; caro est illud sine quo non adoratur.

XIII. Tertium effugium adversariorum petitur a *præsentia Christi in Eucharistia*. Ubi Christus, inquiunt, est realiter præsens, ibi est adorandus. At Christus est realiter præsens in Eucharistia. Ergo. Major non videtur posse negari, quando certum est Deo vero deberi adorationem latriæ. At Christus, ut est in Eucharistia, sive in usu, sive extra, est verus Deus, unde sequitur protinus adorandum esse. Minor etiam, quod Christus sit realiter præsens in Eucharistia, non potest negari, quia datur in sacramento realis communio Christi, quæ præsentiam ejus realem necessario supponit. R. Argumentum hoc non una parte laborat. 1. Peccat *ignoratione elenchi*, nec concludit quod est in quæstione. Ex præmissis sequitur tantum, Christum in Eucharistia adorandum. At non quæritur jam, an Christus sit

adorandus in sacramento, sed an sacramentum ipsum sit adorandum. Aliud enim est adorare Christum in Eucharistia, aliud adorare ipsam Eucharistiam. Non negamus Christum adorari posse et adebere in Eucharistia, non ut in signis latentem, quod est πρῶτον ψεῦδος Pontificiorum, sed ut spiritualiter animæ fideli rite communicanti beneficia sua largientem, quomodo in ratione, verbi auditione, et baptismo illum adorare tenemur, et ipsa actio sacramentalis est cultus vel pars ejusdem: nam illa beneficiorum Christi commemoratio, Dei gratiæ celebratio, sacrificium Eucharisticum, quod ibi a fidelibus offertur est ipsa adoratio. Sed non propterea sequitur ipsam Eucharistiam esse adorandam, quod volunt Pontificii. 2. Si major conceditur, dicit tantum Christum, ubi præsens est, esse adorandum. Sed non statim inde potest elici, illud omne in quo præsens est, esse adorandum, sic enim pariter ratiocinari possemus; Christus in præsepi jacens adorandus fuit, ergo et ipsum præsepe. Sic omnes fideles in quibus habitat Christus, et quibuscum intime unitur, adorandi essent, imo et creaturæ omnes quæ in ipso subsistunt. At quemadmodum olim Israëlitæ coram arca adorabant, quia symbolum erat gratiosæ Dei præsentiæ, sed arcam ipsam non adorabant tamen, verum cultum suum dirigebant ad Deum, in externis hisce symbolis, gratiose sese manifestantem, ita Christus in Eucharistiæ usu adorandus est, sed honor et cultus adorationis externis symbolis nequaquam deferri debet. 3. Minor etiam falsa est sensu Pontificio, quamvis enim non negemus Christi præsentiam ejus corporalem sub speciebus panis et vini, sed mere sacramentalem et spiritualem, quæ non minus realem communionem infert cum ipso. Unde neque hoc respectu potest vel debet adorari.

XIV. Sed hoc ipsum clarius est demonstrandum. Ad alterum enim jam devenimus caput idololatriæ Pontif. in sacramento, quatenus non tantum species externas adorari volunt, sed panem ipsum loco Christi adorant; quo nomine eos ut ἀρτολάτρας merito damnamus. Hoc vero ut evincamus, nolumus jam pluribus argumentis portentosum Transubstantiationis figmentum, cui errorem hunc periculosissimum superstruunt, evertere, quod ad aliam quæstionem pertinet, et alibi forte ex professo, si Deus dederit, tractabitur. Una nunc quidem, ad rei de qua agitur probationem, ratio nobis sufficiet. Qui panem loco Christi adorant, illi veri sunt ἀρτολάτραι; atqui hoc præstant Pontificii: ergo. Hoc autem eos præstare dubium esse non potest, si semel constiterit, Christum in Eucharistia per μετουσίαν, ut fingunt, corporaliter et per indistantiam loci præsentem esse non posse; quod ut ex aliis multis, ita ex his perspicue demonstrari potest. 1°. Quia talis præsentia repugnat *veritati corporis Christi*, quod finitum cum sit, et circumscriptum, unicum tantum locum obtinere potest, nec sine contradictionibus multis vel ubique vel pluribus in locis simul et semel per corporalem præsentiam esse statuitur: nec exaltatio, quæ gloriam illi dedit, naturam tamen abstulit. 2. Repugnat *ascensioni ipsius* in cœlum, ubi jam est quærendus, Coloss. iii. 1, 2, et unde nisi ad judicium rediturus est, Act. iii. 21. 3. Repugnat *veritati sacramenti*, quæ signi externi præsentiam, non destructionem et annihilationem requirit. 4. *Conditioni et naturæ accidentium*, quæ hic statuuntur contradictorie sine subjecto, cum accidentis tamen ratio formalis juxta omnes philosophos sit inhærentia, et esse illorum sit inesse. 5. *Scripturæ*, quæ panem et vinum etiam post consecrationem ista symbola vocat, Matth. xxvi. 29. "Non bibam ab hoc tempore ex hoc genimine vitis," inquit Christus. Erat tamen vinum consecratum, sic Paulus, 1 Corinth. xi. 26, 28. "Quotiescunque ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, &c. Itaque

quisquis ederit panem hunc," et v. 28. "Exploret autem homo seipsum et sic de pane illo edat;" pronomen relativum τον αρτον τουτον non alium post consecrationem designat panem, nisi qui fuit antea, mutatum quidem quoad usum et significationem, sed non quoad substantiam. 6. *Effectis et accidentibus* variis, quibus subjicitur panis sacramentalis, ut vim nutriendi et inebriandi corpus habere, corrumpi et in ventrem abire, a muribus devorari, a vermibus rodi, &c. quæ talia sunt, ut nec de Christi corpore sine horribili blasphemia dici possint, nec de accidentibus solis sine gravi absurditate; sed soli substantiæ panis et vini competant. Unde, ne plura jam congeramus, luce meridiana clarius est, Eucharistiam non esse ipsissimum Christi corpus, atque adeo, qui eam adorant, non posse alio quam artolatrarum nomine insigniri.

XV. Neque hic opponenda sunt vexatissima institutionis verba, quibus Christus de pane dicit, *Hoc est corpus meum*, quando certum est, ut alia jam mittamus, eum in institutione hujus sacramenti sacramentali usum esse phrasi, et nomen rei significatæ signo tribuisse, ut sacramentalem inter signum et rem significatam designaret unionem: hæc enim perpetua est Spiritus Sancti loquendi ratio, quoties de sacramentis loquitur. Sic *Circumcisio*, quæ erat signum fœderis divini, Genes. xvii. 11, Roman. iv. 11., vocatur *fœdus*, Genes. xvii. 10, 13. *Agnus Paschalis*, qui transitus fuit μνημοσυνον, Exod. xii. 13, 14, dicitur *Pascha*, seu transitus v. 11, 21, 43. *Baptismus*, *lavacrum* regenerationis, Tit. iii. 5. *Petra*, *Christus*, 1 Corinth. x. 4, unde August., supra Leviticum quæst. 57, "Non dixit petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem." Sic Epist. 102, "Nec moveat," inquit, "quod aliquo modo res quæ significat, nomen ejus rei quam signat accipit, quia significat Christum," &c. Sic in hoc ipso sacramento, *Calix est Novum Testamentum in sanguine meo*; ubi duplex omnino occurrit metonymia; nec enim poculum est Testamentum, sed vinum in poculo, nec vinum est Novum Testamentum, nisi sacramentaliter et symbolice, quia sacramentum est Novi Testamenti per sanguinem Christi pacti et rati. Jam quæ ratio est calicis, eadem debet esse panis, quod alterum est istius sacramenti elementum. Itaque cum Christus dixit de pane, *hoc est corpus meum*, nihil aliud voluit, quam panem esse corporis sui sacramentum.

XVI. Nec aliam veterum purioris ævi fuisse mentem, facile esset ostenre, si id nunc ageremus. Certe Tertullianus adversus Marcionem, libro iv. cap. 40, non aliter intelligit, "Christus acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei." Chrysostomus in Psal. xxii. ait, "Christum in similitudinem corporis et sanguinis sui panem et vinum nobis ostendere in sacramento." Theodoret. dial. 1, "Ατρεπτος Christus visibilia symbola corporis et sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adjiciens." Basilius magnus in Liturgia, in precatione sacerdotis consecraturi signa, vocat ὑπομνηματα του σωτηριου παθους *monumenta salutaris passionis*, et post pronunciationem verborum institutionis vocat τα αντιτυπα του ἁγιου σωματος και αἱματος του Χριστου, id est, *typos sancti corporis et sanguinis Christi*. Sed omnium disertissime Augustinus, libro contra Adimantum, Manichæi discipulum, cap. 12, "Non dubitavit Dominus dicere, *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui." Et Epist. 23. ad Bonifac., "Si," inquit, "sacramenta quandam similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt, sicut ergo secundum quendem modum sacramentum corporis Christi corpus

Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita," &c.

XVII. Cum vero ex his satis superque liqueat, panem semper manere panem, nec converti in corpus Christi, inde sponte sequitur non posse sine grandi idololatriæ crimine adorari et coli. Verum hic reclamant acriter adversarii, et primo gravem sibi fieri injuriam queruntur, quod ἀρτολατρείας rei peragantur, quando "ex sua sententia panem remanere amplius negant, et Christum ipsum sub speciebus latere inclusum statuunt, itaque non se ad panem, sed ad Christum adorationem suam terminare." Sic *Bellarminus* excusat, sic *Richelius* et alii, *Antonius* vero de *Dominis* Episcopus Spalatensis, libro 7. de Rep. Eccles. c. xi., jam ad Pontificios rediturïens peccatum minuere conatur, et quamvis sacramenti cultum improbet, tamen crimine idololatriæ eum nititur liberare, "Quia," inquit, "per rectam intentionis directionem, qui docent panem non amplius esse panem, sed corpus Christi, illi profecto panem non adorant. Sed solum ex suppositione licet falsa Christi corpus vere adorabile adorant;" et paulo post, "Quod si scirent sub speciebus illis panis et vini non latere verum Christi corpus, certe nullam illis exhiberent adorationem, tota ergo mens adorantium ad solum Christi corpus vivum, et non ad aliquid aliud dirigitur, &c. Ita si peccatum est, errorem tantum esse in intellectu, non vitium in voluntate. R. Verum quascunque in formas se vertant, crimen impactum declinare nequeunt. 1. Falsa hypothesi nititur tota hæc ratiocinatio, quasi bona intentio, vel falsa suppositio liberent a peccato, cum certum tamen sit utramque non sufficere. Sane si illa intentio vel negatio panis panem reipsa everteret, non verbo tenus tantum, et κατὰ δόξαν posset tolli peccatum; sed non spectamus hic quid dicant vel sentiant, sed quid Christus instituerit, et quid sit ex rei veritate. Non adorent ergo panem Pontificii ex sua intentione, quia credunt Christum esse, adorant tamen ex rei veritate, atque ita idololatriam saltem materialem committunt. 2. Hoc effugio facile se tuerentur omnes idololatræ; quod non possunt tamen, nemo enim est, qui ex falsa aliqua hypothesi non peccet. Israëlitæ intendebant sane verum Deum, qui eos eduxerat ex Ægypto, colere in vitulo, non ideo tamen minus idololatræ. Non ideo minus idololatræ Jeroboami posteri, qui Deum Israëlis in vitulis adorabant, vel Ethnici, qui creaturas pro veris Diis colebant, vel illi qui solem colebant, existimantes esse Christum, ut habet *Augustin.* præfat. in Psalm. xciii., et lib. xx. contra Faust. c. 2. 5, 6. Sic si quis Antichristum pro Christo adoret, an minus idololatra erit, quia intentionem habet solum Christum adorandi? Nequaquam: intentio enim ut recta sit, dirigi debet ex verbo Dei tantum, non vero ex mero mentis arbitrio, nec error mentis excusat vitium voluntatis.

XVIII. Nimirum *ignorantia* quædam est excusatione digna, alia est culpabilis, et quæ crimen aggravat potius quam minuit. Quum *involuntaria* est, et circa ea quæ sunt *facti*, et quæ ita sunt obscura, ut quantavis adhibita diligentia percipi non possint, veniam sane meretur. At si *voluntaria* est et ἐπιστάντες in rebus *juris*, quas ex officio tenemur nosse, et quæ luculenter nobis revelatæ sunt, tantum abest ut excuset, ut graviorem reatum inferat. Jam hic quum Pontificii profitentur se credere panem esse Christum, et ignorare esse panem, non est ignorantia prioris ordinis, sed posterioris, quia et hoc scire tenentur ex officio, et possunt ex verbo, cum tot argumentis in Scriptura hoc demonstretur, ut, nisi sponte cæcutire vellent, facile id agnoscerent. Itaque peccato suo ignorantiam prætexere non possunt, quia ignorantia voluntaria est et affectata, quæ propria culpa arcessita est, et quam non ægre a se dispellere possent, si oculos mentis ad

lucem verbi aperire vellent. Neque hic reponendum est, "hoc peccatum, si quod sit, esse tantum errorem intellectus, non vitium voluntatis, nec enim peccare voluntatem, cum cultum exhibet rei illi, quam intellectus Christum esse judicat; imo peccaturam si non adoraret, ex quo intellectus ita judicavit." Nam ex hac hypothesi sequeretur nullum peccatum posse esse in voluntate et praxi, quando nullum datur, quod non oriatur ex errore aliquo intellectus, nec enim voluntas malum unquam appeteret, nisi intellectus judicaret esse bonum, quippe malum sub ratione mali appeti non potest; etsi ergo voluntas semper ad bonum fertur, non ideo minus peccat, cum bonum apparens, quod revera est malum, amplectitur, quia intellectus bonum illud falso judicavit: error itaque erit in intellectu, fateor, sed non minus in voluntate, quæ cæcum ducem sequitur. Ita idololatra qui lignum, aurum, vel aliud quid tanquam Deum adorat, errat quidem graviter in intellectu, qui falsa illa persuasione imbuitur, sed non minus peccat voluntate, in cultu quem creaturæ exhibet, qui soli Creatori debetur. Hoc vidit *Tolet.* lib. iv. de instr. Sacerd. cap. xiv. "Idololatria," inquit, "non est, nisi error in intellectu præcedat, quo dignum honore judicamus Deum falsum, cui idololatræ se prosternunt."

XIX. Sed libet adversarios ulterius urgere, et ex propria hypothesi eos convincere. Dicunt se non panem, sed Christum adorare, at nunquam certi esse possunt, Christum revera adesse, quia Christus non potest adesse nisi per consecrationem, sed nunquam certo iis constare potest factam esse consecrationem, quandoquidem multi sunt defectus, in quibus potest impediri ex ipsorum sententia, et transubstantiatio non fieri. Notavit hoc Suaresius in 3 Thom. qu. xxxix. art. 8, disput. 65, "Multæ sunt causæ, propter quas hoc potest accidere, ut si sacerdos non sit baptizatus, vel non habeat intentionem, vel non rite ordinatus, quod pendet a multis aliis causis, in quibus fere in infinitum progredi possumus." Sic Biel Section. xlix. in Can. Miss., "Quia non potest esse eadem certitudo neque celebranti, neque populo circumstanti, de conversione panis in corpus Christi propter defectum aliquem impedientem et contingere potentem, ut quod forte celebrans non est sacerdos, siquidem nullus celebrans potest evidenter scire se esse baptizatum, aut legitime ordinatum, similiter propter defectum alicujus necessario requisiti ad consecrandum, utpote debitæ intentionis, aut errorem commissum in forma vel in materia, et multo minus circumstantes infallibiliter scire possunt sub hostia fore Christum, ideo adoratio fieri debet sub conditione habituali tacita, vel actuali expressa, tali scilicet si servata sint omnia ad consecrationem necessaria." Quid quod nequidem ipsi conveniunt in accessoriis, et facile contingere potest, ut aliquod istorum requisitorum desit, varios enim casus enumerant, in quibus transubstantiatio impeditur, ut si panis non fuerit ex tritico, si aquæ plusculum vino admixtum fuerit, si vinum acescat, si tredecim panibus oblatis intentio feratur in duodecim tantum, in quo casu nullus omnino consecratus censetur, si defuerit nonnullorum verborum essentialium recitatio, si qui offert sacerdos non est, et non legitime ordinatus, &c. Uno verbo præsentiam Christi in hostia pendere volunt a legitima consecratione, legitimam consecrationem a qualitate sacerdotis, pronunciatione verborum, et intentione consecrandi, nam intentionem ministri esse de essentia sacramenti vult Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 11. Jam quis certus esse potest vel de intentione sacerdotis, quæ nemini nisi soli Deo potest esse certa, vel de legitimo baptismo, et ordinatione? An rite ab Episcopo ordinatus, et an Episcopus iste rursus ab alio bene sit ordinatus? Quis certus de legitima pronunciatione verborum, et an ex parte materiæ vel formæ omnia requisita observata sint, ni-

hilque omnino desit? Unde cum impossibile sit, vel sacerdoti celebranti, vel populo communicanti, hæc nosse, impossibile est a periculo præsentissimo idololatriæ liberari, nec unquam ullus certus esse poterit Deum esse quem adorat, quod tamen ad legitimam adorationem requiri certissimum est, nam ex Paulo, *Quicquid fit sine fide peccatum est*, Rom. xiv. 23.

XX. Non me latet equidem adversarios, qui sentiunt se urgeri hoc argumento, a quo nunquam tamen se expedient, varia captare effugia, ut vim ejus elevent. Alii quippe confugiunt hic ad *adorationem hypotheticam*, ut audivimus ex Biele, unde Bonaven, in 3 Senten. dist. 9. art. 1. q. 6, "Sufficit quod adorans in habitu hanc habeat conditionem, videlicet si consecratio debito modo facta est," &c. Sed quis non videt hanc adorationem impiam esse et absurdam; nam omnis vera adoratio nititur fide, Rom. x. 14, et accedentem ad Deum oportet credere Deum esse, Hebr. xi. 6. Jam qui hæsitat, utrum id quod adorat Deus sit, an accedit illa fide præditus? Annon cum Samaritanis colit quod nescit, et cum Atheniensibus nescit quid colat, et ἀγνώστῳ Θεῷ sacra facit? quasi vero hoc ludibrium majestati suæ fieri Deus patiatur a creatura, ut invocationem talem concipiat, *Adoro et colo te, si Deus es.* Sane si conditio illa ita conciperetur de futuro, ut diceret homo de objecto, quod adorandum proponitur, *adorabo te, si es Christus*, nec adoraret, antequam certior esset factus de veritate, posset forte extra culpam constitui, sed quum concipitur de præsenti, *adoro te, si es Christus*, et non obstante dubitatione sua actu homo adorat, inexcusabilis est. 2°. Alii humanam certitudinem hic sufficere arbitrantur, sed licet ea in rebus humanis possit sufficere, in divinis non item, ubi divina requiruntur argumenta. Deinde hæc certitudo sequitur humana argumenta, sensus, rationem, testes, &c. Atqui transubstantiationem humana nulla adstruunt argumenta, sed omnia evertunt, sensus repugnat, repugnat ratio, horret animus. Denique quando nihil est periculi in re facienda, nec vel Deus lædi, vel proximus offendi potest, sufficiunt humanæ πληροφορίας argumenta. At quum gravissimum subest peccati in Deum et proximum periculum, quis non dixerit, piam mentem divinam πληροφορίαν ex verbo Dei petere debere, ne turpiter in iis, in quibus salus nostra vertitur, impingat?

XXI. Denique licet daremus Pontificios non peccare adorando sacramentum, quod Christum esse falso arbitrantur, non possunt tamen diffiteri eos, qui certo in conscientia persuasi sunt non Christum ibi, sed merum panem esse, revera ἀρτολατρείας crimen commissuros si illum adorarent. Quænam E. hæc tyrannis est Papæ, nos cogere velle ad istam genuflexionem et adorationem, et ni faciamus, ferro et flammis tanquam atheos scelestissimos mortalium persequi? Annon est manifeste nos ad idololatriam propellere, et tam grande peccatum nobis præcipere? Fidem Dei et hominum appellamus, num æquum sit a nobis postulare, quod sine tam immani scelere dare non possumus? Itaque hæc una ratio, et si aliæ nullæ suppeterent, abunde sufficeret ad necessitatem secessionis et syncretismi impossibilitatem evincendam, quando sic apud nos statuimus, hoc objectum quod nobis adorandum præcipitur, nihil aliud quam meram creaturam esse, et quæ proinde a nobis sine idololatria coli non potest.

XXII. Sed non desinunt ipsi colores quærere, quibus peccatum suum deleant, vel saltem incrustent et minuant. Addunt iterum, si quod sit peccatum suum, quod non fatentur, non tale esse tamen quod secessionem inferre debeat, quando communionem colere non detrectemus cum Lutheranis, qui eundem præsentiæ realis et corporalis Christi in cœna errorem secum foveant. Vel ergo secedendum esse plane ab illis, vel non impossibilem esse et illicitum ad se accessum. R. Hæc est exceptio πολυθρύλλητος, quæ

in omnium ferme adversariorum ore versatur, et quam, licet abunde a nostris responsum sit, subinde tamen regerere non desinunt, quasi Achilleum aliquod et invictum argumentum. Verum vanitas istius ratiocinii facile deprehendetur, si sequentia attendimus. 1. Non negamus fraternitatem non semel a nostris oblatam esse Protestantibus, quos Lutheranos vocant, quia licet errores quosdam foveant, tales tamen eos non credimus, qui fundamentum ipsum fidei et salutis evertant, in quibus proinde ferendis tolerantiæ Christianæ et fraternæ charitati locus esse potest et debet ex præscripto Pauli, Philip. iii. 15, Rom. xiv. 1. Certe si symbolica scripta et confessiones publicas utrinque respiciamus, ex quibus de Ecclesiarum sententia rite judicari potest, (nec enim privatorum doctorum opiniones et κυρίας δόξας, si quæ sunt, attendimus) patebit facile hactenus per Dei gratiam in fundamentalibus capitibus consensum mansisse, dissensum tantum in quibusdam levioribus et minoris momenti esse, quæ salva charitatis compage tolerari possunt. 2. Negamus eandem esse Pontific. rationem, nam ut cæteros errores gravissimos et capitales, quos errant, de quibus actum disputatione prima, mittamus, et qui necessitatem secedendi nobis imposuerunt, a quibus abhorrent Lutherani, qui in Protestantismo contra Papismum nobiscum conveniunt, certum est longum latumque discrimen intercedere inter sententiam Lutheranorum circa sacramentum, quam ferri posse dicimus, et Pontificiorum errores sive *theoreticos* sive *practicos*, quos merito damnamus. Primo, etsi statuant præsentiam aliquam corporis Christi in cœna, nobiscum tamen negant constanter, et fortiter impugnant contra Pontificios transubstantiationis monstrum, sacrilegum Missæ sacrificium, absurdam solarum specierum, destructa panis substantia, præsentiam, communionem mutilam sub una specie, theatralem sacramenti circumgestationem, asservationem, repositionem, et alia innumera quæ adversarii congerunt. Secundo, licet præsentiam aliquam Christi necessariam velint, nolunt tamen fieri per μετουσίαν et ex vi verborum sacramentalium, ut Pontificii, et ejus modum ἄῤῥητον et inexplicabilem fatentur, et quum ita se explicant, ut facile pateat eos puriorem habere mentem quam linguam; præsentiam quippe talem innuunt, quæ "non sit per et propter quandam essentiæ humanæ immensitatem, sed propter purissimam cum Λόγῳ unionem," ut loquitur *Gerardus loc. com. de Attrib. div. sect.* 182, et diserte profitentur se talem credere præsentiam, quæ non destruat tamen essentiales naturæ humanæ proprietates, *Confess. Orthod.* cap. 6., talem quæ panem in esse suo physico integrum linquat, nec ullam conversionem inferat, quæ doctrina est Pontificiorum, quæ congeriem absurditatum gravissimarum post se trahit.

XXIII. Sed quod caput rei est, apud Pontificios non tantum sunt errores multi *theoretici* graves et intolerandi circa sacramentum, sed præcipue *practici*, quia venerationem et cultum sacramenti nobis præscribunt, et sub pœna sanciunt, quem tamen idololatricum esse credimus. At Lutherani, quocunque tandem modo errent circa sacramentum, errant tantum theoretice, non practice, nihil enim est in eorum praxi et cultu, quod nos ad idololatriam impellat. Licet enim Christum præsentem esse velint in sacramento, tamen adorationem sacramenti nec ipsi inducunt, nec aliis imponunt; ideo nulla potest illis affingi idololatriæ, quam severe damnant, suspicio, nec quicquam obstat, quominus, salva conscientia, vel illi in communionem nostram recipi, vel nos cum illis, si eodem modo sint erga nos animati quo nos erga ipsos, communionem colere possemus, quod cum Pontificiis fieri nequit.

XXIV. Neque hic audiendi sunt adversarii, quum reponunt, etsi

hanc adorationem non præcipiant, eam tamen ex eorum sententia sponte sequi, ideoque longe gravius peccare Lutheranos non adorantes Pontificiis adorantibus. "Quis enim," inquiunt, "majus crimen esse dicat in Catholicis, Jesum Christum in Eucharistia præsentem adorantibus, quam in Lutheranis, Christum quem præsentem credunt, suo honore privantibus?" Nam primo, falso supponunt ex præsentia Christi in sacramento, quam statuunt Lutherani, sequi sacramenti adorationem, nam licet credant Christum esse in sacramento, non propterea credunt esse ipsum sacramentum, quia panem semper manere panem confitentur, multo minus sacramentum ipsum adorandum statuunt, nec ulla ratione id ex eorum hypothesi potest elici, nam non statim adorandæ sunt res, in quibus Deus præsens est, ut antea diximus. Secundo, gratis etiam supponitur ex positione præsentiæ realis et corporalis Christi in pane, sequi necessitatem adorationis Christi in pane. Ut enim ex præsentia Dei in lapidibus vel arboribus, &c. non sequitur externo aliquo cultu statim eum ibi esse adorandum, sed demum ubicunque radios aliquos præsentiæ suæ vel in gratia vel in gloria patefacit; ut ex præsentia divinitatis Christi in baptismo, non sequitur Christum esse in aquis baptismi adorandum, ita nec si esset in signis Eucharistiæ, statim sequeretur ibi cum illis esse adorandum, quia ibi invisibiliter corpus ejus lateret absque ullo divinæ majestatis radio, nec ut vivum, sed ut mortuum proponeretur, sed in cœlo demum adorandus est, ubi vult quæri, et ubi vivit et gloriose se nobis manifestat. Quo pertinet formula veterum, quæ in ipso Can. Missæ retinetur adhuc speciali providentia Dei, *sursum corda*, quæ docet Christum non in pane, sed in cœlo quærendum esse. Non debet ergo vitio verti Lutheranis, si adorationem suam non dirigant ad Christum in Eucharistia latentem invisibiliter, sed ad eum gloriose in cœlis regnantem. Tertio, etsi hoc ex ipsorum dogmate consequeretur, non posset tamen hoc legitime ipsis imputari, quia consequentiam hanc nec vident nec admittunt, imo diserte protestantur se ab ea quam maxime abhorrere. Quis vero dixerit illi, qui thesim aliquam tuetur, statim omnes consequentias, quæ inde deduci possunt, sive vere sive probabiliter tantum, licet eas non agnoscat, nec probet, posse aut debere impingi? Cum ergo certum sit viros fratres adorationem sacramenti, pro qua Pontificii, ut pro aris et focis, pugnant, constanter detestari, neque adorationem Christi in pane, sed in cœlo agnoscant, aut videant hanc ex sententia sua sequi, quam alii eliciunt; nemo non videt, aliam plane ipsorum et Pontificiorum hic esse rationem.

XXV. Crimen ergo Pontificiorum non in eo est, quod Christum adorent, sed 1. Quod non adorent eo modo, quo præcepit Deus, 2. Quod species cum Christo adorent, 3. Maxime quod pro Christo sacramentum et panem, id est, id quod revera non est Christus, adorent. Neque valet ipsorum intentio et cæca fides, quia, ut ante diximus, erronea intentio non excusat. Itaque peccant hic Pontificii, non tantum in *loco* cultus, quia quærunt et colunt Christum ubi non est quærendus, scilicet in signis sacramentalibus, sed etiam in *objecto*, quia adorant hostiam pro Christo quæ re ipsa Christus non est, quicquid illi statuant. Denique etsi Lutherani non adorant sacramentum vel Christum in pane, non privant tamen eum debito honore, adorare enim non desinunt Christum in Eucharistiæ usu, ut passim testantur. Sic et Reformati, utut sacramenti adorationem, tanquam crimen longe maximum, aversentur, non denegant tamen Christo cultum debitum in hujus sacramenti celebratione; imo quocunque tandem modo communicent, sive stando, sive sedendo, sive genuflectendo, ut a variis sit diversimode, certum est Christum ab omnibus adorari, non ut

in pane latentem, sed ut in cœlo sedentem. Quæ omnia, ne ulterius quid addamus, satis superque docent, perperam nobis imponi, quod cum Lutheranis syncretismum inire non recusemus, nolimus vero cum Pontificiis, cum tam memorabile inter utrosque discrimen intercedat.

XXVI. Atque ita executi sumus paulo fusius, quæ pertinebant ad sacramenti adorationem. Sequitur jam *Crucis* cultus, qui paucioribus verbis a nobis absolvetur. De *Cruce* autem hic quum loquimur, non sumimus eam, vel *metonymice* pro Christi passione et Christo crucifixo, quo sensu, 1 Cor. i. 18, evangelium dicitur *sermo Crucis*, id est, de Christo crucifixo, 1 Cor. ii. 2, et alibi non vult gloriari Paulus nisi in *cruce Christi*, Gal. vi., id est, in ejus morte et passione; 2. pro mortis Christi prædicatione, ut 1 Cor. i. 17, *ne irrita reddatur crux Christi*, et Gal. vi. 12, ne ob *crucem Christi*, id est, Evangelium, quod crucem Christi prædicat, persecutionem patiantur. Nec eam usurpamus *improprie*, quo modo afflictiones fidelium vocantur *cruces*, quia ita Christo crucifixo conformes fiunt, Matth. x. 38. Sed *proprie* pro instrumento Dominicæ passionis, tum pro ligno illo, in quo affixus fuit Salvator, tum pro imagine ejus sive picta sive sculpta. In hujus autem veneratione crucis manifestam pertendimus a Pontificiis committi idololatriam. Siquidem recepta est apud ipsos sententia, *latriæ* cultum, qui soli Deo debetur, cruci ejusque imagini exhibendum esse, Thomas p. 3. q. 25. art. 4, "Si loquamur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo est a nobis veneranda, uno scilicet modo, in quantum repræsentat nobis figuram Christi extenti in ea, alio modo ex contactu ad membra Christi, et hoc quod ejus sanguine est perfusa, unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ, et propter hoc crucem alloquimur, et deprecamur quasi ipsum crucifixum. Si vero loquamur de effigie crucis Christi in quacunque alia materia, puta lapidis vel ligni, argenti vel auri, sic veneramur crucem tantum ut imaginem Christi, quem veneramur adoratione latriæ." Ad Thomæ sententiam accedunt plerique Scholastici. *Bonavent.*, ætate suppar Thomæ, idem iisdem rationibus probat in 3 sent. dist. 9. q. 4; *Alex. Alens.*, Bonaventuræ præceptor, p. 3. q. 3; *Biel* in expo. Miss. sect. 49, 50; *Andrad.* i. 9, pro Conc. Trid., et alii plures, quos vide citatos apud Valent. Tom. 4. disp. 1. q. 24. Unde Vasques, in 3 Tho. disput. 3. c. 2, dicit Catholicam fidem et doctrinam esse, quod "non solum crux illa, in qua Christus mortuus est, sed et quæcunque crucis figura, vel in materia permanenter sculpta, aut depicta, vel in aëre, aut manu, aut digitis expressa, exosculanda et adoranda est."

XXVII. Nec alia est praxis ordinaria. Cultum quippe latriæ soli Deo debitum tam internum quam externum illi tribuunt, *internum* quidem, quia spem salutis in ea ponunt; et Thomas inde probat cultum latriæ deberi cruci, quoniam in illa salutis spem ponunt, "Illi," inquit, p. 3. q. 25. art. 4, "exhibemus latriæ cultum, in quo ponimus spem salutis, sed in cruce Christi ponimus spem salutis, cantat enim Ecclesia Dominica passionis Domini in hymno, *O crux, ave, spes unica*, E., crux Christi adoranda est adoratione latriæ." Ne autem, quod quidam hic excipiunt, hæc verba de Crucifixo metonymice intelligenda putemus, non vero de ipsa cruce, manifestum est ex integro hymno, et præsertim ex verbis præcedentibus, hæc nonnisi ad ipsum lignum crucis dirigi posse, sic enim habent in *Brevi. Rom. Domini. Passio.*

Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,

Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere,
Beata cujus brachiis
Secli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Prædamque tulit Tartari.
O crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore
Auge piis justitiam,
Reisque dona veniam.

Ubi nemo non videt crucem seorsim a Christo compellari. Non melius elabuntur, qui dicunt has laudes figurate ad crucem referri per prosopopœam, poëtis et oratoribus satis familiarem; nam, ut bene notat *Vasques* in 3 Tho. q. 25. dis. 109. cap. 4, quamvis per figuram prosopopœam sæpius cum re inanimata loquamur, inepte tamen etiamsi figurate ab ea peteremus salutem et gratiæ augmentum, nec prosopopœa liberat eos a crimine idololatriæ, sine cujus criminis reatu nemo potest ita alloqui imaginem, aut ejusmodi rem aliquam, ut ei religiose supplicet, et ab ea veniam peccatorum petat, quæ tamen isti non verentur petere a lignea cruce.

XXVIII. Spem autem et fiduciam collocare ipsos in cruce, tum quoad adeptionem bonorum, tum quoad liberationem et protectionem a malis, probant verba *Pontificalis Rom.*, quibus Episcopus utitur in benedictione novæ crucis, parte secunda, titulo de Benedic. novæ crucis: "Ita quæsumus accipias istam crucem, quemadmodum et illam quam manibus amplexus es, et sicut per illam mundus expiatus est a reatu, ita afferentium famulorum tuorum animæ devotissimæ hujus crucis merito careant omni perpetrato peccato." Et rursus, "Oramus te, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis tuæ, ut remedium salutare generi humano sit, soliditas fidei, bonorum operum profectus et redemptio animarum, sit solamen ac tutela contra sæva jacula inimicorum per Dominum nostrum." Accedit *externus* latriæ cultus tum signi tum facti; *signi*, quia eam adorant. Nam in Pontifi. ubi supra, 1°. "Pontifex seu Episcopus quivis, flexis ante crucem genibus, ipsam devote adorat et osculatur, vexillo enim crucis omne genu, et omnis lingua confitetur." Præcipue vero in die Parasceves solent flectere genu cruci, eamque osculari. Ubi enim Papa aut sacerdos detegit paulatim crucem, eamque populo ostendens, ait, "Ecce lignum crucis," cui respondent Capellani, "in quo salus mundi pependit," deinde cantores perficiunt, "venite, adoremus." Ad ea verba procedit Papa, exutis calceis per unum ex scutiferis, et genu ter flexo, adorat et osculatur: post Papam Cardinales, Imperatores, Reges, si adsint, tum Episcopi, &c. Ita a summo Pontifice ad infimum caudatarium omnes crucem adorant et osculantur. Vide lib. *Cerœmoniarum Romanarum*, feria 6. majo. hebdo. *Facti* etiam cultum exhibent, templa, festa, aras ei consecrando, incensum illi adolendo, et suaves odores offerendo, teste *Bellar.* cap. 13, lib. 1. de Triumphan. Eccles., "Suaves odores etiam cruci offerimus in Ecclesia." Jam incensum adolere sacrificium Deo proprium est. Unde Israëlitæ notantur abominandæ idololatriæ crimine, Eze. viii. 11, quod quisque in manu sua thuribulum haberet, quo imaginibus suis adolerent. Et in primitiva Ecclesia, veteres Christiani mortem subire maluerunt, quam aliquot grana thuris in honorem Cæsaris apponere, qui enim id faciebant, putabantur sacrificare. Hoc vero clarius patet ex sacri-

ficiis spiritualibus orationum et laudum, quibus eam colunt, ut passim in Breviariis leguntur: "Crux splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, sanctior universis, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi," &c., "salva præsentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam," &c. In Brevario Rom., in Festo Inventio, et Exalt. S. Crucis, et alibi, "Crux Christi, salva nos; Crux Christi, defende nos," in Hortulo animæ.

XXIX. Hæc vero omnia clamant, nobis etiam tacentibus, cultum omnem, qui Deo debetur, in crucem transferri. Quod si hoc non est idololatriam crassam committere, non video quid sit idololatria. Nam cum nemo neget crucem istam lignum esse et stipitem, nemo negare potest cultum religiosum illi exhibitum in rem creatam transferri. Nec eos excusare potest, quod aiunt, primo, "illum honorem, qui exhibetur cruci, referri ad rem significatam cujus est signum, non ad ipsam crucem in se." Quia nec crux Christi signum potest dici, et ex dictis paret cultum istum directe referri ad crucem ipsam. Unde Thom. loc. cit. testatur, etiam ratione ipsius Crucifixi reverentia ista cruci exhibeatur, tamen ob eam causam crucem eos adorare eadem adoratione cum Christo, et propter hoc eos crucem alloqui et deprecari quasi ipsum Crucifixum. Non quod addunt, secundo, "cultum, qui per se et proprie debetur imagini crucis, non esse latriæ cultum proprie, sed quendam multo inferiorem, qui analogice et reductive referatur ad latriam, tanquam imperfectum ad perfectum," *Bellarminus*, lib. 2, de Eccles. triumph. c. 25, nam etsi hoc concederetur respectu imaginis crucis, sequeretur semper ipsam crucem ut prototypum latria per se et proprie esse adorandam. Sed in sequentibus quum de imaginibus disputabimus, docebimus cultum nullum talem reductivum et analogicum dari posse sine idololatriæ participatione. Nec denique quod tertio subjiciunt cum *Gregorio de Valentia*, qui fidentius quam Bellarminus et magis rotunde adorationem crucis adstruit, "se deferre cultum latriæ imaginibus Christi, et crucis, sed non sicut Christo." Nam sic impurissimum scortum posset se tueri, quum facit copiam corporis sui adulteris, inique secum agi, si adulterii condemnetur, quoniam non eodem facit animo atque affectu, quo se consociat viro suo.

XXX. Nihil attinet autem, ut rationes varias fusius excutiamus, quibus idololatricum hunc cultum adstruere conantur, quanquam facillimum esset earum vanitatem retegere, et commemorasse eas refutasse est. Quid enim afferre possunt, quod tantam dignationem cruci conciliet, ut adoranda sit? An *contactum Christi*, quasi per eum virtutem aliquam aut sanctitatem inhærentem habuerit, quæ tali cultu digna sit? Sed alia multa Christum tetigerunt, quæ nullam tamen ex eo sanctitatem duxerunt, ob quam ab hominibus religiose colerentur; nec ullus nisi absurdissime dixerit, rem inanimatam posse ex contactu personæ sanctitatem aliquam inhærentem et virtutes morales habere, quarum respectu aliquo cultu digna censetur. Præterquam quod hoc crucem Christi tantum respiceret, non imagines crucis, quibus tamen idem hodie honor defertur. An afferent secundo usum crucis ad redemptionem hominum, quod ea fuerit electa et honorata a Christo, ut esset altare sacrificii, scala ad regnum, et instrumentum liberationis nostræ, quo Diabolum vinceret ac de eo triumpharet? Sic sane *Bellarminus* ratiocinatur, sed quam frigide quivis videt. Nam 1. etsi hoc daretur, non valeret tamen consequentia quæ hinc elicitur ad adorationem; quia triplici ista phrasi significaretur tantum usus crucis, nulla autem qualitas inhærens, adoratio autem refertur ad aliquid non propter usum, sed propter naturæ ὑπεροχὴν et eminentiam. 2. Dist. *crucem materialem*, a *mys-*

tica, et lignum, a merito passionis ejus, qui illi affixus est. Elogia hæc non priori, sed posteriori dicuntur respectu, nec nisi perperam cruci ista tribui possunt, quæ ad passionem pertinent. Non est *altare sacrificii*, nam altaris est sanctificare illud quod in ipso offertur, Matth. xxiii. 17. An vero crux sanctificavit carnem Christi? Annon potius caro sanctificavit crucem, et e ligno maledicto fecit lignum vitæ benedictum? Itaque Christus ipse fuit omnia, *Sacerdos* in persona, *Sacrificium* in natura humana seu carne, *Altare* in divina, unde seipsum dicitur *per Spiritum æternum obtulisse*, Heb. ix. 13. Si vero a quibusdam ita crux vocata est, impropria fuit et minus accurata locutio. Non *scala ad regnum*, nec enim per crucem simpliciter, sed per mortem crucis aditum sibi ad regnum fecit. Frustra confirmatio petitur ex Joan. xii. 32, "Si exaltatus fuero e terra, omnia traham ad me," hæc quippe verba non crucem, sed mortem in cruce notant, ut Christus, optimus sui interpres, docet, Luc. xxiv. 26, "Nonne oportuit Christum omnia hæc pati, et sic ingredi in regnum?" Denique perperam dicitur *liberationis instrumentum;* aliud enim est *instrumentum passionis* Christi, materialiter spectatæ, aliud *instrumentum redemptionis*. Crux prius potest dici, non posterius; non per Crucem, sed per Crucifixum redempti sumus et salvati. Nec aliud evincunt loca, quæ in eam rem laudantur, Coloss. ii. 14, ubi in cruce triumphasse dicitur de Principatibus, et affixo ibi chirographo nobis adverso, et 1 Pet. ii. 24, portasse peccata nostra super lignum. Notum quippe, hæc de cruce non posse dici proprie, quid enim crux materialis conferre potuit ad peccatorum expiationem? sed de Crucifixo, qui per mortem crucis hanc insignem de Diabolo reportavit victoriam, et peccata nostra delevit. Unde patet quam falso et injuste ut crucis Christi osores traducamur, quia cultum illi nullum exhibere volumus, hunc soli Crucifixo reservantes. Non est, crede mihi, verus discipulus crucis, qui eam præ oculis depictam habet, vel in manibus gestat ac colit, sed qui in corde penitus insculptam gerit, et qui ita Christum crucifixum veneratur et diligit, ut cum eo totus crucifixus sit, Galat. ii. 20, et v. 24. Hoc vere est in cruce Christi gloriari, Galat. vi. 14.

XXXI. Unum superest quod urgent etiam adversarii, Ecclesiæ scilicet veteris praxim, apud quam *crucis signum* et *cultum* in usu fuisse ab initio pertendunt. Unde Christiani *religiosi crucis* dicti, et Gentiles ipsis adorationem crucis objiciebant, ut constat ex *Tertulliano* et *Minutio Felice*, quod non fecissent tamen, nisi aliquem cultum illi exhibuissent. R. Frustra hic patrocinium Ecclesiæ veteris advocatur. Certum est Ecclesiam Apostolicam nullum cruci cultum exhibuisse, nullum sane vel in Actis vel in Epistolis Apostolicis ejus extat vel minimum vestigium. At si idem cum Pontificiis statuissent, nonne summa diligentia lignum hoc abstulissent, et asservassent, nonne venerationem hanc populo Christiano commendassent in scriptis suis, et exemplo suo docuissent, de quibus omnibus altum apud ipsos silentium? 2. Si de Ecclesia Christiana sermo est, probari non posset ante Constantinum M. ullam apud Christianos in usu fuisse crucis imaginem pictam aut fabricatam ex ligno, auro, similive materia; ipse quippe primus perhibetur permotus visione cœlesti, quæ victoriam in signo crucis portendebat, cum his verbis Ἐν τούτῳ νίκα, vexillum imperiale, *Labarum* dictum, in formam crucis confecisse, ut observat *Euseb.* lib. 1. *de vita Constan.*, *cap.* 22, 23, et *Sozome. lib.* 1. *hist. cap.* 4. Ita primis Christianis ne visa quidem unquam erat crux, nedum ut esset adorata. Nec ex illa prima ætate Christianismi ad annum Domini 300, quemquam adversarii proferunt vel habent, qui crucis adorationem vel commendet, vel memoret, ut observat *Dallæus* lib. 1. de Relig. Cultus ob-

jecto, cap. 8. Non quidem diffitemur signum crucis, sed ἀνύπαρκτον, et in aëre certo digitorum motu formatum, jam antea in usu fuisse, ut liquet ex *Tertull.* de coro. mili. cap. 3, "Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, &c. quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus." Sed id absque lege Scripturæ et Apostolica traditione fiebat, ex sola consuetudine et traditione non scripta, ut fatetur ibidem Tertullianus. Verum hoc signo usi veteres, non ut adorando, nec ut operativo ex opere operato, quod vult *Bellarm.*, lib. 1. de Imaginib. cap. ultimo, sed tantum ut *signo discretivo* Christianitatis, et tessera, quase invicem Christiani internoscerent, et ut quod probro vertebatur, quod Christum crucifixum sequerentur, illi gloriæ adscriberent; quod bene observat *Andreas Masius* in Jos. xxii., ubi ostendit ex Lactantio, Tertulliano, Nazianzeno, Basilio, ob eam causam hoc monumentum tanta veneratione habitum apud vetustissimos Christianos, non ut adoraretur, sed ut testimonium esset Christi crucifixi.

XXXII. Nec desunt loca diserta veterum, quibus constat, quam alieni fuerint a crucis adoratione; quæ omnia recensere non patitur instituti nostri ratio: unus vel alter locus nobis erit instar omnium. Octavius apud Minutium Felicem respondens Cæcilio, qui inter turpia et nefanda, quæ apud suos de Christianorum cultu et religione spargi et jactati tradit, crucis quoque cultum memorat, ad hanc calumniam reponit, "Cruces nec colimus, nec optamus, vos plane qui ligneos Deos consecratis, cruces ligneas, ut Deorum vestrorum partes, forsitan adoratis." Ambrosius in Orati. funeb. Theodo., ubi de inventione crucis loquitur, "Helena," inquit, "invenit titulum, regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error et vanitas impiorum." Frustra vero hic laudatur versus, Lactantio tributus, in carmine passionis, "Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora," quod Bellarm. affert lib. 2. de S. Imag. cap. 12. Nam viri docti pridem observarunt carmen esse supposititium, ut observat Michael Thomasius, in notis ad Lactan., et ex eo Possevinus, qui negant hoc carmen in ullis codicibus antiquis inveniri. Nec nos movere debet, quod hoc impactum dicatur Christianis a Gentibus, nam a calumniis et criminationibus non procedit argumentum. Quis enim nescit, quam multa Christianis ab iis objecta falsissime fuerint, ut capitis asini adoratio, adoratio solis, Ononychitis, et similia, quæ leguntur apud *Tertull.* in apolog? Ejusdem commatis est objectio ista, quam constanter illi refellunt. Vid. *Tertull.* Apol. cap. 15, 16, 17, ubi non magis illas de capite asini, de sole, de Ononychite, quam hanc de cruce appellat falsam opinionem; ideo æque mentitos Ethnicos cum dicerent crucem a Christianis coli quam cum asini caput, et reliqua. Idem testatur Minutius Felix in Octav., Cyrillus lib. 6. cont. Julia. Celsus sane, qui acerrimus fuit Christianorum adversarius, crucis cultum Christianis nusquam objecisse reperitur in eo quem adversus nostros composuit libello, quem Origenes solide confutavit, quod argumento est, non fuisse suo tempore adoratam crucem. Si enim jam tum adorata fuisset, qui Christi crucifixi cultum tam acriter et toties nostris objicit, cur is crucis cultum, qui multo absurdior et tetrior videtur, ne semel quidem objecisset?

XXXIII. Fatendum est sequentibus seculis, gliscente paulatim superstitione, post Constantinum Magnum, crucis imagines paulatim in Christianorum oratoria introductas fuisse, maxime ex quo invaluit traditio de inventa ab Helena, Constantini matre, vera Domini cruce, circa annum 326. Cujus vanitatem multa tamen evincunt, maxime quod nemo reperitur eorum, qui Helenam viderunt, iisdemque cum ea temporibis vixerunt, qui

ejus meminerit. Eusebius imprimis, qui illi familiaris erat, quique de vita Constantini opus conscripsit, in cujus parte tertia multis Helenæ pietatem laudibus effert, et illud ipsum iter ejus in Judæam, in quo crucem Dominicam ab ea repertam fuisse volunt, describit, resque in eo gestas narrat, sed de cruce Domini reperta non modo nullum verbum facit, sed nihil quicquam, quod eo referri possit, innuit. Quod occasionem procul dubio dedit Gelasio Pontifici Romano I. A.D. 494, scriptum hoc de inventione crucis inter libros Apocryphos et cum cautione legendos, referendi in decreto de libris Apocryphis, apud Gratianum Distinct. 15. Quod vero affertur a Bellarmino, lib. 2. de Imag. cap. 27, de chronico Eusebiano, quod in vulgatis Hieronymianæ interpretationis Codicibus ad an. 16. Constantini refert "Helenam, Constantini matrem, divinis monitam visionibus beatissimum crucis lignum, in quo salus mundi pependit, apud Hierosolymam reperisse," non evincit, hæc revera esse verba Eusebii, quæ in Græca editione Scaligeri non occurrunt, nec in accuratioribus codicibus Latinis; sed ostendunt tantum a mala manu post auctoris mortem inserta fuisse ex Ruffino, ut non sine ratione conjicit *Scaliger*, quia eadem ferme verba leguntur apud Ruffinum, in Historia Ecclesiastica, quo loco, sermone de Helena instituto: "Divinis," inquit, "admonita visionibus, Hierosolymam petit, atque ibi locum in quo sacrosanctum corpus pependerat affixum, ab incolis perquirit, tum purgato loco, tres confuso ordine reperit cruces." Quam traditionem Ruffinus, et post eum Ambrosius, Paulinus, et alii sequentium seculorum scriptores referunt, non a certis auctoribus, et oculatis rei gestæ testibus acceptam, sed ex incertis, et temere ab aliquo reliquiarum studioso confictis rumoribus haustam, ut omnino sit verisimile.

XXXIV. Licet autem hæc traditio crucis imaginum usum longe fortius in ecclesias introduxerit, repugnantibus licet variis viris piis, qui huic errori gliscenti se opponebant, ut patet ex Epiphanii epistola ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum, certum est tamen nondum tam fuisse adorationis objecta, quam mystica quædam insignia et fidei Christianæ symbola, quæ ad memoriam, non vero ad cultum proponebantur, donec sequentibus temporibus, res in apertum abusum mutata est ab iis, qui aliquem cruci honorem et cultum deferre cœperunt, ut *Julianus* apud Cyrillum Alexandrinum lib. 6, illis opponit circa annum D. 462, non diffitentibus illius seculi scriptoribus. Qui cultus inveterata consuetudine confirmatus est, non sine multis certaminibus, et tandem seculo octavo exeunte, sancitus in Pseudonicæna Synodo A.D. 797. Atque hæc de *crucis cultu* dicta sunto. Superest ut de *reliquiarum* veneratione et cultu aliquid etiam dicamus, quod non minimum est Romanæ idololatriæ argumentum.

Reliquiarum cultus.

XXXV. *Reliquiarum* autem nomine, non sola Sanctorum defunctorum corpora apud Pontificios notantur, sed omnia quæ ipsorum fuere, dum viverent, ossa nimirum, carnes, sanguis, dentes, ungues, capilli, cineres, vestimenta, togæ, tunicæ, interulæ, pallia, caligæ, crepidæ, calcei, cingula, pectines, cilicia, flagella, et alia id genus, quæ commemorare nihil attinet. Hisce vero omnibus religiosum cultum deferri res ipsa clamat, et praxis publica clare evincit. Constat quippe corpora vel ossa Sanctorum, et quæcunque ad illos putantur pertinuisse, ex sepulchris eruta elevari, et in conspicuo loco, imo sæpe supra altare collocari, auro, argento, serico exornari; in processionibus et supplicationibus reliquias istas circumferri, a populo tangendas, osculandas vel spectandas; coram illis gestu et animo adorabundos procidere; in illis gratiam et beneficia Dei quæri; eis pretiosa dona offerri; ad loca ubi reliquiæ esse putantur, religiosas pregrinationes suscipi; in altari includi

ad sanctitatem Eucharistiæ conciliandam; in collo ex devotione et fiducia ad Deum et Sanctos portari; tactis reliquiis juramenta fieri; et tali religiosæ venerationi reliquiarum gratiam, beneficia, efficaciam precum apud eas fusarum, et remissionem peccatorum obtineri, quæ omnia luce meridiana clarius docent religiose eas coli.

XXXVI. Ne vero hoc ipsis falso et perperam a nobis impingi querantur, quod subinde facere solent, graviter succensendo doctoribus nostris, imo et mendacii eos accusando, dum reliquias ab ipsis adorari et divinis honoribus affici scribunt, ut *Bellarminus* lib. 2. de Reliquiis et Imagi. Sanctor. c. 23. "Nos," inquit, "reliquias honoramus et osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum, sed nec adoramus ut Deum, nec invocamus ut Sanctos." Videamus an non juste hoc ipsis tribuatur. Primo adorationem istam sancitam et approbatam fuisse in Concilio Nicæno II. patet ex verbis Actionis IV., "Ossa, cineres, pannos, sepulchra denique adoramus, illis tamen non sacrificamus." Concilium Tridentinum eodem sensu cultum istum confirmat, Sess. 25. Decreto de Invocatione Sanctor. mandat Episcopis ut doceant, "Martyrum et aliorum sanctorum cum Christo viventium corpora a fidelibus esse veneranda, per quæ multa beneficia hominibus a Deo præstantur. Tum eos omnes damnandos esse pronuntiat, "qui affirmant Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eos aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, et eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, prout eos jampridem damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia." Ubi licet subdole et callide more suo agens Synodus abstineat quidem ab *adorationis* voce, et solius *venerationis* et *honoris* meminerit, superstitionis suæ dedecus sub vocabulorum istorum ambiguitate regens, non aliam tamen esse ejus mentem, quam cultum religiosum reliquiis debitum præscribere, vel ex eo patere potest, quod damnet eos qui affirmant Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, quibus verbis dubium non est, quin perstringat doctores nostros, non quod honorem debitum Sanctorum et fidelium corporibus denegemus, qui consistit in honesta sepultura et pia custodia, quem a nobis illis deferri sat notum est, sed quod venerationem, et religiosum honorem illis reddere recusemus. Quod ex eo etiam colligitur, quando addunt talem esse venerationem, per quam sacra monumenta a fidelibus frequentantur, et eorum opis impetrandæ causa memoriæ Sanctorum frequentantur, quod religiosum cultum omnino importat.

XXXVII. Hoc vero candidius et apertius exponit Vasques in 3 Tho. quæst. 33. disputat. 112. "Apud Catholicos," inquit, "veritas indubitata est, reliquias Sanctorum, sive fuerint partes ipsorum, ut ossa, carnes, et cineres, sive res aliæ quæ ipsos tetigerunt, vel ad ipsos pertineant, adorandas et in hoc honore sacro habendas esse." Et disp. 113. init. "Cinctoria et sudaria Pauli, ait, adorationis cultu fuisse veneranda," et sic passim loquitur. *Valdensis* ex Damasceno statuit non modo lignum crucis Domini, sed etiam sepulchrum, præsepe, clavos, lanceam, vestes, Sion et Golgotha loca esse adoranda, et eos veluti hæreticos refutat, qui Deum quidem in his rebus aut locis adorari concedunt, res vero ipsas, vel loca adoranda negant, Doctrinal. p. 3. Tit. 13. cap. 120, et alibi c. 121, *Omnes Dei Sanctos et eorum reliquias esse suis gradibus adorandos.* Nec aliter loquuntur hodie *Jansenistæ,* patet ex responso ab ipsis dato super miraculis, quæ edita ferebantur a sancta spina apud Ecclesiam Portus Regii, ubi vindicantes ea ab obtrectatorum calumniis non semel dicunt, sacram illam spinam, quam ex corona Domini spinea decerptam jactant, adorari, et magnam mortalium catervam adire Ecclesiam illam suam

ad spinam adorandam, et sanctas moniales cum profunda veneratione spinam Dominicæ coronæ adorare," et sic passim loquuntur, p. 15, 18, 22. Eo pertinet etiam quod Catechesis Tridentina in tertium præceptum, quod ipsis est secundum, probat juramenta per reliquias. "Ad faciendam," inquit, "fidem, per res creatas juramus, ut per sacra Dei Evangelia, per crucem, per sanctorum reliquias et nomen." Qui honor ad latriæ cultum pertinet, siquidem eum per quem juramus adoramus, testem conscientiæ et ultorem imprecamus si fallimus. Huc facit quod in legibus Ecclesiæ Romanæ, quæ in Pontificiali habentur, nullum altare consecratur absque reliquiis, unde capite de Consecratione Altaris, altare dicitur dedicari in honorem Sancti, cujus reliquiæ includuntur altari, quasi reliquiæ sanctitatem aliquam altari et rebus, quæ illi imponuntur, possent conciliare. Ex quibus omnibus non obscure colligitur, reliquias non modo magno esse apud Romanos in pretio, sed cultum sacrum illis exhiberi. Quomodocunque autem vocare libeat cultum illum, sive *adorationem*, quod candidius et rei ipsi plane consentaneum, sive *venerationem*, quod tanquam commodius, ad obumbrandam cultus istius turpitudinem, retinent, parum refert, modo constet esse cultum religiosum, qui defertur creaturis mortuis, rebusque corporeis et inanimatis; quod nemo non videt esse crassissimam idololatriam.

XXXVIII. In eo sane miram fraudem Satanæ observare est, qua ludificatur populos, dum occultantur divina Apostolorum scripta, ex quibus tela petuntur ad errorem et idololatriam confodiendam, ostentantur et adorantur eorum reliquiæ. Et cum Christus in verbo suo, sacramentis, et aliis gratiis spiritualibus quærendus esset, abducitur plebs Christiana ad fascias, vestes, subuculas, et alia id genus argumenta, in quibus frustra quæritur. Cumque Sanctorum vita diligenter meditanda et imitanda foret; studium omne ponitur in contemplandis et colendis eorum ossibus et reliquiis. Quo non modo nihil vanius, sed nihil magis impium et in Deum, unicum adorationis et cultus omnis religiosi objectum, magis injurium dici potest. Nec inanis cavillatio Bellarmini, qua putat optime rebus suis cavisse, dum negat se reliquias *adorare ut Deum*, nec *invocare ut Sanctos*, potest quicquam illum juvare. Quia ut ante sæpius dictum, cultus religiosus unicus est, qui in alium quam Deum transferri non potest, nec ulla religionis adoratio dari potest vera et genuina, quæ alterius sit quam Dei.

XXXIX. Rationes ad jugulandum hunc errorem referre nihil attinet, quæ alibi a nobis propositæ sunt, Instit. Part. 2, Loc. 11, Quæst. 8. Sufficit ostendisse religiosum cultum in Ecclesia Romana reliquiis deferri, ut inde constet, legitime nos propterea idololatriæ ream illam peragere. Quod si liberet, fraudes et imposturas innumeras referre, quæ in reliquiarum usu passim occurrunt, sive dum fictæ et suppositæ pro veris et genuinis obtruduntur, quod innumeris exemplis ostendi posset; sive dum varia loca de iisdem gloriantur, et acriter inter se contendunt; sive dum reliquiæ proponuntur eorum sanctorum, qui nunquam fuerunt in vivis, et meræ sunt larvæ et humani cerebri figmenta, quales sunt reliquiæ Christophori, Longini, Ursulæ, Trium Regum, Margaretæ et sim.; sive dum aliæ id genus artes veteratoriæ adhibentur, ad miserum popellum decipiendum, quam latus hic se aperiret scribendi campus. Consulat qui voluerit eximium *Calvini* Tractatum in Admonitione de reliquiis, *Hospinianum* de reliquiarum origine, *Chamierum* lib. xvi. de Antich. c. 12, ubi agit de imposturis reliquiarum, et *Dallæum* de reliquiarum cultu. Nostrum interea est gratias immortales agere Deo, qui nos liberavit a duro hoc idololatriæ tam fœdæ jugo, in quo non modo a Deo aversi sunt homines, ut rebus vanis et cadu-

cis adhæreant, sed etiam execrabili sacrilegio res omni sensu carentes adorant loco Dei in secula benedicti. Ut nunc liceat nobis Deum colere in spiritu et veritate, et rejectis vanis et falsis sanctorum reliquiis, vera verorum sanctorum dogmata retinere, et profiteri.

DISPUTATIO QUARTA,

QUÆ TERTIA EST

DE IDOLOLATRIA ROMANA.

DISPUTATIO QUARTA,

QUÆ TERTIA EST

DE IDOLOLATRIA ROMANA.

Respondente STEPHANO DUMAS *Cologniacensi.*

I. Quamvis ea sit controversiarum, quæ nobis cum Pontificiis intercedunt, ratio, ut nulla sit quæ suum pondus non habeat ad veritatis illustrationem, quæque adeo diligenti examine non indigeat, nemo tamen, ut opinor, inficias iverit, istam, quam præ manibus nunc habemus, *De secessionis nostræ ab Ecclesia Romana necessitate, et impossibili cum ea syncretismo*, quæstionem gravissimi esse præ cæteris omnibus momenti, eo vel maxime, quod in aliis de unico tantum agatur doctrinæ capitê, hic vero de omnibus simul, quæ justam secedendi nobis causam præbuerunt. Unde cum magnopere intersit, cum aliorum, tum juventutis nostræ sacris initiatæ, quid de re tota secundum verbum Dei tenendum sequendumque sit, mirum videri non debet, si ad ejus tractationem iterum nos accingimus, ut sententiæ nostræ fundamenta plenius aperiantur, et ab adversariorum cavillis vindicentur.

II. Accedit etiam temporis, in quo versamur, ratio, quod si unquam non utilem modo sed necessariam plane facit argumenti istius tractationem. Nam præter gravia quæ quotidie videmus scandala ab iis data, qui, non satis perspecta secessionis nostræ necessitate, vel metu territi, vel promissis illecti, tristissimo casu ναυαγοῦσι περὶ τὴν πίστιν, et infami apostasia ad Papismum deficiunt. Notum est quam varii ubique de religionis syncretismo etiam hodie misceantur sermones, et quanto molimine renoventur a plurimis periculosæ syncretistarum artes, et male sana consilia, ut quædam vel inter Christianos omnes si fieri posset, vel inter nos et Pontificios saltem fidei instituatur conciliatio. Unde nihil frequentius solent ingerere, quam temerariam et injustam fuisse nostram ab Ecclesia Romana separationem, et facilem cum ea syncretismum, si animi vero pacis Christianæ, quam unice commendavit nobis Christus, et modis omnibus procurandam injunxit, studio incenderentur.

III. Atque ea de causa emissarii, et Sinones Romani, proselytis juxta cum Pharisæis terra marique faciendis unice intenti, ut controversiarum pondus facilius imminuant et elevent, quasi non tantum esset inter nos dissidium, quod commode componi non posset, fidei Romanæ non tam

defensores, quam mangones et interpolatores agunt, propudiosa dogmata sua subdole velando, et excusando, et fœdam Papismi novitatem, novis quotidie, sed vere veteratoriis artibus incrustando ; imo ad instar Principis tenebrarum se in angelum lucis transformantis, nobiscum loqui, et nobiscum fere sentire simulant, gravemque sibi injuriam fieri queruntur, quod sibi errores varii præter rei veritatem in dogmatibus et cultu affingantur. Plane sicut hyænæ humanas æmulantur voces, homines illecturæ, quos illectos et attractos devorent, ita seductores isti Sanctorum linguam conantur mutuari, ut simplices et incautos ad castra sua pelliciant, et pellectos tandem gehennæ filios reddant, et misere perdant. Ne ergo per τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης imponi nobis sinamus, et omni vento doctrinæ circumferamur per κυβείαν et πανουργίαν ἀνθρώπων, larva illis semel detrahenda, ut constet falsissime nobis impingi schismatis et dissidiorum, quibus laborat hodie Christianus orbis, crimen, et insidiosissime pacis nomen obtrudi, ubi mera quæritur errorum incrustatio, et impia ac damnabilis religionum συγκρασις et confusio.

IV. Gravissimo sane se obstrinxisse crimine eos non diffitemur, qui sacris istis dissidiis occasionem primi præbuerunt, quibus factum ut simplex et ἄῤῥαφος, ut olim Christi, sic veritatis tunica discerperetur. Sed quod nobis impingunt adversarii crimen, id jure merito in accusatores retorquemus, quomodo Elias, qui ab Achabo reus conturbati Israëlis peragebatur, impium regem hoc ipso crimine teneri certissime evincebat, utpote qui veram abjecisset religionem, et nefandos Bahalis cultus induxisset, 1 Reg. xviii. 17, 18. Ita quid proclivius quam demonstrare, nequaquam a nobis malum hoc profectum esse, qui Christi doctrinam intemeratam retinemus et sequimur, sed ab iis ortum, qui cœlestem et divinam hanc doctrinam impiis hominum commentis multifariam depravarunt, et abjecto vero Dei cultu impuros et idololatricos in Ecclesiam Christianam introduxerunt. Quod si præjudiciis non excæcarentur illi cum quibus negotium nobis est, facile de re tota judicium fieri posset, si sedulo inquireremus, quinam a religione Christiana et Apostolica defecerint, quod per collationem doctrinæ ab utrisque traditæ cum doctrina Apostolica facile deprehendi posset. Verum quia satis intelligunt adversarii, sic male rebus suis consultum fore, et luce meridiana clarius evasurum, abjecisse se fidem semel Sanctis traditam, et deflexisse a vero Christianismo, compendium hoc ipsis non placet, et alia rem aggrediuntur via, quum relicto doctrinæ examine, ad Ecclesiæ auctoritatem nos abducere satagunt, et quasi hoc illis privilegium proprium esset, schismatis reos peragere non dubitant, quotquot ab Ecclesia Romana, quacunque tandem de causa secessionem faciunt.

V. Hac arte usi sunt præ ceteris *Perronius* et *Richelius* Cardinales, ut legitimum fugerent congressum, et jugulum causæ declinarent. Nec alio respicit Tractatus Gallicus, novissime editus Parisiis, de *Præjudiciis legitimis adversus Calvinistas*, in quo auctor aliorum vestigia premens, et crambem sæpius recoctam nobis reponens, magno molimine duo præ cæteris demonstrare conatur. Primo, tutissimum et compendiosissimum veram religionem a falsa secernendi medium esse, non *viam rationis et discussionis*, quam urgere solemus, ut dogmata, quæ in hoc vel illo cœtu proponuntur, expendantur et discutiantur ex Scripturæ Sacræ norma, sed *viam submissionis* et *auctoritatis*, ut vocant, ut in suprema Ecclesiæ auctoritate acquiescamus, fidemque nostram illi tanquam normæ certæ et infallibili subjiciamus, quam non alibi quam apud Ecclesiam suam reperiri pertendit. Secundo, tot præjudiciis religionem et fidem nostram gravari, ut, si nullum

aliud a doctrinæ falsitate suppeteret argumentum, sufficerent tamen ad eam rejiciendam, et nos etiam inauditos condemnandos ; qualia sunt vocationis et missionis defectus, secessio schismatica a vera Ecclesia, mores corrupti Reformatorum, et tumultus ac bella hac occasione exorta, dissidium quod inter nos et Lutheranos natum, et alia id genus, quæ injustitiam causæ tam aperte videntur prodere, ut non opus sit penitiori doctrinæ indagine.

Viam submissionis a Pontificiis male urgeri.

VI. Verum, ut aliquid obiter et ὡς ἐν παρόδῳ de tali consilio dicamus, nec enim nostri nunc est instituti hoc argumentum fusius exequi, vel falcem in alienam messem immittere. Quicquid ab auctore isto speciose et subdole obtendatur ad nobis invidiam conflandam, et suspectam ac exosam omnibus reddendam fidem nostram, si penitius methodus ista expendatur, patebit clarissime nihil absurdius ea dari posse et iniquius, nihil quod certius malæ et periclitantis causæ præbeat argumentum. Quis enim, nisi qui sponte cæcutire voluerit, non facile animadverteret, hæc omnia eo tendere, ut omisso doctrinæ examine, ad quod semper provocavimus, et a quo certum est religionis veritatem unice pendere, in aliis questionibus hæreamus, quæ et minus sunt necessariæ, et longe intricatiores? At si serio persuasi sunt de fidei, quam profitentur, veritate, cur declinant ejus examen? Cur tot diverticula et ambages quærunt ? Cur non deveniunt statim ad causæ jugulum, et momentosissimæ quæstionis cardinem, quo semel discusso, cætera omnia facilia sunt et expedita? Nam si demonstrare possint, se doctrinam Christi et Apostolorum mordicus retinere, quis denegare illis poterit veræ Ecclesiæ nomen ? At si contra constare potest, eos misere illam corrupisse, quis hunc illis titulum, nisi perperam, tribuat ? Sed alia sedet sententia menti, credunt sibi sufficere solum Ecclesiæ quo gloriantur nomen, ut hanc fraudibus suis nubem objiciant. Plane ut hostes, qui in aperto campo consistere nequeunt, in silvas et dumeta se condunt, ut salebris, quarum nullus exitus, arceant persequentes, et excitato pulvere, et objectis impedimentis sui conspectum furentur, et aciem pro libitu commutent, ita isti Ecclesiæ auctoritatis speciosum nomen obtendentes, putant se facilius posse latere, et tela omnia declinare. Nec abs re, qui in aliis liberaliores videntur, in hoc tamen pertinaces sunt. Crede, inquiunt, ut libet, modo te Ecclesiæ committas et subjicias, fidemque captivam dedas: norunt enim viri sagaces, ea quæ antea videbantur concessisse, statim se recepturos, quando ipsos animos Ecclesiæ fascibus submiserint.

VII. Dum vero *viam auctoritatis* hic sequendam necessario præscribit auctor, quis audacem et temerariam istam disputandi rationem ferre queat? ubi gratis supponuntur varia tanquam ἀναμφισβητητα quæ tamen inter nos maxime controvertuntur. Primo, dari supremam aliquam auctoritatem in Ecclesia, cui fideles teneantur sine ulteriori examine sese submittere. At qui potuit auctor ignorare, hoc ipsum esse τὸ κρινόμενον, de quo inter nos disceptatur, quod probandum fuit, non ita præfidenter supponendum ; quasi ex quo loquutus est acclamendum esset αὐτὸς ἔφα, et ne mutire quidem liceret. At solide tamen nostri hactenus fictitiam esse supremam illam auctoritatem Ecclesiæ demonstrarunt, et neminem nisi Deum in Scriptura loquentem ut judicem summum et infallibilem in Ecclesia esse audiendum ; Ecclesiæ autem aliquam non denegandam auctoritatem, sed doctoris, non judicis, consilii, non imperii, et ministerialem, non absolutam, quæ non ulterius obliget, quam quatenus verbo conformis deprehenditur. Secundo, Ecclesiam, penes quam suprema illa auctoritas residet, non aliam esse quam Rom., ut ita sedeant in propria causa judices, cum tamen de hoc ipso tota lis nostra sit, et constanter a nobis semper negatum

sit, posse eam Ecclesiam Christi veram vocari, quæ doctrinam Christi non habet, qualiacunque obtendantur ejus alia privilegia. Tertio, supponitur insuper, fideles posse et debere in auctoritate illa suprema acquiescere, non inquirentes ulterius in ejus fidem et doctrinam. Verum quis nescit hoc etiam esse πρῶτον, ipsorum ψεῦδος, et fidem illam cæcam et implicitam Carbonarii pridem profligatam, ut Scripturæ adversam, et conditioni fidelium injuriam? Nam si sine ulteriori examine doctrinæ fideles sese auctoritati Ecclesiæ subjicere tenentur, cur Isaias *ad Legem et Testimonium* fideles amandat, cap. viii. 20, ut falsitatem ariolorum cum veritate Oraculorum cœlestium conferant? Cur Christus Judæos ad Scripturas investigandas revocat, Joh. v. 39, ut de veritate vocationis et doctrinæ suæ persuaderentur? Cur Beroënses auctoritati Pauli non acquiescunt, sed sermones ejus cum Scripturis conferunt, ut viderent an res ita se haberent? Act. xvii. 11. Cur Paulus provocat ad fidelium judicium, *Judicate vos ipsi quod dico?* 1 Cor. x. 15. Cur Johannes vult explorari spiritus, an sint ex Deo? 1 Johan. iv. 1. Frustra sane et absque ratione, si via ista auctoritatis sufficit ad fidem stabiliendam. Sed alia est mens fidelium, ut enim sunt oves Christi λογικαὶ, non bruto et cæco debent ferri instinctu ad id omne recipiendum quod obtruditur, sed ut fide sua vivere debent, ita lumine Spiritus pollent, ut omnia dijudicent, 1 Cor. ii. 15, et cibos salutares a venenatis, aquas corruptas a puris, et verbum Dei a traditionibus hominum secernant. Non quod *judicium decisionis* ipsis tribuamus, quod eorum est, qui publica auctoritate sunt instructi, sed quod *judicium privatæ discretionis* illis ex dono fidei competat.

VIII. Sed non in eo tantum commenti istius absurditas patet, quod gratis supponat ea, quæ in controversiam veniunt; ex eo etiam non obscure colligitur, quod dum compendiosissimam viam se putat auctor invenisse, non aliam intricatiorem et magis difficilem, ne dicam plane impossibilem, obtrudere potuit. Nam cum via auctoritatis necessario supponat, nobis debere esse persuasum, auctoritatem talem esse legitimam et supremam, veræ Ecclesiæ non falsæ, ut aliquem apud nos obtineat locum, debet mens nostra in eam inquisitionem primo incumbere, ut hoc habeat perspectum, hoc autem intricatissimum et difficillimum esse nemo potest diffiteri, qui noverit Pontificios veritatem Ecclesiæ ab antiquitate et successione non interrupta personarum metiri, quod non modo accuratam historiæ omnium seculorum a Christo nato notitiam postulat, sed et tot difficultatibus involvitur, ut mens nihil certi inveniat, ubi tuto quiescere possit. Adde quod cum tota auctoritas Ecclesiæ verbo ipso nitatur, ut ipse auctor agnoscit, p. 16, dum eam a Scriptura arcessit, quis non videt primo veritatem et αὐθεντίαν verbi tenendam esse, antequam de auctoritate Ecclesiæ persuadeamur, et sic viam discussionis semper præmittendam esse viæ auctoritatis? Atque eo magis hoc necessarium est, quod cum nemo diffiteri possit verbum esse Ecclesiæ fundamentum, a quo formam suam et esse specificum obtinet, Eph. ii. 20, ordo naturalis postulat, ut de doctrina primo inquiramus, quam de Ecclesia, cum non aliud certius Ecclesiæ γνώρισμα peti possit, quam a doctrina quam profitetur. Hoc vidit *Hieronymus* in Psa. cxxxiii, "Ecclesia ibi est, ubi fides vera est." Sed *Augustinus* imprimis, qui passim adversus Donatistas disputans, Ecclesiam non aliunde quam ex Scriptura cognosci posse non semel profitetur, lib. de Unitate Ecclesiæ, c. xi, "Inter nos et Donatistas quæstio est ubi sit Ecclesia, quid ergo facturi sumus, in verbis nostris quæsituri, an in verbis capitis sui Domini Jesu Christi, puto, quod in illius verbis potius quærere debemus, qui veritas est et optime novit corpus suum," et cap. iii, "Non audiamus

hæc, dico, sed audiamus hæc, dicit Dominus, sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram," et paulo post, "In Scripturis Canonicis quæramus Ecclesiam," c. xvi., "utrum isti Ecclesiam teneant non nisi divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant."

IX. Neque hic reponendum cum auctore, capite xiv., *viam discussionis* longam esse, et difficilem, quæ accuratam omnium controversiarum disquisitionem et examen, et linguarum originalium cognitionem postulat, quamque ideo paucissimi possunt insistere, sed *viam auctoritatis* brevem et expeditam, quæ omnibus etiam maxime rudibus et imperitis patet. Nam si bene calculos ponimus, contraria hic esse omnia, et nihil facilius et tutius nostra, nihil vero periculosius et impeditius ea, quam adversarius sequitur via, nullo negotio deprehendemus. Ut enim de nostra dicamus primum, falso supponit auctor a singulis fidelibus controversiarum omnium examen vel linguarum originalium notitiam requiri, ut persuadeantur de fidei veritate. Cum enim Scriptura perspicua sit in rebus ad salutem necessariis, et possit ab unoquoque fideli, qui oculos mentis illustratos habet, et legi cum studio, et intelligi cum fructu, quid obstat quominus ad eam normam componentes præcipuas, quæ inter nos et adversarios agitantur, controversias, dijudicent facile a quorum partibus stet Scriptura? v. g. Quæritur inter nos, an Sancti sint invocandi, et an imaginibus cultus aliquis sit exhibendus? Si Scripturam consulimus, facile tota lis componetur, quando non semel Deum solum adorandum et invocandum præscribit, Psal. l. 14, Math. iv. 10, Isa. xlii. 8, et in Lege expresse omnem imaginum cultum prohibet, Exod. xx. Quæritur, an præter sacrificium Christi, necessarium adhuc sit sacrificium missaticum? Quid facilius erit fideli, quam ex Scriptura respondere, non modo inutile, sed et injurium Christo esse aliud omne sacrificium ἱλαστικὸν? siquidem Christus, *unica oblatione* ἐφάπαξ facta, sanctificatos perfecte consummavit, et peccata omnia eorum expiavit, Heb. ix. 28, et x. 12, 14. Quæritur de justificatione nostra, an sit ex operibus, an ex fide? Sed uno verbo res expeditur, si Paulum audias, qui toties fidei justificationem tribuit et operibus denegat, Rom. iii. 27, Gal. ii. 16. Quæritur, an opera mereantur, vel ex condigno vel ex congruo? Quid opus magna disquisitione post verba Pauli, "Si ex gratia, non ex operibus, alias gratia non est amplius gratia," &c., Rom. xi. 6, et alibi "donum Dei vita æterna," Rom. vi. 23, &c. Quæritur de communione sub utraque specie? Quis locus ambigendi post vocem Christi, *Bibite ex hoc omnes!* Quæritur de viribus liberi arbitrii, an supersint adhuc quædam in homine post peccatum, quibus se præparet ad gratiam? Sed verbo Paulus rem expedit, quum nos mortuos in peccatis vocat, Eph. ii. 1, qui ne cogitare quidem quicquam boni possumus, 2 Cor. iii. 5. Ita si per alia controversiarum capita, quæ fundamentum fidei spectant, ire volumus, facile demonstrari posset, ea ita clare proponi, ut nullo negotio a fideli agnosci queat veritas, nihil ut opus sit vel linguas originales consulere, vel operosam de Scripturæ integritate, et de libris Canonicis quæstionem discutere, cum in hoc saltem negotio consensus sit inter nos et adversarios, libros ex quibus similia loca petimus esse Canonicos, et nullam hic inter fontes et versiones quibus utimur esse discrepantiam. Verum si de *via auctoritatis* loquimur, quid difficilius et magis intricatum occurrere potest? quando nemo illi se subjicere potest, qui non habeat perspectum eam legitimam esse et in verbo fundatam; et Ecclesiam, quæ illa gloriatur, veram; quod non modo ipsius Scripturæ, sed et totius antiquitatis, ex hypothesi adversariorum,

discussionem et cognitionem postulat, atque ita non compendiosam, sed longissimam omnium viam præscribit.

In religione non agendum est per præjudicia.

X. Sed si in hoc capite fraudulenter agit auctor, ut simplicioribus imponat, non æquiorem se præbet in altero, quod tanto apparatu urget, dum *præjudicia* varia conquirit, quibus religionis nostræ innocentiam, si potest, obruat, quod non modo a justitia, sed et a sinceritate alienissimum est. Nam si ipsi philosophi præjudiciis ante omnia liberandam esse mentem sanciunt, ut clara rei cognitio habeatur, et de ea judicium rectum et sanum ferri queat, quis credat in religionis delectu, quæ res omnium est maxima et gravissima, præjudiciis agendum esse, potius quam rationibus ab ipsius rei natura petitis? Cum istæ argumenta necessaria certa nobis suppeditent, quibus mens tuto possit acquiescere; illa vero tantum topica et probabilia, quorum non alia vis est, quam causæ, propter quam afferuntur, gratiam aliquam conciliare, adversam vero suspectam et exosam reddere. Quis vero nescit causas magis speciosas non semper esse meliores? et hanc esse veritatis ortem, ut non raro præconceptis opinionibus obscuretur et opprimatur? Maxime si, quod intendit auctor, ex præjudiciis de causæ veritate fieret judicium, et inauditi, qui eam sustinent, condemnarentur: quo quid iniquius dari possit, vix dici potest. Nam si in foro civili inauditus nemo damnatur, quantacunque sint adversus ipsum præjudicia, quæ malum iniquitas est, ut causam dicere prohibeamur, et vel ex solo nomine inauditi condemnemur? Gravissima nobis intentatur accusatio schismatis, quod ab Ecclesia secessionem fecerimus; nec minus crimen ἀποστασίας a nobis adversariis impingitur, quod a veritate Christi defecerint. Quis tandem potest esse legitimus modus componendæ istius litis momentosissimæ? nisi ut utraque pars audiatur, vel ad sustinendam accusationem, vel ad sui defensionem. Hoc tamen non potest ferre auctor, qui nullam non movet lapidem, ut nos etiam inauditos præjudiciis obruat, et indignos ostendat quorum ulla habeatur ratio, vel ad purgandum crimen nobis impactum, vel ad accusationis capita probanda. Utrum innocentia, an mala conscientia postulat ne accusatio audiatur, neve defensioni deter locus? An veritas lucem fugit et tenebras quærit? Imo omnibus se conspiciendam præbet, et nihil impensius optat quam videri, quia novit se non posse videri quin diligatur. Erroris est et malæ fidei, se in tenebras abdere, nec adversarii vel accusationem vel purgationem audire velle, ne hinc accusationis veritas, inde vero defensionis pareat innocentia.

XI. Sic equidem Ethnicos olim cum Christianis egisse legimus, ut ex solo nominis præjudicio inauditos damnarent, quod *Tertullianus*, Apol. c. 1 et 2, gravissime in ipsis perstringit. "Respondendi, altercandi facultas aliis patet, quando nec licet indefensos et inauditos damnari; sed Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod judicium non faciat injustum, sed illud solum expectatur quod odio publico necessarium est, confessio nominis, et non examinatio criminis." Et ibidem, "malunt nescire, quia jam oderunt, adeo quod nesciunt præjudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterant." Quid vero hic veritas? "Nihil de sua causa deprecatur," inquit c. 11, "quia nec de conditione miratur, scit se peregrinam in terris agere, intra extraneos facile inimicos invenire. Cæterum genus, spem, sedem, gratiam in cœlis habere, unum gestit interdum ne ignorata damnetur. Quid hic deperit legibus in regno suo dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, quo etiam inauditam damnabunt veritatem? Cæterum inauditam si damnent, præter invidiam iniquitatis, etiam sus-

picionem merebuntur alicujus conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possent." Quis vero dixerit Christianos eum Christianis adeo injustam agendi rationem sequi, ut ex præconceptis opinionibus sine ulteriori doctrinæ examine damnare eos sustineant. Vix hoc in animum suum inducere quis potuisset, præsertim de iis qui hactenus moderatiores cætetis videri voluerunt, nisi expresse hoc non semel auctor repetisset.

XII. Quod si in præjudiciorum istorum, quæ tanto cum apparatu urgentur, examen descendere vellemus, quam facile demonstrari posset, ea vel falsissima esse, et per meram calumniam nobis afficta, vel si quid veritatis habent, ad causæ momentum non pertinere. Nam quod de *vocationis defectu* dicitur, suo loco, cum bono Deo, a vero procul esse ostendemus. Si vero dissidium aliquod inter nos et Lutheranos ortum est; si bella et tumultus occasione Reformationis variis in locis nati sunt, quod adversariorum furori, non ipsæ religioni tribuendum est; si Reformatores humani aliquid sunt passi, ut ab ipsis humani nihil alienum fuit, (quamvis ea quæ ipsis impinguntur crimina, jam sæpius a nostris nullum nisi in calumniatorum mentibus fundamentum habere, demonstratum sit) quid hæc omnia ad causam nostram pertinent? An propterea certo concludi potest, vel falsam esse quam prædicamus doctrinam, vel veram qua gloriantur ipsi Ecclesiam? Unum, fateor, ab auctore præjudicium affertur, quod si verum esset, causam non dicimus, quin merito rei peragamur: quum *Schismaticos* nos esse pertendit, quod ab Ecclesia secessionem fecerimus, cap. 7. Hactenus sane non recusamus herbam porrigere, et crimen fateri, si verum sit nos a vera Ecclesia secessisse, cum extra eam non detur salus. Sed si Ecclesiam impuram et idololatricam reliquimus, ut in vera maneremus, si Papatum tantum et errores ejus abjecimus, ne participes peccatorum ejus consortes essemus pœnarum, an vitio nobis verti debet, quod saluti nostræ prospectum voluerimus, et voci divinæ morem gesserimus? Hoc vero est quod inter nos quæritur, ad quod unum controversiæ nostræ omnes revocandæ essent, si candide agere vellent adversarii. Nam si evincere possunt, se doctrinam Christi puram ei intemeratam semper servasse et etiamnum servare, nullamque nisi Christi vocem apud se audiri, agnoscimus ultro, veræ Ecclesiæ nomine posse ipsos gloriari, et nonnisi injuste ab illis secedere quemquam posse. Sed si ex adverso demonstramus clarissime ipsos a Christo defecisse, cur ægre ferunt nos ab ipsis secedere velle, ut Christo capiti et sponso nostro indivulse adhæreamus?

XIII. Scio hic auctorem reponere, c. 7, licet hoc daretur, Ecclesiam Romanam et erroneam et impuram fuisse, non necesse tamen fuisse propterea ab ea recedere, suffecisse *secessionem negativam*, ut abstineremus a cultu, quem idolatricum credebamus; sed non necessariam fuisse *secessionem positivam*, quæ novam Ecclesiam novumque ministerium sine vocatione instituerit. Verum in eo graviter fallitur, et fallit adversarius, quasi sola secessio negativa potuerit his sufficere. Nam cum Deus nobis colendus sit non *negative* tantum, abstinendo a falso cultu, sed et *positive*, verum cultum ab ipso præscriptum illi exhibendo, nec cultus debeat tantum *internus* esse, sed et *externus*, ut eum glorificemus et animo et corpore, 1 Cor. vi. 20, ut utriusque et Creator et Redemptor est, quis non videt impossibile nobis fuisse hoc defungi officio in Ecclesiæ Romanæ communione manentibus? maxime ex quo Romana Ecclesia sub anathematis pœna, non vult modo credi quod docet, sed et præstari quæ jubet. Fateor olim patrum nostrorum, temporibus ante Reformationem, quosdam prima illa secessione contentos fuisse, tum quia nondum cogebantur sub ana-

thematis pœna subscribere omnibus erroribus Papalibus, tum quia nulla dum patebat ad egrediendum via. Sed postquam erectum fuit vexillum Evangelii variis in locis, et populus ad libertatem vocatus, postquam patuit latissima ad exeundum porta, et Roma ipsa toties de reformatione interpellata, non modo errores et abominationes suas non objecit, sed auxit, et jugum tyrannidis non uno modo aggravavit, ferro flammaque in nos sæviendo, nonne ingratissimi fuissemus mortalium, nisi hoc Dei beneficium nobis oblatum amplexi fuissemus, et Romam, nos fugantem anathematismis, excommunicationibus, et persecutionibus suis, fugissemus, ut Deum alibi possemus pure ut jubet colere, et sic saluti nostræ prospicere?

XIV. Atque ex his, ut e diverticulo redeamus in viam, nisi fallor, facile colligitur necessariam fuisse secessionem nostram, et vanum esse et impossibilem, qui urgetur a variis, cum Pontificiis syncretismum, nec alium finem habere, qualiscunque obtendatur prætextus, quam ut nos antiquo servitutis jugo subjiciat, et Romæ mancipia reddat. Nam cum pertendamus errores, quos Ecclesia Romana fovet quam plurimos, non esse leves et minoris momenti, circa quos potest tolerantia inter dissentientes locum habere, Philip. iii. 15, sed gravissimos et capitales, qui fundamentum ipsum veritatis et salutis petunt, nemo non videt necessario nobis ab ea secedendum fuisse, si saluti nostræ prospectum vellemus, ex præscripto Apostoli, 2 Cor. vi. 17, "Exite e medio ipsorum et separate vos, immundum ne attingite, et ego recipiam vos," et ex mandato Dei, Apocal. xviii. 4, "Exi Babylone, popule mi;" et reditum ad eam non modo difficilem, sed et impossibilem esse, nisi ipsa, abjectis erroribus, et superstitionibus impuris, quibus a puriori doctrina defecit, in gratiam cum Christo redeat, et religionem Christianam pristino Apostolicorum temporum nitori restituat.

XV. Hoc autem non sine ratione a nobis asseri, et jam ante in disputationibus præcedentibus luculenter demonstravimus, et ulterius adhuc demonstraturi sumus. Cum enim ad tria potissimum capita corruptelæ omnes Ecclesiæ Romanæ referri possint, *Hæresim* in doctrina, *Idololatriam* in cultu, et *Tyrannidem* in regimine, de hæresibus diximus jam disputatione prima, de idololatria etiam in sequentibus verba facere cœpimus. Verum quia tanti momenti res est, ut vel ex hoc uno articulo, licet in cæteris omnibus consensus esset, secessionis nostræ necessitas, et syncretismi ἀδυναμία penderet, paulo fusius de eo dicendum, ut constet verissime idololatriam a nobis ipsis impingi, et quicquid comminiscantur ad diluendum hoc crimen, non posse eos purgare.

XVI. Cum vero duplex idololatria distinguatur vulgo, alia respectu *objecti*, quum aliud quid præter Deum colitur, alia respectu *modi*, quum verus Deus quidem, sed alio quam quo præscribit modo colitur, de prima jam diximus, et demonstratum dedimus, Ecclesiam Romanam respectu cultus quem defert Angelis, Sanctis demortuis, Pontifici, pani Eucharistico, et Cruci, non posse ab idololatria liberari. Nunc ad aliud caput deveniendum, quod εἰκονολατρείαν spectat, ex quo constare poterit hac etiam ratione ream merito a nobis peragi. Ne vero queri possint, quicquam a nobis ipsis impingi præter ipsorum mentem, ostendemus, primo, nihil a nobis falso ipsis affingi et imponi, quod monumentis authenticis et ipsa praxi apud ipsos recepta liquido non constet. Deinde vanitatem demonstrabimus subterfugiorum, et subtilium distinctionum, quas propudio suo velando vel excusando obtendunt.

XVII. In Ecclesia Romana vigere εἰκονολατρείαν, quicquid privati quidam doctores protestentur, ut turpitudinem hanc a se amoliantur, vel subdole dissimulent, multa probant. Primo, Concilii II. Nicæni, inter Oecu-

menica a Pontificiis relati, sanctio: quod ab Irene, Leonis IV. vidua, et Constantino ejus filio, adversus Synodum Constantinopolitanam, anno 754, sub Constantino antea congregatam, in qua imaginum cultus damnatus fuerat, primo Constantinopoli indictum, mox Nicæam translatum fuit. In quo decretum, referente Zonara, "τὰς σεπτὰς εἰκόνας προσκυνεῖσθαι καὶ σέβεσθαι, *venerabiles imagines adorandas et colendas esse.* Sic scilicet ambitiosissima fœmina, imaginum cultrix, promovendæ idololatriæ, simul et asserendo sibi imperio ex devinctis sibi idololatris, non aliud medium aptius invenit, quam indictionem Synodi, in qua ut facilius voti compos fieret, Tarasium Laïcum Secretarium, sibi addictissimum et magnum iconolatram, in locum Pauli Patriarchæ, insignis præsulis inconomachi, substituit. Fateor huic Pseudosynodo mascule se opposuisse Carolum Magnum in Occidente, cum in Capitulari suo, quod triennio post quatuor libris adornavit, ubi nervose et solide refellit quæcunque a Nicænis patribus ad cultum imaginum adducta erant. Quod tantopere urit adversarios, ut ausi sint illud in crimen falsi arcessere, tanquam scriptum aliquod ὑποβολιμαῖον ab aliquo nostratium obtrusum. Verum impudentem calumniam viri docti jamdiu detexerunt, indicato simul et evicto editore Pontificio, Johanne Tilleto Episcopo Meldensi. Tum etiam in Concilio Francofurtensi trecentorum Episcoporum, quod congregavit anno 794, in quo patres Synodi Nicænæ quoad cultum imaginum expresse damnant, et solius Dei adorationem sanciunt. Quod confirmatum fuit in Synodo Parisiensi sub Ludovico Pio, Caroli M. filio, anno 825, cui assensum præbuerunt *Jonas Aurelianensis Episcopus*, *Agobardus*, *Walafridus Strabo*, *Hincmarus Rhemensis Episcopus*, aliique plures. Sed hæc omnia non obstiterunt, quominus Ecclesia Romana Synodum Pseudo-nicænam receperit, et Concilium Tridentinum postea eam approbaverit et confirmaverit.

XVIII. Secundo, Concilium Constantinopolitanum IV., anno 869, quod censetur a Romanis Oecum. VIII., in quo Adrianus II. cultum imaginum curavit denuo approbari, et restitui. Memoranda imprimis sunt, quæ Canone III. extant verba, "Sacram imaginem Domini nostri Jesu Christi adorari decrevimus æquo honore cum libro sanctorum Evangeliorum." Paulo post imprecatio concipitur in eum, qui non adorat imaginem Christi, "Qui non adorat imaginem Christi Salvatoris, non videat faciem Christi in secundo ejus adventu," et ibidem, "Veneramur et adoramus imaginem Matris ipsius impollutæ, et S. Angelorum et omnium Sanctorum. Qui aliter sanciunt, sint anathema." Tertio, Concilium Tridentinum. Quamvis enim, instar Apollinis λοξίου, hic ut alibi ambiguis et obliquis studuerit in hoc articulo verbis, ut utramque dissentientium opinionem, tam eorum qui tantum relativum cultum urgebant, quam eorum qui adorationem objectivam ad imagines ipsas directam tuebantur, Canon tamen, quem de honore, et veneratione imaginum Sessio. XXV. edidit, exerte ut jam dixi, confirmando Concilium Nicænum II., cujus decretum profitetur se amplecti, satis testatur non aliam fuisse ipsi sententiam: "Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, &c. Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur; id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicænæ Synodi decretis contra oppugnatores imaginum est sancitum." Quarto, Thomas, qui cultum latriæ ligno crucis deberi ex celebri hymno, qui Sabbatho

ante Dominicam passionis cantillatur, probat, p. 3, q. 25, art. 4, quod confirmatur ex *Breviariis* et *Missalibus*, quæ hunc cultum passim præscribunt. Ubi non omittendum quod in magno die Veneris præstari solet, quod infamem hanc εἰκονολατρείαν clarissime demonstrat. Dum sacerdos, crucem velatam e manu diaconi accipiens, eandemque paulatim detegens, sic effatur, *Ecce lignum crucis*, et choro accinente et respondente, *Venite adoremus*, confestim quotquot ibi adsunt in genua prosternuntur, donec plane denudata et ad locum certum prope altare delata, sacerdos cum reliqua turba populi, *flexi genubus, trina vice adorant crucem*, ut loquitur Missale. Memorabilis est consecratio imaginis B. Virginis in Cæremoniali Rom., ita sonans, " Sanctifica, Deus, hanc formulam B. Virginis, ut tuis fidelibus salutaris auxilii opem ferat, tonitrua aut fulmina, si invaluerint, nocentia celerius expellantur, pluviarum quoque inundatio, aut civilium bellorum commotio, seu Paganorum devastatio, ad præsentiam ejus comprimantur." Eadem est ratio consecrationis *Agni Dei*, quæ ibidem legitur, " Sicut Agnus innocens Jesus Christus, in ara crucis immolatus, protoplastum nostrum de diabolica potestate eripuit, sic isti Agni immaculati virtutem istam accipiant, quos consecrandos offerimus in conspectu divinæ Majestatis. Tu eis benedicere, sanctificare et consecrare digneris, ut tua larga benedictione sanctificati eandem virtutem accipiant, contra omnes diabolicas versutias, et fraudes maligni Spiritus, ut illas devote super se ferentibus nulla tempestas eisdem prævaleat, nulla adversitas dominetur, nulla aëris pestilens, nulla aëris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris procella, nullum incendium, neque ulla iniquitas dominentur iis," &c. Nec obscurum est, vulgo tanquam præsentissimum adversus varia mala remedium eos gestari.

XIX. Quamvis vero multiplex sit dissensus inter doctores de *modo adorationis et cultus imaginum*, et Babelis istius mysticæ operarii diversis magis linguis loquantur, quam priscæ Babelis ædificatores, quorum dissidia nostrum non est nunc referre vel expendere, dum alii volunt imagines adorari per se et proprie, ut terminent ipsam adorationem; alii tantum analogice et reductive ob exemplar et prototypum; alii adorari cultu diverso, et inferiori a cultu Prototypi; alii eodem, ut Trinitatis quidem imagines latria, Sanctorum dulia, B. Virginis hyperdulia colantur, quæ receptissima est apud adversarios sententia, pro qua *Bellarminus*, lib. ii. c. 20, citat totam fere Scholasticorum familiam, *Alexandrum*, *Thomam*, *Cajetanum*, *Bonaventuram*, *Marsilium*, *Almaynum*, *Carthusianum*, *Capreolum*, et alios plures; certum est tamen in eo omnes convenire, quod adorandæ sint imagines, et hoc ipsum, si nihil aliud evinceret, quotidiana praxis apud ipsos recepta satis comprobaret. Quis enim nescit cultum et venerationem, quæ illis passim exhibetur, dum populus coram imaginibus procumbit adorabundus, dum easdem osculatur, illi thura adolet, et templa erigit, illas solemni et religiosa processionum pompa circumferre solet, et coram iis circumlatis in genua subsidere?

XX. Ad hunc errorem jugulandum possent afferri omnia illa Scripturæ loca, quæ, in religionis negotio, vetant imagines non modo adorare, sed et facere et habere. Sed sola Dei lex nobis est instar omnium, quæ disertissime loquitur præcepto secundo, Exod. xx. 4, " Non facies tibi sculptile neque ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ in aquis sub terra, non adorabis ea, neque coles," cui respondent verba, Levit. xxvi. 1, " Non facietis vobis idolum neque sculptile, neque vobis erigetis statuam, vel lapidem figuratum in terra vestra, ut prosternatis vos ante eum." Ubi clarum est summum Legislatorem, qui in primo man-

dato *cultus objectum* sanciverat, ut nullus præter Deum solum adoraretur, in hoc *modum cultus ipsius* præscribere, ne scilicet colatur in imagine vel similitudine ulla, ideoque duo vetat, imagines facere, et factas colere vel adorare. Quia vero sub variis imaginibus solebant Gentiles numen repræsentare, modo rerum terrenarum, modo etiam aquatilium, omnes, quæcunque tandem illæ sint, prohibet, ne quis putet unam magis quam alteram Deo convenire. Quam male habeat Pontificios istud mandatum, vel ex hoc uno colligi potest, quod commodiorem non putarint viam elabendi dari posse, quam si totum sacrilega audacia expungerent, tertium loco secundi reponentes, et decimum de concupiscentia in duo perperam dispescentes, ut factum in Breviariis, Officiis, horisque precatoriis, quæ populi manibus teruntur, in quibus Legis hæc verba non leguntur, quod utique nunquam ausi fuissent, nisi præceptum hoc sibi vehementer adversari cognovissent.

XXI. Quia vero non possunt verba ipsa e Lege delere, varia captare solent effugia, quibus teli istius vim quacunque ratione declinare conantur. Primo, non pauci facile se expedire posse putant, negando ullum a se cultum imaginibus deferri, neque in templis, vel uspiam alibi proponi ad cultum sed ad historiam tantum et monumentum rerum præteritarum, adeoque non adorari ipsam imaginem, sed tantum coram imagine colendum esse ipsum exemplar, quo pertinet distichum relatum Sabellico :

Nam Deus est quod imago docet, sed non Deus ipsa,
Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Hanc fuisse sententiam *Gregorii Magni* patet ex epistola ad Serenum, Massiliensem Episcopum, qui imagines in Ecclesia confregerat, eo quod quosdam eas adorare conspexisset, ubi laudat eum quod cultum damnaverit, sed reprehendit quod imagines fregerit, l. 9, ep. 9, "Quod ea adorari vetuisses, omnino laudavimus, fregisse vero reprehendimus. Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum addiscere." Eadem fuit mens *Durandi in* 3 sent, distin. 9, q. 2, *Gersonis, Holchoti* et aliorum. Sic moderatiores ex Pontificiis negant a se coli, et adorari imagines, sed tantum exemplar quod repræsentant. Crediderim ego erubescere eorum doctores apud discipulos, nec audere profiteri id quod in Scriptis non verentur asserere, et hoc *Bellarm.* non obscure insinuat, quum agnoscit posse imagines adorari cultu latriæ, modo sit cultus latriæ per accidens, et improprius, sed idem in modo loquendi non vult efferri in vulgus et in concione ad populum, lib. 2, c. 22. Nempe sic loqui amant quos pudet suæ sententiæ. At vir bonus nunquam abscondet mentem suam, vel erubescet vera loqui, maxime quum agitur de informandis fidelibus in iis, quæ ad cultum Dei pertinent, alias nefas esset dicere quod facere tamen licebit. Verum ut mittamus nunc quod ista sententia de imaginibus retinendis habet saltem ad usum historicum, non modo sine Dei verbo, sed et contra ipsum Legis præceptum; contra praxim veteris Ecclesiæ, ut fuse docet *Cassander* Consul. art. 21; contra antiquorum conciliorum decreta, *Elibertini* nominatim Can. 36, "Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur;" certum est, utut placeat nonnullis apud Pontificios, non esse tamen communem et receptam in Eccl. Romana, quod non modo patet ex Bellarmino et aliis Scholasticis, qui eam constanter rejiciunt, tanquam temerariam et hæreticam, adeo ut Baronius insaniisse eos dicat qui sic cen-

suerunt, ad an. 794, et Sirmundus tom. 2. Conci. Galli. vocet hanc *hæresim Gallorum*, sed præcipue ex Canone Concilii Tridentini supra citato, qui cultum imaginum expresse sancit. Ne jam de praxi loquar, quam nemo, nisi cui periit frons, potest asserere esse immunem ab imaginum cultu.

XXII. Missa ergo hac exceptione, quam falso niti fundamento oculatiores satis cernunt, ad secundam pergimus, quæ ab aliis obtenditur; *præceptum* scilicet de imaginibus non colendis esse *positivum*, non *naturale*, legem quippe positam esse ad tempus Judæis ad idololatriam pronis, quibus Deus ansam idololatriæ gentium, cum quibus habitabant, imitandæ amputare volebat, non item nobis Christianis. Sic *Vasquezius*, *Lorinus*, et post eos *Hugo Grotius* papizans. Sed hoc est desperatæ causæ argumentum, cui opponimus; primo, communem inter primarios doctores Pontificios sententiam, qua statuunt omnia præcepta Decalogi esse juris moralis perpetui et indispensabilis. Secundo, si esset præceptum mere positivum, ostendi deberet illud abrogatum fuisse sub Novo Testamento. Sed tantum abest ut illius mutationis vel tenuissimum extet vestigium, ut multa occurrant quæ illius perpetuitatem probent, quando non semel ab Apostolis repetitum est, et Ecclesiis Gentilium datum, Act. xv. 20, 1 Cor. x. 7, 1 Joan. v. 21, et alibi sæpius. Tertio, tantum abest ut Judæos solos lex illa obligasse censenda sit, ut ex Paganis prudentissimi quique fassi sint cultum, qui numini per imagines exhibetur, minus castum esse, et "primos, qui simulacra Deo posuerunt, civitatibus suis et metum demsisse, et errorem addidisse," ut habet *Varro* apud Augustin. lib. iv. de Civit. Dei, cap. xxxi. Sic Romæ olim templa simulacris caruisse per annos 170. *Varro* ibidem docet, et apud *Clementem Alexandr.* in Protreptico videre est, Lycurgum Spartiatis prohibuisse imagines notat *Alexan. ab Alexan.* lib. ii. cap. 22, et Persas ac Lydios imaginibus caruisse observat *Origenes*, lib. 8 contra Celsum. Unde Gentiles redarguit Paulus qui imaginibus utebantur contra τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, Rom. i, Act. xiv. et xvii. Cum ergo præceptum hoc lumine naturæ notum sit, ex eo liquet non esse cæremoniale, sed morale. Quarto denique, ratio addita ipsi præcepto hoc evincit, cum enim sit moralis et perpetua, petita a majestate immensa et invisibili Dei, Deut. iv. 16, Isa. xl. 18, Act. xvii. 29, cui talis cultus nequaquam convenit, Joan. iv. 24, Rom. i. 23. Et ipsum morale debet esse et perpetuum, quod non minus Christianos quam Judæos spectat. Imo tanto propius illos, quo purior et magis abstractus a rebus corporeis et sensibilibus debet esse sub Evangelio cultus noster, et remotior ab Ethnicorum ritibus, ne idololatriam paganam, per Evangelium profligatam, per posticum revocare videamur. Non est dubium, inquit Lact. lib. ii. cap. 18, "quin religio nulla sit, ubicunque simulacrum est."

XXIII. Tertia exceptio communior est Legem prohibuisse *idola*, sed non *imagines*. Idola esse rerum non existentium, qualia erant sola Gentium numina; imagines vero rerum existentium. Sic *Bellarminus et Vasquez*. R. Sed futilissima tamen est, licet a plerisque vulgo afferatur, responsio. Nam quod obtruditur discrimen inter *idolum* et *imaginem* vanum est et fictitium, sive *nomenclatio* rei, sive *natura et usus* attendatur. Et ad nomenclationem quidem quod attinet, nec apud Hebræos, nec apud Græcos, nec apud Latinos, discrimen tale occurrit? Nam voces פסל תמונה, quæ occurrunt in hoc mandato, promiscue de quavis effigie sculpta, vel imagine seu similitudine, usurpantur, Chaldæ. reddit per צלם et דמות, quod non potest aliter verti quam per *imaginem* et *similitudinem*. Sept. modo vertunt פסל per εἴδωλον ut hic, modo per γλυπτὸν ut Lev. xxvi. et Deut. v. 8, per γλυπτὸν ὁμοίωμα, Deut.

iv. 16, modo etiam per εἰκονα, ita Isa. xl. 18 et 20, μη εἰκονα ἐποιησε τεκτων. Josephus Antiquit., lib. iii. cap. 4, ὁ δευτερος κελευει μηδενος εἰκονα ζωου ποιησαντας προσκυνειν, imo etsi daremus פסל per ειδωλον contradistincte ad imaginem posse verti, at vox תמונה generaliter omnem imaginem et similitudinem damnaret. Græcis ειδωλον et εικων pro eodem sumuntur, Gloss. εικων ειδωλον. Sic Diod. lib. xvi. Philippi ειδωλον, vocat ejus *statuam*, Plutarchus in Antonio *Cleopatræ idolum vocat, et idolum Alexandri* apud Ælianum lib. xii. cap. 64, Lucia. dialog. Diogenis et Herculis, ἐγω δε ειδωλον εἰμι αυτοῦ, quod repetit postea per εικονα. Sic Patres Græci τα ειδωλα et τας εικονας de simulacris Gentilium, quæ ad idololatriam prostabant, indifferenter usurparunt. Latini vero *idola* et *imagines* promiscue ponunt. Cicero, lib. i. de finib., *imaginem* et *idolum* eo tantum vult differre, quod alterum Græcum, alterum Latinum sit, *Atomi, inane, imagines, quæ idola nominant.* Ita si originatio vocum attendatur, nullum potest inde exculpi tale discrimen.

XXIV. Sed non melius id potest elici ex *rei natura et usu.* Quamvis enim fatendum sit plerumque imaginem latius patere idolo, et in bonam partem non raro sumi, ita ut omne quidem idolum sit imago, sed non omnis imago vicissim idolum, nisi quum illi aliqua divinitatis relatio accedit, sive quoad repræsentationem, sive quoad cultum, tamen certum est nusquam ita inter se distingui, quasi *idolum* sit tantum των ουκ ὑφισταμενων seu *non existentium*, *imago* vero των ὑφισταμενων *rerum existentium.* Primo, quia non modo imagines, sed res quælibet creatæ idola fiunt, quando religiosus cultus illis exhibetur. Sic imago serpentis ænei, quæ Christum repræsentabat, facta est idolum quando Judæi illi incensum adolebant. Sic statua Nebuchadnezaris idolum fuit, licet esset rei veræ, quando posita est ad adorationem. Secundo, pleraque Gentium idola non rerum falsarum, sed vere existentium imagines fuerunt, vel astrorum, vel hominum. Tertio, Deus in secundo præcepto damnat non tantum imagines rerum falsarum, sed etiam rerum omnium existentium sive in cœlo, sive in terra, sive in aquis, unde expresse dicit rerum quæ sunt *in cœlis*, non vero quæ non sunt, ut dicendum erat ex mente adversariorum. Quarto, Scriptura *idola* vocat *imagines* in eum finem effictas, ut verus Deus per eas repræsentaretur et coleretur, patet clarissime, 1. ex *vitulo aureo*, qui *idolum* vocatur, Act. vii. 41, et ejus cultores idololatræ? Quia tamen factus est ad veri Dei repræsentationem, unde Aaron, Exod. xxxii. 5, vocat ejus festum Jehovæ, *Cras erit festum Jehovæ*, et dicitur *Deus qui eduxit ipsos ex Ægypto*, ver. 4. Quis vero credat tam vecordes fuisse, ut putarint vitulum ex inauribus suis recens conflatum post exitum ex Ægypto ipsos ex Ægypto eduxisse? 2. *Idolum* Micæ, Jud. xvii. 4, erat imago veri Dei, quia dicit se consecrasse hoc argentum Jehovæ, sperat Jehovam sibi benefacturum, quod sit ipsi Levita pro sacerdote, ver. 12, 13. 3. *Vituli Jerobo-ami*, 1 Reg. xii. 28, non ad falsos Deos, sed verum Deum Israëlis repræsentandum destinabantur. Nec enim in animo habuit abstrahere a vero Dei cultu populum, sed tantum a loco cultus, ne Hierosolymam ascenderet populus ad templum Dei, ubi erat arca, atque ita ad regem Judæ reversus a se deficeret. Atque hoc inter idololatriam Achabi et Jeroboami cæterorumque regum Israëlis discrimen intercessit, quod ille contra primum præceptum, quod est de objecto cultus divini, alienum Deum Baalem scilicet colendum proposuit, Jeroboam vero et alii contra secundum præceptum, quod est de modo cultus, Jehovam Deum verum per imagines coluerint. Ille abstraxit a *veri Dei cultu*, alii vero a *vero cultu Dei.* Unde dicitur fecisse Achab quod malum videbatur in oculis Jehovæ plusquam omnes qui fuerant ante ipsum, nam cum leve ei visum esset ambulare

in peccatis Jeroboami, Bahalem Sidoniorum Deum tum ipse coluit, tum aliis colendum proposuit, 1 Reg. xvi. 31. Ex quibus constat manifeste, idolum non de re falsa tantum, sed de re vera etiam dici.

XXV. Nec obstat quod Apost., 1 Cor. viii. 4, *idolum* dicit *nihil esse* in mundo, hoc enim non absolute et simpliciter debet intelligi *subjective* ratione *existentiæ*, vel *objective* ratione *repræsentationis*, quod vel non sit res quædam subsistens, vel rem falsam repræsentet, nam plerique Gentium Dii homines erant, vel aliæ creaturæ. Sed *nihil* ratione *efficaciæ*, quod nihil habeat divinitatis, nihil virtutis ad faciendum aliquid boni vel mali, atque adeo nihil efficaciæ ad sanctificandos vel polluendos homines, quo videtur potissimum Paulus respicere. Eodem sensu, 1 Cor. vii. 19, *Circumcisio nihil esse* dicitur, id est, nullam habere virtutem ad salutem, ut exponitur, Gal. v. 6. Ita quum in Veteri Testamento idola Gentium dicuntur אלילים vel אוים, id est, *vanitates*, hoc intelligendum tantum respectu naturæ et virtutis divinæ, qua fallunt expectationem suorum cultorum, nec quicquam illis prodesse possunt.

XXVI. Quarta exceptio est Bellarm. et aliorum, qui pertendunt prohiberi imagines non quasvis, sed tantum *quæ habeantur pro Diis*, se autem imagines nec pro Diis colere. Sed quocunque modo crimen suum dissimulare conentur, excusare non possunt tamen. 1. Verba Legis non possunt pati hoc glossema, Lex enim prohibet imagines colere, et se coram illis incurvare. At aliquid colere, et coram eo se prosternere, non est statim illud habere pro Deo, nam et Pontificii Sanctos et Angelos colunt, coram illis procumbunt, nec tamen eos volunt habere pro Diis. 2. Si valeret exceptio de non *colendis imaginibus pro Diis*, ageretur hic tantum de objecto cultus, et sic confunderetur præceptum primum cum secundo, cum tamen certum sit ea inter se differre, quod in primo agatur de objecto cultus, seu de non colendis Diis alienis, in secundo vero de ejus modo, id est, de non colendo vero Deo in imagine vel per imaginem. 3. Si hoc admittitur, plurimi idololatræ facile excusari possent. Nec idololatræ fuissent Israëlitæ in vitulo aureo, quem non putabant Deum esse, sed ejus tantum simulacrum; nec Jeroboam vitulos conflando in Dan, et Bethel; nec cultores serpentis æenei, quem non habebant pro Deo, licet incensum ei adolerent; nec Christiani ipsi dicendi fuissent idololatræ, qui coacti idolis vel sacrificabant vel adolebant, licet idola pro Diis non haberent. Nec Ethnicis ipsis, si non omnibus, saltem plurimis hoc crimen impingi posset, qui sæpe profitentur se non habere idola sua pro Diis. Celsus apud Origen., lib. vii. p. 384, τις γαρ αλλος ει μη παντα νηπιος ταῦτα ἡγειται θεους, "Quis nisi plane infans hæc," scil. simulacra, "putat esse Deos?" Arnob. lib. vi. Ethnicos loquentes inducit, "Erras et laberis, nam neque nos æra neque auri argentique materias esse per se Deos, et religiosa censemus numina, sed Deos ex his colimus." Eodem modo loquuntur Ethnici apud Lactantium, lib. ii. cap. 2, "Quæ amentia est aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerunt. Non ipsa," inquiunt Ethnici, "timemus, sed eos ad quorum imaginem ficta, et quorum nominibus consecrata sunt." August. in Psa. cxiii. hoc Ethnicorum commentum refert et refellit, "Videntur," inquit, "sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, *nec simulacrum, nec dæmonia colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.*" Item, "*Non hoc visibile colo, sed numen quod illic invisibiliter habitat.*" Qui ipsissimus est Pontificiorum sermo; an minus tamen propterea idololatræ censendi sunt Ethnici? Ita licet Pontificii imagines non pro Diis colerent, non haberent tamen, quo sese ab idololatriæ crimine purgarent.

XXVII. Nec melius possunt elabi per quintam exceptionem, quæ distinguit *cultum absolutum*, et *relativum* seu *respectivum*; idololatras esse, qui imaginibus *cultum* deferunt *absolutum* et propter se, non vero qui *respectivum* tantum et propter aliud, scilicet prototypum. Nam primo, falso supponunt, se cultum relativum tantum imaginibus tribuere, cum contraria sententia vulgo recepta sit, imagines scilicet Christi et Sanctorum venerandas esse, non solum per accidens vel improprie, sed etiam per se et proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, et non solum ut vicem gerunt exemplaris, ut Bellarm. fuse docet, lib. 2. de Imag. cap. 20 et 22, et probat ex Concilio Nicæno Secundo, jam visum idololatras veteres tam Gentiles quam Israëlitas reos peragi non ob cultum tantum absolutum, sed etiam propter relativum et analogicum, nec simulacra fuisse illis proprium adorationis objectum, sed Deum quem in simulacris colere se profitebantur, ut demonstratum fuit tum in idololatria vituli aurei, tum vitulorum Jeroboami, et plerorumque apud Ethnicos. Tertio, distinctiones illæ inanes, ad deludendam plebem excogitatæ, sunt folia ficulnea, quæ pudenda Romæ tegere nequeunt, imo captum non modo miseri et rudis vulgi, sed et doctiorum superant, quod ingenue confitetur Bellarminus respectu distinctionis latriæ absolutæ et relativæ, dum ait, "Qui defendunt imagines adorari latria, coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus," lib. 2. cap. 22. Et sane quotusquisque tales distinctiones in ipsa praxi observare potest, ut partiatur suam mentis intentionem, et quidem absolutum et proprium tribuat prototypo, relativum autem tantum improprium et analogicum imagini, huic cultum latriæ, illi cultum duliæ, alteri cultum hyperduliæ? Quis contra non videt, Pontificios coram imagine prostratos eundem cultum illi exhibere, quem prototypo redderent? Nec aliter intelligunt, qui cum *Thoma* imagines eodem cultu cum prototypo colendas censent, quam fuisse Concilii Tridentini mentem, *Andradius*, *Naclantus*, *Soto*, qui et ipsi pars Concilii fuerunt, testantur.

XXVIII. Cum ergo liqueat vana esse et falsa quæcunque captant effugia, ad vim fulminis legalis declinandum, quid superest, nisi ut concludamus, Ecclesiam Romanam et quoad dogma et quoad praxim bene a nobis idololatriæ ream peragi, adeoque secessionem ab ea ita esse necessariam, ut nemo, salva conscientia, vel in ejus communione manere et ejus sacris interesse, vel ad eam redire queat. Quod si locus esset de patrum et purioris antiquitatis sententia super hoc argumento disserendi, quam proclive esset ostendere, imaginum cultum vel incognitum fuisse in primis Christianismi seculis, vel aperte damnatum? Nam si hoc apud ipsos receptum fuit, cur toties perstringunt, et salse irrident simulacra et imagines Gentilium earumque cultum? ut videre est apud *Tertull.* Apol. cap. 22, *Minutium Felicem* in Octavio, *Lactant.* lib. ii. cap. 2. 14, 17, 18, *Athanasium* contra Gentes, et alios passim. Cur Gentiles, hisce Christianorum sarcasmis respondentes, nunquam regerunt ipsis suum imaginum cultum? Quod non omisissent procul dubio, si tale quid apud ipsos observassent. Cur contra, carentiam altarium, templorum et imaginum illis ut crimen objiciunt? Cur "nullas aras habent," inquit Cæcilius apud Minutium Felicem pag. 6, "Templa nulla, nulla nota simulacra;" et apud Orig. lib. viii., "Celsus ait nos altarium, templorum, et statuarum dedicationes fugere," et apud Arnob. lib. vi., "Consuestis crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non Deorum alicujus simulacrum constituamus," &c. Cur vero Christiani, ut se ab illo crimine purgent, nunquam reponunt falso

hoc sibi impingi, siquidem et ipsi habeant altaria et simulacra? Sed ex adverso respuentes omnem altarium et imaginum corporearum usum et cultum, alia sibi altaria esse, mentes scilicet fidelium, unde θυμίαμα ad Deum ascendit, alias imagines, virtutes nempe Christianas. Sic Orig. contra Celsum, lib. viii. pag. 400, "Pro aris nobis est mens sua cuique, ex qua sursum feruntur vere spiritualiter suffitus suaveolentes, preces cum pura conscientia. Simulacra autem Deo dicanda sunt, non fabrorum opera, sed a verbo Dei dedolata formataque in nobis, videlicet virtus ad imitationem primogeniti totius creaturæ," &c. Sic Minutius Felix, "Quod simulacrum Deo fingam, cum si recte existimes, sit homo ipse Dei simulacrum," &c. Cur patres hæreticis variis, ut Gnosticis et Carpocratianis, hunc tanquam errorem crassissimum exprobrant, quod venerarentur imagines Christi, Apostolorum, Mosis, &c. ut *Irenæus* adversus Gnosticos, lib. i. tom. ii. hæres. 27. Perperam sane, si et ipsi imagines coluissent.

XXIX. Sed tantum abest ut eas coluerint, quin potius damnarunt expresse, ut colligere licet ex ipsorum scriptis. Loca referre non patitur thesium brevitas, sed consuli possunt *Origenes* contra Celsum, lib. iii. pag. 135 et 139, et lib. vii. pag. 333, 386, 387; *Arnob.* contra Gentes, lib. vi. pag. 671; *Lactan.*, lib. ii. c. 17, 19; *Epipha.* in Epist. ad Joh. Hierosolym., quam Hiero. Latinitate donavit, tom. ii. pag. 161; *August.* Epist. cxix. ad Janu. c. 11, de fide et symbolo c. 7, in Psal. cxiii. conc. 2, de consensu Evangelist. lib. i. cap. 10, de Civ. Dei lib. iv. cap. 31. Quibus addi possunt *Concilia* varia, ut *Elibertinum* in Hispania, quod juxta Baronium incidit in annum 305, quod expresse imaginum usum et cultum prohibet Can. 36, de quo antea Th. XXI.; *Constantinopolitanum* 338 Episcoporum sub Constantino Copronymo et Leone, anno 757, ubi decretum, juxta secundum divinæ Legis præceptum, nec faciendas esse imagines, scilicet ad cultum religionis, nec adorandas, aut si adorationi prostitutæ fuerint, demoliendas esse et confringendas; *Francofurtense* et *Parisiense*, de quibus supra. Decreta quinetiam varia ab Imperatoribus et Principibus adversus imaginum cultum facta, imprimis a Valente et Theodosio, aliisque qui pium ipsorum zelum sequuti sunt, reclamantibus licet Rom. Pontificibus, acerrimis imaginum patronis. Quot vero quantæque ab octavo seculo rixæ super imaginum erectione et cultu excitatæ fuerint inter iconoclastas et iconolatras, tum in Oriente, tum in Occidente, fuse referunt *Plessæus* in Historia Papat., *Chamierus*, *Forbesius Instruct. Hist. Theol.*, *Chemnicius*, *Molinæus*, *Dallæus*, et novissime *Spanhemius*, qui hoc argumentum plenissime est executus in *historia imaginum restituta*, paucis a mensibus edita.

XXX. Cum ergo ex dictis pateat imaginum cultum, non modo in Scriptura, vel puriori antiquitate locum nullum habuisse, sed et expresse damnari tanquam idololatricum, non posse fidelem illi adhærere sine certissimo salutis discrimine, adeoque vel solam hanc rationem secessionis necessitatem nobis imposuisse, proclive est colligere. Nec movere nos debent quæ a Pontificiis hic in subsidium laborantis causæ afferuntur, quæ nullam vim habent ad erroris confirmationem: Non *imagines Cherubinorum* ad arcam positæ? nam præterquam quod remotæ erant a populi conspectu, adeoque non ad cultum, sed ad ornatum et symbolum tantum positæ, non fuerunt *imagines personales*, alicujus suppositi repræsentativæ, sed *figuræ symbolicæ*, et *emblematicæ* officii et usus objecti quod adumbrabant. Non *adoratio*, quæ *fiebat ad arcam*. Quia nec arca imago fuit, sed symbolum tantum Dei præsentis, nec coram arca procumbebat popu-

lus, quasi ipsa per se esset veneratione digna, sed coram Deo quem præsentem adesse arca illa testabatur. Nec Psal. xcix. 5, dicitur adorandum scabellum pedum Dei, sed *ad scabellum*, ut notetur *locus cultus*, non vero *objectum*. Non *visiones Dei* variæ sub specie corporea, et *locutiones anthropopathicæ*, quæ in Scriptura occurrunt. Quia aliud est metaphorice de Deo loqui ad captus nostri modulum, aliud vero speciem ejus visibilem quasi veram et propriam pingere et omnium oculis subjicere. Aliud essentiam ipsam Dei aut personas proprie repræsentare, aliud opera et externam gloriam, seu præsentiam aliquo symbolo ad momentum quadantenus adumbrare. Adde quod Deus potuit in verbo, quibuscunque signis placuit, sui præsentiam designare, sed nefas est, contra ejus mandatum expressum eum in simulacro repræsentare, multo minus colere. Non *serpens æneus*, qui fuit typus Christi, sed non imago, et qui tantum abest, ut religiose coli debuerit, ut contra ipsum jusserit comminui Ezechias, licet Dei jussu formatus fuisset, et multa miracula per ipsum essent præstita, statim atque populus cœpit ei adolere, 2 Reg. xviii. 4. Nec elevatio ejus erectionem ad cultum notabat, sed typicam passionis Christi repræsentationem, Jo. iii. 14. Non denique *Dei recordatio*, quasi imagines sint *libri idiotarum*, qui ipsis in memoriam Deum revocent, eosque officii sui moneant. Nam longe alia mens est Spiritus Sancti, qui *signum vanitatis doctorem* pronunciat apud Jeremiam, cap. x. 8, et *conflatile doctorem mendacii*, apud Habac. ii. 18. Alii sunt libri, aliæ imagines quas sine periculo intueri possumus: *liber Naturæ*, in quo expressa sunt virtutum Dei vestigia, ubi quot sunt creaturæ, tot doctores, qui nos monent officii nostri; *liber Scripturæ*, in quo contemplari licet Christum vivam Patris imaginem, et Sanctorum exempla nobis ad imitationem proposita. Quid opus aliis libris mutis, qui non modo inutiles, sed et noxii et periculosi? per quos, ut observat *Polydorus Virgilius* de Invent. rerum, lib. 6. cap. 13, "Eo insaniæ deventum est, ut hæc pars pietatis parum differat ab impietate." Sic *Gerson* in regulis moralibus, "Nisi pia intentio," inquit, "excusaret multos simplices, idololatræ censerentur." Bellarminus ipse periculum esse non diffitetur, nisi adsit institutio, lib. ii. cap 8. Absit vero a nobis ut mutos istos doctores unquam sequamur, qui non alia de causa populo obtruduntur, quam ad eum a Scriptura abducendum, quam merito Ecclesia Romana fugit, et exhorrescit ut fures lucem, et sontes legem. Absit ut summa in Deum injuria, summo religionis Christianæ dedecore, et Judæorum ac reliquorum infidelium scandalo, per μοιχευουσαν διανοιαν, *mentem scortantem*, ut loquitur *Epipha. idola ulla tzelotypiæ* in templum ejus inducamus. Quin potius unico doctore Christo contenti, eum in verbo audiamus, et cum non aliter legitime se coli posse doceat, quam in spiritu et veritate, hunc illi cultum præ cæteris omnibus acceptum semper exhibeamus, nec unquam patiamur fidem vel praxim ulla erroris vel idololatriæ labe infici. Γενοιτο.

1 JOH. v. 21. Τεκνια, φυλαξατε ἑαυτους απο των ειδωλων.

DISPUTATIO QUINTA,

QUÆ EST

DE TYRANNIDE ROMANA.

DISPUTATIO QUINTA,

QUÆ EST

DE TYRANNIDE ROMANA.

Respondente Renato La Charriere *Privatensi.*

I. Ut vera Christi Ecclesia tribus præcipue partibus constituitur, et totidem veluti characteribus internoscitur, *Veritate*, *Pietate*, et *Libertate*, veritate in *Doctrina*, pietate in *Cultu*, et libertate in *Regimine*, ita falsa tribus potissimum notis distingui solet, *Hæresi*, quæ veritatem evertit, *Idololatria*, quæ pietatis et cultus puritatem corrumpit, et *Tyrannide*, quæ regiminis suavitatem et libertatem opprimit. Quemadmodum enim *Spiritus Christi*, qui a capite totum corpus mysticum pervadit et vivificat, triplicem solet nomenclationem sortiri a triplici, quem in nobis producit, affectu, *Spiritus veritatis*, Joh. xiv. 17, et *sapientiæ*, Eph. i. 17, qui mentes nostras illuminat ad cognitionem veri; *Spiritus sanctitatis*, Psal. li. 11, qui corda sanctificat et impellit ad praxim boni; et *Spiritus libertatis* et *adoptionis*, 2 Cor. iii. 17, qui homines peccati et Diaboli servitute liberat et in regiam filiorum Dei dignitatem evehit, sic Spiritus Diaboli et mundi, qui in falsa Ecclesia regnat, tribus nominibus solet in Scriptura designari ad exitialia ejus effecta connotanda, *Spiritus mendacii*, Joh. viii. 44, qui omnium errorum et hæresium est auctor; *Spiritus immundi*, qui ad omnis generis sordes nos incitat, Matth. x. 1, et xii. 43; et *Spiritus homicidæ*, qui tyrannide et sævitia ubique grassatur, 1 Joan. iii. 12.

II. Hæc tria autem ita sunt gravia et periculosa, ut si unum vel alterum duntaxat in cœtu aliquo, qui Ecclesiæ nomine gloriatur, obtineat, necessario ab illo nobis sit secedendum, nec ulla possit cum illo communio coli. Nam si testatur apostolus, nullam communionem esse posse luci cum tenebris, templo Dei cum idolis, et Christo cum Belial, quis dixerit in ea Ecclesia fidelem manere posse, quæ vel hæresim aliquam docet, vel idolatriam fovet, vel tyrannidem usurpat? Jam si tria ista seorsim singula justam et necessariam secedendi causam præbent, quid fieri putandum est, quando omnia velut agmine facto simul concurrunt, et monstrosum corpus ex hæresi teterrima, crassissima idololatria, et tyrannide durissima conflatum constituunt? Hæc autem non seorsim tantum, sed conjunctim in Ecclesia Romana occurrere antea diximus, et quoad duo prima capita probavimus. Tertium nunc superest de *tyrannide*, quam durissimam et intolerandam in Papatu vigere ostensuri sumus, adeoque cum libertate Christiana plane **ἀσύστατον**.

III. Hoc vero ut demonstremus, non alio opus nobis est argumento, quam ut beatum Ecclesiæ Christianæ statum, et libertatis quam illi acquisivit Christus, suavitatem conferamus cum tristi Ecclesiæ Romanæ conditione, et multiplici jugo, quod imposuit ipsi Antichristus. Christus sane in eum præcipue finem venit, ut libertatem nobis acquireret. Propterea גאל noster et Redemptor vocatur, qui durissima pressos servitute liberare debuit, et jubilæum evangelicum promulgare, in quo non modo datur ἄφεσις seu *remissio* debitorum, ἀποκατάστασις et *restitutio* hæreditatis cœlestis, qua in Adamo excideramus, sed et *liberatio et manumissio servorum*, quæ tria fuerant jubilæi legalis privilegia, quæ in evangelicum potiori jure et longe nobiliori ratione quadrant. Quo pertinent verba ipsius Christi apud Isa. lxi. 1, 2, ubi mentio fit anni beneplaciti, in quo Unctus Domini debuit prædicare *servis libertatem*, et *captivis carceris aperturam*. Ut autem multiplex erat servitutis jugum, quo premebamur, *servitus Legis*, *servitus Peccati*, *servitus Mortis; Lex* maledictionum fulmine et rigida cæremoniarum observatione in homines regnabat, *Peccatum* reatu et dominio eos sibi mancipabat, et *Mors* terroribus et pœnis tyrannide in eos exercebat, ita Christus a triplici hoc jugo nos liberat. A *Legis servitute*, quia factus ipse est pro nobis κατάρα, ut a maledictione Legis nos liberaret, Galat. iii. 13, et finis ac complementum est Legis in justitiam omni credenti, Rom. x 4, ut non amplius simus sub Lege sed sub Gratia, Rom. vi. 14, et mortui simus Legi, Rom. viii. 4, Gal. ii. 19. A *Peccati jugo*, quia factus est peccatum pro nobis, ut essemus justitia Dei in ipso, 2 Cor. v. 21, et factus in similitudinem peccati et pro peccato damnavit peccatum in carne, Rom. viii. 3. A *Mortis imperio*, quia per mortem destruxit eum qui habebat imperium mortis, ut liberaret eos qui metu mortis per totam vitam erant obnoxii servituti, Heb. ii. 14, 15. Quod apostolus admirabili brevitate complectitur, Rom. viii. 2, quum *legem Spiritus et vitæ quæ est in Christo*, dixit, *ipsum liberasse a lege peccati et mortis*. Nam quod Christus merito suo nobis acquisivit, id ipsum Spiritus efficacia nobis applicat, qui propterea distinguitur a *Spiritu servitutis* ad timorem, qui sub Lege vigebat, et *Spiritus adoptionis* et *libertatis* vocatur, Rom. viii. 15, et 2 Cor. iii. 17. Hic enim ut *Spiritus gratiæ* nos liberat a Lege per justificationem, ut *Spiritus sanctitatis* nos liberat a peccato per regenerationem, ut *Spiritus vitæ* et *gloriæ* nos liberat a miseria et morte per glorificationem.

IV. Quamvis vero dulcissima illa et vere aurea libertas, quam Christus nobis attulit, suis limitibus circumscribatur, et non sit quidlibet agendi effrænis licentia, quod vellent libertini, sed suam semper habeat legem et jugum cui fideles subjecit, sed legem suavem Christi, et jugum leve, Matth. xi. 30, et Galat. ii. 19. Unde Apostolus hortatur eos, ne libertatem, ad quam vocati sunt, trahant in licentiam carnis, cap. v. ver. 13, et Petrus ita liberos esse monet, ut sint semper Dei servi, 1 Pet. ii. 13. Ita tamen eos eximit ab omni peccati vinculo et nexu, ut nullo amplius vel ceremoniarum legalium, vel traditionum quarumlibet humanarum jugo subesse possint et debeant, sed conscientia soli Deo obnoxia, ab eo etiam solo pendeat, et illi stet vel cadat. Quo spectant varia illa Pauli loca, in quibus serio fideles monet, ut maneant "in libertate, quam acquisivit ipsis Christus, nec pristino servitutis jugo denuo implicentur," Gal. v.; ut, "pretio redempti, ne fiant servi hominum," 1 Corinth. vii. 23; "Ne quis eos damnet in cibo et potu, vel dierum et sabbathorum discrimine, vel eos præceptis oneret, *ne comede*, *ne gusta*, *ne tange*, quasi adhuc viverent in mundo," Col. ii. 16, 20. Unde si quis non jugum illud pris-

tinum semel confractum revocare, sed aliud longe gravius et intolerabilius conscientiis imponere satagit, ille nec Christum tenet, vel Spiritum ejus novit, nec cum illo partem ullam habere censendus est. Quænam enim tyranno pars esse potest cum legitimo principe, servituti durissimæ cum dulcissima libertate, et Synagogæ Diaboli cum Ecclesia Christi?

Tyrannis Ro. probatur ex Primatu Papæ.

V. Hoc autem Ecclesiæ Rom. esse crimen pertendimus, gravissimis adducti rationibus. Prima petitur ex *primatu Papæ*, et monarchia, quam sibi in totam Christi Ecclesiam ut Œcumenicus Pontifex arrogat, adeo ut nulli prorsus potestati, quæcunque tandem illa sit, civilis aut ecclesiastica, obnoxius sit, ne tum quidem quum officio minime fungitur. Canone, "Si Papa" (verba sunt Gratiani distinc. 40,) "suæ et fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis et remissus in suis operibus et insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi et omnibus, nihilominus et innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quod cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus:" et causa nona, quæstione tertia, "Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminari, sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio," &c. Huic vero, ab omni potestate sic exempto, reliqui omnes absque ulla exceptione subjiciuntur, ita ut subjectio ista inter præcipuas Ecclesiæ notas recenseatur, imo statuatur esse de necessitate salutis. Sic enim *Bonifacius VIII.*, in Extravagant. de Major. et Obed, C. *Unam sanctam*, audacter et impie definire ausus est: "Porro subesse Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus et pronuntiamus esse de necessitate salutis." Imo tales volunt ejus esse sententias, ut contra eas ne hiscere quidem cuiquam liceat, apud *Gratian.*, Causa 17, quæst. 4, "Nemini de sedis apostolicæ judicio judicare aut illius sententiam retractare permissum, videlicet propter Romanæ Ecclesiæ primatum, Christi munere in beato apostolo Petro divinitus collatum." Et ut cumulus perficiatur impudentiæ, Pontifex asseritur apud Glossatorem in Cap., "quanto personam habere cœleste arbitrium, et ideo naturam rerum mutare, substantialia unus rei applicando alii, et de nullo posse aliquid facere, et sententiam quæ nulla est facere aliquam, in his quæ vult illi esse pro ratione voluntatem, nec esse qui ei dicat, cur ita facis? posse enim supra jus dispensare, et de injustitia facere justitiam, corrigendo jura et mutando; demum plenitudinem obtinere potestatis." Ita jurisdictionem hanc tam late patere contendunt, ut nihil sit in toto mundo ad religionem pertinens, quod ex ejus nutu ac imperio non pendeat.

VI. Nec abludit communis doctorum sententia, qui supremam illam Pontificis auctoritatem, tanquam præcipuum Ecclesiæ fundamentum, obtendere solent. Audiatur vel unus *Bellar.*, lib. 3. de Eccl. milit., cap. 12, "Tenemur omnes sub periculo æternæ mortis veræ Ecclesiæ nos adjungere et in illa perseverare, id est, capiti ejus obedire, et cæteris membris communicare." Et cap. 5, "Nemo potest, etiamsi velit, subesse Christo, et communicare cum Ecclesia cœlesti, qui non subest Pontifici, et non communicat cum Ecclesia militante," &c. Imo eo usque progreditur impietas Cardinalis, ut asserat, lib. 4, de Pontif., cap. 5, "Quid si Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere vitia esse bona et virtutes malas, nisi vellet contra conscientiam peccare," quod sine horrore nemo pius legere potest. Sic Joan. de Capistrano de Papæ ecclesi. auctoritate, "Papa Rom. sine comparatione major est omnibus, nec superiorem habet in terris, sed ipse est super omnes, tanquam qui de

cœlo venit Joannes Paptista, verba enim illa, *Qui de cœlo venit super omnes est*, intelligi possunt de summo Pontifice, omnia enim Petro subjecit Dominus, ergo nihil exclusit, nec imperatorem, nec patriarchas," &c. Quo spectat etiam illud Nicolai Papæ in Epis., "Nec ab imperatore Pontificem, nec a rege judicari posse, quoniam non est servus supra Dominum." Posset hoc luculentius confirmari ex intoleranda Rom. Pontificis superbia, ut supra πᾶν σέβασμα sese efferat, non modo quod in terris nominatur, quales sunt reges et imperatores, sed et in cœlis celebratur, quales sunt angeli et sancti, imo et in templo Dei sedeat tanquam Deus, supremam sibi in Ecclesia potestatem vindicans, et Christo Domino se æquans. Verum quia ista commodius poterunt pertractari in sequentibus, quum de characteribus Antichristi sumus disputaturi, sufficiet nunc primatum istum et summam totius Ecclesiæ monarchiam attingere, tanquam certissimam tyrannidis Romanæ notam, quam fugere genuini omnes regni Christi subditi tenentur.

VII. Non diffitemur equidem memorabilem a Christo apostolis cæterisque viris Dei, quorum opera uti voluit ad Ecclesiam gubernandam, concessam, esse potestatem, ut *claves* regni cœlorum, tum *scientiæ*, tum *regiminis*, administrarent, et ligarent et solverent in terris, quod ligatum et solutum esset in cœlis. Verum eam omnem potestatem, qualiscunque sit, ministerialem tantum esse et subalternam, non absolutam et supremam contendimus, quæ servos et ministros deceat, non dominos, ne gloria quæ Christo soli competit, et quam, ut impatiens consortis, testatur se alteri dare non posse, in hominem mortalem et peccatorem impie transferatur. Et si Rom. Pontifices intra justos potestatis istius et ministerii terminos sese continuissent, si claves istas mysticas rite et ut par est semper tractassent, tum puræ doctrinæ preconio, tum sanctæ et bene constitutæ disciplinæ exercitio, debuissent sane fideles ex Christi præscripto illis obtemperare, nec eorum obsequium sine crimine detrectare potuissent. Verum quum, relicto ministerio, dominium et magisterium sacrilege usurparunt, et qui Ecclesiam, ut virginem puram, soli sponso Christo aptare debuerunt, sibi subjicere et infami adulterio legitimi sponsi thorum invadere tentarunt; quum illi, qui ad obsequium unius Christi conscientias captivare tenebantur, ipsi sibi mancipare ausu et inaudito plane intolerando moliti sunt, quis non fateatur gravissimum esse tyrannidis jugum, quod nemo subire potest, nisi qui legitimum Christi jugum et dominium excusserit.

VIII. Nam ut nihil nunc dicamus de monarchiæ istius natura, quæ talis est, ut nemo mortalium tanto oneri par esse possit, multo minus quam respectu monarchiæ universalis in mundo, quam tamen negant dari posse saniores politici, si Scripturam audimus, tamen procul est ab ullo primatu et monarchia in Ecclesia instituenda, ut eam expresse non semel ut tyrannicam et Christo injuriam damnet. Cur enim alias Christus discipulis, de primatu contendentibus, tam solicite omne dominium interdixisset? Luc. xxii. 25, 26, "Reges gentium dominantur eis, et qui potestatem habent in eas benefici vocantur, vos autem non ita, sed qui est maximus inter vos, sit sicut minimus, et qui princeps est, sicut qui ministrat." Cur Petrus tam expresse vetat pastores, ut συμπρεσβύτερος ipsorum, κατακυριεύειν τῶν κλήρων, 1 Pet. v. 3? Cur Paulus se non dominari fidei Corinthiorum testatur, sed servum esse ipsorum propter Christum, 2 Cor. i. 24? Cur inter ministeria sacra, pastores quidem et doctores post apostolos et evangelistas, at nec papam nec cardinales recenset, 1 Cor. xii., Ephes. iv. 11? Cur toties idem unicum esse Dominum, 1 Cor. viii. 6, unicum caput Ecclesiæ, Ephes. i. 22, et cap. iv. ver. 15, declarat? Et sane si eidem regno

duo non possunt dari monarchæ vel coordinate et inordinate, citra evidentem contradictionem, si unum corpus duo capita habere nequit, nisi sit monstrosum, quis dixerit in regno Ecclesiæ duos esse reges, et duo in corpore hoc mystico capita?

ουκ αγαθον πολυκοιρανιη εἷς κοιρανος εστω, εἷς βασιλευς.

Nec huic incommodo remedium afferri potest per σοφον φαρμακον *capitis primarii* et *secundarii;* "injuriam fore Christo, si Papa diceretur caput primarium, et quoad internam potestatem, sed posse dici optime caput secundarium cum Christo et sub Christo, quemadmodum non fit injuria regi, si dicatur prorex esse caput regni sub rege, quin potius ejus augetur gloria, quia semper rex præsumitur esse nobiliori modo caput." Nam primo, distinctio est ανυστατος, siquidem qui caput dicit et quidem supremum, dicit eo ipso primum, quod supra se superius non agnoscit, nec unquam visum nec auditum, corpus unum bene constitutum duo habere capita, unum primarium, alterum secundarium. 2. Falso etiam supponitur, Papam dici caput quoad externam directionem, cum internam etiam potestatem sibi vendicet, leges ferendi conscientiæ obligativas, ut postea dicetur. 3. Exemplum quod affertur de rege et prorege ad rem non facit, quia licet possit a rege prorex vel præfectus constitui, qui regis nomine gubernet, nemo tamen dixerit eum regem posse vocari, et si quis ex subditis regem appellet et salutet, vel si regis nomen et auctoritatem ipse sibi vendicet, tantum abest ut toleretur, quin potius ut reus majestatis damnabitur. Ita possunt in Ecclesia rectores et ministri a Christo constitui, qui sub eo Ecclesiam gubernent, sed immanis fieret Christo injuria, si honorem regis et capitis soli Christo debitum invaderent. Uno verbo, cum Christus sit monarcha, caput et sponsus Ecclesiæ, qui profitetur se illi affuturum semper, nec vicarium nec socium ferre potest, sic enim monarcha non esset μονος, et corpus esset biceps, et sponsus admitteret thori socium, quod non est ferendum. Unde Gregorius I. titulum Pontificis Œcumenici, ceu antichristianum et omnino tyrannicum, detestabatur, epist. 38, ad Johannem Constantinopolitanum, lib. 6. epist., "Ego fidenter dico, quia quisquis se universalem episcopum, vel sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in sua elatione Antichristum præcurrit."

IX. Cum vero maximum sit primatus istius momentum, utpote a quo tota religio Romana pendet, tantæ auctoritatis procul dubio leve non debet esse fundamentum. Sed licet magno molimine passim urgeatur, facile tamen observare est, aquam ipsis hac in parte hærere, nec invenire quomodo nostris satisfaciant, quum tanti principatus, quem Papa sibi sumpsit, petunt ex verbo Dei fundamentum. Imo non obscure colligi potest molestissimam Pontificiis semper visam fuisse quæstionem, quam declinare subinde conati sunt, quia satis intelligebant auctoritatem istam nulla divina institutione subnixam, nullo legitimo fultam esse argumento. Unde Paulus III., coacto concilio Tridentino, legatos suos præcipue de hoc articulo monuerat, ne unquam quacunque de causa ad disputationem Papæ veniretur, ut patet ex hist. Conc. Trid., lib. 2. Et Pius V., instaurato hoc concilio, subito metu perculsus fuit, ne auctoritas pontificia in discrimen veniret, si de eo disceptaretur; adeo ut de concilio inhibendo non semel cogitaverit, nisi a tam damnoso concilio dimoveri se passus fuisset, ut refert III. Thuanus, Tom. 2, lib. 32, ad ann. 1562.

Primatus Papæ non probatur ex Matth. xvi. 18.

X. Scio subinde afferri ad malæ causæ præsidium decantatissima Christi ad Petrum verba, Matth. xvi. 18, "Tu es Petrus, et supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,"

&c. Quasi hinc clarissime constet, Petrum non modo fuisse a Christo constitutum Ecclesiæ fundamentum, sed etiam principem et monarcham cum successoribus suis. Verum nihil vanius et falsius hoc figmento. Primo, quia perperam et gratis supponitur *petram*, de qua Christus loquitur, esse ipsam personam Petri, cum variis rationibus demonstrari queat, non posse nec debere hoc ad Petrum ipsum referri. 1. Quia *petra* hic expresse distinguitur a Petro, σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ. At si Petrum voluit designare, cur non eandem vocem retinet, sed aliam diversi generis usurpat? Nec obstat quod Syriace loquutus sit Christus, apud Syros autem כאפא promiscue usurpari et pro Petro et pro petra, sine generis mutatione. Nam licet Christus Syriace loquutus sit, et ea lingua *Petrus* et *Petra* eodem sono afferantur, notum tamen non idem servari genus; nam, quum ponitur pro lapide, femininum est, quum pro persona, masculinum. Adde quod Matthæus, Græce scribens, non tam sollicite distinxisset inter Πέτρον et πέτραν, nisi ad exprimendam Christi mentem, ne quis Petrum talem petram esse arbitraremur, sed ab ea petra Petrum fuisse denominatum constaret. Ut vero non potest idem esse nomen et denominatum, ita nec petra nomen, unde Petrus denominatur, potest idem esse cum ipso. August., tract. 124, in Joh., "Ecclesia fundata est super petram, sed Petrus a petra; sicut non Christus a Christiano, sed Christianus a Christo vocatur." Secundo, Petrus non potest esse a petra, de qua hic agitur, quia pars est et membrum Ecclesiæ, quæ super eum est ædificanda, unde vel super seipsum ædificaretur, vel debet a petra distingui. Tertio, firmius adhuc hoc ipsum colligitur ex natura rei quæ hic promittitur, ædificatione scilicet Ecclesiæ. At cum Paulus testetur, 1 Cor. iii. 11, nullum aliud fundamentum poni posse præter Christum, hoc in Petri personam sine sacrilegio transferri non posset. Quarto, nullus melior interpres dari potest ipso Petro, qui hoc non ad se, sed ad solum Christum refert, primæ c. ii. 4, 5. Nec obstare potest pronomen demonstrativum ταύτῃ, *super hanc petram*, quod videtur referendum ad proxime antecedens, ut sit positum loco relativi, ut vult *Maldonatus*, quasi dixisset, "Tu petra es, super quam ædificabo Ecclesiam meam." Nam primo, non est necesse, paulo ante eam petram fuisse nominatam ab ipso Christo, sed sufficit de ea fuisse jam factum sermonem; ut omnino factus fuit, si petra ad confessionem Petri, vel ad Christum quem confessus erat, referatur. Deinde qui nescit istius modi pronomina non semper ad proxime et immediate præcedens, sed aliquando ad remotius referri, quando rei natura hoc exigit? Vide Act. ii. 22, 23, et iii. 15, 16; 2 Thes. ii. 8, 9. Ita licet hoc referamus vel ad Christum, vel ad confessionem et fidem Petri, nihil inde coacti exsurgit, sed sensus optime fluet, maxime si addimus, in nomine Petri petram posse dici includi, quasi Christus dixisset, "Tu diceris Petrus a me petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam." Nec novum est relationem fieri aliquando ad vocem in præcedente aliqua dictione latentem, ut Joh. viii. 44, de Diabolo loquens Christus, ὅτι ψεύδης ἐστι καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, quid αὐτοῦ? nempe τοῦ ψεύδους, quod latet in voce ψεύδης. Quid si dicamus pronomen hoc non sumendum esse ἀναφορικῶς, sed δεικτικῶς de loquentis persona? quomodo, Joh. ii. 19, "solvite templum hoc," Christus dicit suum corpus indicando, vel palma pectus percutiendo, Domino nostro vocem suam gestu adjuvante. Sic potuit Christus seipsum designando dicere, super hanc petram, a qua tibi nomen Petri inditum, ad significandam firmitatem tuam in fide, et operam in evangelii ministerio olim præstandam, ædificabo Ecclesiam meam; quod commode interpretatur Augustinus, "Super me," inquit, "ædificabo te, non me super te."

Quid per Petram intelligatur?

XI. Atque hinc jam patere potest, quid per *petram* designare voluerit Spiritus S., nimirum ipsum Christum, quem ore confessus fuerat Petrus, et quem corde crediderat, qui vere est πέτρα αἰώνιος et rupes seculorum, contra quam nec venti tentationum, nec fluctus decumani persecutionum mundi quicquam possunt, ut sæpissime eo nomine venit in Scriptura, Deutero. xxxii. 4, Psal. xviii., Isa. xxvi. 4, Matth. vii. 24. Atque ita facile conciliantur variæ veterum sententiæ super hoc argumento. Quidam *de Christo ipso* exponunt, ut *Augustinus* de verbis Domini secundum Matth., Sermon. 13. " Super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognovisti dicens, *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, ædificabo Ecclesiam meam," quod confirmat alibi sæpius, Tract. 124. in Joh., et de Trinitate lib. ii. cap. xvii., Retract. lib. i. cap. xxiv. *Ambrosius* Serm. 85, " Recte ergo quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino fidei societatem haberet, cum Domino haberet nominis Dominici unitatem, ut sicut a Christo Christianus, sic a petra Christo Petrus apostolus vocaretur." *Hilar.* de Trinit. lib. ii., " Unum ergo est immobile fidei fundamentum, una hæc felix petra Petri ore confessa, *Tu es Filius Dei vivi.*" Sic *Theodoretus* in Psal. xlvii.; *Hieron.* ad Matth. cap. vii.; alii *de confessione et fide Petri*; *Chrysost.* in h. l., " ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας, super hac petra, id est, fide confessionis." *Theoph.* pariter, " αὕτη ἡ ὁμολογία, ἣν ὡμολόγησας θεμέλιον μέλλει εἶναι τῶν πιστευόντων, hæc confessio, quam confessus es, fundamentum erit credentium." *Hilarius*, vi. de Trinit., " Super hanc igitur confessionis petram, Ecclesiæ ædificatio est." Quod omnium optime exponit *Basilius Seleuciæ* in h. l. " Hanc confessionem cum nominasset Christus petram, Petrum nuncupat eum, qui primus illam est confessus, donans illi hanc appellationem, tanquam insigne et monumentum hujus confessionis; hæc enim est revera pietatis petra, hæc salutis basis, hic fidei murus, hoc veritatis fundamentum, fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, Jesus Christus." Sic *Isidor. Pelusi.* lib. i. epist. 235; *Cyrill.* lib. iv., Dial. cum Hermia; *Theod.* lib. ii. in Cant. Licet vero verbis differant, sensu tamen et reipsa conveniunt duæ istæ sententiæ, et ut loquitur Augustinus, *locutionum fuit diversitas, non sententiarum.* Sive enim ad confessionem et fidem referamus cum Chrysostomo, sive ad rem vel personam confessione designatam, Christum scilicet, ut Augustinus et alii, res eodem redit; quia neque confessio, neque fides per se conferunt ad ædificationem Ecclesiæ, nisi metonymice ratione objecti, nimirum Christi, quem amplectuntur. Imo si qui ex patribus ad Petrum referunt, non tam attendunt ejus *personam*, quam *fidem* et *doctrinam*, quæ sæpe in Scriptis eorum metonymice *Petrus* dicitur, quæ fuit et est hodieque, ac semper erit firmissimum Ecclesiæ fundamentum.

XII. Nec sic sentiunt tantum patres, sed quamplurimi nec ignobiles ex adversariis, quorum alii de Christo, alii de fide et confessione Petri *petram* interpretantur. *Lyranus*, " Super hanc petram, quam confessus es, id est super Christum." Glossa interl. *petram* exponit *Christum in quem credis.* Et ordinaria, " Petrus a me petra, ita tamen ut mihi retineam dignitatem fundamenti, tu super me ordinabis lapides multos." Sic *Cardinalis de Alliaco, Joan. Arboreus Theosoph.*, lib. v. cap. v, *Pererius* in Danielem, cap. ii., ubi docet Christum lapidem dici, tum ob alias rationes, tum *quia est petra, super quam est fundata Ecclesia*, &c. et huc pertinet illud vulgatum:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Alii malunt ad fidem et confessionem Petri referre. Glossa ordi. decretorum, distinct. xix., capite *Ita Dominus*, et super hanc petram, "Per hanc distinctionem non credo Dominum aliud demonstrasse, quam hæc verba, quæ Petrus respondit Domino, quum dixit, *Tu es Christus, Filius Dei vivi*, quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia, super se ipso fundavit Dominus Ecclesiam." Sic *Adrianus I.*, in Epist. ad Episcopos Galliciæ et Hisp., quæ est in actis concilii Francofurtensis, "Super hanc petram quam confessus es, et a qua vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei Ecclesiam meam ædificabo." *Joannes de Turre Cremata* de summa Ecclesiæ, lib. ii. cap. x., "Ecclesia est fundata super petram, id est, fidem Christi," &c. Sic *Dionysius Carthusi.* in h. l, *Gorranus*, alii, et præcipue *Ferus*, qui optime loci sensum reddit, "Et hoc claret, quod Christus Ecclesiam suam non super Petrum aut quemcunque alium hominem ædificavit, alia igitur petra inquirenda est. Petra ergo primarie Christus est, cui tota Ecclesia superædificata est. Deinde quia per veram fidem Christo conjungimur et sic quodammodo petrascimus, si sic loqui licet, et ipsa igitur fides Christiana et veritas evangelica firma et inconcussa petra illa est, super quam Christus ædificavit Ecclesiam suam."

XIII. Duo præcipue huic sententiæ opponuntur. Primum, Christum de re futura loqui *ædificabo*. At non ædificanda erat aut ædificari tunc cœperat Ecclesia, sed fuerat jam olim ædificata, itaque ita loquutum esse, quia nondum constitueret Petrum fundamentum. Verum nihil hic est quod nos morari debeat. Nam ita ædificata erat jam Ecclesia super Christum, ut adhuc ædificanda esset in posterum, et quidem peculiari ratione, non ut Ecclesia particularis Judaica, qualis fuerat antea, sed ut Ecclesia Christiana Catholica per totum orbem dispersa, quæ post Pentecostem demum proprie cœpit ædificari ministerio apostolorum. Potuit ergo in futuro loqui Christus, etsi de Petro non cogitaret. Imo ex hypothesi adversariorum non constituendus erat tantum in fundamentum Ecclesiæ, sed ex verbis, *Tu es Petrus*, expresse jam constituebatnr de præsenti.

XIV. Alterum, quod, posita ista sententia, nihil hic Petro singulare tribuatur, cum tamen verba Christi aperte hoc videantur connotare; nam in præmium eximiæ quam ediderat confessionis statim addit, *Et ego dico tibi, Tu es Petrus*, &c. quasi diceret, *Tu me Christum confessus es, et ego vicissim pro illa tua libera confessione hoc tibi repono, Tu es Petrus*, &c. At si petra de Christo intelligitur, quid hoc ad Petrum attinet, quænam merces propria Petro rependitur, quis honor defertur? Sed frustra hoc urgetur. Primo, quia Petrus non suo tantum, sed et aliorum nomine respondet, in signum et argumentum unitatis fidei omnium, ut Christus non Petrum solum sed omnes interrogaverat, "Et vos, quemnam dicitis esse me?" v. 15. Ita responsio Christi quæ additur ad omnes spectat, ratione doctrinæ communis et æqualis apostolatus, quasi diceret, "In vicem confessionis quam edidisti, tibi vicissim dico, quod, sicut cognomen Petri tibi imposui in signum firmitatis fidei quam tibi daturus sum, et apostolatus ad quem te voco, faciam ut doctrina istius fidei, a te prædicata, sit fundamentum Ecclesiæ meæ, et authentica ac θεόπνευστος veritas, ad quam cæteræ omnes doctrinæ componi debent. Secundo, licet daremus, Christum aliquid singulare Petro promittere, an propterea dicendum esset, illum constitui monarcham et caput Ecclesiæ? Nonne satis magna Petro rependitur merces pro edita confessione, quod beatus prædicetur, quod Petri nomen ei inditur ad præsignificandam ipsius in fide constantiam, Luc. xxii. 32, et fidelem quam in evangelii ministerio præstiturus erat operam, quod doctrina ejus Ecclesiæ fundamentum statuitur, quod claves regni

cœlorum illi promittuntur. An vero tot tantaque privilegia ita sunt exigua, ut nihil retributum Petro dici possit, nisi monarcha Ecclesiæ constituatur? Scio hoc etiam ad singulare Petri privilegium a quibusdam viris doctis post Tertull. lib. de Pudic. cap. xxi. referri, quod primus Ecclesiæ Christianæ fundamenta jecerit, tum inter Judæos, Act. ii. 14, tum inter Gentes, Act. x. 34 et xv. 7, atque eatenus dici ædificandam Ecclesiam super ipsum, quia primus omnium hoc efficere debuerit, et, ut scite Tertullian., *primus clavem imbuit.* Quo sane sensu aliquid singulare Petro præ cæteris tributum esset, sed quod ad successores ejus, si qui essent, utpote mere personale, pertinere non posset. Verum licet facile concedam, hanc prærogativam Petro concessam fuisse, nescio tamen an commode ex isto loco adstrui posset, ubi agitur non tam de fundatore et architecto, qui ædificium debet instruere et fundamentum jacere, quam de fundamento ipso, cui debet superstrui. Nec unquam similis locutio vel apud sacros vel apud profanos auctores facile invenietur, in quo domus super architectum ædificata legatur, quamvis sæpe hic vel ille dicatur domum ædificasse et fundamenta ejus jecisse. Nec locus qui affertur ex Apoc. xxi. 14, ubi nomina apostolorum dicuntur inscripta duodecim fundamentis civitatis, hoc evincit, vel qui petitur ex Ephes. ii. 20, ubi Ecclesia dicitur "superstrui fundamento prophetarum et apostolorum." Nam, ut jam supra insinuavimus, hoc non ad personas, sed ad doctrinam referendum est, quasi dicat Apost. fidem Ephesiorum niti auctoritate utriusque Testamenti, ut explicat Justinianus, et doctrina tum prophetarum tum apostolorum; id enim de personis prophetarum intelligi non posse, satis ex ipsorum commigratione ad Deum constat. At Mosem et prophetas adhuc habemus, ut ait Abraham ad epulonem, Luc. xvi., quia eorum doctrina, libris veteris Testamenti consignata, nunc etiam locum obtinet, unicum autem dicitur fundamentum quoad consensum et doctrinam, quamvis multiplex sit quoad personas.

XV. Quamvis vero daremus, quod non concedimus tamen, hanc Christi promissionem ad Petri unius personam respicere, ne sic quidem evincerent adversarii, Pontifici hoc jus competere, quandoquidem longissime distat a Petro Papa, nec ab illo ad istum ulla potest duci consequentia. Nam, ut nunc non dicamus non posse successorem ejus censeri, cum incertum sit an Petrus Romæ fuerit, imo gravissimis argumentis demonstrari posset, si id nunc ageremus, Petrum Romam nunquam vidisse. Quis non videt privilegium, quod hic Petro confertur, singulare esse, quod ad alium extendi nequit? vel munus apostolicum respicere, quod extraordinarium fuit, et proprium personis apostolorum, adeoque ἀδιάδοχον, ut enim illi soli θεόπνευστοι fuerunt, et infallibiles in doctrina, ita soli potuerunt fundamentum esse Ecclesiæ respectu doctrinæ.

XVI. Porro licet *claves* Petro dicantur traditæ, non inde sequitur principem et monarcham constitutum fuisse Ecclesiæ. Primo, quia claves sunt *ministerii*, quæ dantur œconomis et servis, 1 Corinth. iv. 1, qualis fuit Eliakim, Isa. xxii. 20. Non claves *dominii*, quæ dantur regi et principi, quo sensu Christus dicitur, Apoc. iii. 7, "habere clavem Davidis, qui claudit et nemo aperit, et qui aperit et nemo claudit." Secundo, claves istæ non soli Petro fuerunt datæ, sed in persona Petri unitatis significandæ gratia, ut veteres observarunt, omnibus apostolis, imo et singulis Ecclesiæ ministris, unde quod hic Petro vindicatur, aliis promittitur, Matth. xviii. 18, "Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terris, ligata erunt in cœlis," et Joan. xx. 23, "Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; quorum retinueritis, retenta erunt." Quod attinet vero *triplex pasce,*

Joan. xxi. 15, &c. illi a Christo commissum, nullum primatum vel dominium potest conferre, sed tantum ejus ministerium confirmat, et trinæ abnegationi, in quam lapsus fuerat, triplicem opponit amoris stipulationem, triplicemque in munus restitutionem, ut pasceret cum cæteris, non præ cæteris, inter cæteros ut socius, non supra cæteros ut monarcha. Ex quibus, ne diutius in hoc argumento immoremur, colligitur clarissime, Petrum nullum sibi vindicare potuisse principatum vel primatum in Ecclesia. Quod si primatus aliquis illi tribuendus venit, quo sensu *primus* vocatur, Matth. x. 2, et sæpe a patribus *princeps apostolorum*, est tantum *primatus ordinis*, vel *primatus honoris* et existimationis propter dotes eximias, quibus præditus erat, quo sensu Jacobus et Joannes cum ipso vocantur columnæ, Gal. ii. 9, et præcipue ob zeli ardorem et θερμότητα, qua impulsus sæpe primus inter apostolos et omnium nomine Christo respondebat. Sed non fuit *primatus auctoritatis* vel *jurisdictionis*, de quo disputamus, et quem tyrannicum esse merito statuimus.

Papa ex primatu potestatem in reges usurpat.

XVII. Ex hoc porro primatu varia pontificiæ tyrannidis capita exsurgunt, sed tria ista præ cæteris : quod in imperatores et reges potestatem sibi arroget; quod in animas et conscientias sibi jus competere credat; quod in corpora et facultates hominum sibi omnia licere putet. Et ut de *regibus* dicamus primum, quis nescit Rom. Episcopos, qui per multa secula subjecti fuerant imperatoribus, cadente imperio Romano, per ejus ruinas gradum sibi fecisse ad id dignitatis fastigium, quod formidabiles et tremendos eos reddidit principibus et regibus terræ, eatenus ut, postquam locupletati fuerunt eorum liberalitate, hanc retulerint ipsis gratiam, ut intoleranda superbia super ipsos caput extulerint, et scelere inaudito eorum colla impie premere et sibi subjicere ausi sint. Nam ut nunc nihil dicamus de osculo pedum, quod ad morem Rom. imperatorum invexerunt superbissime, ut in Concilio Rom. sancitum sub Gregorio VII., teste Baronio ad ann. 1076. Nihil etiam de contumeliis innumeris regibus et imperatoribus sæpius illatis, ut quod refert Matthæus Paris de Henrici II; Angliæ regis flagellatione, et quod ab aliis narratur de Frederico Ahenobarbo, cui ad pedes Alexandri III. provoluto Venetiis ad obtinendam Othonis filii captivi libertatem, superbissimus Pontifex, cervicem pede premens, hæc dicitur intonasse, " Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem," ad quem Fredericus, " Non tibi, sed Petro hoc dictum est," regessit Papa, " Et mihi et Petro." Hæc gesta sunt anno C. 1177, referente Bessarione apud Baronium, Stella de vitis Pontificum, Hieronymo Bardi Florentino, qui de rebus Venetis Italice scripsit accuratissime et historiam hanc fuse describit, in exemplum scilicet humilitatis apostolicæ. Sed ista exigua sunt præ potestate, quam sibi arrogant in Cæsarum et regum coronas et vitam, quasi penes ipsos sit reges deponere et solio deturbare, regna transferre vel prædæ exponere, subditos fidelitatis juramento exsolvere, aliaque id genus quamplurima præstare, quæ principum majestati et securitati sunt perniciosissima. Ne vero tantum crimen gratis videamur impingere adversariis, paucis ostendamus, hoc non modo præcipuorum doctorum inter ipsos calculis, imo et variis conciliorum decretis, et Pontificum placitis esse sancitum, sed etiam exemplis nimis multis teterrimis confirmatum.

XVIII. Papam potestatem habere reges exauctorandi, et subditos a fidelitatis juramento liberandi, adeo communiter receptum est inter ipsos, ut *Bellarminus*, *Baronius*, *Perronius*, hanc vocem esse pertendant totius Ecclesiæ Catholicæ, et *Bellarminus* in præfatione libri adversus Barclaium

vocet eam *causam universæ Ecclesiæ*, et *sententiam Ecclesiæ Catholicæ*, quam etiam magna auctorum nube confirmat. *Concilium Lateranense* sub Innocentio III., anno. 1215, hæc expresse habet, "Si Dominus temporalis monitus terram suam purgare ab hæretica pravitate neglexerit, per Metropolitanum, et Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc summo Pontifici, ut intimos ejus vassalos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam." *Lugdunense* pariter sub Innocentio IV. Fredericum II. imperio spoliat. Huc pertinent dictatus Papæ Gregorii VII., inter quos isti etiam recensentur, "Quod solus uti possit imperialibus insigniis. Quod solius Papæ pedes omnes principes deosculentur. Quod unicum est nomen in mundo, Papæ videlicet. Quod illi liceat imperatores deponere. Quod a fidelitate iniquorum subjectos possit absolvere." Et canones varii, præsertim Gelasii, "Alius item Romanus Pontifex Zachariam regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, a regno deposuit, et Pipinum, Caroli imperatoris patrem, in ejus locum substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis absolvit," &c. Et Gregorius VII., Rom. Synodo Præsidens, "Nos sanctorum antecessorum nostrorum statuta tenentes, eos, qui excommunicati fidelitate aut sacramento constricti sunt, apostolica auctoritate a juramento absolvimus," &c. Et canonistæ eo usque progrediuntur, ut ex Papa regem faciant, et ex regibus totidem vassalos et subditos Papæ. Licet vero Bellarm. videatur non usquequaque probare hanc canonistarum sententiam, tamen hanc Papæ in reges potestatem fortiter adstruit, et variis doctorum testimoniis confirmat, Italorum, Gallorum, Hispanorum, Germanorum, Anglorum, quorum loca legi possunt in libro contra Barclaium, quibus addit, "Si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, ubi, obsecro, eam inveniemus? et si est, ut verissime est, qui eam audire contemnit, ut Barclaius fecit, annon ut ethnicus et publicanus, et nullo modo Christianus habendus erit? Si non habet Pontifex summus potestatem in terris disponendi de temporalibus, usque ad depositionem principum eorum, qui vel ipsi hæretici sunt, vel hæreticis quoquomodo favent, cur in editione hujus canonis nullus ex tanto numero reclamavit? Cur ne unus quidem, ex tot imperatorum, et regum oratoribus, mutire ausus fuit? Nondum videlicet parasiti principum temporalium exorti fuerant, qui, ut regna temporalia stabilire videantur, regnum æternum iis, quibus adulantur, eripiunt." Jesuitæ sane omnes, ut præcipua Papatus columina, pedibus eunt in eam sententiam. Imo si quis eam negare sustineat, eo ipso in hæresim incurrere pertendunt. *Schulkenius* pro Bellarmino contra Barclaium, "hæreticum vel certe erroneum est et temerarium dicere, Pontificem ut Pontificem, et ex jure divino, non habere potestatem privandi principes seculares suo principatu, quando id bonum spirituale, sive ingens necessitas exigit." Idem et *Lessius* tuetur. *Eudæmono-Johannes* in Epist. monitoria ad J. Barclaium rotundo ore pronunciat "sine controversia non Bellarmini modo, sed Pauli etiam, summi Pontificis et Catholicorum omnium judicio hæresim esse." Bellarm. in Respons. ac Apol. pro Juram. pag. 638, "Probabimus in hoc eodem juramento non agi de sola civili obedientia, sed agi de fide Catholica," et paulo post, "Quæritur abnegatio fidei Catholicæ, et ut obediatur homini contra obedientiam Dei." Perronius multus est in hoc capite probando in cœtu ordinum regni, anno 1615, ubi itum est in eam sententiam, reclamantibus delegatis populi, *Papam posse adimere regna, et regem exauctorare.* Consule pag. 600, 602, 620, 621, 634, opusculorum. Plura possent Jesuitarum

testimonia afferri huc pertinentia, ex *Azorio in Institu. Moral.*, *Avila de Censuris*, *Beccano in Controversia Anglicana*, *Clari Bovarscii aut Scribanii Amphitheatro*, *Jo. Osorio*, *Jo. Mariana*, *Eman. Sa*, *Salmerone*, *Valentia*, et aliis non paucis, qui Papalem monarchiam mordicus defendunt. *Stapletonis* verba, Controv. 3, de primar. subjecto potestatis Eccles. q. 5. art. 2, expressa sunt: "In casu peccati mortalis, et maxime hæresis, potissimum, quando in publicum aliquod, et magnum Ecclesiæ detrimentum vergit, Rom. Pontifex, tanquam supremus Ecclesiæ pastor, ad Ecclesiæ conservationem, et punire quosvis principes potest, et si rei necessitas exigat, regno privare."

XIX. Papæ autem potestatem competere reges deponendi, variis ex causis censent, quales sunt crimen hæreseos, Bell. de R.P. lib. v. cap. 7, "Non licet Christianis tolerare regem infidelem vel hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos; at judicare an pertrahat ad hæresim, pertinet ad Pontificem." Bannes in 2. 2. q. 12. art. 2. §. circa ult. concl., "Ecclesia non tantum privat dominio in subditos principes apostatas perfecte, verum illos, qui lapsi sunt aliquo pacto in hæresim." Tolerantia hæreticorum, et negligentia in iis exscindendis. Grego. IX. decr. lib. v. tit. vii. cap. 16, "Absolutos se noverint a debito fidelitatis dominii, et totius obsequii, quicunque lapsis manifeste in hæresim aliquo pacto quacunque firmitate vallata tenebantur adstricti." Hinc excommunicationis contrahit pœnam, qui cum excommunicato communicat, Caus. 11. q. 3. "Excommunicationis contrahit pœnam, qui excommunicatis communicat." Raymundus in summa, lib. i. tit. de hæreti. s. vii., "Judex vel potestas secularis, non solum propter hæresim suam, sed etiam propter negligentiam contra hæresim extirpandam, potest non solum excommunicari ab Ecclesia, sed etiam deponi." Quo pertinet decretum Concilii Lateranensis, *Si Dominus temporalis*, &c. de quo thesi præcedenti. Inutilitas, insufficientia, ignavia, ætas ad regendum inepta, prodigalitas, et aliæ id genus, quarum cognitio ad solum Pontificem pertinet, Bannes in 2. 2. q. 10. Art. 10. 4. Concl., "Quando utendum sit hac potestate, relinquitur ejus dominio vel judicio," et Bellarm. lib. v. de R. P. cap. vii., "Pontificis est judicare, regem esse deponendum, vel non." Imo tantam esse ejus potestatem pertendunt, ut etiam sine culpa possit regna transferre. *Bozius* lib. xvii. de signis Ecclesiæ, "In quo elucescit auctoritas Papæ, qui potest justis de causis, vel sine causa, ab aliis in alios, jura maxima, qualia sunt imperii, decreto suo transferre."

XX. Nec verbis tantum dira hæc tyrannis sancita fuit, sed exemplis innumeris confirmata. Referunt pontificii scriptores ad perpetuam Pontificis sui gloriam, Gregorium II. parte imperii mulctasse Leonem III. imperatorem; Zachariam deposuisse Childericum Francorum regem, et Pipinum in ejus locum substituisse; Leonem III. imperium a Græcis ad Romanos transtulisse; Gregorium VII. Henricum IV. imperatorem deposuisse, aliumque eligi jussisse; Innocentium III., Othonem IV., et Innocentium IV. in Concilio Lugdunensi Fredericum II., ab Honorio III. excommunicatum, deposuisse, ut testatur Bellar. de Rom. Pontif. l. v. c. 8. Notum etiam quid Julius II. adversus Ludovicum XII. tentaverit, quo pacto ei imperium abrogarit, et Galliam interdicto subjecerit, cui tamen rex, optimatum regni et Episcoporum consilio, strenue se opposuit, imo superatis Alpibus ad Ravennam delevit copias Papæ jussitque cudi nummos aureos, qui etiamnum videntur cum hoc elogio in ambitu, *Perdam Babylonis nomen.* Idem Julius circa idem tempus regnum Navarræ, Johanni Albretano ademptum, dedit Ferdinando Castiliæ regi, qui reg-

num illud invasit non alio jure, quam quia sic visum est Pontifici. Sed ne præterita refricemus tempora, quis nescit Henricum III., Galliæ regem, diris papalibus a Sixto confossum, fidem subditorum, mox et vitam amisisse nefanda Jacobi Clementis Dominicani manu? Et Henricum IV., ad quem consanguinitatis jure regni successio pertinebat, declaratum fuisse inhabilem ad succedendum in Galliæ regnum? Ad quod quando pervenit, diræ papales in eum repetitæ sunt a Gregorio XIV. Sed curia Parlamenti, quæ tunc Turone agebat, pontificalem bullam jussit manu tortoris publice cremari, an. 1591, et solemni Senatus consulto, *bullæ papales* declarantur *abusivæ*, *seditiosæ*, *impiæ*, *et imposturis plenæ*.

XXI. Licet vero hoc jam sit in se inauditum et intolerandum, longe gravius tamen et dirius animadvertet, qui ad tam injustæ potestatis tristissima effecta respexerit. Hoc enim semel posito, Papam sibi arrogare potestatem deponendi reges, transferendi coronas, subditosque a juramento fidelitatis liberandi, nemo non videt sponte sequi, Pontifices non improbare talium regum neces, imo eos morti addicere. Nam qui potestatem sibi vindicat regem de solio deturbandi, eo ipso statuit post latam sententiam desinere esse regem, et ad privatos redigi. Quod si retinere dignitatem velit, non posse nisi per vim et latrocinium, tanquam tyrannum et usurpatorem. Tales autem hostes publicos generis humani haberi, et jure posse a quolibet occidi, quia "In reos majestatis et publicos hostes, omnis homo miles est," ut ait Tertullianus. Ita qui vult regem pelli e regno, vult quoque eum occidi, spoliat enim eum ea auctoritate, quæ vitam ejus tuetur et sacram facit. Unde Papa Urbanus, cano. excommun., declarat eos pro homicidis non habendos, qui excommunicatos occiderint. Suarez, lib. vi. de fi. c. iv., "Incipit esse tyrannus in titulo, quia non est legitimus rex;" quique ideo occidi potest, ut Emanuel Sa notat in verbo *Tyrannus*, "Occupantem tyrannice potestatem, quisque de populo potest occidere, si aliud non sit remedium, est enim publicus hostis." Quod solide demonstrat rex magnæ Britanniæ in libro contra cardinalem Perronium. Possent huc congeri, si id nunc ex professo ageremus, innumera ipsos etiam inter pontificios testimonia, qui immensæ istius potestatis, quam pontifices sibi arrogant, injustitiam, et perniciem demonstrant; inter quos eminent *Barclaius*, *Widringtonus*, *Budæus de Asse lib. iv.*, *Carol. Molinæus contra parvas datas*, *Joannes Tilletus*, *Claudius Fauchetius de libertate Gallicana*, *Petrus Pithæus*, *Antonius Hotomannus*, *Joann. Aventinus*, *Joannes Cuspinianus*, *Duarenus lib. I. de sacræ Ecclesiæ ministeriis et benef. cap.* 4. Et quotquot adversus Jesuitas scripserunt super hoc argumento. Nec omittenda varia Arresta curiæ Parisiensis, et aliarum, quæ hanc Pontificum tyrannidem atro lapillo notant, eatenus ut Pontificem tanquam regni hostem, rebellium fautorem, et immanis ac detestandi parricidii, contra Henricum III. patrati, reum damnent, verba sunt Thuani lib. ci, "Eodem Senatus consulto Gregorius, se pro Pontifice hujus nominis XIV. gerens, publicæ pacis, unionis Ecclesiæ Catholicæ Apost. Rom., regis regnique hostis, conjurationis Hispanicæ princeps, rebellionis fautor, immanis detestandi et inhumani parricidii, per proditionem contra Henricum III. Christianissimum et vere Catholicum regem patrati, reus declaratur." Idem, lib. cxiv., refert orationem præsidis Forgeti, qui testatur "ab hoc errore veluti projectas in regnum sicas, quibus digladiarentur inter se cives. Inde perniciosa de regno ad prædam exponendo et exteris prodendo agitata consilia, ab his initiis detestandam conjurationem, contra Christianiss. et vere Catholicum regem Henricum III. initam, cœpisse, ipsumque tandem abominando parricidio

occisum. Inde flammam, sanguinem, cædes, sacrilegia, latrocinia, vim publicam, immanitatem, monstra, prodigia, et malorum iliadas miserum regnum jam septennium integrum exercere." Nec sine causa ita ratiocinabatur, sciebat scilicet ex bulla Pii IV., edita anno 1558. "Reges et principes, quos pro hæreticis habere voluerit Pontifex, eo ipso absque aliquo juris aut facti ministerio suis regnis et ducatibus privatos existere, regnaque, ducatus, dominia, et bona publicari, et effici juris et proprietatis eorum, qui illa primo occupaverint, si in sinceritate fidei et unitate sacræ Romanæ Ecclesiæ ac sub Romano Pontifice obedientia fuerint," &c. Imo et interficere licere, cum ex directorio inquisitorum, p. 3, "hæreticos propria auctoritate capere, spoliare ac interficere liceat," &c. Quod autem de hæreticis dicitur, idem et de excommunicatis statuitur, *Cano. Excomm.* supra citato. Hanc sane Jesuitarum esse mentem, quorum secta, nullam sæviorem in reges et principes esse, non modo exemplis, sed et testimoniis quamplurimis probari posset, si id nunc ageremus; ex quibus clare pateret, tantorum scelerum vel auctores vel approbatores fuisse, adeoque rotundo ore eos non semel pronunciare, non modo licitam, sed et justam esse eorum regum necem, qui a P. R. excommunicati et regno privati fuerunt, et Pontificem id juris in ipsos habere. Videatur *Mariana* li. 1. de rege et regis institutione, c. vi. et vii.; *Bellarminus* in Barclaium, c. vii., et l. v. de R. P. c. viii.; *Baronius* ad an. 800. s. 10; *Suarez* li. vi. adversus regem M. Britanniæ, c. iv.; et alii non pauci.

XXII. Hanc vero communem et receptam apud ipsos esse sententiam non semel agnovit curia Parisiensis, et aperte testata est; quando restitutioni Jesuitarum apud regem intercedebat, ut Thuanus refert variis in locis, et imprimis libro cxxxii. ubi Harlæus "Jesuitas" ostendit, "votum universale, et doctrinæ capita secum consentientia omnes habere, ut præter Pontificem superiorem nullum agnoscant, eique fidem et omnimodam obedientiam præstent, idque fixum et ratum credant, Pontificem potestatem habere regis extra communionem Ecclesiæ ponendi; regem autem excommunicatum tyrannum esse, et subditos contra eum impune insurgere, ipsorum unumquemque, qui vel minoribus Ecclesiæ ordinibus sit initiatus, quodcunque crimen admiserit, in læsæ majestatis crimen non posse incurrere, quippe qui minime sint amplius regis subditi, nec jurisdictioni ejus subjecti. Ita ecclesiasticos per illorum doctrinam a seculari potestate eximi, manus cruentas licere impune sacrosanctis regibus afferre. Hoc eos et libris editis asserere, et eorum qui contra sentiunt rectam sententiam damnare," &c. Sorbona non semel impiam istam doctrinam damnavit, imprimis in censura propositionum Santarelli circa regum a Pontificibus depositionem et ejus causas, anno 1626, 4. April. "Facultas improbavit et damnavit doctrinam his propositionibus, et horum capitum corollariis contentam, tanquam novam, falsam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odium conciliantem, schismati occasionem præbentem, supremæ regum auctoritati a Deo solo dependenti derogantem, principium infidelium et hæreticorum conversionem impedientem, pacis publicæ perturbationem, regnorum, statuum, rerumque publicarum eversionem, subditos ab obedientia et subjectione avocantem, et ad factiones, rebelliones, seditiones, et principum parricidia excitantem."

XXIII. Hoc vero exempla nimis multa regibus funestissima testata sunt sæpius. Præter ea quæ antea notata sunt, quid non dici posset de ferali tragœdia a Gregorio VII., Hildebrando dicto, in Henricum IV. imperatorem inchoata, et ab ejus successoribus continuata; de Victore III., Urbano II., et Paschali III., eo usque ut proprios filios in patrem, ab

ipsis excommunicatum et diris devotum, armarint, qui persequi ipsum crudeliter non destiterunt, donec misere periret, corpore ipsius per quinquennium insepulto manente in cella quadam ædis desertæ, Pontifice id sepelire vetante, ut referunt *Sigonius* lib. ix. et *Krantzius* lib. v. Quid de Alexandri III. in Fredericum imperatorem lata excommunicatione? De Frederici II. gravibus certaminibus cum Honorio III.? Gregorio IX. et Innocentio IV., qui, anathematibus illum feriendo, et ab imperio deponendo, funestissima bella in Italia et Germania excitarunt, in quibus longo tempore omnia seditionibus, cædibus, et furoribus immanibus repleverant? Quid de Ludovici Bavari, optimi imperatoris, durissimis persecutionibus a Johanne XXII., Benedicto XII., Clemente VI. excitatis, qui eum tanquam hæreticum et schismaticum diris devotum imperio spoliarunt, status ejus in prædam exposuerunt, hostes adversus illum intus et foris suscitarunt, atque ita effecerunt tandem, ut violenta morte interiret? Denique quid non referendum esset de Pontificum fulminibus et diris adversus reges Galliæ sæpius vibratis, ut Bonifacii VIII. adversus Carolum VI., Julii II. adversus Ludovicum XII., et aliorum id genus, quæ memorare longum nimis foret?

XXIV. Sed ne vetera repetamus quæ sunt innumera, sufficiat obiter notasse, quod seculo præterito et hoc nostro præstitum sit tam a Gregorio XIII., Sixto V., et Gregorio XIV., qui nihil omiserunt ad perdendum Henricum III. et IV., et regnum evertendum. Nota est bulla fulminatoria Sixti V. adversus Henricum Borbonium regem Navarræ, et principem Condæum, lata anno 1585, in qua uterque tanquam sectarii et in errorem relapsi, sectariorum fautores ac defensores publici et manifesti, divinæque majestatis rei, et fidei Catholicæ hostes proscribuntur, et Navarrum quidem, omni jure, quod in Navarre regno sibi competere contendit, et ea parte, quam nunc occupat, simul et Benearni principatu excidisse: Condæum autem et utriusque successores omnis principatus et potestatis jure in præsens et in posterum pariter excidisse, indignosque eos esse et eorum successores, qui in ullum principatum, et speciatim regnum Franciæ succedant, hac sententia pronunciatur, subditique obsequii sacramento solvuntur, &c. Notum fulmen depositionis ab eodem in Henricum III., vibratum ob cædem Cardinalis Guisiani, quod regis parricidium a Jacobo Clemente, monacho Dominicano, paulo post est consequutum, anno 1589. Parique conatu, sed dissimili eventu, Henricus IV., post Pontificis excommunicationem, sauciatus est a Jacobo Castello, Jesuitarum alumno, an. 1594, et an. 1610. a Ravalliaco, Jesuitarum itidem pullo, nefarie occisus, qui horrenda ista doctrina imbutus, Pontificem posse excommunicare principes, subditos solvere sacramento fidelitatis, reges tyrannos, quibus non placeret Novatorum excidium, hos insidiis, ferro, veneno petere, non permissum tantum, sed et laudabile, scelus istud execrandum perpetrare non dubitavit. Post Pii V. diras, Elizabethæ reginæ cædes sæpe sed frustra tentata est. Nec mitius actum cum rege Jacobo, ejus successore, in conjuratione sulphurea anno 1605, in qua, cuniculis actis sub palatio Westmonasterii, ubi Parlamentum congregari debuit, et pulvere nitrato oppletis, parum abfuit, quin rex cum familia regia, et totius regni flore funestissime uno ictu periret, nisi Deus clementissimus hoc infernale consilium mature satis detexisset, de qua Thuanus ita loquitur, lib. cxxxv., "Conjuratio omnium, quæ nostri et prisci ævi temporibus memorantur, consilio, audacia, immanitate maxime admiranda, nam fando ubique acceptum, et fama ad posteros transmissum, multos principes fraude cæsos, respublicas insidiis petitas fuisse. At nulla tellus, nulla ætas tale conspirationis monstrum unquam aluit, in qua rex cum regina, parentes cum omni sobole, ordines

totius regni, totum denique regnum, et in eo innumeri innocentes, ut paucorum furiosorum libidini litaretur, uni exitio uno momento destinarentur," &c. Quæ omnia consectaria esse impii dogmatis de suprema Papæ potestate in reges, non est obscurum, quod ibidem illustrissimus præses recte observat. Quam vero istiusmodi scelera non displiceant Pontificibus, exemplum memorandum habemus in Sixto V. Pontifice, in oratione ejus habita in consistorio Papali, anno 1589, super cæde Henrici III., excusa Lutetiæ anno 1590, apud Nicolaum Nivellium et Rollinum Theodoricum cum approbatione doctorum, ubi factum Clementis operi assumptæ a Domino carnis, et resurrectionis ejusdem mysterio, ab Habacuco vate prædicato, propter magnitudinem et rei admirationem confert, et sub finem judicat regem indignum his officiis, quæ imperatoribus et regibus exhiberi solent, quippe S. Scripturæ auctoritate prohiberi, ne quis pro eo, qui in peccato ad mortem, hoc est in Spiritum S. admisso, quale regis peccatum fuit, moritur, preces faciat, et orationem sic claudit, *Propter hæc et similia manifesta impœnitentiæ indicia, decrevimus pro ipso non esse celebrandas exsequias*, &c. Thuan. lib. 95. Quod si serio animadvertere vellent reges et principes, viderent, quantum e re sua esset, sese mature jugo isti iniquissimo subducere, et Papam res suas habere jubere, ut tutius et securius vivere possent. Sed ad alia nunc pergamus, et ostendamus in *animas et conscientias* eandem tyrannidem non una ratione obtinere.

Tyrannis Romana in conscientias.

XXV. Primo, quis non gravem tyrannidem agnoscat in eo quod, cum Scriptura S. sit fax veritatis, pabulum vitæ, testamentum Patris, contractus fœderis nobiscum a Deo initi, semen regenerationis, et epistola Dei ad nos, quæ in eum finem data est, ut sedula et jugi meditatione legatur et investigetur, Psal. i. 2, Johan. v. 29, Col. iii. 16, ita severe tamen ejus lectio interdicitur populo, ut nefas sit vel Scripturam domi habere vel legere. Quod enim olim Pius IV., Regula 4, consilio parochi permisisse videbatur, ut Bibliorum versorum lectio quibusdam concederetur, Clementis VIII. observatione revocatur; ut merum fucum esse videas, quo simplicioribus imponitur, dum negat ullam Episcopis vel Inquisitoribus hoc concedendi potestatem fieri, imo illam iis jam ante sublatam fuisse; nec alia ratio prætexitur, quam quod vernacula lingua liber sit exaratus, scilicet fraudi Christo est, si populariter loquitur. O miseros, qui lucem fugiunt, vitam horrent, cibum calcant, quorum princeps cura est verbum Domini ejicere, clypeum fidei piis eripere, et lucernam sub modium reponere! Sed mirari desine tam audax facinus. Ut fures oculos ante petunt, lucemque prius extinctam cupiunt, quam scelus suum perpetrent, ita boni isti viri verbi facem surripiunt, ut facilius regnare possint in tenebris, et pestiferam lucem disseminare. Quam horrendum vero illud, quod sacratissimus iste veritatis divinæ codex, immota fidei regula et canon, consolationis fulcrum, non modo proscribitur impie, ne in oculos hominum veniat, sed, horresco referens, ardentibus rogis sæpius addictus est. Hic scilicet honor est, quo divina Christi oracula officiuntur, hoc medium, quo errantes in viam reducere satagunt, et fidem ipsis suadere conantur! quasi Scriptura, salutis magistra, hæreticæ pestilentiæ vehiculum esse posset. Licet autem nonnulli videantur in alia omnia ire, lectionem Scripturæ Sacræ non improbantes, et versionem ejus in lingua vernacula adornantes, quantas tamen turbas excitarit novissima Jansenistarum Novi Testamenti versio, nemo est qui nesciat, et si quid de rigore illo quidam remittunt, certum est tamen non omnibus placere, et in pluribus locis; ut in Italia, Hispania, et alibi, idem interdictum severissime observari.

XXVI. Unde nihil mirum jam videri debet, si nihilo mitius aliorum scripta tractentur. Longum esset impias eorum artes hic persequi, sed qui eas cognoscere voluerit, adeat *Indices Expurgatorios* varios antehac editos, et novissimum, qui in lucem prodiit Madriti an. 1667, ubi immanis inquisitorum audacia in corrumpendis doctissimis et piissimis quibusque, qua veterum qua recentiorum lucubrationibus, patet. Eo quippe processit furor, ut in ipsos libros, non secus ac in veritatis professores agatur, non ratione, sed manu, non stylo, sed ferro, non scriptis, sed proscriptionibus. Pacem enim nullam putant nisi vastitatem fecerint, damnant quia oderunt, oderunt quia ignorant, et malunt nescire, quia odisse volunt, quam id scire, quod si sciant, odisse non poterant, ut scite de Ethnicis loquebatur Tertullianus; metuunt scilicet, ne lux veritatis Ægyptiacas tenebrosasque artes et prodat et perdat. Ideo quicquid inerat masculi et sinceri in omnium gentium generumque scriptoribus, quicquid tyrannidis suæ sævitiam, superstitionis fœditatem, et Curiæ Rom. corruptionem perstringebat, consilio sane audacissimo, sed consultoribus pessimo, novacula sua et falce expurgatoria præcidere ausi sunt. Nemini parcitur; alii in totum arcentur et damnantur, et fronti inusto cauterio nigrum præfigitur *Theta*; alii, ut dubiæ et suspectæ fidei, obelo interpunguntur. Alii cum expurgatione permittuntur, ut nihil jam vel patres vel scriptores alii loquantur, quod non sapiat ad Papæ palatum. Et ne quis putet hæc ab iis clam fieri, et in occulto, ut incautos decipiant, juxta vetus illud *si non caste saltem caute*, aperte agunt et tanquam de re bene gesta gloriantur. Testem habemus omni exceptione majorem, *Augustinum* Venetiis apud Juntas excusum in quarto, anno 1584, qui penes nos est, in quo qui editioni præfuerunt, testantur in ipsa libri inscriptione, "se, præter locorum multorum restitutionem secundum collationem veterum exemplarium, curasse removeri illa omnia, quæ fidelium mentes hæretica pravitate inficere possent, aut a catholica orthodoxa fide deviare." Ea vero specie plagia quælibet, furta, et corruptelæ obvolvi possunt, ne posthac patres quicquam amplius Rom. Curiæ molestum sonent.

XXVII. Sed tempus est, ut ad *Potestatem* νομοθετικὴν transeamus, in qua sævissimam etiam tyrannidem in animas exercet Ecclesia Romana. Cum enim Christus se unum doctorem et legislatorem esse profiteatur, penes quem servandi et perdendi potestas est posita, Jac. iv. 12, qui solus proinde imperium habet in animas, et a cujus nutu pendere debemus, isti novos et quidem a Christo institutos pertendunt esse se nomothetas, qui non modo constitutionibus ecclesiasticis prospiciant, ut omnia decenter et ordine fiant in Ecclesia, (quod ad omnes legitimos Ecclesiæ rectores pertinet ex mandato Pauli, 1 Cor. xiv. 40) sed qui infallibiles se jactent, et jus sibi arrogent leges ferendi conscientiis, quæ pro necessario et vero Dei cultu ingeruntur, quasi maxima religionis et pietatis pars in earum observatione sita sit. Longum esset earum catalogum texere, et vanitatem ac impietatem describere, sed quis non videat jugum esse ἀβάστακτον, quod conscientiis imponitur, et quo misere torquentur?

XXVIII. Ut vero ex innumeris unam vel alteram tantum attingamus; quis ad *confessionis auricularis* institutum attendere potest, quo quisque adultus baptizatus tenetur, semel saltem in anno, peccata omnia sua, cum omnibus eorum circumstantiis, confiteri in aurem sacerdotis, ut eorum remissionem obtineat, qui non fateri cogatur gravem esse conscientiarum carnificinam, tyrannidis et rapacitatis Pontificiæ organum, arcana principum et familiarum rimandi machinam, et scelerum ac impuritatem scholam? Quis *Vota Monastica* expendit, qui idem tyrannidis jugum non

animadvertat, non modo dum nemini licet sacris operari, nisi qui volens nolens cælibatus legem sibi imposuerit, sed et dum tanta istius voti necessitas creditur, ut capitale sit illi renunciare, et tanquam votifragi traducuntur, qui libertatem evangelicam amplectuntur, cum tamen in turpi voto mutandum sit decretum, et satius sit matrimonium, quod inter omnes est τίμιον, Heb. xiii. 4, contrahere, quam uri, 1 Cor. vii. 9? Quis denique tot *festa*, *jejunia*, *vigilias*, et *cæremonias*, partim ex Ethnicismo, partim Judaïsmo derivata, quibus conscientiæ velut gravissimo onere premuntur, et tantum non opprimuntur, intuetur, qui intolerandam hanc tyrannidem non defleat? Conquerebatur suo tempore *Augusti.*, *Epist.* 119. *ad Janua.*, quod neglectis Dei præceptis, tam multis præsumptionibus plena essent omnia, ut gravius corriperetur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerat, quam qui mentem vinolentia sepelierat. Conquerebatur Ecclesiam, quam Dei misericordia liberam esse voluit, servilibus oneribus sic premi, ut tolerabilior fuerit conditio Judæorum. Si hoc seculo sanctus ille vir vixisset, quibus querelis deplorasset eam, quæ nunc in Ecclesiam invecta est, servitutem, si vidisset innumeris illis ritibus, partim ineptis et inutilibus, partim impiis et falsis, omnibus sane fictitiis et mere humanis, totum Dei cultum corrumpi?

XXIX. Sed gravius hoc est longe et intolerabilius, quod non modo leges istæ feruntur conscientiis, sed et tanto rigore urgentur, ut legis divinæ violatio nihil videatur esse præ illarum transgressione. Et sane quis nescit, longe majorem reatum apud sacrificulos Pontificios contrahere, qui carnem die Veneris gustaverit, quam qui linguam blasphemam adversus Deum extulerit? Qui auricularem confessionem anno vertente prætermiserit, quam qui nequissimam vitam in totum annum produxerit? Qui votivam peregrinationem non persolverit, quam qui in promissis omnibus fidem fefellerit? Qui idolum sine honore præterierit, quam qui homines contumeliose tractaverit? Qui sacris operans legitimo se copulaverit matrimonio, quam qui mille sordibus corpus fœdarit, qui non demurmuraverit certis horis, et ad gobulos, certa sine sensu verba, quam qui legitimam orationem animo nunquam conceperit? Quid est *irritum facere propter suas traditiones Dei præceptum*, si hoc non est, quum observationes mandatorum Dei frigide tantum et perfunctorie commendantes, suorum exactam obedientiam non minus anxie urgent, quam si totam pietatis vim in se continerent; quum divinæ legis violationem levibus satisfactionum mulctis ulciscentes, unius sui decreti vel minimam offensionem nulla leviore pœna plectunt, quam carcere, exilio aut gladio? Sic cœlestia Dei oracula vilescunt præ verbis hominum, et lex summi Numinis mandatis infirmorum mortalium postponitur.

Tyrannis Ecclesiæ Rom. in corpora.

XXX. Plura possent afferri istiusmodi, quibus sæva tyrannide in *conscientias* Roma grassatur; unde non mirum si in *corpora* etiam sæviat, et imperium suum ferro et flammis, aliisque injustissimæ violentiæ mediis stabilire conetur. Nec obscura sunt ejus rei documenta. Quis enim ambigendi locus esse potest, post ea quæ superiori seculo et hoc nostro contigerunt? Consulantur martyrologia, et evolvantur annales rerum a tribus seculis gestarum, et clarius hoc constabit, quam ut probatione indigeat. Nam ut nihil nunc dicamus de *Joh. Wiclefo*, qui ante 350 annos ausus est Romæ bellum palam indicere, et cujus, immani crudelitate, quadragesimo demum post mortem anno, cremata sunt ossa Oxoniæ; nihil etiam de *Johanne Husso*, et *Hieronymo Pragensi*, qui, violata publica fide Constantiæ ex Pseudo-Synodi decreto, execrabili perfidia, non tantum durissimo carcere aliisque

tormentis vexati sunt, sed et vivi sunt ustulati circa ann. 1416; nihil de pluribus aliis ex diversis orbis terrarum regionibus divinitus ad instaurandum Christianismum selectis martyribus, quis nescit quot et quantæ perpetratæ fuerint cædes, non paucorum, sed innumerorum fidelium? quam immanes contra Albigenses, Valdenses, Lolhardos, Lutheranos, Reformatos, sese erroribus et tyrannidi Ecclesiæ Romanæ opponentes, suscitatæ persecutiones, editæ strages, et carnificinæ horrendæ in præcipuis Europæ regnis et provinciis? Horret animus cogitare et recensere proscriptiones, exilia, carceres, bella, lanienas, et sævissima tormenta, quibus in fideles Christi servos, et Christianorum myriadas sævitum est, non alia de causa quam quia conscientiam idololatriæ crimine polluere detrectabant, et characterem Bestiæ, vel admittere nolebant, vel amplius ferre. Vidit hoc nimium et sensit, proh dolor! Hispania, Italia, Gallia, Anglia, Germania, Belgium, et totus pene orbis Christianus. Clamat adhuc tot innocentium sanguis, quo non urbes modo, sed et campi toti maduerunt. Sed præstat hæc silentii sipario tegere, quam ea referendo infandum renovare dolorem. Utinam vero hæc fuissent tantum, nec nostra ætas, nostrum hoc seculum tristissima istiusmodi vel vidisset jam, vel videret etiamnum exempla. Sed Satan antiquum semper obtinet; imo procedente seculo duplicari videtur ejus rabies, dum tyrannidis suæ spatium contrahi videt. Quod si recensenda essent plurima crudelitatis istius argumenta, quid non dicendum esset de dirissimis, quæ quinquaginta abhinc annis, vel in *Rhætia* et *Valle Telina*, anno 1620, vel in *Hibernia*, anno 1645, vel in *Vallibus Pedemontanis*, anno 1655, perfidia plusquam Punica, et barbarie plusquam belluina contigerunt, lanienis? Et de luctuosissima Ecclesiarum illarum antiquissimarum dissipatione et clade, quæ novissime contigit, non aliam ob causam, quam propter religionem, quia noluerunt puriorem fidem a piis majoribus traditam, et ab ipsis Apostolorum temporibus constanter inter ipsos receptam et creditam, ejerare, ut se Papali tyrannidi manciparent; quarum miserabiles supersunt reliquiæ, piorum omnium amore et charitate dignissimæ, partim ex inaccessis montium jugis, et abditis rupium antris elapsæ, velut *titiones ex igne erepti*, partim ex tetris, quibus a pluribus mensibus injustissime inclusæ tenentur, carceribus, quæ brevi liberandæ dicuntur, de quibus sine lachrymis, et tenerrimo tantæ ipsarum calamitatis sensu, cogitari non potest. Quid rursus dici non posset de compluribus aliis crudelissimis persecutionibus, quæ in *Bohemia*, *Palatinatu*, *Hungaria*, et alibi passim in Protestantes motæ sunt antea, et quæ quotidie moventur? In *Gallia* imprimis, ubi in tantum exarsit persecutionis exquisitæ æstus, adversus pios fratres, ut nullam quietem sibi dederit Clerus Romanus, hostis ipsorum ασπονδος, donec obtinuerit ultimum Ecclesiarum illarum florentissimarum excidium, per absolutam *edicti Nannetensis*, Octob. 18, 1685, factam abrogationem, sub cujus fide publica, tanquam *edicti perpetui et irrevocabilis, et legis regni fundamentalis*, ut appellatur subinde, hactenus pacate quoad libertatem conscientiarum vixerant, licet non parum illud jam variis modis quotidie, artibus adversariorum vaferrimis, labefactaretur. Exinde enim, ut abyssus abyssum invocat, factum, ut privilegia omnia Reformatis concessa ablata sint, templa eorum diruta, scholæ et academiæ clausæ, pastores in exilium pulsi, vel in carceres conjecti, greges dominici dispersi, et huc illuc disjecti, libertas exercitiorum, conscientiarum penitus erepta, et alia id genus in afflictissimos fratres decreta et exercita, quæ ut nimis in vulgus nota omittimus, quæque lachrymis potius sanguineis deflenda, quam verbis sunt exprimenda. Sic scilicet, quos simul et semel delere non potuit Antichristi crudelitas, sensim confi-

cere conatur. Et quod lanienis, bellis, ferro et igne, aliisque sævitiæ generibus, quæ corpora et bona tangunt, assequi non potuit, idem ipsum, subtiliore quidem, sed periculosiore ratione aggreditur, non corpora ipsa tantum et bona ac facultates, sed fidem et religionem ipsam, et religionis caput et arcem, veritatis scilicet thesaurum, et conscientiarum libertatem, rebus quibusvis pretiosissimis longe cariorem, impetendo.

Inquisitionis Hispanicæ crudelitas.

XXXI. Possemus ulterius sævam istam tyrannidem confirmare, ex nefaria *de propaganda fide et extirpandis hæreticis congregatione*, quæ in id unum intenta est, ut quacunque tandem ratione lucem veritatis in Ecclesia coruscantem extinguat, et fideles Christum profitentes perdat. Tum ex sanguinolentis consiliis, quæ Papa per emissarios suos solet suggerere principibus sibi addictis in eos, qui durissimo ipsius jugo colla nolunt subdere, quorum exempla nimis multa afferri possent. Sed sufficiat nunc unam *Inquisitionem Hispanicam* memorare, quæ omnium clarissime hoc ipsum evincit. Quid enim iniquius et crudelius sacerrimo hoc tribunali, in quo, magistratu politico excluso, et cui nihil aliud relinquitur præter executionem istius carnificinæ, inquisitores simul actores, testes, et judices esse solent? Ubi vere, si uspiam, τα βαθη Satanæ occurrunt. Cujus arcana, horribilesque processus inquisitorum, et pœnarum ac tormentorum modos, si quis penitius cognoscere cupiat, adeat *Reynoldum Gonsalvum Montanum* in peculiari tractatu Latino, *Eymerici Directorium Inquisitorum* cum commentariis Francisci Pegnæ, et *Lucernam Inquisitorum*, auctore *Bernardo Comensi*, cum notis ejusdem Pegnæ, qui fuse quicquid huc pertinet exequuntur, et tribunalis istius plusquam Busiridei diritatem exponunt. Unde non mirum si omnibus exosum semper fuerit, et tot tantæque excitatæ sint turbæ, sive in regno Neapolitano, sive in Belgio, sive alibi, quoties de eo erigendo cogitatum, quod non semel observat *Thuanus* nominatim, lib. iii., ad annum 1543, p. 81. "Tunc temporis," inquit, "jam in Italia multos clam Lutheri doctrinam amplecti rumor erat, sensimque latius serpere malum, quam ut diutius ferri deberet, ei non aliter posse occurri dicebat Toletanus, quam si ex laudabili Ecclesiæ decreto lex in regno stabiliretur, quæ, quoniam severissime in capita et fortunas hominum prave de religione, ritibusque atque institutis Ecclesiæ, sentientium inquirit, *Inquisitionis* nomen sortita est. Ejus horror et odium ingens jam ab illo tempore, quo Ferdinandus, ejectis ex Bœtica Mauris, Catholici titulum adeptus, ut reliquias Judaïcæ et Mahumetanæ pestis in Hispania extingueret, illam sævissime in regnis suis per Dominicanos fratres exercuerat; augebat horrorem perversa et præpostera judiciorum forma, quæ contra naturalem æquitatem, et omnem legitimum ordinem in jurisdictione illa explicanda observatur, tum etiam immanitas tormentorum, quibus plerumque contra veritatem quicquid delegatis judicibus libebat a miseris et innocentibus reis, ut se cruciatibus eximerent, per vim extorquebatur; quo fiebat ut non tam pietatis tuendæ causa eam inventam dicerent, cui alia via satis ex antiqua Ecclesiæ disciplina prospectum esset, quam ut, eversis ista ratione etiam omnium fortunis, liberis capitibus periculum crearet," &c. Et lib. xxiii., ad annum 1559, narrat, quo pacto Philippus in Hispaniam veniens a Sectariorum castigatione initium fecerit. Et cum antea singuli aut plures, ut casus tulerat, ob pravas de religione opiniones post condemnationem mox carnifici traderentur, in ejus adventum servati, passim tota Hispania damnati, et Hispalim ac Pinciam deducti sunt, quibus locis theatrali pompa ad supplicium producerentur; ibidemque complurium nomina utriusque sexusrecenset, qui crudelissime ex inquisitorum sententia ultimo supplicio sunt affecti. Possunt

etiam videri apud *Burgundum*, in histor. Belg. lib. ii., leges inquisitionis Belgis impositæ, uti eas Carolus V. anno 1550 in unum corpus omnes contraxit, et hanc tabulam populo proposuit, ut vel ex hoc uno tyrannidis istius immanitas pateat. Primi articuli, in Reformatorum aliorumque apapistarum capita scripti, sic se habent: "Extra theologos ab universitate admissos de Scripturarum sensu sermonem controversiamque nemo misceto. Proferendi, differendi, concionandi illicita jus non esto. Qui secus faxit perduellis esto, ex die criminis intestabilis esto, alienandi facultatem ne habeto. Pœnarum gradus sunto. *Pœnitentia ducti*, si viri, gladio plectuntor. Feminæ in terram vivæ defodiuntor. *Contumaces* igne cremantor, bona universorum in fiscum rediguntor," plura istius generis, quæ sine horrore mens pia legere non potest. Quod si plena detestandæ istius praxeos notitia haberi posset, quam non sine causa carnifices isti summo studio occultare conantur, facile mihi persuadeo neminem fore cui cor sit, non dicam Christianum, sed humanum tantum, qui ad talia portenta horrore totus non percelleretur. Si de Turcis vel Paganis ageretur, qui veri Dei cognitione destituuntur, minus mirum esset eos tale quid adversus nos moliri, licet vix arbitrer apud Turcas et Paganos tantæ immanitatis exempla occurrere posse. Sed quis unquam credidisset Christianos in Christianos ipsos ita sævire, non alia de causa, quam quia Christi veritatem profitentur, nec alias leges, quam quas ipse nobis in verbo præscripsit, sequi volunt? Siccine ergo Christus dictatoria potestate ministros suos instruxit, qui de vita et fortunis hominum pro libitu statuerent? Siccine ad fidem et religionem voluit eos adduci? At Christus fidem quidem persuaderi vult, sed non imperari, ut doctoribus, non draconibus, pastoribus non tortoribus, verbis non verberibus, ad id opus sit; vult ut efficacissima veritatis demonstratione, et armis spiritualibus, non carnalibus, 1 Cor. ii. et 2 Cor. x. 4, peccatores a fide devii invitentur, flectantur, et suavi quadam ac grata violentia et πειθανάγκῃ ad Christum ducantur. Sed ubi unquam permissum vel injunctum est, vel a Christo, vel ab apostolis, ut ad fidem homines sub capitalibus pœnis, et tormentis morte ipsa gravioribus, cogerentur? An hæc spirant spiritum Christi, agni Dei mitissimi? An non potius draconis infernalis genium, qui mendax et homicida fuit ab initio?

XXXII. Ex quibus omnibus, (ne diutius in hoc argumento immoremur,) luce meridiana clarius patet, quod antea demonstrandum suscepimus, Ecclesiam Romanam gravissimo tyrannidis jugo conscientias onerare, quod cum libertate Christiana plane est ἀσύστατον. Unde et sponte fluit sententiæ nostræ invicta probatio, nimirum et majores nostros justissimam et summe necessariam habuisse ab ea secedendi causam, et nos nullam rationem habere hodie quocunque demum prætextu, ad eam redeundi et syncretismum cum ea ineundi. Et sane si Deus expresse vetuerat olim, ne Israëlitæ, semel ab Ægyptiaca servitute liberati, de reditu in Ægyptum cogitarent, Deut. xvii. 16, Jerem. xlii. 15, si semel egressos e captivitate Babylonica noluit iterum ad eam se conferre, sed in perpetuum ab ea sejunctos manere, ne ejus sordibus amplius inficerentur, Isa. lii. 11, quanto magis necessarium est a Romana tyrannide, Ægyptiaca et Babylonica longe crudeliori, semel liberatos, de ejus jugo iterum subeundo nunquam in æternum cogitare, cum hic non corpora tantum, sed corda, non facultates, sed conscientiæ in servitutem addicantur!

Frustra syncretismum cum Roma hodie urgeri.

XXXIII. Atque hinc proclive est colligere, quid judicandum sit de eorum consilio, qui jam olim de syncretismo cum Pontificiis ineundo cogitarunt, et de illis qui nunc etiam idem saxum volvere dicuntur, et eum in finem emis-

sarios huc et illuc missitare, qui per varias regni provincias circumcursent, verbi ministros privatim conveniant, humaniter compellent, et multa polliceantur quæ ad controversias aut minuendas, aut diremendas, aut amice leniendas, prodesse possent, modo ipsi tam salutari consilio aurem præbere et subscribere non recusent. Imo eo usque progredi feruntur, ut summa capita operis Henotici, quod moliuntur, variis articulis expressa exhibeant, quibus errorum variorum et superstitionum reformatio videtur promitti, quales sunt v. g. "Imaginum e templis ablatio; communionis sub utraque specie restitutio; liturgiæ reformatio, et in linguam vernaculam versio; maximæ cœnobiorum partis suppressio, et ad trigesimum usque ætatis annum votorum monasticorum dilatio; indulgentiarum moderatio, aliorumque rituum et cæremoniarum minus necessariarum mutatio." Et alia non pauca id genus, quæ in cœtu generali doctissimorum utriusque communionis theologorum debeant approbari, et confessione generali, quæ capita fidei, de quibus consensus est inter partes, omissis iis in quibus dissensus, contineat, exprimi. Quæ quidem magna cum ostentatione possunt obtendi. Sed, ut facile conjicere licet, incassum, ut neutri dissidentium parti placitura sint hæc molimina. Non adversariis, quia plus justo ex illorum mente nobis conceditur. Non nostris, quia non satis. Illi querentur Ecclesiam suam infallibilem erroris argui. Isti vero non ferent præcipuos et capitales errores semper retineri. Ita non potest non irritus esse omnis iste conatus. Sed si quis penitius ad rei veritatem attendat, non obscure deprehendet hæc omnia non alio fine tentari, quam ad laqueos conscientiis nectendos, et simpliciores, sub eximio pacis, sed subdolæ et insidiosæ, nomine illis imponendo, in servitutis pristinæ jugum reducendos. Dum enim Roma primatum et tyrannidem suam retinebit, quæ dominari vult et non corrigi, quis locus potest esse syncretismo? Unde non mirum si Ecclesiæ Reformatæ adeo ab eo consilio, quod *Samaritanismum* et religionum farraginem potius quam veram et sinceram ἕνωσιν inducit, alienas semper se præbuerint, utut zelum bonæ, et quæ Deo grata esset, pacis præ se ferentes, molitiones illas repudiaverint; et si quis esset inter evangelii ministros, qui illis vel palam vel clanculum faveret, exauctorationem severissime sint interminatæ.

XXXIV. Non sane quod pacem toto pectore non exosculemur, verum pacem veram et solidam quærimus, quæ indissolubili cum veritate conjuncta sit vinculo, quando tam arcte duæ istæ Patris luminum, qui et prima veritas est, et summa charitas, filiæ, sunt connexæ, ut neutram habere possit, qui alterutram negligit, et utramque perdat, qui utramvis non servat. Nec alia de causa divinus vates gratiam et veritatem sibi mutuo occurrentes, justitiam et pacem sese invicem osculantes proponit, Psal. lxxxv. 10, et Zacharias veritatem et pacem amare jubet, c. viii. 16, et Paulus, Eph. iv. 15, τὸ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ tam sollicite commendat, quam ut utriusque sanctum et constans connubium doceant, ut nec veritatem sine pace, nec pacem sine veritate sectemur. Hactenus sane pax modis omnibus quæratur a nobis et optetur, et si quis alienum se ab ea ostendit, nunquam vel Dei pacis filius, vel Christi Principis pacis frater et membrum haberi poterit. Verum si pacem obtinere non possumus sine veritatis dispendio, (qua nihil prius, nihil antiquius nobis esse debet, ad cujus defensionem majores nostri tot sunt labores passi, tot ærumnas sustinuerunt, totque martyria subire promptissime non recusarunt) quis injustissimæ pacis δῶρον ἄδωρον non aversetur, et pacem internam et æternam cum Deo, externæ et temporali cum hominibus, qualiscunque demum sit utilitatis et commodi, non præferat lubens? Imo si totus mundus lucrandus esset, exitialis ista

mixtura nunquam esset facienda. Hiero. ad Theoph., "Volumus et nos pacem, et non solum volumus, sed rogamus; sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitiis, pacem in qua non sit bellum involutum, pacem, quæ non ut adversarios subjiciat, sed ut amicos jungat. Quid dominationem pacem vocamus, et non reddimus unicuique rei vocabulum suum?" Alias cum Nazianzeno censemus "melius esse laudabile bellum pace, quæ nos a Deo separat."

Vanitas consilii Henotici demonstratur.

XXXV. Hanc autem et non aliam urgeri pacem, Hypsæa cæcior est, qui non videt. Primo, quia qui hoc opus aggredi dicuntur, se eo ingerunt non vocati, nullaque ad id suscipiendum facultate a partibus dissidentibus donati, præsertim ab iis, sine quorum nutu et consensu quæcunque vel offerunt vel omittunt irrita esse necesse est. Quid enim proderit magno molimine syncretismum urgere, et pacem offerre, insciis vel invitis illis, quorum præcipue hic res agitur, nisi Pontifex, quem Ecclesiæ suæ caput esse volunt, bulla aliqua vel diplomate hoc quicquid est negotii calculo suo approbet? Ostendant vero nunquid Papa consensum huic operi præbeat, vel ut Patriarcha fiat in regno, qui a solo rege pendeat, vel ut cætera quæ promittuntur reipsa impleantur. Cum vero nihil tale hactenus fecerit, nec unquam sit facturus, quis non judicet dolum malum et fraudem hic subesse, ut, si quod intendunt assequi non possint, quæcunque molientur aut gerent, semper improbari possint ab ea potestate cui sunt obnoxii? Secundo, si sincere et bono animo feruntur, cur non aperte et via regia incedunt, sed clanculum et per cuniculos rem gerunt? Cur privatim pastores conveniunt, et nonnullos, aliis insciis, compellant? Cur subscriptionem ab illis exigunt, et silentii arcanum tam sollicite commendant, ne res ad synedriorum cognitionem statim veniat? Cur præcipue magnis pollicitationibus eos, quos alloquuntur, permovere conantur, imo, horresco referens, pecunia etiam, ut ferunt, oblata, si quæ occurrerent venales animæ, quæ pessimis hisce artibus ad bonæ causæ proditionem allici possent? Hæc sane nimis demonstrant, anguem hic in herba latere, et mysterium aliquod subesse; sed mysterium inquitatis, ut facilius blando, sed fallaci pacis nomine, incautos inescare possint.

XXXVI. Hoc vero clarius adhuc colligitur ex speciosis, quas offerre dicuntur, variorum errorum et rituum superstitiosorum reformationis promissionibus. Nam si vera sunt quæ referuntur, quis non miretur eos, qui antea omnem Ecclesiæ reformationem toties a principibus expetitam semper aversati sunt, et quidem eo rerum statu, illisque temporibus, quæ illam suadere poterant, nunc, dum impotentius in nos et voce et scripto debacchantur, dum odium ipsorum quotidie magis exardescit, dum omnia ex voto illis succedere videntur, de corrigendis tamen erroribus suis cogitare, et prætensæ ἀναμαρτησίας dogma, quod tanto molimine alias propugnarunt, hac ratione eversum ire? Quis vero non videt, promissiones istiusmodi inanes esse et ludicras, quæ bona verba præ se ferre videntur, sed verba tantum, simplicioribus irretiendis apta, quæ ad effectum perduci et reipsa impleri nunquam poterunt? Nam præterquam quod, qui talia pollicentur, præstare non possunt quod promittunt, nulla auctoritate ad id instructi; licet sincere agerent, quis potest certitudini locus esse apud eos, qui teterrimum istud dogma tuentur, et tam sæpe in praxim deduxerunt, *promissam hæreticis fidem non esse servandam?* Nonne si quid promissum esset, et datum, posset ad Pontificis libitum prima oblata occasione rescindi? Quomodo Moravis olim fuerat concessum, ut sacra sua non Latine, sed Sclavonice peragerent, sed ademptum postea Papæ arbitrio, teste *Bellarmino*, lib. ii. de Verbo Dei cap. 16, et Bohemis indulta fuerat a Concilio Basi-

liensi communio sub utraque specie, unde dicti fuere *Calixtini*, sed hoc etiam ipsis postea negatum. Quod si velint nobis persuadere, se bona fide, et non malo animo hoc polliceri, manum ergo operi admoveant. Prædictos errores reformare incipiant; tollant e templis imagines et earum cultum, quod sane maximum paci obstaculum semper attulit; reddant communionem sub utraque specie a Christo institutam, et toties a principibus et populis expetitam; vernaculam linguam in sacris adhibeant, ne populus serviat Deo ignoto cum Atheniensibus, sed adoret quod cognoscit, Joh. iv. 22. Infamem indulgentiarum nundinationem, et rerum sacrarum venalitatem, quæ Simonem Magum auctorem habet, non Simonem Petrum, tollant; vota monastica abrogent; sacramenta reducant ad antiquum numerum, usum et modum, prout a Christo liquet instituta fuisse, et ab Apostolis celebrata. Vigilias, jejunia, peregrinationes, et alios id genus errores complures, et ritus voluntarios, non ludicros modo et pueriles, sed impios et idololatricos, corrigant. Tunc æquius judicium de toto hoc consilio ferri poterit. Sed dum nihil minus quam hæc in animo habere Romam palam est, dum contra superstitio quotidie augetur, et errores veteres magis magisque confirmantur, quis, nisi qui sponte voluerit seipsum decipere, non adducitur ad credendum, inanes esse et falsas tales omnes promissiones, quæ speciose quidem obtruduntur ad illaqueandos infirmos, sed quæ irritæ semper futuræ sunt, ut fuerunt hactenus aliæ omnes, quæ in simili negotio dari potuerunt?

XXXVII. Verum demus etiam præstari quod promittitur. An propterea confecta res erit, et Reformati poterunt vel debebunt aurem præbere consiliis istis Henoticis? Nihil minus; quippe si accurate rem putamus, videbimus quidem nonnulla emolliri, et in speciem corrigi, sed minutiora et levioris momenti, quæ ad ritus externos et regimen potissimum pertinent; sed nihil remitti tamen de præcipuis et capitalibus erroribus, nihil de auctoritatis Pontificiæ fundamentis, quæ, ut justam secessioni causam ab initio præbuerunt, ita rebus semper sic stantibus syncretismi αδυναμιαν evincunt. Quid enim juvabit communionem sub utraque specie obtinere, sacra vernacula lingua peragere, imagines e templis tollere, et alia id genus mutari vel incrustari, si retinetur semper transubstantiationis figmentum, idolum missaticum, meritum operum, satisfactionum humanarum necessitas, purgatorii doctrina, traditio αγραφος, cultus et veneratio Sanctorum, tyrannicus Pontificis primatus, et cætera istiusmodi, quæ, salva conscientia, nunquam vel recipi vel observari a nobis poterunt? Hæc sane talia sunt, ut etiam singula secedendi necessitatem nobis imponerent, quanto magis dum omnia huc agmine facto concurrunt? De veritate Dei non est transigendum; eam non habet, qui totam non habet. Ut Christus non μεμερισται, 1 Cor. i. 13, ita nec veritas ejus; pura debet esse, et integra, nec contrarii mixturam ferre potest, unde frustra sunt qui eam cum mendacio componere satagunt.

XXXVIII. Ut ergo rem in pauca contrahamus, dicimus veram et salutarem unionem Christianorum rem esse quidem optimam, quæ a singulis optari debeat, sed quæ tamen, rebus sic stantibus, sit impossibilis, et a nemine vere pio et cordato sperari possit. Nam nec Romana Ecclesia parem admittit, nec Reformatæ possunt agnoscere superiorem. Illa leges dare ut domina et non accipere ut soror et socia vellet, et se gravari putat nisi dominetur, και ει μη τυραννει παμπαν ὑβρισθαι δοκεῖ; istæ vero jugum illius ferre nec volunt nec debent. Fateor sane nunquam pacem repudiandam esse, si æquis conditionibus offeratur, et sine pietatis et veritatis dispendio; sin vero nihil aliud quæritur, quam ut ad eadem vincula, servi-

tiumque quod evasimus, sub prætextu reconciliationis trahamur, bellum tali pace melius, et dissidium tali unitati longe anteponendum. Non nego etiam aliquid boni expectari posse, si Roma serio de sui reformatione cogitaret, et quemadmodum justam nobis a se recedendi causam dedit, daret etiam causam ad se redeundi, et quidem priori contrariam. Sed quandiu ipsa, *infallibilitatis* opinione ebria, antiquum semper obtinebit, et eosdem errores fœdissimos, crassissimam idololatriam et tyrannidem durissimam propugnabit; quandiu necessario volet credi sub anathematis pœna quicquid definitum est in Concilio Tridentino, et quicquid Papæ libuerit de omnibus quæstionibus theologicis pronunciare; uno verbo, quandiu stabit Papa, qualis a suis habetur, et qualem se haberi vult, frustra erunt qui de reconciliatione loquentur. Et merito conjicias, si sint adhuc e nostris, eos nihil aliud in animo habere ejusmodi consiliis, quam ad turpem apostasiam viam sibi præstruere, defectionem suam hoc rectorio incrustando, ut majore cum prætextu et plausu in castra hostium transeant, quod in *Nigrino*, *Codurco*, *Milleterio*, et aliis visum. Si vero sint ex adversariis, eos meras nobis struere insidias, et equum Trojanum Papisticis erroribus refertum Ecclesiis Reformatis obtrudere, ut jure *Danaos timere* debeamus *etiam dona ferentes.*

XXXIX. Frustra vero obtenderetur conventus aliquis utriusque communionis theologorum, in quo omnia accurate deberent expendi, et sanciri. Nam si tale quid proponi deberet, in concilio generali libero et legitimo excutiendum esset, ad quod liber accessus daretur omnibus quorum interest, et cujus unica norma et regula esset Scriptura Sacra et vox Spiritus Sancti, supremi Judicis in Scriptura loquentis, quod in veteribus conciliis fuit factitatum, ubi in medio consessus thronus fuit una cum libro Evangelii, vice Christi, ut observat Baronius ad a. 325. An vero tale concilium expectari possit hodie, Synodi Tridentinæ experientia nimis docuit, quæ cum ex voto piorum omnium libera expectaretur, ad omnia expendenda ex solo Dei verbo, et Ecclesiam reformandam in capite et membris, nulla tamen visa est iniquior, et ad Pontificum arbitrium magis mancipata, quod, præter alios, celeberrimus *Heideggerus*, in aureo, quod novissime edidit, *Anatomes Concilii Tridentini* opere, pluribus argumentis solidissime demonstravit. Et hoc, vel ex sola Papæ per legatos suos præsidentia, patere potest. Unde Cardinalis Lotharingus graviter querebatur, "Concilium minime liberum esse, cum neque tractari, neque decerni quicquam possit, nisi quod legatis placeat, et legati nihil nisi de voluntate Papæ faciunt," apud Suavem Polanum, lib. vii. pag. 596. Et notum fuit proverbium illo tempore jactatum, "Spiritum illum sanctum, qui Tridentina consilia gubernat, in mantica clausum subinde Roma mitti." Ipsa quinetiam Synodus, Sess. xxv. cap. 21, servitutem suam satis testatur, quum declarat, "Omnia et singula, sub quibuscunque clausulis et verbis, quæ de morum reformatione et ecclesiastica disciplina sub Paulo III. et Pio IV. in sacro Concilio statuta sunt, ita decreta esse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur." Quod si tale concilium proponitur, ut nullum aliud hoc rerum statu expectari potest, in quo nihil sanciatur nisi salva Apostolicæ Sedis auctoritate, quid aliud quam ludibrium debent, qui talia vel in animo habent, vel aliis suadere conantur?

XL. Unde nulla tutior et compendiosior sese ab his laqueis extricandi, quos pacificatores isti subdoli cum Henoticis suis consiliis nectunt, via datur, quam si generose ea respuamus et maneamus in veritate et libertate, quam Christus nobis peperit, nec patiamur nos iterum sub pristinæ

liensi communio sub utraque specie, unde dicti fuere *Calixtini*, sed hoc etiam ipsis postea negatum. Quod si velint nobis persuadere, se bona fide, et non malo animo hoc polliceri, manum ergo operi admoveant. Prædictos errores reformare incipiant; tollant e templis imagines et earum cultum, quod sane maximum paci obstaculum semper attulit; reddant communionem sub utraque specie a Christo institutam, et toties a principibus et populis expetitam; vernaculam linguam in sacris adhibeant, ne populus serviat Deo ignoto cum Atheniensibus, sed adoret quod cognoscit, Joh. iv. 22. Infamem indulgentiarum nundinationem, et rerum sacrarum venalitatem, quæ Simonem Magum auctorem habet, non Simonem Petrum, tollant; vota monastica abrogent; sacramenta reducant ad antiquum numerum, usum et modum, prout a Christo liquet instituta fuisse, et ab Apostolis celebrata. Vigilias, jejunia, peregrinationes, et alios id genus errores complures, et ritus voluntarios, non ludicros modo et pueriles, sed impios et idololatricos, corrigant. Tunc æquius judicium de toto hoc consilio ferri poterit. Sed dum nihil minus quam hæc in animo habere Romam palam est, dum contra superstitio quotidie augetur, et errores veteres magis magisque confirmantur, quis, nisi qui sponte voluerit seipsum decipere, non adducitur ad credendum, inanes esse et falsas tales omnes promissiones, quæ speciose quidem obtruduntur ad illaqueandos infirmos, sed quæ irritæ semper futuræ sunt, ut fuerunt hactenus aliæ omnes, quæ in simili negotio dari potuerunt?

XXXVII. Verum demus etiam præstari quod promittitur. An propterea confecta res erit, et Reformati poterunt vel debebunt aurem præbere consiliis istis Henoticis? Nihil minus; quippe si accurate rem putamus, videbimus quidem nonnulla emolliri, et in speciem corrigi, sed minutiora et levioris momenti, quæ ad ritus externos et regimen potissimum pertinent; sed nihil remitti tamen de præcipuis et capitalibus erroribus, nihil de auctoritatis Pontificiæ fundamentis, quæ, ut justam secessioni causam ab initio præbuerunt, ita rebus semper sic stantibus syncretismi αδυναμιαν evincunt. Quid enim juvabit communionem sub utraque specie obtinere, sacra vernacula lingua peragere, imagines e templis tollere, et alia id genus mutari vel incrustari, si retinetur semper transubstantiationis figmentum, idolum missaticum, meritum operum, satisfactionum humanarum necessitas, purgatorii doctrina, traditio αγραφος, cultus et veneratio Sanctorum, tyrannicus Pontificis primatus, et cætera istiusmodi, quæ, salva conscientia, nunquam vel recipi vel observari a nobis poterunt? Hæc sane talia sunt, ut etiam singula secedendi necessitatem nobis imponerent, quanto magis dum omnia huc agmine facto concurrunt? De veritate Dei non est transigendum; eam non habet, qui totam non habet. Ut Christus non μεμεριστται, 1 Cor. i. 13, ita nec veritas ejus; pura debet esse, et integra, nec contrarii mixturam ferre potest, unde frustra sunt qui eam cum mendacio componere satagunt.

XXXVIII. Ut ergo rem in pauca contrahamus, dicimus veram et salutarem unionem Christianorum rem esse quidem optimam, quæ a singulis optari debeat, sed quæ tamen, rebus sic stantibus, sit impossibilis, et a nemine vere pio et cordato sperari possit. Nam nec Romana Ecclesia parem admittit, nec Reformatæ possunt agnoscere superiorem. Illa leges dare ut domina et non accipere ut soror et socia vellet, et se gravari putat nisi dominetur, και ει μη τυραννει παμπαν ὑβρισθαι δοκεῖ; istæ vero jugum illius ferre nec volunt nec debent. Fateor sane nunquam pacem repudiandam esse, si æquis conditionibus offeratur, et sine pietatis et veritatis dispendio; sin vero nihil aliud quæritur, quam ut ad eadem vincula, servi-

tiumque quod evasimus, sub prætextu reconciliationis trahamur, bellum tali pace melius, et dissidium tali unitati longe anteponendum. Non nego etiam aliquid boni expectari posse, si Roma serio de sui reformatione cogitaret, et quemadmodum justam nobis a se recedendi causam dedit, daret etiam causam ad se redeundi, et quidem priori contrariam. Sed quandiu ipsa, *infallibilitatis* opinione ebria, antiquum semper obtinebit, et eosdem errores fœdissimos, crassissimam idololatriam et tyrannidem durissimam propugnabit; quandiu necessario volet credi sub anathematis pœna quicquid definitum est in Concilio Tridentino, et quicquid Papæ libuerit de omnibus quæstionibus theologicis pronunciare; uno verbo, quandiu stabit Papa, qualis a suis habetur, et qualem se haberi vult, frustra erunt qui de reconciliatione loquentur. Et merito conjicias, si sint adhuc e nostris, eos nihil aliud in animo habere ejusmodi consiliis, quam ad turpem apostasiam viam sibi præstruere, defectionem suam hoc rectorio incrustando, ut majore cum prætextu et plausu in castra hostium transeant, quod in *Nigrino*, *Codurco*, *Milleterio*, et aliis visum. Si vero sint ex adversariis, eos meras nobis struere insidias, et equum Trojanum Papisticis erroribus refertum Ecclesiis Reformatis obtrudere, ut jure *Danaos timere* debeamus *etiam dona ferentes.*

XXXIX. Frustra vero obtenderetur conventus aliquis utriusque communionis theologorum, in quo omnia accurate deberent expendi, et sanciri. Nam si tale quid proponi deberet, in concilio generali libero et legitimo excutiendum esset, ad quod liber accessus daretur omnibus quorum interest, et cujus unica norma et regula esset Scriptura Sacra et vox Spiritus Sancti, supremi Judicis in Scriptura loquentis, quod in veteribus conciliis fuit factitatum, ubi in medio consessus thronus fuit una cum libro Evangelii, vice Christi, ut observat Baronius ad a. 325. An vero tale concilium expectari possit hodie, Synodi Tridentinæ experientia nimis docuit, quæ cum ex voto piorum omnium libera expectaretur, ad omnia expendenda ex solo Dei verbo, et Ecclesiam reformandam in capite et membris, nulla tamen visa est iniquior, et ad Pontificum arbitrium magis mancipata, quod, præter alios, celeberrimus *Heideggerus*, in aureo, quod novissime edidit, *Anatomes Concilii Tridentini* opere, pluribus argumentis solidissime demonstravit. Et hoc, vel ex sola Papæ per legatos suos præsidentia, patere potest. Unde Cardinalis Lotharingus graviter querebatur, "Concilium minime liberum esse, cum neque tractari, neque decerni quicquam possit, nisi quod legatis placeat, et legati nihil nisi de voluntate Papæ faciunt," apud Suavem Polanum, lib. vii. pag. 596. Et notum fuit proverbium illo tempore jactatum, "Spiritum illum sanctum, qui Tridentina consilia gubernat, in mantica clausum subinde Roma mitti." Ipsa quinetiam Synodus, Sess. xxv. cap. 21, servitutem suam satis testatur, quum declarat, "Omnia et singula, sub quibuscunque clausulis et verbis, quæ de morum reformatione et ecclesiastica disciplina sub Paulo III. et Pio IV. in sacro Concilio statuta sunt, ita decreta esse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur." Quod si tale concilium proponitur, ut nullum aliud hoc rerum statu expectari potest, in quo nihil sanciatur nisi salva Apostolicæ Sedis auctoritate, quid aliud quam ludibrium debent, qui talia vel in animo habent, vel aliis suadere conantur?

XL. Unde nulla tutior et compendiosior sese ab his laqueis extricandi, quos pacificatores isti subdoli cum Henoticis suis consiliis nectunt, via datur, quam si generose ea respuamus et maneamus in veritate et libertate, quam Christus nobis peperit, nec patiamur nos iterum sub pristinæ

servitutis jugum reduci. Sic non melius poterunt a nobis dimitti, quam olim a Jehu dimissus est Joram, quærens an non pax esset ipsi, 2 Reg. ix. 22, "Quæ pax potest esse," inquit Jehu, "quandiu durant matris tuæ Jezabel scortationes et præstigiæ ?" Quæ pax potest esse vobiscum, dum mater vestra aureo scortationum poculo populos dementat, et per fœdissimos errores et idololatrias se cum adulteris polluere pergit? An non stultus esset, qui marito, post uxori missum repudium ob impudicos mores, suadere conaretur, ut talem reciperet qualem repudiavit, non repromissa ex parte uxoris ante actorum pœnitentia, et vitæ prioris emendatione? Sed longe stultior est, qui nos in gratiam redire jubet cum ea Ecclesia, a qua ceu meretrice divortium facere coacti sumus ob impuritatem ejus rituum et pravitatem dogmatum, qui nobis non etiam spondeat pro ea mutationem in melius, purioremque in posterum cultum cum reformatione priorum errorum. Redeat ergo primo in gratiam cum Christo, et pacem cum ipso faciat, et nos faciles ad pacem cum ipsa redintegrandam inveniet.

XLI. Qui secus fecerint, et aures nefariis consiliis præbere non recusarint, gravissimo sese coram Deo crimine obstringent, in gratiam divinam ingrati, contumeliosi in labores patrum, et cineres martyrum, qui suo sanguine nobis hanc qua fruimur libertatem pepererunt, veritatis hostes, Ecclesiæ pestes, et Christi ipsius proditores. Facessat a nobis tam infaustæ pacis [illegible] nimium desiderium. Absit ut claudicemus ab utroque latere, 1 Reg. xviii. 21, aut pro genuina lingua Canaan, Ascdodice loquamur, vel in ejusmodi formulas ambiguas et flexiloquas consentiamus, sub quibus hæreticus potest latere sensus, quales olim in Ariminensi Concilio, edictis Constantii, et Zenonis Henotico improbavit pia antiquitas. Quinimo memores dicti apostolici, 2 Cor. vi. 14, 15, 16, nullam esse communionem Christi cum Belial, lucis cum tenebris, justitiæ cum iniquitate, et templi Dei cum idolis, mature ab ipsis secedamus, non tam corpore, quam animo et affectu, ne immunditiem ullam vel erroris vel vitii contrahamus. Nec a generoso hoc instituto amovere debent nos, vel hominum mandata, vel promissiones, vel minæ; ita enim vox hominum est audienda, ut semper obtineat illud apostolicum, *Satius est Deo obedire, quam hominibus.* Quid etiam proderit homini totum mundum lucrari, si animam suam et salutem perdiderit? Ecquid vero damni dari potest, quod sit conferendum, vel cum tremenda Dei maledictione, et Patris abnegatione, in quam incurrunt infames illi emansores, quos crucis Christi pudet, et qui, φιληδονοι potius quam φιλοθεοι, cum Dema Christum deserunt, et præsens seculum amant; vel cum gloriosissima remuneratione, quæ fortes Christi athletas et fideles discipulos manet? Pellantur in exilium, Deus ipsos excipiet. Honoribus et dignitatibus spolientur, regnum ipsis disponet, et coronam incorruptibilem largietur. Pro retrimentis mundi, et despectissimis mortalium habeantur, at Pater cœlestis in dilectorum filiorum censum recipiet. Persecutioni objiciantur et maledicantur ab omnibus, ipse colliget in sinum suum, et benedicet. Morti ipsi addicantur, at ipse Princeps vitæ immortalitatem concedet, et dabit ut, a morte transeuntes ad vitam, æterna secum felicitate fruantur.

2 Cor. vi. 17, Εξελθετε εκ μεσου αυτῶν, και αφορισθητε, λεγει Κυριος, και ακαθαρτου μη ἅπτεσθε, καγω εισδεξομαι ὑμᾶς, και εσομαι ὑμῖν εις πατερα, και ὑμεῖς εσεσθε μοι εις υἱους και θυγατερας, λεγει Κυριος παντοκρατωρ.

DISPUTATIO SEXTA,

DE ROMA BABYLONE.

DISPUTATIO SEXTA,

DE ROMA BABYLONE.

Respondente HENRICO WASERO *Tigurino*.

I. Hactenus *secessionis nostræ* ab Ecclesia Romana *necessitatem* tribus præcipue ex capitibus, quæ totidem suppeditarunt nobis argumentorum classes, demonstravimus; *Hæresi* scilicet in Doctrina, *Idololatria* in Cultu, et *Tyrannide* in Regimine. Quartum nunc succedit principale argumentum, non minoris momenti, petitum ab ipsa *Dei jubentis voce*, quæ hanc piis omnibus necessitatem imponit in illustri oraculo quod extat, Apoc. xviii. 4, "Et audivi etiam vocem e cœlo dicentem, Exite ex ea, populе mi, ne participes sitis peccatorum ejus, et ex plagis ejus accipiatis." Nam si semel probatum fuerit Babylonem istam, ex qua exire jubemur, non aliam esse quam Romam Pontificiam, eo ipso demonstratum erit, necessariam fuisse nostram ab ea secessionem, et impossibilem cum ea syncretismum. Quia vero oraculum istud maximi est in hac causa ponderis, ad veritatis quam tuemur confirmationem, paulo accuratius illud expendere hac disputatione constituimus, sub quatuor præcipuarum, quas complectitur, partium examine; ut primo videamus, *Quænam* sit *Babylon* ex qua exire jubemur; secundo, *Quis exire* debeat, *populus Dei*; tertio, *Quomodo* et *Quando* exire teneatur; quarto, *Quare* exeundum sit, ad vitandam participationem peccatorum ejus et pœnarum.

II. Apud omnes quidem est in confesso, Babylonem istam, de qua loquitur Joannes, tum hoc capite xiv. tum cap. xvii. non esse proprie sed figurate intelligendam; non de Babylone mundana, quales binæ fuerunt, una in Chaldæa, altera in Ægypto; sed de Babylone mystica, quæ novissimis temporibus debuit Hominem peccati et magnam Meretricem in sinu suo fovere. Nam licet olim idem mandatum datum fuerit populo Judaïco, ut mature se exitio Babylonis Assyriæ, in qua captivus detinebatur, subduceret, ab ea exeundo, Isa. xlviii. 20, Jer. l. 8, et li. 6, Zach. ii. 6, 7, et Spiritus Sanctus eo hic manifeste alluserit, verba vetera mandato novo accommodando; (quia ut Israël secundum carnem fuit typus Israëlis secundum spiritum, ita captivitas Israëlis secundum carnem in Babylone fuit typus captivitatis Israëlis secundum spiritum in Babylone mystica,) certum est tamen veterem illam Babylonem non hic respici, sed novam quandam, quæ sub Novo Testamento ad illius instar erigi debuit. Et hactenus consensus est inter omnes. Verum quando ulterius quæritur, quænam ergo sit illa Babylon, ex qua secedere jubemur, hic mira est sententiarum diversitas. Et non minus est inter Babylonis istius mysticæ operarios opinio-

num divortium, quam apud Babelis terrenæ ædificatores linguarum confusio, ut ostendant Romam Papalem non posse per ipsam intelligi, quod tamen pertendimus, gravissimis ducti rationibus, ut in sequentibus patebit.

Babylon non est multitudo impiorum.

III. Sunt ergo nonnulli, qui per Babylonem non certam aliquam urbem, vel statum significari putant, sed *universam impiorum multitudinem*, quæ sit veluti Diaboli civitas, opposita civitati Dei: qua in sententia sunt *Stapletonus*, *Sanderus* de visibi. monarch. lib. viii. c. 8, *Malvenda* de Antichristo, lib. iv. cap. 2 et 7, post veteres nonnullos *Ambrosium*, *Anselmum*, *Rupertum*, *Aretam*, et alios. Sed nihil est hoc commento frigidius, quod propterea a Pontificiis plerisque rejicitur, *Bellarmino*, *Suarezio*, *Ribera*, *Viega*, et aliis, qui fatentur civitatem aliquam denotari, non vero impiorum multitudinem. Et sane rationes sunt plures gravissimæ, quæ hoc suadent. Primo, quia Babylon ista, quæ eadem est cum meretrice magna, Apoc. xvii. 1, 5, quæ hoc nomine insignitur, diserte πολις vocatur, et non tantum πολις, sed cum articulo ἡ πολις ἡ μεγαλη *urbs illa magna*, Apoc. xviii. 10, 16, 18, quæ inter alias civitates numeratur, Apoc. xvi. 19, quod fieri non posset, nisi certa quædam urbs designaretur. Secundo, de ista Babylone ea dicuntur, quæ ad universam impiorum multitudinem pertinere non possunt; ut "quod insideat septem montibus," Apoc. xvii. 9, quod "imperium habeat in reges terræ," cap. xvii. 18, quod "sedeat super aquas multas," id est populos et gentes, ut exponitur cap. xvii. 1, 15, quod "incolas terræ vino scortationis inebriet," cap. xvii. 2. Nunquid enim multitudo impiorum regnum habet in reges terræ, cum contra reges terræ imperium habeant in impiorum multitudinem? Nunquid potest dici sedere super multos populos, id est super se ipsam, quæ inanis esset φλυαρια? Nunquid mundus dicitur inebriare incolas terræ, qui sunt ipse mundus a meretrice inebriatus? Tertio, illa Babylon intelligitur, cujus excidium, reges qui cum illa scortati, et negotiatores qui cum illa negotiati sunt, et reliqua impiorum turba, qui supremæ illi et finali Babylonis vastationi superstites futuri sunt, plancturi sunt απο μακροθεν ἑστηκοτες propter metum cruciatus ejus, Apoc. xviii. 10, 15, 17. At si universitas significaretur impiorum, illa multitudo Babylonis excidio superstes esse non posset, nec procul ab ea stare. Præterquam quod finale omnium reproborum exitium, non erit ante finem seculi, atque adeo longe posterius huic Babylonis excidio, uec verisimile est Spiritum Sanctum toties tamque accurate et prolixe Joanni revelare voluisse, quod neminem latebat, nec revelatione opus habebat, impios scilicet universos in fine mundi in æternum exitium ruituros.

Romam esse Babylonem probatur ex adversariis.

IV. Rationum istarum vim senserunt saniores ex adversariis, qui coacti sunt fateri, non tantum certam quandam urbem hic designari, sed urbem istam non aliam esse quam *Romam*. Ne vero ad nos accedere videantur propterea, volunt Romam esse non Christianam, sed Ethnicam idola colentem, et Christianos persequentem. Sic *Bellarm.*, lib. iii. cap. 13, de Romano Pontifice, ait, "melius suo judicio per meretricem intelligi Romam," et lib. ii. cap. 2, "Joannes passim in Apocalypsi Romam vocat Babylonem, ut Tertullianus observavit, et aperte colligitur ex cap. xvii. Apocalypsis, ubi dicitur Babylon magna sedere super septem montes, et habere imperium super reges terræ. Nec enim alia civitas est, quæ Joannis tempore imperium habuerit super reges terræ quam Roma, et notissimum est supra septem colles Romam ædificatam esse." Sic Cæs. Baron., ad a. cap. xlv. n. 18, "certissimum esse," ait, "hoc nomine Romanam urbem signi-

ficari." Viegas in Apoc. xvii., "Existimamus nomine Babylonis Romanam urbem significari in hoc Apocalypsis opere, ubi toties Babylon nominatur." Et paulo post: "Et vero Joannes clarissimis argumentis Romam videtur indicasse, quum dixit, mulierem sedere super septem montes, imo omnia, quæ in his capitibus memorantur, in Romanam urbem aptissime quadrant." Quos sequuntur Ribera, Gagnæus, Sixtus Senensis, et alii non pauci; quod ideo observamus, ut os occludamus iis, qui dum Petrum volunt per Babylonem Romam figurate intellexisse, ubi proprie et sine figura loquitur 1ª cap. v. 13, nolunt tamen Joannem, quem hic figurate locutum esse constat, per Babylonem Romam notasse, ne causa Pontificis sui ullum inde detrimentum patiatur, quod alii vi veritatis victi agnoscere coguntur, sponte fatentes, non de alia quam de Roma Joannem hoc in loco loqui.

Ex Apoc. xvii. et xviii.

V. Nec mirum hoc videbitur rem ipsam accuratius perpendenti, talis quippe fit Babylonis descriptio a Joanne, cap. xvii. et xviii., ut non alteri quam Romæ competere queat. Quanquam autem nulla est nota, quæ aptissime non quadret in Romam, duæ tamen sunt, quæ ita proprie et perspicue Romam describunt, ut nullum dubitationi locum relinquere videantur. Prima habetur, ver. 9, ubi mulier dicitur *sedere super septem montes*, quod nemo ex adversariis, vel tam ignarus est ut nesciat, vel tam imprudens, ut neget Romæ apprime convenire; sitam enim super septem montibus fuisse, et res ipsa clamat, et Scriptores loquuntur. Nam ad hunc usque diem Roma in ambitu suo septem montes includit, *Palatinum* scilicet, *Capitolinum*, *Quirinalem*, *Cœlium*, *Esquilinum*, *Viminalem*, *Aventinum*. Hinc *Roma* ἑπτάλοφος *septicollis* dicta, et apud *Plutarchum* mentio fit *septimontii*, festi nimir., quod celebrabant Romani, quia addito urbi septimo colle, Roma septicollis dicta est. *Varro* de Lingua Latina, lib. v., Dies *Septimontium* nominatus ab his septem montibus, in qua sita urbs est. Unde *Virgil.* Georg. ii. sub finem,

Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma,
Septem quæ una sibi muro circumdedit arces.

Et *Ovidius* Trist. lib. iii. Eleg. 4.

Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii, Roma, Deumque locus.

Horatio Dii tutelares Romæ dicuntur

Dii, quibus septem placuere colles.

Cum ergo constet Romam super septem montibus sitam esse, liquido patet, non alibi quærendam esse Babylonem mysticam, cui hoc tribuitur.

VI. Sed clarius adhuc hoc colligitur, ex altero urbis istius charactere, qui a primo non est separandus, qui ver. 18 indicatur, quum urbs illa magna dicitur *regnum habere super reges terræ.* Quis enim nescit Romam, Joannis tempore, fuisse βασιλεύουσαν πόλιν, orbis dominam, caput mundi, reginam gentium, de qua Martia. lib. xiii. Epig. 8,

Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, et nihil secundum.

Ammianus Marcellinus, lib. xiv. cap. 5, "Romam," dicit, "per omnes quot-

quot sunt partes terrarum, ut dominam suspici et reginam." Virgil. Romanos *rerum Dominos* vocat et *Populum late regem*; Hora. Carmi. lib. iv. od. 4, "Dominam et potentem et principem urbium." Et plane peregrinum esse oportet in veteri historia, qui non fatetur, nullam aliam præter Romam mundo tunc imperitasse, et reges etiam dominio suo subjecisse, adeo ut Romanum imperium ὅλης τῆς οἰκουμένης *totius mundi* nomine sæpe veniat in Scriptura. Hinc factum, ut veteres plerique Romam Babylonem sint interpretati. *Tertull.* adversus Judæos, et lib. iii. contra Marcio. cap. 13, "Sic et Babylon," inquit, "apud Joannem nostrum Romanæ urbis figuram portat, proinde et magnæ, et regno superbæ et sanctorum debellatricis." Ita *Hiero.* ad Algasi., "In fronte purpuratæ meretricis scriptum esse," dicit, "nomen blasphemiæ, id est Romæ æternæ." *Augustin.* Romam nunc secundam Babyloniam, nunc alteram Babylonem, nunc occidentalem Babylonem, appellat, de Civitate Dei lib. xviii. cap. 2, 22, 27: "Condita est Roma velut altera Babylon, et velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit orbem debellare terrarum." Et fatetur Andreas Cæsariensis, ea quæ dicuntur, Apoc xviii. "de Babylone, quæ est apud Romanos, intelligenda esse juxta veterum Ecclesiæ doctorum sententiam."

Sed non Pagana est, sed Christiana.

VII. Verum non satis est agnoscere Romam hic per Babylonem designari, nisi ulterius probatum demus *Romam* non *Paganam* intelligi, quæ imperatoribus ethnicis fuerit subjecta, quod contendunt adversarii, sed *Christianam*, quæ Papæ. Hoc vero non una ratione evinci potest. Primo, quia Joannes non loquitur de rebus claris et apertis, sed de obscuris et occultis. Ideo ubi de Babylonis, tum idololatria, tum persecutione Sanctorum agit c. xvii. 5, 6, 7, *prophetiam* proponit, *mysterium* notat, summaque ipse admiratione capitur. At si nihil aliud sibi voluit, quam Romam ethnicam et idololatriæ deditam, et Sanctorum sanguine ebriam fuisse, quid hic, quæso, propheticum, quid mysticum, quid admiratione tanta dignum fuisset? An ignota fuit unquam vel Romæ ethnicæ idololatria, vel barbara in Sanctos crudelitas? Quorsum ergo tam sollicite describere opus fuit, et quidem figurate et mystice, quod omnibus satis erat perspectum? Sed cum Romam ad Christum conversam, seque omnium Ecclesiarum matrem et magistram indigitantem, sibi hac visione repræsentatam intelligeret, non potuit non mirari, *Sedem*, quam vocant *Apostolicam*, non modo ipsam *Apostaticam* factam iri, sed in tantum etiam a pristina pietate degeneraturam, ut omnium in Christiano orbe, tum superstitionum, scortationumque mater et magistra, tum persecutionum adversus sanctos Dei martyres causa extitura, et ipsius Antichristi sedes futura esset. Secundo, Joannes de illa Babylone loquitur, quæ "Meretrix" dicitur, et "cum qua scortati sunt reges terræ, cujus vino inebriati sunt ejus incolæ," cap. xvii. 2, et xviii. 3. Id est, quæ idololatria, (quæ scortatio est spiritualis,) totum orbem implevit, et cujus approbatores et defensores ac socios, reges varios et principes habuit. Sed hoc Romæ ethnicæ convenire nequit, præterquam quod enim *meretricis* nomen adulterum et apostaticum notat statum, et supponit præcedens aliquod pactum et connubium; quo sensu, Isa. i. 21, de Hierosolyma loquens, *quomodo civitas fidiles est facta meretrix?* quod de ethnicorum cœtibus dici nequit, qui in fœdus nunquam cum Christo ingressi sunt, quique per consequens non possunt dici illi fidem fregisse, quam nunquam illi dederunt, sed tantum de Ecclesiis corruptis, quæ, prius Christo copulatæ, fidem datam perfide abruperunt, qualis fuit Romana; quæ, dum sponsam se Christi jactat, sese adulteris per idololatriam prostituit. Certum est veterem Romam non artibus meretriciis et lenociniis usam esse ad alliciendos populos, sed vi armorum

et prudentia politica, virtuteque bellica illos subegisse, nec aliis regionibus quamvis a se devictis religionem suam imposuisse, sed ipsam potius ab iis accepisse, et numina peregrina in triumphum deportasse, et illis templa extruxisse. Hinc *Leo* de Petro et Paulo, Serm. 1, "Hæc civitas," inquit, "ignorans suæ provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem." Sed hoc novæ Romæ apprime convenit, quæ, ut ex sponsa Christi facta est adultera, alteri præter Christum, qui se vicarium Christi, et sponsum profitetur, se jungendo; ita, ut mater scortationum et abominationum, terram fornicatione sua corrupit, et superstitiones suas, et idololatricos cultus omnibus, sub pœna fulminis, etiam invitis obtrusit.

VIII. Tertio, illa Roma per Babylonem est intelligenda, quæ *cecidisse* dicitur, "Et facta domicilium dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi," &c., Apoc. xviii. 2. At hoc excidium vel casus Romæ Ethnicæ competere nequit, nisi excisam fuisse dicas, quum facta est Christiana, et desiit esse Pagana, quod nemo dixerit; multo minus poterit dici facta *domicilium dæmoniorum*, cum fuerit habitaculum Ecclesiæ verorum Christianorum. Rursus quando cecidisse dicemus hanc Babylonem? Num quando desiit persequi Christianos? Num quando Constantinus in imperio constitutus Christianos lædi prohibuit? Num sumpsit tum Deus de Roma pœnas, quando pia et Christiana facta est? At hoc summi amoris, non Dei odii, testimonium fuit. Scio quosdam hoc Romæ excidium referre velle ad cladem, quam ab Herulis et Gothis passa est initio quinti seculi. Sed multa sunt quæ hoc effugium vanum esse ostendunt; 1. Quia Gothica clades, licet magna, non fuit tamen ultimum et finale Romæ excidium, de quo loquitur Joannes, ut colligi potest ex ver. 22, 23, ubi ultima et nunquam reparanda Romæ desolatio graphice describitur, quod bene observat Suarez, lib. v. cap. 7. num. 11, "Desolatio Romæ quæ prædicitur, Apoc. xviii., erit sempiterna, ideoque certum videtur oraculum illud in nullo præcedentium excidiorum Romæ impletum fuisse." Et cap. 21. num. 6, "Prophetia illa nondum impleta est, nondum enim Roma fuit penitus extincta. Nam licet aliquas graves calamitates, et clades non modicas sub Gothis et Vandalis passa sit, per illas tamen non est impleta illa Joannis prophetia, dicto cap. 18, quia per illa excidia factum non est, ut amplius non inveniatur." 2. Clades Gothica Romæ non contigit dum erat Ethnica, sed postquam ad Christum conversa fuerat, nec amplius Christianos persequebatur. 3. Excidium de quo Joannes, a populo Dei, postquam e Babylone exierit, inferendum fuit; sic enim loquitur, ver. 4, "Audivi vocem e cœlo dicentem, Exite ex ea, popule mi, ne participes sitis peccatorum, &c. Reddite ei sicut et ipsa reddidit vobis." At hæc Gothicæ cladi haudquaquam conveniunt, illa enim non a populo Dei e Babylone egresso, sed populo Dei ab illuvione barbarica, Ariana peste infecta, infligebatur. Denique Babylonis excidium regibus terræ, et impiis omnibus luctus, piis vero gaudii et exultationis, materiam præbiturum est. At contra clades illa, qua Barbari Romam affecerunt, piis doloris, impiis lætitiæ causa fuit.

IX. Quarto, de ea Roma loquitur Joannes, qualis futura erat, sub ultimo capite, qui rex octavus, et unus e septem dicitur, sic enim ait, cap. xvii. 10, "Septem capita sunt septem reges, quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit, et quum venerit, oportet eum ad exiguum tempus manere; et bestia quæ erat et non est, octavus est, et unus ex septem, et in exitium abit." Quod si nobis repræsentare voluisset Romam Ethnicam, non descripsisset illam, qualis futura erat sub octavo

rege, sed qualis tunc fuit sub sexto capite, quod fuit imperatorum. Nam ut doctiores bene observarunt, hæc Romano statui apprime congruunt, et *septem capita* apte referuntur ad septem capita regiminis, quibus ille status successive subjectus fuit, *Reges* scilicet, *Consules*, *Dictatores*, *Decemviros*, *Tribunos militum consulari potestate*, *Imperatores*, *Patriarchas*, et horum quinque jam fuerant et ceciderant Joannis tempore. *Sextum* nimirum Cæsarum imperium erat; *septimum* nondum venerat, et exiguo tempore durare debuit, ecclesiasticum scilicet regimen Partriarcharum, ex quo imperium Roma Constantinopolim translatum est; eos enim Romæ dominatos esse notat *Socrates*, lib. vi. cap. 11, licet illorum regimen imperatoribus semper fuerit subordinatum. *Octavum* denique, et Bestia, quæ designat Antichristum, qui quidem censetur octavus, propter illius summum et absolutum imperium, diversum a prioribus, simul tamen septimus, quia ex Patriarcha Pontifex factus est œcumenicus, et parem gloriam habiturus erat illi magnificentiæ, quam magna illa civitas obtinuit, tum cum maxime floreret et triumpharet.

X. Quinto, ea Roma est Babylon, quæ "nundinatur animas hominum," Apoc. xviii. 13. At nundinationem animarum Roma Ethnica non exercuit, sed Papalis exercet fœdissime, tam vivorum quam defunctorum, ut cuivis notum. Imo totum regnum Pontificum mera est mercatura et nundinatio, ubi omnia, etiam sanctissima, venum exponuntur. *Cœlum est venale, Deusque*, inquit Mantuanus. Vide *Taxam Cancell.* Sexto, ea Roma intelligitur, ex qua postremis temporibus exire jubetur populus Dei. At nusquam Spiritus Sanctus jussit fideles Roma Ethnica secedere, nec Christiani unquam leguntur vi hujus præcepti Romam Ethnicam deseruisse, sed ibidem semper, etiam sævientibus persecutionibus, constantes perseverarunt. Septimo, si propter idololatriam Ethnicam sic dicta est Roma, cur Patres post illam sublatam, eam non desinunt vocare Babylonem? Cur Marcellam *Hieronymus* abstrahere Roma cupit, Ep. xvii., quod sit Babylon, unde populus Dei exire jubetur? Cur ipse noluit diutius morari Romæ, quod Babylon esset, "Ora," inquit ad Asellam, "ut de Babylone Hierosolymam regrediar?" Cur tot inter ipsos Pontificios hoc nomine illam designant? *Episcopi Belgici*, in epistola ad Nicolaum primum, apud Aventinum, lib. iv. *Annal. Boio.*, dicunt Romam esse, quæ a sacris vatibus Babylonia vocatur; *Clerus Leodiensis* in epist. contra Paschalem II. idem profitetur, apud Aventinum, lib. v. *Petrus Blæsensis*, Epist. 44, et alii, et inter eos præcipue *Petrarcha*, qui passim Romam vocat *Babylonem meretricem*, *matrem idololatriarum et scortationum*, &c. Nec alia fuit mens Ludovici XII., quum, temere et injuriose a Julio II. Pontifice proscriptus, moribundi senis inanes diras contraria obnunciatione generose revicit, cæso etiam nummo, qui titulos regis Franciæ regnique Neapoli. ex una parte, et insignia Franciæ ex altera referebat cum elogio, *Perdam Babylonis nomen*, quales adhuc hodie multi reperiuntur.

XI. Frustra vero Bellarm. contendit intelligendam esse Romam Ethnicam, quia Joannes loquitur, de ea quæ tenebat imperium super reges terræ, et quæ erat ebria de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu, cap. xvii. 6, et xviii. 24, hoc vero locum non habere nisi in ea Roma, quæ, regnantibus Nerone et Domitiano, martyres trucidabat. Nam ad imperium quidem quod attinet, satis est Romam tunc imperium habuisse in omnes gentes, cum hoc scriberet, quod innuere voluit, ut disertius urbs notaretur, quam indicabat, nullusque esset dubitandi locus. Deinde quis nescit Romam Papalem adhuc esse locupletissimam et potentissimam, orbis reginam, quæ, "quod non possidet armis, religione tenet?" Quid enim

aliud volunt ista elogia, "Omnia regna Constantinus Papæ dedit," Distin. 96, cap. xiv. Constantinus. "Per Papam omnes reges regnant," Bozius de jure natu. et Divi. Eccl. liber i. cap. 6. "Papa est mundi Dominus," idem lib. v. cap. 19, ita ut omnes reges sint Papæ vassali, si Jesuitis creditur, Steuch. de Donati. Constant., et jus habeat transferendi regna, et dandi quibus vult, Decret. lib. i. tit. 6, cap. 34, de Electione. Ita quod de persecutione sanctorum et sanguine martyrum dicitur, non ad ethnicos imperatores, sed ad Antichristum referendum est. Quamvis enim non dubium sit, quin Roma Ethnica Christianos etiam sit persecuta; tamen cum agatur de persecutione, quæ excitatur a meretrice, quæ nomen mysterii in fronte gerit; quæ, dum ex una parte poculo aureo scortationum populos dementat, fraudibus et lenociniis in errorem inducendo, ex altera, inaudita violentia in fideles Christi servos grassatur, patet ad Romam Ethnicam hoc haudquaquam pertinere, sed ad Pontificiam, cujus immanem crudelitatem et dirissimas persecutiones, utinam pii non sensissent sæpius, et non sentirent etiamnum hodie. Sed res ipsa nimis clamat, et historiæ loquuntur, ut superiori disputatione probatum est, ut ista vix ac ne vix quidem explicatione egeant. Non magis ac illa, quæ adduntur, quum mulier dicitur "purpura et cocco amicta, auro et lapidibus pretiosis et margaritis inaurata," quod in fronte scriptum gerit nomen *Mysterium*, quod in Romani Pontificis tiara scriptum fuisse testes αὐτόπται referunt, et alia id genus, de quibus alibi fusius dicendum erit.

XII. Scio duo adhuc objici ab adversariis adversus sententiam nostram. *Primum*, non posse intelligi Romam Christianam, sed Paganam, quia Apoc. xvii. 7, *decem cornua*, id est decem reges, qui potestatem suam tradituri dicuntur Bestiæ, et cum Agno pugnaturi, ver. 13 et 14 (quia vires suas et jus imperii conferent ad Romanæ sedis et religionis tutamen, adversus Christi doctrinam et Sanctos ejus testes), iidem postea, ver. 16, dicuntur "Bestiam aversaturi, et desolatam eam et nudam reddituri, carnes ejus manducaturi, et igne eam concrematuri." "At quomodo," inquit Bell. lib. iii. de Rom. Pont. cap. 13, "erit sedes Antichristi, si eo ipso tempore debet a regibus istis everti et comburi?" Sed nodus facile solvitur, si distinguantur tempora. Primo enim daturi sunt potestatem suam Bestiæ per illusionem falsæ pietatis, et dementationem vini scortationis, quo inebriari debuerunt. Sed postquam ab errore suo et spirituali ebrietate erunt expergefacti, tunc amore in odium verso, aversabuntur summe quam maxime deperibant; Deo justissimo judicio suo hoc ita dispensante, ut a propriis amasiis deleatur, "Deus enim," ut subjicitur ver. 17, "dedit in corda eorum, ut faciant quod illi placitum est." *Alterum* petitur ex hypothesi Pontificiorum de duratione Anti-Christi per 1260 dies, id est, tres annos cum dimidio. Nam si brevi hoc tempore tantum durare debuit, quomodo Roma hodierna Christiana, quæ a tot seculis jam duravit, potest esse Babylon Apocalyptica, et sedes Anti-Christi? Sed demonstrata semel falsitate istius hypothesis, quæ dies naturales supponit pro propheticis, et tres annos cum dimidio, pro mille ducentis et sexaginta annis, cadit vanitas istius figmenti, ut in sequentibus sumus probaturi.

XIII. Sic ostensum fuit veterem Romam Ethnicam per Babylonem non posse designari. De hac veritate convicti, aliquot ex Pontificiis aliud effugium captant, ut Roma quidem intelligatur, qualis futura erat sub finem mundi tempore Antichristi, verum non Roma Christiana, et Papæ subjecta, sed Pagana et ad ethnicismum relapsa, quod somniavit *Viegas*, *Lessius*, *Ribera*, cum aliis nonnullis. Sed hoc etiam καταφύγιον proclive est eripere adversariis, siquidem eadem facilitate rejicitur commentum qua

proponitur; cum hæc interpretatio nullum in Scriptura fundamentum habeat, nullum in Patrum monumentis vestigium, nulla rationum momenta, sed meras conjecturas et vanas divinationes. Unde *Lessius* ipse, dum eam commendare studet, nihil afferre potuit, nisi quod *non debet alicui incredibilis videri* in Apoc. c. xvii. et xviii. At non quæritur, an factum aliquod non incredible debeat videri, sed an probari aliquo argumento possit reipsa contigisse. At unde probabunt nobis, Romam sub Antichristo ad ethnicismum reversuram? Imo nonne Apostolus testatur *Antichristum in templo Dei*, id est Ecclesia, *sessurum*, quod dici non posset, si ad ethnicismum sub eo relapsura erat? Hinc plerique ex Pontificiis hoc respuunt figmentum, tum Justinianus in 2 Thess. ii., ubi de eo dicit, *Quid hoc est quam divinare?* Suarez s. 7, 10, *Non video unde probari possit.* Malvenda ut incredibilem detestatur; Alcazar in Apo. xvii. et xviii. ad eos accedit.

XIV. Hoc vero semel posito, Romam Christianam et Pontificiam hic connotari, inquirendum jam est ulterius, quare Spiritus S. sub Babylonis nomine illam describere voluerit, et quæ sit istius locutionis ratio et fundamentum. Primo, mirum videri non debet si ænigmatice et figurate loquitur, cum hic non historiam scribat, sed prophetiam, quæ obscurior solet esse, et variis figurarum involucris tecta. Ita tamen velata est et operta, ut mysterium sub hoc velo latens penitius rem attendenti non difficile sit agnoscere, quando tanta est inter Romam et Babylonem similitudo, ut cæcum esse oporteat, qui eam non videt. Audiatur vel unus Orosius histor. lib. ii. cap. 2. "Ecce," inquit, "similis Babyloniæ ortus et Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala, &c. Babylon eo anno sub præfecto Arbacto dehonorata est, quo Roma sub Proco rege, ut proprie dixerim, seminata est; Babylon novissime eo tempore a Cyro rege subversa, quo primum Roma a Tarquiniorum regum dominatione liberata est. Siquidem sub una eademque convenientia temporum illa cecidit, ista surrexit; illa tunc quasi moriens dimisit hæreditatem, hæc vero pubescens; tunc Orientis occidit imperium, et ortum est Occidentis."

XV. Sed ut hoc clarius pateat, quædam collationis capita attingenda sunt; non tam ea quæ urbis magnitudinem et gloriam, quam quæ peccata et pœnas spectant. Multa quidem Ecclesiæ ab ejus incunabulis damna sunt a mundo illata: Ægyptus, nascentem suffocare; Babylon, adultam opprimere et corrumpere; Antiochus, provectam extinguere connisi sunt. Sed quæ distincta fuerunt temporum intervallis persecutionum exempla, omnia, ut solent morbi omnes in senectutem confluere, collecta in Ecclesiæ novissimam ætatem ingruerunt: quippe quod sævitia Pharaonis, fastus Babylonis, Antiochi furor designaverat, ad unius Antichristi componendam immanitatem coëunt. Hinc ejus sedes, modo *Ægyptus* propter servitutis duritiem, modo *Sodoma* dicitur, propter impuritatum fœditatem, Apoc. xi. 8. Vicit tamen cætera *Babylonis* nomen. Nam aliæ suas artes, suas scelerum formas singulæ contulerunt, Babylon imperium, statumque cum Ecclesiæ captivitate conjunxit et produxit. Adde quod germanæ utriusque dotes, tyrannis et idolomania. Omnium utraque scortationum metropolis et impietatis officina. Hoc differunt quod altera, corporum exitio attenta, carnificinæ et excidio animarum non adeo intenta fuit. Hic Nimrod robustus animarum venator. Hinc linguæ, fideique sanctæ nata oblivio, et omnium linguarum ac rerum processit confusio. Hinc barbaries in religionem infusa, veritas oppressa, templum Dei fœdissima idololatria pollutum, divina pietatis instrumenta, miserrima captivitate vel sepulta, vel ad nefarios et profanos usus traducta, sacra-

menta impiis superstitionum commentis commutata, omnia sacra turpissimo quæstu contaminata, evangelium anilibus fabulis obrutum, conscientia traditionum laqueis et legum humanarum vinculis constricta, et populus Dei dirissimæ servitutis jugo oppressus.

XVI. Longum foret sigillatim omnia persequi, sed paucis rem notasse sufficiet. Vetus Babylon Hierosolymam et templum Dei vastavit, nova Ecclesiam Christianam, quæ Dei vivi templum est, corrupit. Illa populum Dei captivum abduxit, et sub gravissimo tyrannidis jugo gementem diu detinuit. Ista Ecclesiam Christi captivam sub durissima servitute detinet. Illa fastu intolerando sese supra cætera mundi regna extulit, quasi omnibus superior esset et nulli secunda. "Dixisti," inquit Isa. xlvii. 7, "in seculum ero Domina," et ver. 10, "confisa es malitiæ tuæ, dicens, *Nullus videt me.* Sapientia et scientia tua ipsa evertit te, ut diceres cum animo tuo, *Ego sum et nulla præter me amplius.*" Ista non aliter. "In corde suo dicit, *Sedeo regina, nec sum vidua, nec videbo luctum,*" Apoc. xviii. 7, dum se jactat æternam, infallibilem, mundi dominam, et Pontificem suum supra reges et principes, atque adeo supra πᾶν σέβασμα effert. Illa rapinis et injustitia celebris fuit, qua ad se mundi opes per fas et nefas pertrahere est conata, Jer. li. 34, 35, "Exedit me; quatit me Nebucadnezar rex Babyloniæ, statuit me ut vas inutile, deglutit me ut draco, implet ingluviem suam deliciis meis," &c. Istam eodem rapacitatis et avaritiæ crimine teneri, non diffitentur, qui in ejus sinu vivunt. *Mantuan.* ad falco. de colloq. inopum cum falcone,

Obtinet, expulsa probitate, pecunia Romam,
Nec Deus in tota possidet urbe locum;
Quot sunt Romæ homines, tot sunt per compita fures,
Quosve canes speras experiere lupos.

Vide etiam *Petr. Blæsensem* in epist. 144, 145, 146. Illa præstigiis et magicis artibus dedita fuit, ut hoc illi non semel a prophetis exprobratur. Has vero in ista nimis obtinere jam diu compertum est, cum non paucis ex Pontificibus crimen hoc impactum sit, ut Sylvestro II., Benedicto IX., Gregorio VII., aliisque. Videatur *Platina* in vita Sylvestri II., *Jo. Stella* in fasciculo rerum expetendarum, *Beno* in vita Hildebrandi. Illa nominis etymo, *confusionem* notat. Ista non nomine, sed reipsa, mera confusio est, non linguæ tantum, sed et doctrinæ. "Turbat omnia, miscetque," inquit Petrarcha, li. Epist. sine titulo, Epist. 13, "industria, quam putas ob causam, nisi ut circulatorum more, vel perplexo loro, vel confuso vulnere licentius fallat, et fraus sub proprio umbraculo turbatæ reip. delitescat? Et ille quidem pro qualitate propositi artibus utitur non novis, nam et in fruticoso gaudet auceps, piscator in turbido, fur in tenebris," &c. Illa malleus fuit et virga in manu Domini ad conterendas gentes, et Dei populum, Isa. x. 5, Jerem. li. 20. Ista Deus utitur ad affligendum mundum et Ecclesiam. Illa tyrannide et idololatria illustris fuit. Istam utriusque non minus ream esse, superioribus disputationibus ostensum fuit. Illa denique gravissimas criminum suorum pœnas dedit ex justo Dei judicio, Jer. li. Istam non leviores manere Spiritus S. testatur, Apoc. xviii.

XVII. Ne vero videamur quicquam Romæ affingere ex nobis, damus testes domesticos, et malumus id ipsum aliorum, quam nostris verbis exprimere. *Petrarcha* multus est in describendo corruptissimo ejus statu suo tempore. "O fons dolorum," inquit, p. 1, Cant. 106, 107, 108, "domicilium irarum, schola errorum, templum hæresium, olim Roma, nunc

Babylon falsa et nequam, cujus causa tantum lachrymarum funditur et suspiriorum, officium fraudum, claustrum irarum, in qua bonum interit, et malum creatur et oritur, viventium inferne et cruciatus, nide proditionum, in quo latitant quæcunque mala per orbem terrarum hodie sparguntur, vini serva otii, et epularum, in qua libido suos extremos edit conatus," et luculentius adhuc, lib. epist. sine titulo, Epist. 7, 8, "Quicquid de Assyria, vel Ægyptia Babylone, quicquid de quatuor labyrinthis, quicquid denique de averni lumine, deque tartareis silvis, sulphureisque paludibus legitis, huic Tartaro admotum, fabula est. Hic turrificus, simul et terrificus Nimrod, hic pharetrata Semiramis, hic inexorabilis Minos, hic Rhadamantus, hic Cerberus universa consumens, hic tauro supposita Pasiphaë, mixtumque genus quod Maro ait, prolesque biformis, Minotaurus inest, veneris monumenta nefandæ. Hic postremo, quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile usquam est, aut fingitur, aspicies," &c. Et ibid., "Hic vero non tam civitas, quam larvarum et lemurum domus est, et ut breviter dicam, scelerum atque dedecorum omnium sentina, atque viventium infernus." Vide etiam Epist. 15, 16, 17, ubi idem argumentum persequitur, quas brevitatis studio omittimus. Addamus etiam illustrissimi inter Pontificios Cardinalis Baronii suffragium, qui ad ann. 912 Romæ corruptelas et sordes nefandas fatetur. "Quæ tum facies S. Romanæ Ecclesiæ, quam fœdissima, cum Romæ dominarentur potentissimæ ac sordidissimæ meretrices, quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, et quod auditu horrendum et infandum est, intruderentur in sedem Petri, earum amasii Pseudo-pontifices," quos postea *monstra* vocat. Quorum quantus fuerit numerus, exponit *Genebrardus*, licet nobis inimicissimus, a.m. 4987. "Seculum hoc," inquit, "uno infelix, quod per annos fere centum quinquaginta a Joanne VIII. Pontifices a virtute majorum defecerint, apotactici, apostaticique potius quam apostolici." Qui talia vellet operose congerere ex *Bernardo*, *Sigeberto*, *Platina*, *Sigonio*, *Fasciculo temporum*, *Uspergensi*, *Theodorico a Niem*, *Mantuano*, aliisque, posset ingens inde volumen conficere, et Romæ cum Babylone similitudinem deprehendere. Unde mirum nemini debet videri, si Joannes illam istius nomine designare voluerit, quando non potuit alio significantius statum ejus ac conditionem nobis describere.

XVIII. Cum ergo ex his constet, Romam Pontificiam veram esse mysticam Babylonem, ex qua egredi nos jubet Spiritus Sanctus, nemo non videt justissimam fuisse et summe necessariam nostram ab ea secessionem ut voci cœlesti pareremus, et saluti nostræ iremus prospectum. Quod clarius patebit, postquam visum fuerit, *quinam* teneantur exire, et *quomodo*. Prius innuit Joannes, quum *populum Dei* compellat, *Exite ex ea, popule mi*. Ut ostendat, non ad omnes, quotquot Babylone fuerint, exitum hunc spectare, sed ad eos tantum qui *populi Dei* singulari prærogativa gaudent; ut solus Abraham ex Ur Chaldæorum evocatur, solus Israël ex Ægypto, soli Judæi ex Babylonia. Licet enim omnes possint vocari populus Dei, generali nomenclatione, ratione Providentiæ; tamen strictiori significatione *Populus Dei* vocatur sola *Ecclesia* ratione fœderis Gratiæ, quia cum ea pactum speciale iniit, in quo testatur se fore Deum nostrum, petitque vicissim ut simus ejus populus. Populus ergo Dei dicitur, non ratione *Creationis*, sed *Redemptionis*; non respectu *Providentiæ*, sed respectu *Prædestinationis*, quia a Deo electus fuit ab æterno, a Christo redemptus, a Spiritu Sancto vocatus in tempore, ut esset λαὸς περιούσιος *populus peculii*, 1 Pet. ii. 9, et Tit. ii. 14. Ut vero appellatio ista honorifica *beneficium* a parte Dei longe maximum importat, nimirum commu-

nionem cum Deo, et communicationem gratiæ et gloriæ, et omnimodæ felicitatis, ita *officium* postulat ab homine strictissimum, omnimodum scilicet cultum et obsequium; quod in eo potissimum locum habere debet, ut quemadmodum Deus illum præ cæteris omnibus dilexit, et ab illis secrevit, ut esset illius Deus, ita ipse vicissim ab omnibus aliis se separare teneatur, ut Deo suo soli adhæreat, nec patiatur fidem suam, vel cultum ulla vel erroris vel idololatriæ, quæ cum Deo est ἀσυστατος, labe infici. Unde fluit secessionis, quæ hic præscribitur, necessitas, et mandati divini justitia. Cum enim Babylon ista pessime corruperit totum Dei cultum, et populus Dei sub gravissimo ibi detineatur servitutis jugo, ubi non potest sine præsentissimo salutis periculo manere, quis non videt summam illi et indispensabilem imponi eo ipso exeundi necessitatem?

XIX. Ut vero exeundi ex aliquo loco mandatum supponit necessario moram ibidem præcedentem, bene inde colligimus, si populus Dei exire Babylone tenetur, eum ibi antea fuisse, adeoque recte dici Ecclesiam in Papatu latuisse. Non quod Papatus vera sit Ecclesia, cum contra sit ejus pestis et corruptio, sed quia Deus voluit aliquandiu fideles suos in eo conservare. Quomodo Judæi, qui tunc temporis populus Dei erant, captivi fuerunt Babylone, nec tamen dici potest, Babylonem propterea veram fuisse Ecclesiam. Atque hinc non obscure liquet, quid responderi possit ad quæstionem vexatissimam, quam identidem adversarii nobis oggerunt, *Ubinam esset vera Ecclesia ante Lutherum et Calvinum, si non fuit Romana?* Quid enim, si ab iis vicissim quæramus, *Ubinam vera fuerit Ecclesia Dei tempore captivitatis Babylonicæ, si Babylon non fuit?* Respondebunt procul dubio, non fuisse Babylonem, sed in Babylone captivitate oppressam. Quidni et nos pariter dicamus, Ecclesiam fuisse in Papatu, sed captivam. Porro ut quæstio ista potest intelligi, vel *de personis*, vel *de sede* et *loco*, ita diversimode responderi potest. Nam respectu *personarum*, bene respondetur Ecclesiam fuisse in omnibus et singulis fidelibus et electis, qui tunc temporis vivebant, qui, licet hominibus et mundo ignoti, Deo tamen erant notissimi; quomodo septem millia qui tempore Eliæ genua Bahali non flexerant. Ita respectu *loci* et *sedis*, dicimus, non fuisse certo loco alligatam, sed diversam sedem, modo hic, modo illic, juxta dispensationem Dei fuisse sortitam; vel extra Papatum, in cœtibus variis, qui nullam cum Roma communionem habuerunt, vel in ipso Papatu, non quidem quoad communionem internam cum eo, sed quoad communionem externam et visibilem, quia in medio Papatus vixit; non conjunctim et simul, sed sparsim per regna, provincias, ac familias, in quibus Deus populum suum, et electos suos habuit, quos in mediis Papatus tenebris voluit conservare, ut totidem Φωστηρας et testes veritatis, qui contradicerent Papatus erroribus, et veritati testimonium perhiberent. Fateor quidem conditionem istius Ecclesiæ miseram fuisse et afflictam, non tantum, quia obscura fuit et splendore suo destituta, quod adumbratur imagine mulieris fugientis in desertum, Apoc. xii., et quia exigua fuit numero, et ad magnam paucitatem redacta; sed etiam quia non potuit non, in Papatu manendo, variis ejus abusibus participare, licet fundamentum salutis semper retinuerit. Verum dubitare non debemus, quin ibidem semper aliquem sibi populum servarit Deus, quem Spiritus efficacia, et Verbi ministerio sustentavit. Et vel ex hoc uno luculenter colligitur, quod exire e medio Babylonis jubetur, nec enim juberetur exire, nisi fuisset adhuc in ea.

Quænam secessio imperetur?

XX. Dum autem *exire* populus jubetur, *secessio* imperatur, cujus *modus* et *ratio* tertio loco jam venit expen-

denda. Cum vero *secessio* duplex possit distingui, alia *localis* et *politica* quoad sedem, alia *spiritualis* et *mystica* quoad fidem; primam Judaïco populo olim imperatam fuisse, extra controversiam positum est, ut, relicta Babylone, Judæam repeteret, et libertate pristina frueretur; quo respiciunt loca ante citata, Isa. xlviii. 20, Jer. li. 6, Zach. ii. 6, 7. Ut enim Ecclesia migraverat non *mœnibus*, sed *moribus*, et mutaverat, non *sedem*, sed *fidem*; non *nomen*, sed proh dolor! *numen*; ita non agitur proprie de *secessione politica* et *civili*, quoad habitationem et hospitium, sed de *secessione sacra* et *mystica*, quoad religionem, per quam fiat, ut nullam in sacris cum ea communionem amplius colamus. Rursus cum *secessio sacra* sit vel *cordis*, vel *oris*; vel *latens* et *negativa*, per rejectionem errorum internam, quum quis se purum et immunem præstat a cultu idololatrico, non communicando cum ipso, quod fecerunt septem millia tempore Eliæ, vel *patens* et *positiva*, per apertam veritatis professionem, quum palam nos testamur alienos ab erroribus et superstitionibus alicujus Ecclesiæ, imo et cœtus segreges ab ea instituimus, et puriorem Dei cultum seorsim profitemur, quomodo Gentiles ab Ethnicismo secedebant ad Christianismum, hic non alterutram tantum, sed utramque simul præscribi certum est, quomodo Judæi aperte Babylonem delinquere tenebantur, ut Hierosolymam se reciperent. Atque hoc clare insinuat, Isa. lii. 11, "Discedite, discedite, exite illinc, immundum non attingite. Exite e medio istius, purgate vos, portantes vasa Domini," ibi enim ad utrumque exitum respicit, *typicum* ex Chaldæa, et *mysticum* ex Babylone spirituali. Unde Paulus hoc loco utitur, 2 Cor. vi. 16, 17, ad insinuandam secessionis ab impuro impiorum cœtu necessitatem, "Quapropter exite e medio ipsorum, inquit Dominus, impurum ne attingitote, et ego vos recipiam." Sic, Act. ii. 40, eadem secessio aperta et positiva a Judaïsmo ad Christianismum Judæis imperatur a Petro, *Servamini ex hac perversa generatione.* Nec aliter fieri potest, si saluti nostræ consultum volumus, ut geminum hic scopulum æque periculosum declinemus, alterum *hypocritarum*, qui, corpore Babylone egrediendo, animo semper et corde ibidem manent; alterum vero *Pseudo-Nicodemitarum*, qui se corde secedere profitentur, licet corpore adhuc ibi hæreant.

XXI. Et ad secessionem cordis quod attinet, cum nulla possit esse communio inter lucem et tenebras, errorem et veritatem, templum Dei et idola, et Deus cor nostrum super omnia postulet, nemo non videt, *secessionem cordis* hic primo requiri, ut, omnem errorem et impietatem abnegantes, puro corde et fide *ἀνυποκρίτῳ* Deum veneremur et colamus. Alias quid juvaret ore tenus ad Deum accedere, si cor ab eo remotum semper manet? Quid juvaret veritatem extrinsecus profiteri, dum pestiferi et exitiales errores in mente foventur? Quid prodesset Hierosolymæ civem se jactare, et Babylonem corpore reliquisse, si animus in eam semper conversus est, imo si Babylon cordi semper hæret infixa? Satius omnino foret nunquam ex ea egressum esse, quam ejus odium hypocritice simulando, pronum erga ipsam affectum semper habere. Unde non mirum, si tales Vertumni Proteo quovis mutabiliores, qui religionem propriis commodis accommodare volentes, Christum videntur amplecti, quum e re sua hoc esse vident. Iidem tamen subinde, quum sibi utilius fore judicant, ad Babylonem relabantur, quia ex ea nunquam serio et sincere fuerant egressi, de quibus impletur quod ait Petrus, "Canis ad vomitum revertitur, et sus ad volutabrum," c. ii. secundæ ver. 22.

XXII. Sed ita secessio cordis ante omnia requiritur, ut necessaria etiam sit *secessio oris et corporis*, nam ut *corde creditur ad justitiam*, ita

ore fit confessio ad salutem, Rom. x. 10. Et ut Christus corporis, non minus ac animi, Redemptor est, sic in utroque vult glorificari, 1 Cor. vi. 20, non modo per internam veritatis cognitionem et amorem, sed et per externam et apertam ejus professionem; ne ullam amplius cum cœtu idololatrico communionem habeamus, ut sacris ipsius intersimus, et errores amplectamur, quod esset characterem Bestiæ sumere, et eam adorare, Apoc. xiv. 9. Nec alia de causa veri fideles proponuntur toties in hoc libro *obsignati in frontibus*, Apoc. vii. 3, quam ut necessitas professionis externæ innuatur, non minus ac fidei internæ; quia Christus damnat, non modo eos qui non crediderint corde, sed etiam qui ore abnegarint, Luc. xii. 9. Quod Pseudo-Nicodemitarum vanum commentum jugulat, qui secessionem mentalem jactant, dum externam fugiunt, seque satisfecisse putant mandato Dei, quum errores et abusus Papales corde aversari se fingunt, dum Babylone semper manent, et corpus idololatrico cultu polluunt, quasi Deus altera hominis parte contentus esset, nec cultum externum corporis, non minus ac internum animi requireret. At divisionem istam minime ferendam esse non semel protestatur. Nec potest pati, ut corpus, quod ad imaginem suam condidit, quod per Christum redemit, quod in templum Spiritus S. consecravit, idolis polluatur, vel spirituali scortatione contaminetur. Non potest ferre, ut Christianus, filius Dei veritatis, infamis mendacii crimine se obstringat, simulando corpore, quod animo improbat, et divortium exitiale inter linguam et cor faciendo. An vir uxorem suam pudicam et castam dixerit, quæ cor quidem servare illibatum marito profiteatur, interim corpus adulteris nefanda libidine prostituat? Ita an Christus pro fideli sponsa et casta virgine habiturus est, quæ partiri voluerit inter se et mundum, et cor quidem dare se Christo profiteatur, dum corpus mundo et idolis prostituit?

XXIII. Neque hic reponendum, *non statim Babylonis peccatis infici, quotquot in ea manent, cum libertas quidvis pro arbitrio credendi, modo in ejus communione externa maneatur, iis qui ad eam accedere voluerint, promittatur*; nam licet blando isto sermone non raro uti soleant Babylonis mancipia, non difficile tamen est dignoscere, inania tantum verba esse, et escam periculosam, qua incautos inescare satagunt. Quid enim juvat *libertas credendi* quod libuerit, si necessitas semper imponitur profitendi quod conscientiæ repugnat? Non potest, fateor, cogi conscientia, sed potest opprimi. Nam quicquid sit, si communionem externam fovemus cum illa; si sacris ipsius intersumus, saltem corpore; si ejus fidem externe profitemur, nonne characterem ejus sumimus, et Christum abnegamus? Nonne dissimulamus veritatem agnitam, et mendacium simulamus? Nonne ejus jugo collum subdimus, et peccatis ejus participamus? Taceo quod falso talis libertas promittitur, cum nihil minus in animo habeant, qui ita loquuntur, et contrarium ex ipsa praxi pateat. Quis enim nescit, neminem in communionem ejus recipi, vel in ea degere posse, qui missatico sacrificio interesse non debeat, id est, coram idolo genu flectere? quique Papæ auctoritatem agnoscere non teneatur, et decretis Ecclesiæ acquiescere? Quod unum, si nihil aliud esset, gravissimum tyrannidis jugum, cum libertate Christiana plane ἀσύστατον importat, siquidem, hoc semel posito, tenebuntur omnes cæca obedientia recipere, quod Papæ libuerit ad credendum vel præstandum imponere; quod nemo non videt verum et legitimum esse positivæ secessionis, quæ hic præscribitur, motivum et fundamentum, mandato præsertim divino accedente.

XXIV. Quando autem mandatum illud factum sit, nunc inquirendum; ut constet non tantum de *modo* secessionis, sed etiam de *tempore*. *Vo-*

cem quidem cœlitus *auditam* narrat Johannes; non quod tunc temporis efferri debuerit, vel impleri, sed hic *auditus propheticus* designatur, ut suo tempore implenda prænunciaretur. Quamvis vero non ita proclive sit designare temporis momentum, quo vox ista cœlestis debuerit audiri, vel audita fuerit, non obscuri tamen sunt characteres, quibus hoc dignoscatur, siquidem hic mentio fit Babylonis, non modo stantis, sed et ad occasum vergentis et jamjam casuræ. Unde patet, non statim nata Ecclesia, oraculum hoc locum habere debuisse, sed tantum post revelatam Babylonem; neque vero statim initio tyrannidis Babylonicæ, sed postquam hæc tyrannis diu duravit, et casui proxima erat, quod ad Reformationis tempus pertinere non diffitebuntur, qui rem serio et absque præjudicio expendere voluerint, quum Christus Angelicæ tubæ sonitu, nimirum per fideles servos suos, qui non raro *Angelorum* nomine veniunt, annum beneplaciti, et liberationem a captivitate tristissima promulgavit, quomodo olim publica voce Judaïco populo captivitatis solutionem, et reditum in patriam per Cyrum denunciari jussit. Nimirum qui luxuriantem castigare voluerat Ecclesiam Deus, in triste exilium eam pellendo, ubi inter hostes delitescere debuit, noluit tamen eam deserere, sed illi afflictæ propitius adfuit, et tempore præstituto, septuaginta annis elapsis, Cyrum excitavit, qui libertatem Judæis attulit, et edicto promulgato, "Hierosolymis dixit, reædificantor, et templo, fundator," Isa. xliv. 26, Esd. i. Ita in novissima hac captivitate, Israëlem secundum Spiritum Babylone latentem et gementem non deseruit. Audivit ille captivorum gemitus, vidit conscientiarum tyrannidem, et tristissimum Ecclesiæ, in spiritus immundi domicilium commutatæ, spectaculum, nihilque jam superesse, nisi ut Christi nomen deleretur. Suo itaque tempore suppetias illi tulit, Cyros vocavit. Imo ipse Rex Regum, Dominus Dominantium, Cyrus noster, (solem enim Persæ Cyrum vocant, si *Plutarcho* credimus in Artaxerxe, Κυρον γαρ καλουσιν οἱ Περσαι τον ἡλιον) Sol ille justitiæ, luce nova tenebras discussit, et spiritualis libertatis solemne, velut edictum, cœlitus promulgavit.

XXV. Quia vero plurimum intererat hoc ab omnibus intelligi, ideo non submissa, sed clara et alta voce, angelicarum tubarum sonitu, qui homines veterno peccati, et vino scortationis Babylonicæ sepultos excitaret, denunciari hoc voluit. Unde tres sibi invicem succedentes mittit angelos, qui præconium hoc certius confirmarent. Quod jam cap. xiv. insinuaverat, postquam de 144 millibus *obsignatorum* egerat, id est, de veris fidelibus, qui se puros ab idololatria servaverant, *non se polluendo cum mulieribus*, &c., ver. 4. Primus proponitur ver. 6, ἐν μεσουρανηματι volans, et *evangelium æternum*, antea sepultum, incolis terræ afferens. Quod in fidelibus Dei servis impletum, quos Deus post Antichristi revelationem subinde excitavit ad veritatis conservationem et defensionem, ut ex *Catalogo Testium veritatis* patet; præcipue vero novissimis seculis, appetente jam Reformationis tempore, ut via illi paulatim pararetur. Ut factum a *Waldensibus* et *Albigensibus* circa duodecimum seculum, anno 1170, postea a *Wiclefo*, declinante decimoquarto, circa annum 1360, et a *Joh. Husso* et *Hiero. Pragensi* circa initium decimiquinti, confirmatum est. Secundus et tertius introducuntur, ver. 8 et 9, casum Babylonis describentes, et pœnas denunciantes ejus cultoribus. Quod tum impletum est, quum magni viri Dei, potenti voce instar tubæ angelicæ, ab initio Reformationis Papatus fundamenta mascule subruere cœperunt, tum voce, tum scriptis, hominesque ab idolomania Romana abstrahere, et ad Christi evangelium revocare studuerunt; quod in *Luthero*, *Zuinglio*, *Oecolampadio*, *Bucero*, *Calvino*, et aliis heroïbus observatum fuit. Quod autem, cap. xiv., jam attigerat Spi-

ritus Sanctus ulterius, cap. xviii. exequitur, et clarius, tum de excidio Babylonis, non inchoato tantum, sed consummato vaticinatur, ver. 2, 3, tum de necessaria fidelium a Babylone secessione. Ideo non tantum denuntiat pœnas Bestiæ cultoribus, quod fecerat cap. xiv., sed hortatur insuper pios omnes in ea degentes ad secessionem, ne, contaminati illius peccatis, pœnis ejus involvantur, et ruina opprimantur, ver. 4, 5. Hoc vero eodem evangelii præconio impletum esse, ita per se patet, ut magna probatione non sit opus. Quis enim ignorat eximios illos Dei servos in id præcipue incubuisse, ut fideles a Babylone ad Hierosolymam, a Papa ad Christum, ab errore et superstitione ad veritatem et purum Dei cultum deducerent? Nec eo tempore tantum vox ista audita est, sed exinde continuo in orbe Christiano sonuit, et etiamnum hodie resonat, et ad fideles Babylone adhuc latentes dirigitur, ut de salute sua etiam solliciti, mature se Babylonis jugo et exitio subducant, ne, peccatorum ejus participes, sint etiam pœnarum socii.

XXVI. Hæc quippe ratio mandati gemina proponitur, *ne, participes peccatorum ejus, ex plagis accipiatis.* Fateor vel solam Babylonis mentionem, secessionis istius necessitatem satis inducere, cum impossibile sit civem esse simul Hierosolymæ et Babylonis. Sed ut fortius adhuc mandati istius justitia cognoscatur, duplici hac ratione fulcire eam voluit Spiritus Sanctus, qua justior et gravior nulla dari potuit. Cum enim summo quisque salutis et felicitatis ducatur desiderio, ea vero sit alienissima, imo plane ἀσυστατος cum duobus maximis, quæ hic notantur, malis, *culpæ* scilicet et *pœnæ* quis non videt, ineluctabilem illis omnibus, qui salutis suæ sunt studiosi, imponi necessitatem eam deserendi societatem, quæ talium peccatorum et pœnarum consortio eos involvit? Atque eo magis, quod ut peccata ista non levia sunt et minuta, quæ cum fide et salute possunt utcunque subsistere, sed gravia et teterrima, quæ fidem Christi, et puriorem Dei cultum penitus corrumpunt, ita pœnæ, quæ illa manent, non castigatoriæ sunt et medicinales, a quibus felix datur exitus, quales in fideles sæpe cadunt, sed ultrices et horrendæ, quæ ultimum sontibus exitium sunt allaturæ, quas nemo salutis suæ cupidus fugere non tenetur.

XXVII. Atque ea potissimum ratione moti fuerunt superiori seculo majores nostri, quum Babylonem generose reliquerunt, ut Hierosolymam corruptam restaurarent, et Reformationis operi manum admoverent. Quid enim aliud eos permovere potuit, ut, relicta patria, parentibus, amicis, bonis, et rebus quibusque carissimis, (quibus fruebantur, et frui poterant dulcissime, si Babylone mansissent) de mutandis sedibus cogitarent, et de Papatu deserendo, et vexillo evangelii sequendo consilium inirent; quod indignationem principum, concivium odium, totius pene mundi furorem in ipsos concitabat, et non modo bonorum jacturæ, sed et mille ærumnis et crucibus, adeoque propriæ vitæ periculo eos exponebat? Quid, inquam, eos adeo potenter afficere potuit, nisi conscientiæ ipsius vox, et divini mandati justitia, salutisque, quæ rebus omnibus pretiosissimis, imo et vita hac temporali carior piis omnibus debet esse, desiderium? Nam si ullum dari potuisse credidissent pacis vel conciliationis cum Babylone medium, næ insani et mente capti fuissent, si illud molestæ, et tristissimæ secessioni non prætulissent, ut superiorum favorem, æqualium amorem, et dulcissima quæque, quibus antea gaudebant, bona retinere possent. Verum, quia se talia possidere non posse, salva conscientia et Christi fide, persuasissimum habebant, maluerunt cum Paulo omnium jacturam facere ut Christum lucrarentur, et suorum odio et furori se exponere, ut amorem Christi illibatum sibi servarent.

XXVIII. Porro quæ ratio secessionis necessitatem illis imposuit, eadem, rebus semper sic stantibus, syncretismi ἀδυναμίαν evincit. Nam si exire jubetur Dei populus ex Babylone, quo tandem pacto, vel in ea adhuc manere, vel ad eam redire, et quocunque demum prætextu cum ea συγκρητίζειν possemus, nisi cœlesti voci rebelles, et in propriam salutem injurii? Quicquid enim prætexatur, ad exitialem illam ἕνωσιν faciendam, quicquid dicatur ad errores incrustandos, tegendamque ejus turpitudinem, Babylon semper est, cum qua sacrum commercium nullum nobis intercedere potest, nisi cum ea perire volumus. Quod si Lothus Sodomis non modo exire jubetur promptissime, ne detestandæ urbis involveretur excidio, sed et prohibetur retrorsum ad eam respicere semel egressus, Gen. xix. 14, 17, quod cum uxor ejus detrectasset, crimen gravissima pœna luit, in salis statuam conversa; si nefas erat Israëlitas, ex Ægypto semel liberatos, iterum eo redire, vel peponum, et cæparum, similiumque ejus deliciarum desiderio capi, quod male cessit Israëlitis murmurantibus, Num. xi. 3, et xiv. 3, 4, Deut. xvii. 16, si Judæi, ex captivitate Babylonica reduces, sub pristinæ servitutis jugum redire sine crimine non potuerunt, quanto gravior pœna eos manere censenda est, qui suavissimæ, qua fruuntur, libertatis obliti, vellent ferreum, quo antea tantum non opprimebantur, tyrannidis jugum sponte subire, et exitialem Babylonis amicitiam, salutaris cum Christo communionis dispendio, quærere? Nam præterquam quod Samaritanismus ille, seu religionum mixtura Deo semper fuit summe exosa, qui consortis impatiens, nec parem nec superiorem in cultu ferre potest, ut toties hoc illis exprobrat, qui claudicare volebant in utrumque latus, et dominum colendo, diis etiam suis servire, 1 Reg. xviii. 21, et 2 Reg. xvii. 33. Ut vetuerat agrum conseri diversis seminibus, et vestem contextam ex lana et lino gerere, Levit. xix. 19, eo ipso mixtiones omnes in cultu divino adulterinas esse symbolice innuens. Et Paulus periculosam illam σύγκρασιν non semel damnat, 1 Cor. x. 21, et 2 Cor. vi. 14, 15, 16, 1 Tim. vi. 5, Heb. xiii. 9, 2 Joh. 10. Accedit etiam salutis nostræ ratio. Nam quicunque sic ἀμφότερος est, revera οὐδέτερος ἐστι; qui utramque religionem sociare pertendit, neutram habet. Nec bene conveniunt, vel in una sede morantur, arca Dei cum Dagone, veritas cum mendacio, Christus cum Belial, et templum Dei cum idolis. Unde magnam olim laudem consecuti sunt Athanasius et Hilarius, qui dum totus orbis ingemiscebat, et Arianum se esse mirabatur, secessionem et exilia, sancto et vere generoso consilio, huic pestiferæ unioni, et maledictæ concordiæ alacres prætulerunt.

XXIX. Ita demonstrata secessionis nostræ necessitate a *divino mandato*, unum superest, ut paucis respondeamus nonnullis, quæ afferri adhuc possunt, ad vim argumenti nostri infringendam, exceptionibus. Prima petitur ex *allegorico* loquendi *sermone*, ex quo nihil certi posse colligi contendit *Perronius*, tum quia subobscurus esse solet, tum quod ex canone recepto, *Theologia allegorica non sit argumentativa*. Secundo, licet daretur, inquiunt, Ecclesiam corruptam fuisse, non propterea ab ea recedendum fuisse; fuisse corrigendam, sed non fuisse deserendam, ne unitas ejus laceraretur. Tertio, si quæ secessio postulabatur, non statim fuisse positivam, et externam, quæ jus tribueret novas Ecclesias novumque ministerium erigendi, quod sine peculiari vocatione nemo aggredi debet; sed suffecisse negativam, et internam. Quarto, patres ante Reformationem Babylone manentes potuisse servari, et reipsa servatos esse ex nostra sententia; sic et nos eorum exemplo posse servari, etsi Babylone maneamus.

XXX. Facile tamen ad omnia respondetur. Ad 1 resp. distinguendam esse interpretationem allegoriæ, quæ non potest aliunde confirmari, nec alia ratione nititur, quam mero arbitrio interpretis, ab ea quæ partim ex Scriptura aperte confirmatur, partim ex ipso eventu intelligitur. Fateor prioris allegoriæ sermonem esse subobscurum, et hoc sensu vere dici, theologiam allegoricam non esse argumentativam. Sed quoad posteriorem aliter se res habet; alias Apostolus, qui toties ex allegoria argumentatur, non solide ratiocinatus fuisset, nec Joannes, Apoc. i. 3, beatos diceret, qui legunt et audiunt, quæ in hac prophetia proponuntur, quæ maxima ex parte allegorica sunt. Jam mandatum exeundi Babylone ita est allegoricum, ut ex ipsa Scriptura luculenter confirmetur, et ex ipso eventu clarissime comprobetur, ut antea visum.

XXXI. Ad 2 resp. hoc non tam contra nos, quam contra Spiritum Sanctum dici, qui expresse jubet exire. Fateor, si Babylon sanari potuisset vel voluisset, non fuisse deserendam, sed corrigendam. Sed quia curavimus Babylonem, et noluit ipsa curari, imo non modo medicum recusavit, sed in medicos suos insurrexit, et ferro et flamma eos persecuta est, quid supererat, quam ut eam tanquam insanabilem et desperatam relinqueremus, et saluti saltem nostræ prospiceremus? ut hic vere impletum sit, quod olim de veteri Babylone Jeremias dixerat, Jer. li. 9, "Curavimus Babylonem, et noluit sanari; eam deserite, et revertatur unusquisque in terram suam; judicium enim ejus ad cœlos usque pervenit." Eum autem statum fuisse Romæ, eam pervicaciam et obstinationem adversus piorum monita, et vota, qui Reformationem petebant, nemo est qui nesciat; ut non tam fugere illam debuerimus, quam ab ipsa fugati fuerimus, non tantum anathematum fulminibus, sed etiam cædibus et lanienis, ut ostensum fuit, Disput. I. Thes. 26, 27, 28, ubi plura de hoc argumento. Frustra regeritur, non deserendam esse Ecclesiam, *extra quam nulla est salus*, vel unitatem ejus lacerandam. Nam aliud est *Ecclesiam veram* deserere, extra quam non est salus, aliud *Ecclesiam Romanam*, quæ hoc nomine indignam se præstitit; aliud sanctam unitatem corporis Christi, quæ veritate nititur, lacerare, quod impium, aliud unionis falsæ, quæ in errore fundatur, vinculum abrumpere, ut veritatem et pacem Christi retineamus, quod summe laudandum.

XXXII. Ad 3 resp. gratis supponi secessionem tantum internam et negativam requiri, cum externa etiam et positiva hic præscribatur. 1. Quia Israëlitæ non tantum corde exire debuerunt Babylone, sed etiam externe et positive Hierosolymam repetendo, et altare Dei et templum instaurando. 2. Quia Deus non tantum cultum internum, sed et externum postulat, 1 Cor. vi. 20. 3. Quia secessio non imperatur uni vel alteri, sed toti populo, id est, cœtui fidelium, qui non potest carere cultu externo et publico, alias sequeretur vel cultum externum et publicum non esse necessarium, vel cultui idololatrico saltem externe licere participare, quod utrumque vel cogitare impium. Nec hic opponi debet defectus legitimæ vocationis, nam præterquam quod vocatio ordinaria plerisque non defuit, alia est ratio *Ecclesiæ constitutæ* et *stantis*, alia *restituendæ* et *corruptæ*. In illa, fateor, ministerium neminem suscipere debere, qui non sit ex ordine recepto vocatus, sed in ista res aliter se habet, multa enim, quæ alias non licerent in ordine constituto, rebus perturbatis, et in casu necessitatis, quæ non habet legem, facile permittuntur. Quod eo justius hic potest locum habere, quod radix auctoritatis, qua vocatio pastorum nititur, non est penes rectores Ecclesiæ, sed penes ipsam Ecclesiam; quæ proinde ipsa sibi in tali casu potest suos pastores instituere, si aliter

fieri nequit, potius quam ut sinat oves Christi palantes sine pastoribus et pabulo interire.

XXXIII. Ad quartam de *patribus ante Reformationem*, resp. 1. Legibus, non exemplis vivendum esse; nec tam nos esse debere sollicitos de eo, quod ante nos præstitum est, quam de eo quod præstari reipsa debuit. Itaque si patres peccassent, vel humani quid essent passi, Babylone manendo, non statim eos sequi teneremur, si clarius de voluntate Dei nobis jam constet. 2. Alia fuit patrum conditio, alia nostra, ut aliud est *captivitatis*, aliud *libertatis* tempus. Babylone sine crimine manserunt Judæi, nondum soluta captivitate, at gravi reatu se obstrinxerunt ii, qui sese fratribus non adjunxerunt, cum Deus eos ab hac servitute vocavit. Dum captivitatis durabat tempus, licuit esse captivum, sed postquam Deus libertatem cœlesti voce promulgavit, non *captivus* sed *servus* est qui manere statuit. Nec licet moram nectere, Angelo præeunte, et sonante tuba, nisi misere perire malumus, quam mature imminenti exitio nos subducere. Potuerunt ergo patres, quos sibi Deus Babylone servabat, secedentes a superstitione, non secedere tamen a superstitiosis, quia nondum videbatur captivitas soluta. Necdum Dominus exeundi rationem ipsis patefecerat, vel locum quo se reciperent præparaverat. Sed ex quo novissimis hisce temporibus Dominus evangelii sui signum extulit, et alta voce proclamari jussit, *Exite Babylone, popule mi*; ex quo viam antea clausam aperuit, et complanavit, ad signum hoc non accurrere, huic invitationi non obtemperare, Babylone Hierosolymam non ascendere, rebellio est in Deum, et manifestus gratiæ Divinæ contemptus; quia non invitos, sed cum voluptate Babylone agere se testantur, qui inde non discedunt, et non amplius captivi sunt, sed mancipia Babylonis, qui communionem cum ea colunt.

XXXIV. 3. In eo etiam differt conditio nostra a conditione majorum, quod antea, licet graves essent errores, et abusus, vel nondum erant capitales, et mortiferi, vel nondum in leges abierant, et sub anathematis pœna erant sanciti, ita ut cogerentur quotquot ibidem manebant eos profiteri; poterant ergo per secessionem negativam immunes se ab illis præstare, et in pabulo quod illis proponebatur, venenum a salutari cibo secernere. Sed ex quo errores fuerunt in ἀκμῇ, non modo graves, sed lethales, contagiosi et immedicabiles; ex quo in leges abierunt, et sub anathematis pœna sunt sanciti, quod factum fuit potissimum in Conventu Tridentino; quis, salva conscientia, post cognitam veritatem, ibi hærere posset, cum nemo sine idololatriæ crimine sacris ejus interesse queat? 4. Licet non dubitemus, quotquot ex populo Dei Babylone manserunt ante Reformationem, servatos esse per Dei misericordiam, non sequitur tamen propterea nobis liberum esse et integrum, hodie in tanta evangelii luce, ubi datur facilis et publica Deum pure colendi ratio, ibidem morari, quia non tentandus est Deus, vel spernenda quam nobis offert gratia. Quamvis ergo nonnulli servari potuerint in illa communione, et reipsa servati sint, sed ægre et veluti per miraculum, in tanta et tam gravium errorum multitudine; perperam inde colligitur ibidem pios posse et debere semper manere sine salutis periculo, et non quærendam esse aliam communionem puriorem, in qua non modo salus obtineri aliquando possit in certis casibus, sed ubi via salutis certa sit et infallibilis, modo fidei puritati vitæ sanctitas respondeat. Sic quamvis illi, qui in aëre contagioso, et urbe, in qua pestis grassatur, manent, quia nulla illis ad secendendum via patet, possunt tamen a contagio præservari; non ideo sequitur omnibus, etiam iis, quibus exire inde licet, ibidem manendum, imo temeritatis et insaniæ, addo etiam

propriæ mortis reus esset, qui hoc tentaret, quia se præsentissimo salutis periculo sponte exponeret. Ita dum nullus alius locus majoribus nostris sese offerebat præter Ecclesiam Romanam variis modis corruptam, nec ulla patebat ad exeundum via, potuerunt ibidem tantisper manere, donec porta ipsis ad secedendum aperiretur. Sed postquam Deus occasionem præbuit, sese liberandi ab erroribus capitalibus et crassissima idololatria, quibus cœlum Ecclesiæ Christianæ infectum erat, et Ecclesiam puriorem, in qua salubriore licet nobis aëre frui, inveniendi, magno crimine obstringeremur, et indigni essemus tam eximia Dei gratia, si illuc quanto ocius nos non reciperemus et pestem alibi grassantem fugeremus, salutique nostræ non temporali, sed æternæ consuleremus. Nec tolerantia Dei in certo tempore potest vel debet esse regula tolerantiæ ejus in omnibus aliis.

XXXV. Si jam quæritur, quid porro judicandum sit de illis, qui in Ecclesia Romana manent? resp. nostrum non esse judicare de personis, sed tantum de fide. Nec ii sumus, qui limites ponere velimus misericordiæ et potentiæ Dei, cujus manus nunquam est abbreviata, ut non possit per vias mirabiles et ἀνεξιχνιάστοις ab errore suos liberare, et servare quotiescunque voluerit ὡς διὰ πυρός. Duo tantum ut indubitata firmiter teneri volumus. Primo, neminem, citra grande vulnus conscientiæ et salutis periculum, posse, cognita semel veritate, vel in Papatu manere, vel ad illum deficere, quia fieri hoc non potest sine gravissimis peccatis, quæ cum salute sunt ἀσύστατα, puta, *dissimulatione veritatis, simulatione mendacii, participatione errorum et sordium Ecclesiæ Romanæ, Christi abnegatione, tentatione patientiæ Dei, rebellione aperta adversus ejus mandatum, et scandalo infirmorum*, aliisque id genus, quæ iram Dei in homines arcessunt. Secundo, neminem formaliter Pontificium, id est, qui Papatus errores et cultum profitetur, et retinet, et in eo statu moritur, esse in via salutis, quia ex regula Spiritus Sancti, "Idololatræ non possunt hæredare regnum Dei," 1 Cor. vi. 9. "Timidorum pars est in stagno ignis et sulphuris, quæ mors est secunda," Apoc. xxi. 2. "Et quisquis characterem bestiæ sumit, bibere debet ex vino iræ Dei," Apoc. xiv. 9, 10. Non placet, fateor, hic sermo multis, quibus pax cum Roma longe rebus suis conducibilior videretur, sed nostrum non est pacem promittere, ubi Deus maledictionem interminatur, vel spem salutis conciliare, quum ipse eam præscindit. Si cui ergo cara est sua salus, nihil antiquius habere debet, quam Deum vocantem sine mora sequi. Non hic cum carne et sanguine conferendum, cui nunquam hora videbitur commoda exeundi, et templum ædificandi, cum Judæis profanis, Aggæ i. 2. Sed Deus solus audiendus, ut, omnibus superatis obstaculis, amorem salutis affectibus quibusque mundanis, pacem Dei paci hominum, et mandatum ejus quibusvis mundi promissionibus et illiciis generose anteponamus. Alias, "Quisquis patrem, matrem, filios, et filias, uxorem supra me," inquit Christus, "dilexerit," imo qui non eo usque processerit ut odio etiam habeat, id est, prompte propter me relinquat, "non est me dignus." Sed contra, "Quisquis reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut liberos, aut agros, causa nominis ejus, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit." AMEN.

Matth. xvi. 24, et Luc. xiv. 26.

Matth. xix. 29.

DISPUTATIO SEPTIMA,

SIVE ANTICHRISTI DEMONSTRATIO.

K

DISPUTATIO SEPTIMA,

SIVE ANTICHRISTI DEMONSTRATIO.

Respondente Marco Werdmylero *Tigurino.*

I. Licet Ecclesiam in terris militantem varii semper exercuerint hostes, a quibus innumera passa est mala; alii aperti et detecti, pro hostibus Christiani nominis palam se gerentes, alii tecti et dissimulati, Christum sub ipsius nomine oppugnantes; nullum tamen Satan, ασπονδος ille salutis nostræ adversarius, pestilentiorem et diriorem unquam ipso *Antichristo* excitavit, qui, cæterorum artes et fraudes conjungendo, Christi doctrinam et regnum oppugnare, et infami apostasia ab ipso deficere debuit. Hinc fit, ut ex omnibus, quæ inter nos et Pontificios agitantur controversiis, nulla majoris momenti ad secessionis nostræ justitiam et necessitatem compendiosissima via confirmandam, occurrat, ea, quæ de Antichristo agit. Cum enim certo certius sit, Christo e diametro ipsum opponi, nec ullam cum eo communionem dari posse; si semel constiterit, Pontificem, qui catholicæ obtruditur Ecclesiæ, ut omnium controversiarum judex, conciliorum præses, regnorum dispensator, Ecclesiæ sponsus, et Christi vicarius, esse Antichristum illum magnum, quem delineat Scriptura, promptum erit cuilibet colligere, necessario ab eo ejusque societate secedendum nobis fuisse, nullumque deinceps dari posse cum eo syncretismum.

II. Hoc est autem, quod probare nunc suscipimus, et quod quintæ et ultimæ demonstrationis locum obtinebit, in eo, quod versamus, argumento. Et eo diligentius hoc nobis est exequendum, quo majori studio et conatu adversarii tenebras hic nobis offundere, et Antichristum alienis coloribus depingere satagunt, ut longissime abeant a Papæ sui vultu. Hinc falsi characteres sunt affícti Antichristo, quibus Christiani in errorem inducantur, ut Messiæ falsas notas Judæi apponunt, ut a salutari Christi cognitione nos abducant. Verum si penitus rem attendimus, nihil facilius est, quam caliginem, quæ hic obducitur, excutere, et ex verbi divini luce hoc iniquitatis mysterium propalare. Quod ut commodius fiat, duo nobis præstanda esse censemus; ut primo in thesi, *Qualis* debuerit esse Antichristus quem quærimus, probemus; secundo, *Quis* ille sit in hypothesi, intento velut digito demonstremus. Prius characteres et notas genuinas Antichristi oculis subjiciet. Posterius earum applicationem docebit, et in quo subjecto deprehendantur. Illud ex Scriptura petendum erit; hoc vero ex eventu et experientia.

Quotupliciter sumatur vox Antichristi.

III. Antequam vero ad rem ipsam accedamus, duo de nomine præmittenda sunt. Primo, *Antichristi* vocem modo *communiter* sumi, pro quovis Christi adversario, qui

quacunque ratione Christo se opponit, vel quoad unum doctrinæ caput, vel quoad plura; et in Scripturæ usu, non tam quemlibet Christi hostem, quam larvatum et domesticum designare, quo sensu Joannes testatur suo tempore plures jam fuisse Antichristos, 1 Joh. ii. 18, hoc nomine hæreticos illos indigitando, qui vel divinitatem Christi, vel illius incarnationem negabant. Modo *singulariter* et δεικτικῶς, ibidem pro insigni quodam Christi adversario, cui κατ' ἐξοχὴν hoc debetur nomen, et in quem characteres varii concurrunt, qui sparsim tantum reperiuntur in aliis. Et hoc sensu de eo nunc disputamus. Secundo, Antichristi nomenclationem duo dicere: 1. *Hostem* et *Æmulum* Christi; 2. Ejus *Vicarium.* Utrumque enim vis propositionis ἀντὶ importat, quæ in compositione nunc *pro*, nunc *contra* significat. Modo *vicem*, et substitutionem, ut ἀνθύπατος, *proconsul*, qui vicem consulis gerit; ἀντίδειπνος, apud *Lucianum*, conviva quasi vicarius, alterius nempe locum supplens, qui invitatus non venit; ἀντάδελφος, qui est vice fratris; ἀντίψυχος, qui vice alterius mori cupit, et similia. Modo *oppositionem* et contrarietatem, ut ἀντικείμενος, ἀντίδικος, ἀντίπαλος, &c. Utraque significatio hic locum habere debet. In eo enim Antichristus se prodit magnum Christi adversarium, quatenus se æquat Christo ut æmulum; et se locum Christi tenere in terris profitetur, ut Christi vicarium. Nec alia de causa Satan pro Christi vicario eum obtrudit, quam ut facilius sub illo schemate et histrionia Christum oppugnet. Ita prior *vicariatus* expositio est fundamentum posterioris, et posterior *oppositionis*, prioris finis et scopus.

IV. Hujus Antichristi, proprie et ἀντονομαστικῶς sic dicti, adventum jam olim a Spiritu Sancto prophetice Ecclesiæ prædictum esse, utrique agnoscimus, idque tum a Paulo in 2 ad Thess. ii., tum a Joanne in Apoc. xiii. xvii. xviii., sub specie modo *Meretricis*, modo *Bestiæ*, imo et ab ipso Daniele jam sub Veteri Testamento, sed sub typo Antiochi Epiphanis, cujus in Ecclesiam Judaïcam tyrannidi, Antichristi grassatio in Ecclesiam Christianam respondere debebat. Sed in eo dissensus est maximus, quod adversarii, Pontificem suum Antichristum a viris Dei designatum et descriptum dici posse, præfracte negent. Nos vero in nullum alium ejus notas aptius competere constanter statuamus. Quod dum asserimus, non putandum hoc a nobis fieri ullo maledicendi studio, prout qui illius partes sequuntur, hæreticos nos æternum damnatos quotidie criminantur, et sexcentis impetunt calumniis; sed mera nos defendendi necessitate, ut conscientiis, nobis id juxta Dei verbum dictantibus, satisfaciamus, et secessionis nostræ ab Ecclesia Romana justitiam et necessitatem evincamus; ne frustra vel levi quadam de causa majores nostri communionem, in qua nati et educati fuerant, reliquisse videantur, nosque omnem ad Romam reditum, vel cum ea syncretismum, respuere censeamur.

Communis Protestantium est sententia, Papam esse Antichristum.

V. Hæc est communis et constans Protestantium sententia, pluribus ipsorum confessionibus expressa; *Helvetica*, Art. 17; *Belgica*, Art. 36; *Scoticana*, in Comitiis regni firmata, anno 1581, cui Regia Majestas ejusque familia, aliique varii ad Dei gloriam, bonorumque omnium exemplum subscripserunt; *Bohemica*, edita anno 1535, art. 8; *Anglica* Ivelli, anno 1562, cui suffragantur Academiæ Oxoniensis et Cantabrigiensis, cum doctissimis episcopis et theologis, et qui unus potest esse instar omnium, *Jacobus VI.* Rex, in apologia sua pro juramento fidelitatis, et in alloquio suo ad cæsarem, reges, et principes. Quid vero Ecclesiæ Gallicanæ hactenus crediderent, satis testatæ sunt in Synodo Nationali Vapincensi, anno 1604, ubi articulum huc spectantem una-

nimi consensu, qui confessioni suæ adjiceretur, hisce conceptum verbis condiderunt: "Cum Episcopus Romanus, erecta sibi in orbe Christiano Ecclesiæ monarchia, sibi arroget principatum in omnes ecclesias et pastores, usque adeo inflatus, ut Deum se ipse appellet, Can. satis. Dist. 96. L. 1. Sacr. cærem. cap. de Bened. ensis; velit adorari, Concil. Lateran. ult. sess. 1. iii. 9, 10; ipse sibi tribuat omnem potestatem in cœlo et in terra, res ecclesiasticas ad libitum componat, condat articulos fidei, auctoritatem Scripturæ velit pendere a sua, eam ad libitum interpretetur, animarum mercaturam exerceat, liberos adstrictos votis et juramentis exsolvat, novos Dei cultus instituat, et quod ad civilia attinet, legitimam magistratuum auctoritatem conculcet, dans, adimens, et transferens regna; credimus et asserimus eum esse verum et germanum Antichristum, filium perditionis, 2 Thess. ii. 3, prædictum in Dei verbo, Zach. xi. 16, 17, 1 Joh. iv. 3, Apoc. xiii. 11, *Meretricem purpuratam*, Apoc. xvii. 1, *insidentem septem montibus in magna civitate*, Apoc. xvii. 9, *obtinentem regnum in reges terræ*, Apoc. xvii. 18, et expectamus, donec Deus, prout promisit, et jam cœpit, eum, fractum et victum Spiritu oris sui, tandem deleat fulgore adventus sui, 2 Thess. ii. 8." Non diversam hinc abire Augustanam confessionem patere potest, vel ex eo, quod notas et signa Antichristi Papæ tribuat præsertim abusu 1, 2, 3, 5, 7; quod apologia illius confessionis, in iisdem comitiis Augustanis Cæsari oblata, communi nomine confessorum, diserte Papam Antichristum profiteatur, loco de Ecclesia p. 149, de conjugio sacerdotum p. 240, 241, de traditionibus humanis p. 208, 209, ut solide probatum dedit Nicolaus Hunnius in depulsione accusa. Jesuit. cap. 3. Bellarminus consensum omnium Protestantium in hac sententia agnoscit, lib. iii. de P. R. cap. 1. "Similia docent omnes hæretici hujus temporis, ac præcipue Lutherus, Magdeburgenses, Illyricus, Musculus, Beza, Bullingerus," &c.

VI. Ne vero gratis hoc asserere videamur, jam ostendendum characteres omnes, quibus Antichristus in Scriptura describitur, ita Romano Pontifici convenire, ut nemo possit ad eos attendere, quin facile in illis tanquam in speculo Papam ipsum intueatur. Licet autem varii vulgo recenseantur, possunt tamen ad hos tres præcipuos referri, qui non seorsum, sed simul sunt spectandi: *Locum*, *Tempus*, et *Personam*. In quibusdam locis Spiritus Sanctus *locum* seu sedem, in qua sessurus fuit, designat. In aliis *tempus*, quo exeri debuit, indicat. In cæteris varias *personæ* qualitates et actiones, quibus insignis esse debuit, describit.

Locus Antichristi communis, templum Dei.

Et ad *locum* quidem quod attinet, designatur duplex *communis* et *singularis*. *Communis* dicitur esse *templum Dei* apud Paulum 2 Thess. ii. 4, quum homo peccati dicitur sessurus in templo Dei ut Deus. Quod non de alio, quam de templo mystico, id est *Ecclesia*, quæ passim hoc nomine venit in Scriptura, Eph. ii. 21, 1 Cor. iii. 16, 2 Cor. vi. 16, 1 Tim. iii. 15, 16, intelligendum esse liquido constat. Scio *templum Dei* non raro sumi pro templo Hierosolymitano, Deo inter Judæos sacro, Matth. xxiii. 16, et Luc. i. 9. Sed non potest hoc sensu hic usurpari, quicquid Pontificii, ut faveant fictitio suo Antichristo e Judæis oriundo, garriant, et post eos Grotius in hunc locum, qui pessima fide verba Pauli alio detorquere conatur, ut Pontifici Romano palpum obtrudat. Nam Paulus loquitur de illius templi profanatione, quæ et metuenda esset Christianis et fugienda. Sed ad illos pertinebat templi Hierosolymitani desolatio. Imo optanda erat potius Christianis, quam formidanda, ut ita cæremoniæ legales penitus abrogarentur, et Christi prædictio suum haberet comple-

mentum. Nec ullum mœrorem concipere poterant ex tali profanatione, utpote qui scirent et abominationem desolationis juxta Danielem et Christum templo inferendam, et illud brevi diruendum; imo id avide expectabant. Atque hinc secundo patet, non posse hic templum Hierosolymitanum intelligi, quia ex Christi vaticinio, Matth. xxiv. 2, a Romanis funditus fuit destruendum, ut ne lapis quidem super lapidem esset relinquendus, sed in perpetuam solitudinem esset redigendum, nec unquam deinceps instaurandum. Quod cum Julianus apostata in odium religionis Christianæ tentasset cum Judæis, temeritatis et impietatis suæ pœnas dederunt; nam Titanicum opus, quod nefario ausu inceperant, terræ motu, et ultricibus flammis deserere coacti sunt, ut referunt *Socrates*, lib. iii. cap. 20, *Sozomenus*, lib. v. cap. ult., et alii. Tertio, licet domus Hierosolymitana in Vet. Testamento sæpius templum Dei dicatur, tamen post mortem Christi, et cæremoniarum impletionem et abrogationem, nec templi Dei veritatem, nec nomen retinere potuit. Quarto, Antichristus, de quo hic agi non negant Pontificii, non debuit Hierosolymis sedere, sed Romæ, ut jamjam videbitur, nec inter Judæos, sed in Ecclesia Christiana, utpote qui non aperte, sed hypocritice et tecte, Christum oppugnaturus erat.

VII. Antichristius ergo dicitur *sessurus in templo Dei*, quia in Ecclesia dominationem et imperium usurpaturus erat, ut *Thomas* notat, vel primam sedem arrepturus, ut *Theodoretus*. Sedere enim Dei regnare est. Ita innuit Apost. ipsum dominationem suam exerciturum, non quemadmodum tyranni olim in Ecclesiam Dei, id est, contra eos qui fidem profitebantur, ipsi interea in infidelitate perseverantes, sed in Ecclesia regnaturum, id est, intra Ecclesiam, ut non externum sit bellum, sed intestinum potius, et quasi civile. Neque negligenda est Augustini observatio, l. xx. c. 19, de Civ. Dei, qui vult dici sessurum non tantum *in templo*, sed ut Græce habetur εις ναον Θεου, "in templum Dei, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia, sicut dicimus, sedet in amicum, id est, velut amicus," &c., licet enim propositio εις pro εν possit aliquando poni, tamen nihil obstat, quominus genuinam et primariam ejus significationem retineamus, maxime cum agatur de Antichristi tyrannide, quam non tantum in Ecclesia, sed et adversus Ecclesiam exerciturus erat.

VIII. Hoc autem Pontifici Romano convenire, res ipsa clamat. Nam ut Christianum se profitetur, imo suum corpus, Ecclesiam Christianam, catholicam et apostolicam vocat, ita in templo Dei bene sedere dicitur; tum quia in Ecclesia Christiana sedem suam fixit, tum quia in omnem Ecclesiam primatum sibi arrogat, et Ecclesiæ nomen, privilegia, et auctoritatem omnem ad se trahit, quasi ipse solus cum suis esset templum Dei, quod est Ecclesia, reliqui autem Christiani pro hæreticis et schismaticis essent habendi; tum denique, quia ita regnat in Ecclesia, ut Ecclesiam ipsam destruat et oppugnet. Et ut oraculo eventus respondeat, verbum ipsum *sedendi* retinuerunt, ad dominium suum designandum; *sedere* enim in Ecclesia, proprium est Pontificum, quorum quisque tamdiu *sedisse* dicitur, quamdiu illam obtinuit dignitatem, quæ etiam antonomastice *sancta sedes* dicitur. Licet vero dicamus Pontificem sedere in Ecclesia Dei, non inde sequitur Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam; nam distinguendus hic est sensus compositus et divisus, et denominatio antecedens et consequens. Quum Antichristi sedes dicitur esse Ecclesia, hoc non intelligendum in sensu composito, quasi posset simul esse Ecclesia Christi et Antichristi, quod ασυστατον, sed in sensu diviso, ut innuatur eam, quæ antea fuerat Ecclesia Christi, factam fuisse sedem Antichristi. Quomodo

apud Isa. cap. i. 21, "Civitas fidelis dicitur *meretrix*," quia quæ olim fuerat fidelis, facta est meretrix per suam apostasiam. Ita *cæci videre* dicuntur, *surdi audire*, *claudi ambulare*, non *qua* tales in sensu composito, sed *qui* tales antea fuerant in sensu diviso. Sic Romana Ecclesia, quæ debuit esse sedes Antichristi, potuit esse vera antea, quum ejus fides annuntiabatur in toto mundo, et aliquot seculis deinceps, quamdiu sanam doctrinam retinebat, et hæreses oppugnabat; et tum temporis negamus fuisse sedem Antichristi. Verum quum progressu temporis a veritate defecit, et alienam doctrinam induxit, tum desiisse esse Christi Ecclesiam, et factam esse Antichristi sedem dicimus.

Locus singularis Babylon Rom.

IX. *Locus singularis* est *Babylon*, urbs magna ἑπτάλοφος, quæ tempore Joannis imperium obtinebat in reges terræ, et quæ poculo scortationum omnes populos debuit inebriare, et ebria esse sanguine sanctorum. Sed soli *Romæ* hoc convenire disputatione præcedente demonstratum fuit, et quidem non Paganæ vel ad Ethnicismum relapsæ, sed Christianæ, et ad Apostasiam delapsæ, ut nihil opus sit ulterius in eo probando immorari. Unum tantum superest dubium expediendum, quod hic movetur a *Bellarmino*, *Lessio*, et aliis, sedem scilicet Antichristi non fore Romam, sed Hierosolymam, quia in urbis magnæ plateis corpora duorum testium dicuntur jacere, quæ "vocatur spiritualiter Sodoma et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est." Apoc. xi. 8. At non Romæ, sed Hierosolymis Christus est crucifixus. Verum gratis supponitur, per magnam illam civitatem intelligendam esse Hierosolymam, quæ nusquam in Apocalypsi civitas magna in sequiorem sensum dicitur. Sed hoc aptissime civitati Romanæ convenit, quæ, ut alibi, mystice vocatur Babylon, urbs illa magna, ita hic spiritualiter dicitur *Sodoma*, propter nefandas fœditates ibi grassantes, et *Ægyptus*, propter cæcitatem, idolomaniam, et crudelitatem. Nec obstat, quod Dominus ibi crucifixus dicatur, hoc enim trifariam potest intelligi, 1. *Proprie* de ipso Christo, quia in ditione Romana et auctoritate auspiciisque Romanæ civitatis crucifixus est; sic enim civitas Romana urbis Romæ mœnibus non includitur, sed ad provincias omnes illius imperio subjectas extenditur. 2. *Mystice* in membris Christi, quorum passiones suas reputat Christus, Act. ix. 4, 5, Colos. i. 24. 3. *Spiritualiter* ratione peccatorum, quibus impii apostatæ dicuntur ab Apostolo, Heb. vi. 6, *sibi crucifigere Filium Dei*, id est, quantum in se est. Jam Roma magnæ illius apostasiæ caput est, ut postea dicemus; ibi igitur inprimis Christus spiritualiter crucifigitur. Ne jam dicamus, quotidie cruci quodammodo affigi ab ipsis in Missa, dum quotidie offerri in sacrificium propitiatorium pro peccatis viventium et mortuorum contendunt.

Tempus revelati Antichristi.

X. Sic inventa sede Antichristi, nunc *tempus* ejus revelationis, quo in ea sessurus erat, attendendum est, circa quod non minus acriter controvertitur. Pontificii enim tempus ejus adventus rejiciunt ad finem usque mundi. Et quemadmodum Judæi nondum exhibitum Christum esse contendunt, ita isti venturum adhuc Antichristum somniant, et demum sub mundi finem grassaturum. Nos vero Antichristum jam ortum esse et manifestatum, non vero sub finem tantum mundi revelandum, pertendimus. Quia Paulus jam suo tempore gliscere cœpisse testatur, 2 Thess. ii. 7, quum ait, *mysterium iniquitatis* ἤδη ἐνεργεῖσθαι, *jam operari*, et 1 Joh. ii. 18, jam tunc Antichristos esse in mundo; quod dici non posset, nisi jam tum horrendæ istius apostasiæ fundamenta jacta fuissent. Fateor quidem hoc clam factum fuisse et operte, ut non facile sit primum ortus momentum observare, Satana, hujus

mysterii architecto, sensim per varios anteambulones, et doctrinæ corruptelas, sternente fundamenta istius tyrannidis. Ideo *mysterium* dicitur *iniquitatis*, oppositum *pietatis mysterio*, quod Christi ortum et revelationem docuit, ut ortus ejus μυστηριωδης, atque adeo occultus et latens, non apertus et patens indicetur. Verum hoc non impedit, quominus reipsa jam revelatus sit, ut ex eventu patet, et clarissime ex infra dicendis constabit. Nec mirum videri debet, si, quemadmodum rerum variarum initia latent, incrementa patent. Ut corruptionis rerumpublicarum, scientiarum, linguarum, et similium, principia sunt exigua et operta, progressus vero et incrementa majora et aperta; sic et corruptæ Ecclesiæ. Unde Antichristi ortus obscurior fuit, ex divina dispensatione, quia debuit esse μυστηριωδης, ut primo *conciperetur* filius perditionis, quam *nasceretur* et *revelaretur*.

XI. Tempus autem istius revelationis Scriptura refert ad periodum sublati e medio του κατεχοντος, scilicet *dissipati imperii Romani*. Sic enim Paulus 2 Thess. ii. 7, 8, "και νυν το κατεχον οιδατε, Et nunc nostis quid impediat, nam mysterium iniquitatis jam operatur, μονον ὁ κατεχων αρτι ἑως εκ μεσου γενηται, και τοτε αποκαλυφθησεται ὁ ανομος, tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, tunc revelabitur Impius." &c. Hic ergo videndum imprimis, quis sit iste ὁ κατεχων, qui Antichristi manifestationem impediebat. Duobus modis exponi potest, vel quasi ὁ εμποδιζων et κωλυων, ille qui *impedit* et obstat, quomodo exponit *Chrysost.* et post illum *Oecumenius*, vel ὁ κρατων, *qui obtinet imperium* sive imperat, ut vult *Augustinus*. Utraque significatio locum hic habet, quippe imperator, tenendo imperium Romæ, detinuit sive impedivit revelationem Antichristi. Quomodo enim Romæ dominari potuit Antichristus, quamdiu rerum potiebatur imperator? Debuit ergo ὁ κατεχων, sive Romanus imperator, de medio auferri, antequam revelaretur Antichristus, et ut via illi sterneretur. Hoc vero Paulus exprimit modo in genere neutro per το κατεχον ver. 6, ut notet imperium Romanum, modo in masculino ver. 7, μονον ὁ κατεχων, ut designetur ipse imperator. Nec negligenda est vis vocis μονον, *tantum qui nunc obstat*, donec e medio tollatur, quasi hoc unicum esset obstaculum, quo semel sublato, Antichristus esset revelandus. Hanc autem et non aliam esse Pauli mentem, ut per τον κατεχοντα intelligatur Romanus imperator, colligimus ex Apoc. xvii., ubi tempus revelati Antichristi refertur ad tempus dissipati imperii in decem reges designatos per decem cornua, qui regnum cum Bestia partituri erant, ver. 12, 13. Quod ex eo confirmatur, quod Antichristus ultimum Bestiæ caput statuitur, quod nisi decedenti sexto capiti scilicet imperatorum, quod tum erat, et e medio sublato, succedere non potuit. Nec alia fuit veterum sententia.

XII. Quamvis enim nonnulli τον κατεχοντα referant ad *Spiritum* et *gratiam*, quæ impedire potuit istam apostasiam, alii ad *decretum Dei*, quod cuique sua præfixit tempora, tamen longe plures nobis hic adstipulantur. Scholia Græca exponunt per *Romanorum thronum, imperium nunc impediens*, τουτεστιν ὁ Ρωμαιων θρονος και βασιλεια νυν εμποδιζουσα, ὁταν παυσηται φησι και τελος λαβη, τοτε αποκαλυφθησεται ὁ ανομος, τουτεστιν ὁ Αντιχριστος. Sic Tertullian. de resurrect. carnis, cap. xxiv. "Tantum qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, quis nisi Romanus Status, cujus abscissio in decem reges dispersa Antichristum superducet, et tunc revelabitur iniquus." Atque eadem de causa Apolog. capite 32, "Est et alia major necessitas," inquit, "orandi pro imperatoribus, etiam pro omni statu imperii, rebusque Romanis, quod vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, et

dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus." Hinc alibi testatur, fideles orare pro *mora finis*, non pro dilatione finis mundi, quod perperam quidam voluerunt, sed pro *mora finis imperii Romani*, cujus dissipationem secutura erat Antichristi revelatio. Cyrillus Hierosol. Catech. 11, "Ερχεται δε ὁ προειρημενος Αντιχριστος οὗτος, ὁταν πληρωθωσιν οἱ καιροι της Ρωμαιων βασιλειας. Venit autem prædictus ille Antichristus, cum completa fuerint tempora Romani imperii." Chrysostomus in hunc locum expresse hoc refert ad αρχην των Ρωμαιων, et vult sic obscure Paulum loquutum fuisse, "quia nollet frustra inimicitias suscipere, et inutilia pericula." Chrysostomum sequuntur in h. l. ecumenius et Theophylactus, in ea verba, *Tantum ut, qui tenet, teneat.* "Hoc est," inquit, "Romanum imperium tolletur e medio, tunc effecturus est ille, nempe Antichristus." Ambrosius in 2 Thess. ii., "Et tum revelabitur iniquus, post defectum," inquit, "regni Romani, appariturum Antichristum dicit Apostolus." Hiero., ad Algasi. quæst. 11, ita exponit, "Tantum ut Romanum imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat, et de medio fiat, et tunc Antichristus veniet," quod confirmat in Jer. cap. xxv. Et ad Gaudentium cum intelligeret Roma rapta, *unoque*, ut ipse ait, *hausta incendio*, imperium occidentale ad occasum vergere, "Qui tenebat," inquit, "de medio fit, et non intelligimus Antichristum appropinquare?" Augustinus lib. xx. de Civit. Dei cap. 16, licet fateatur se nescire quid illud sit quod detinuit, tamen verba illa, "tantum qui modo tenent, teneant," recte exponi posse existimat de imperio Romano, "tanquam dictum sit, tantum qui modo imperat imperet, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur, et tunc revelabitur iniquus, quem significare Antichristum nullus ambigit." Sedulius in 2 Thess. ii., "Qui nunc *rex Romanorum* tenet *regnum*, teneat *regnum suum*, donec de medio fiat, id est, donec regnum, *quod nunc tenet* de medio auferatur, priusquam Antichristus reveletur. Hoc de imperio Romano dictum est, et propterea Paulum non id aperte scribere voluisse dicunt, ne calumniam incurreret, quod Romano imperio male optaverit, cum speraretur æternum." Idem agnoscunt *Anselmus*, *Glossa Interlinearis*, *Lyranus*, *Thomas*, et alii non pauci ex adversariis.

XIII. Hoc vero semel posito, probandum superest, oraculum hoc jamdiu impletum esse, hoc est, dominium imperatorum, quod revelationem Antichristi impediebat, e medio sublatum fuisse, atque adeo Antichristum, eo sublato, jam inde revelatum fuisse. Quanquam probatione opus esse haudquaquam videretur, cum eventus ipse, et rerum experientia hoc, nobis etiam tacentibus, clamet, scio reclamare hic adversarios, et nondum sublatum esse Romanum imperium contendere, ac proinde adhuc expectandum esse Antichristum. Verum facili negotio scrupulus tollitur, si distinguamus *vetus imperium* et *novum*; ordinem scilicet veterum imperatorum, qui in Augustulo intercidit, ut jamjam videbimus, et seriem novorum, quæ in Carolo Magno initium sumpsit. Fateor quidem, imperium novum adhuc superesse, quod nomen prioris et qualemcunque imaginem ejus retinet, sed vetus Romanum jam diu desiit. De hoc autem Paulum loqui multa probant. Primo, quia loquitur de eo imperio, quod tunc stabat, quodque revelationem Antichristi impediebat, non de eo quod futurum erat, *qui tenet*, inquit, non *qui tenebit*. At novi imperatores qui nondum fuerunt, neque tunc tenere potuerunt imperium, nec detinere Antichristum, sed veteres qui tum rerum potiebantur. 2. Agit de illo imperio, quod impedire potuit manifestationem vel dominium Antichristi. At quomodo nudus titulus et nomen imperatoris in Germania potuit impedire dominationem et revelationem Antichristi Romæ, vel Hierosolymis, ubi Pontificii

eum collocant, et ubi imperator nihil habet juris? 3. Imperium, quod revelationem Antichristi impedire debuit, fuit sextum caput Bestiæ seu status Romani apud Joannem. At imperatores novi nec sunt capita Romani status, sed Germanici, nec possunt dici sextum caput, sed tantum ejus imago quædam et umbra, quam secunda Bestia, id est Antichristus, faciendam curat, factam animat, animatam loqui facit. 4. Imperium, de quo loquitur Paulus, dividendum erat in decem cornua, seu decem reges. At novum tantum non est, ut in decem segmenta, quæ regna dicantur, dividi queat; nec unquam expectandum est, ut ex ejus divisione decem reges oriantur. 5. Imperatores, de quibus Apostolus, Antichristum præcesserunt, ejusque revelationem impediverunt, iisque succedit Antichristus, secunda Bestia, Apocal. xiii., omnem eorum potestatem exercens. Novum vero imperium imago est prioris Bestiæ sive imperii et status Romani, quam Antichristus faciendam curat, et factam loqui facit. Ideo eo omnino debet esse antiquior, utpote ejus auctor. 6. Pontificii non pauci, vi veritatis victi, ad nos hic accedunt. Faber Stapulensis, "Ubi nunc, quæso, Romana monarchia? Ubi quis in ea mundi regit habenas, cum videamus monarchiæ caput ab ea deficere?" Et Salmero omnium clarissime, "Imperium Romanum jam diu eversum est, nam qui nunc est imperator Romanus, levissima est umbra imperii antiqui, usque adeo, ut ne quidem urbem Romæ possideat, et jam per multos annos Romani imperatores defecerunt." Justinianus, "Pridem Romanum imperium in eas angustias redactum, ut vix tenuem quandam umbram imperii teneat." Baronius ad an. 476, parag. 1, cum videret non tantum imperatorem esse Græcum, sed ne consules quidem Romanos, "Sic," inquit, "occidentale imperium, quod erat Romanum, penitus collapsum est et devolutum ad barbaros." Barradius in concordiam, Tom. i. lib. iv. cap. 4, Judæis negantibus Christum venisse, quia imperium Romanum adhuc stet, "Respondetur," inquit, "non extare Romanorum monarchiam ut est compertum."

XIV. Cum ergo vetus imperium necessario sit intelligendum, inde manifeste colligitur, eo sublato, Antichristum etiam revelandum fuisse. Et sane prædictioni ad amussim respondit eventus. Ex quo enim imperium in occidente labefactari cœpit, innotescere cœpit Rom. Pontificis tyrannis, et magis ac magis retegi; et per quos gradus descenderunt imperatores, per eos ascenderunt Pontifices Romani. Tres autem possumus præcipuos notare gradus sublati e medio imperii. Primus est quum sedes imperii a veteri Roma ad novam seu Constantinopolim translata est a Constantino A. C. 331, quia tunc sedem Pontifici vacuam reliquit, imo si ipsis Pontificiis fides est habenda, urbem Pontifici concessit, "decernens in ipsa urbe utriusque potestatis monarchiam Romanis Pontificibus," Dist. xcvi. c. *Constantinus.* Secundus, quum, post divisionem imperii in Orientale et Occidentale, non modo imperatores occidentis, relicta Roma, sedem Ravennæ, vel Mediolani posuerunt, et sic e medio secesserunt, vel discesserunt, sed etiam e mundo sublati sunt, anno Christi 475, quando, everso per Gothos occidentali imperio, ordo ipse imperatorum, qui revelationem Antichristi potissimum impediebat, in Augustulo II. plane intercidit, qui abdicare se coactus est ab Odoacro rege Herulorum; nec ullus Romæ, vel in toto occidente imperator postea fuit per annos 325, donec novum imperium, tanquam veteris imaginem, Romanus Pontifex in occidente erexit. Quamvis enim Gothi per septuaginta annos et amplius in Italia vi et armis regnarint, non tamen Romani reges audiverunt, nec inter Romani status capita, sed inter Romani potius nominis et imperii hostes numerandi sunt. Tertius, quum

Græci imperatores, qui Romam cum reliqua Italia Belisarii primum, deinde Narsetis opera, e Gothorum manibus recuperarunt, illis ex Italia expulsis anno 552, quicquid juris habuerunt in Italia et Roma, Paparum artibus amiserunt, A. C. 727, qui varia ἀξιώματα imperatoribus extorquendo, et titulum Oecumenici Pontificis a Phoca parricida tandem impetratum usurpando, et summum in Ecclesia primatum sibi arrogando, in occidente tyrannidem suam exercuerunt, et auxerunt, successive per varios gradus ad supremæ illius potestatis, quod etiamnum hodie obtinent, culmen grassati sunt.

XV. Nec enim mysterium hoc simul et semel unico temporis momento vel perfici potuit, vel debuit revelari, sed paulatim et successive, ita ut sub variis gradibus Antichristum hic spectare possimus. Vel ut *conceptum* tantum, jam ab Apostolorum tempore quo mysterium iniquitatis incipiebat operari; Satana ei præludente, tum Neronianis persecutionibus, tum pluribus hæresibus a falsis doctoribus excitatis, tum contentionibus variis subnascentibus in Ecclesia per φιλοπρωτεύοντας, qualis erat Diotrephes primatum ambiens, 3 Joh. 9. Vel ut *nascentem* et *revelatum*, qui exeri cœpit circa an. 606, in Bonifacio III., qui a Phoca Cæsaricida, non modo Oecumenici Patriarchæ titulum quem Mauritius Constantinopolitano concesserat, obtinuit, sed etiam ut sedes Romana omnium Ecclesiarum caput esset, atque ita spiritualem monarchiam invasit. Vel ut *crescentem* et *adultum* jam factum, a Bonifacio III. usque ad Benedictum IX. vel Gregorium VII. circa seculum decimum, qui monarchiam temporalem sibi arrogavit. Vel ut *florentem* et ἐν ἀκμῇ in teterrimis Papatus tenebris a Gregorio VII. usque ad Lutheri Reformationem. Vel ἐν παρακμῇ ut *decrescentem* et *cadentem* ab illo tempore, quo visa sunt ejus fundamenta paulatim subrui evangelicæ tubæ sonitu, donec penitus conficiatur in illustri Christi adventu. Duæ enim istæ periodi notantur destructionis ejus a Spiritu S. Prior inchoata per *Spiritum oris Christi*, id est, per verbum evangelii, quod a tempore Reformationis in mundo resonare debuit. Posterior consummata et plena in *illustri apparitione Christi*, 2 Thess. ii. 8, sic enim per ἐπιφάνειαν τῆς παρουσίας designatur παρουσία ἐπιφανής, illustris nimirum adventus antonomastice, qualis illustrior dari nequit eo, qui aliquando futurus est in decretorio illo die. Ut enim per varios gradus ad impietatis suæ fastigium perventurus erat, ita paulatim minuendus erat et atterendus, restituta in integrum veritate evangelica, et quasi miraculose excitatis mortuis duobus testibus Christi. Nec oraculo eventus defuit, quantum enim prædicatione verbi divini accisæ sint ultimis istis temporibus vires Antichristi, quantam cladem imperium Papale ex Reformatione acceperit, et in dies accipiat, cuivis notum est, et de eo non semel queritur *Bellarmin.* præf. in 1 Tom. Controv., et lib. iii. de Rom. Pont. c. 21, "Ab eo," inquit, "tempore, quo per vos Papa Antichristus esse cœpit, non crevit ipsius imperium, sed semper magis ac magis decrevit."

Persona Antichristi qualis. 1. Character Apostasia.

XVI. Tertio diximus *Personam Antichristi* hic esse attendendam, ut videamus, *qualis* esse debuerit, et quibus characteribus a Spiritu Sancto describatur. Plures commemorantur, sed præcipuos et insigniores tantum notamus. Primus est *Apostasia*, quæ a Paulo ei tribuitur, 2 Thess. ii. 3, ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, "Nisi venerit defectio prius, ac revelatus fuerit homo peccati;" sive *Apostasia* notet hic ipsum *Apostatam*, abstracto posito pro concreto, ut scelesto, quod volunt, *Chrysost.*, *Theodor.*, *Oecumen.*, *Hier.*, et alii; sive in concreto sumatur, ut *August.* "Nisi venerit refuga primum." Nec diffitentur Pontificii: Bell. l. iii. de Pont. Rom. cap. 2,

"Per apostasiam," inquit, "apud Paulum ipse Antichristus intelligi potest, hoc enim docent communi consensu interpretes Græci et Augustin." Sic Suarez, Malvenda, et alii. Defectio ergo hic singularis et insignis quædam intelligitur; quæ non potest dici *politica*, ut Pontificii vellent, ab imperio Romano, tum quia hoc nihil faceret ad negotium religionis, de quo hic agitur, tum quia notatur apostasia talis antonomastice η αποστασια, quæ non de alia, quam de defectione a Deo ejusque fide et religione, quam semel quis professus fuerat, intelligitur. Paulus ipse seipsum explicat, 1 Tim. iv. 1, "Spiritus," inquit, "diserte dicit, quod posterioribus temporibus αποστησονται τινες της πιστεως, deficient, seu apostasiam facient quidam a fide." Adstipulantur nobis hic Patres plerique, *Chrysost.*, *Theophyl.*, *Oecumen.*, *Theodor.*, quorum hic αποστασιαν vocat την απο Θεου αναχωρησιν, *secessionem a Deo*. Sic *Aug.* de Civit. Dei l. xx. cap. 19, *Primas.* in hunc loc., *Cyrillus Hieros.* Catech. 11. Ex Pontificiis *Thomas*, *Lyranus*, *Alcazar*, *Suarez*, tom. ii. q. 59, art. 6, dist. 34, "Licet plerique Latini interpretantur de defectione Rom. imperii, tamen proprius intelligitur de defectione a Christo," &c. Unde colligitur hic agi a Paulo de defectione a fide antea recepta, non autem de quavis; nam sic omnes hæretici, qui in uno vel altero capite deficiunt a fide, sunt apostatæ, sed de insigni quadam quasi catholica, cujus caput, et princeps futurus erat Antichristus, ut si non omnia, saltem quamplurima, eaque præcipua fidei capita evertantur. Ea enim vis et emphasis articuli esse videtur, qui hic adhibetur.

XVII. Quamvis vero magna et insignis intelligatur apostasia, non statim intelligenda est omnimoda defectio a fide, abnegatio publica Christianismi, et alterius cujuslibet religionis, excepta illa ipsa Antichristi, ut vellent Pontificii, ad vim argumenti nostri retundendam, quia nulla talis sit defectio in Papismo. Nam sufficit ad apostasiam defectio a fide memorabilis, licet non sit totalis ejus abnegatio, quomodo vox αποστασιας respondet verbo Hebræo מרד quod rebellare significat, quo sensu Rubenitæ et Gaditæ propter erectum altare prope ripam Jordanis dicuntur *apostatasse* vel *rebellasse adversus Dominum*, Jos. xxii. 18, 19, non quod absolute ejerasse eos crederent religionem, sed quia alibi quam in loco constituto a Deo sacra facientes separabant se a fratribus, et rebelles erant mandato Dei. Sic datur vera defectio a fide, etiam si non abnegetur absolute Christianismus, si errores capitales, et idololatrici cultus maxime in eum inferuntur. Idololatria enim in Scriptura sæpissime per apostasiam et defectionem designatur. Deinde tantum abest ut apostasia Antichristi debeat esse abnegatio totalis Christianimisi, ut contra sessurus dicatur in templo Dei, id est, Ecclesia Christiana, ut in eo exerceat tyrannidem suam, eoque nomine fucaturus detestandam suam apostasiam.

XVIII. Hic autem character, si quisquam alius, in Pontificem Romanum competit. Nec operosa probatione ad id opus est, quando res ipsa docet catholicæ istius apostasiæ caput esse et principem, et defecisse eum verissime a fide Christi, partim per errores et hæreses innumeras introductas in dogmatibus, partim per superstitiones imperatas in cæremoniis, partim per idololatriam stabilitam in cultu, ut antea visum Disput. I. II. III. IV. Bellarminus, lib. iii. de Pontifice Romano, cap. 2, hic reclamat. "Etsi," inquit, "daremus Calvino generalem apostasiam a fide, et multis annis jam durantem esse regnum Antichristi, non continuo sequeretur Papam esse Antichristum, nam adhuc quæstio tractanda esset, quinam a fide et religione Christi defecerint, nosne an illi." Nos vero conditionem lubentes accipimus, ut apud quos apostasia ista invenietur, illi ad Antichristum

pertinere conseantur. Expendatur ergo serio utrinque quinam retinuerint fidem Christi, et quinam ab ea defecerint. Nam si demonstrare possunt adversarii, nos Christi fidem reliquisse et apostatasse a veritate, causam non dicimus, quominus hæc Antichristi nobis impingatur nota. Sed si vicissim luce meridiana clarius ostendere possumus, istius criminis ipsos reos esse, ecquid queruntur injuriam sibi fieri, quum hoc illis exprobratur? Hoc autem collatio doctrinæ utrinque traditæ facile evincit. Christus solam Scripturam θεοπνευστον a nobis recipi vult in regulam perfectam fidei et morum; Papa negat Scripturam solam esse adæquatam fidei regulam, nisi illi assuantur traditiones αγραφοι, quæ pari pietatis affectu et reverentia cum Scriptura sint suscipiendæ et venerandæ. Christus verbum suum vult esse αυτοπιστον, quod ab homine auctoritatem non accipiat; Papa vult verbi auctoritatem quoad nos dependere ab Ecclesia. Christus nullum alium agnosci vult controversiarum judicem summum, quam Deum in Scriptura loquentem; Papa hoc munus sacrilege sibi arrogat. Christus unum se a Patre datum Mediatorem docet, qui solus sit via, veritas et vita, sine quo nemo ad Patrem venire queat; Papa innumeros nobis obtrudit mediatores, qui viam nobis in cœlum aperiant. Christus nullum aliud sacrificium quam suum, nullum aliud meritum, nullam satisfactionem nobis remissionem peccati et salutem obtinere testatur; Papa merita et satisfactiones humanas urget, et novum sacrificium propitiatorium missaticum procudit. Christus sola fide et gratia salvari homines statuit; Papa etiam operibus. Christus duo tantum sacramenta instituit; Papa septem. Christus neminem nisi Deum solum objectum cultus et adorationis esse sancit; Papa etiam creaturas. Christus unicum Ecclesiæ caput et sponsum se profitetur; Papa hoc etiam sibi tribuit. Christus se magistratui subjicit, et servos suos subjici jubet; Papa sibi magistratus, principes et imperatores subjicit. Ne jam innumera alia observemus doctrinæ capita, in quibus dissentiunt a nobis, an vero qui talia docent ac propugnant dogmata, possunt dici fidem Christi retinere? Annon merito defectionis et apostasiæ rei peraguntur?

XIX. Ad hanc apostasiam insignem confirmandam, facit in primis locus Apostoli 1 ad Timot. iv. 1, 2, 3, ubi, loquens de apostasia novissimorum temporum, ait, "Spiritum expresse dicere postremis temporibus quosdam a fide defecturos, attendentes spiritibus erroneis, et doctrinis dæmoniorum, per hypocrisim falsiloquorum, cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium inire matrimonium, et jubentium abstinere a cibis," &c. Verba sunt memoratu dignissima, quibus Paulus prophetiam tradit de magna quadam Ecclesiæ Christianæ visibilis novissimis temporibus futura apostasia, defectione a fide, seu magno pietatis mysterio, versu ultimo capitis præcedentis descripto. Cujus primo generalem dat descriptionem, quum ait quosdam defecturos a fide, attendentes spiritibus πλανοις erroneis et seductoribus, vel ut alii legunt πλανης, erroris; sive per spiritus intelligantur dæmones ipsi, qui spiritus mendaces non semel vocantur, 1 Reg. ult; sive falsi doctores et prophetæ, a dæmonibus seducti et impulsi, qui sic etiam designari non raro solent, 1 Joh. iv. 1, et seq; sive, quod non minus commodum, doctrinæ ipsæ erroneæ et falsæ, quomodo vox spiritus sumitur, 1 Cor. xiv. 32, 1 Joh. iv. 1, 2, 3. *Ne credite cuivis spiritui*, id est, cuivis doctrinæ, et ibidem *Spiritus Dei* et *Spiritus Antichristi* pro doctrina Dei vel Antichristi ponitur. Mox in specie designat cujus generis doctrinæ istæ sint futuræ, nimirum διδασκαλιαι δαιμονιων, doctrinæ dæmoniorum, quibus certo certius est innui præ cæteris cultum idololatricum, in quo scilicet essentia et anima ingentis istius apostasiæ merito collocatur,

et quæ præcipuus est character, quo ab omnibus aliis blasphemiis, sectis et hæresibus cujuscunque ætatis et temporis secernitur. Ut enim, juxta Apostolum, *amplecti fidem Christianam* est convertere se ab idolis ad Deum verum et vivum, 1 Thess. i. 9, ita *deficere a fide* est convertere se ad idola, relicto Deo vivo, et Filio ejus Jesu Christo. Unde passim in Apocalypsi Babylon mystica, sub charactere *Meretricis*, et *Matris fornicationum*, id est idololatriarum, describitur. Porro non sine ratione tales idololatriæ vocantur *doctrinæ Dæmoniorum*, tum *originaliter et active*, quia Diabolus earum est auctor et inventor, ab eo enim tanquam Spiritu erroris et Patre mendacii, omnes falsæ doctrinæ, idololatria imprimis, ortum ducunt; tum *objective* et *passive* pro materia et objecto harum doctrinarum, quia doctrinæ istæ versantur circa cultum dæmonum ex mente Ethnicorum, ut non sine ratione exponit *Josephus Medus* in h. l., et post eum alii, quomodo *doctrina Domini* dicitur, id est, de Domino, et *doctrinæ baptismatum, et impositionis manuum*, id est de illis, Heb. vi. 2. Sic notabitur idololatrica Gentilium theologia de dæmonibus apud Christianos restituenda. Dæmones autem apud Ethnicos erant Deastri, sive Dii inferiores, et inter summos Deos et mortales homines medii, ut expresse Plato in Symposio, et Plutarchus de defectu Oraculorum notant, qui censebantur advocati seu mediatores hominum, sine quibus "non licuit hominibus ad Deos summos accedere," ut Plato ibidem ait. "Qui ultro citroque portant, hinc hominum petitiones et merita, illinc Deorum dona atque suppetias. Neque enim pro majestate Deum cœlestium fuerit hæc curare," inquit Apuleius de Dæmonio Socratis. Et rursus, "Cuncta Cœlestium voluntate numine et auctoritate fiunt, sed Dæmonum obsequio, opera, et ministerio." Plura de ista theologia Gentilium vide apud Plutarchum de defectu Oraculorum, Apuleium loco citato, Jamblichum de Mysteriis, et præcipue Augustinum, lib. viii. de C. D. Nec sine ratione doctrina illa dæmoniorum dicitur, non modo *objective*, quia dæmones erant objectum istius cultus, sed etiam *terminative*, quia ad dæmonem ipsum, spiritum malum, totus ille cultus referebatur. Quod Apostolus 1 Cor. x. 20, clare ostendit, quum ait, *Quæ immolant gentes*, infideles scilicet in suis sacrificiis, *dæmonibus immolare*, id est, malis spiritibus, non quidem intentionaliter, putabant enim se veros Deos colere, sed reipsa et quoad eventum: quia omnis potentia quæ se exerebat in illo cultu, sive in reddendis oraculis, sive in præstandis interdum beneficiis, exercebatur opera dæmonum, qui simulacris assidebant, et in iis colebantur, Psal. xcvi. 5. Unde Paulus ibidem mentionem facit *calicis dæmoniorum* oppositi *poculo Domini*, quod a Domino institutum in honorem Domini bibebatur, ubi contra calix dæmoniorum in eorum honorem bibebatur, quo vinum idolo, et per hoc dæmoniis consecratum erat. Hæc vero omnia quæ in theologia Gentili locum habebant, in Sanctorum et Angelorum cultum cum aliis idololatriæ partibus in Ecclesia Romana usitatis, apprime quadrare, cæcus est qui non videat, ut fuse a doctissimo *Medo* est demonstratum, et novissime a celeberrimo theologo *D. Jurieu*, in complemento prophetiarum, solidissime est confirmatum.

Act. xiii. 12, Tit. ii. 10.

XX. Sed Paulo non satis est dare descriptionem istius apostasiæ; addit postea ad clariorem ejus cognitionem descriptionem *personarum*, et *mediorum*, a quibus et per quæ defectio ista erat introducenda, quum subjicit, illos qui defecturi erant a fide et spiritibus erroneis adhæsuri, hoc facturos ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν, κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *per hypocrisim falsiloquorum, cauteriatam habentium conscientiam, prohibentium inire matrimonium, et jubentium abstinere*

a cibis, quæ verba *intransitive* quidem solent vulgo exponi cum relatione ad personas superiore versu expressas, nimirum eas fore falsiloquas per hypocrisim, cauteriatam habituras conscientiam, prohibituras matrimonium contrahere et præcepturas abstinentiam a cibis. Sed syntaxis repugnat, quia personæ defecturæ ver. 1 exprimuntur in casu recto, ac personæ designatæ hoc ver. in genitivo; longe commodius ergo transitive sumuntur, ut genitivi illi regantur a verbis ἐν ὑποκρίσει, ut exprimatur medium sive modus, quo doctrinæ illæ dæmoniorum introducendæ erant, et quo seducere debebant homines, ut iis attenderent, nimirum *hypocrisi*, et *mendacio*, ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων per *hypocrisim* vel fraudem *falsiloquorum*. Cum enim mirum videri merito posset, qua tandem ratione Christiani, non modo rationis sed et verbi luce præditi, possent assensum præbere doctrinis adeo falsis et exitialibus, quales erant doctrinæ dæmoniorum, ostendit Satanam duobus potissimum usurum mediis ad commendandas et persuadendas per ministros suos tales doctrinas, *hypocrisi* scilicet et *mendacio* seu fabulis; illa devotionem et pietatem præ se fert, istud miraculum, quibus duobus facile capiuntur homines. Utroque autem isto medio doctrinas istas erroneas dæmoniorum introductas et confirmatas fuisse in Ecclesia Christiana, hospitem plane esse oportet in historia ecclesiastica qui nescit. Hinc enim ficto humilitatis et pietatis velo, cultus idololatricos sanctarum reliquiarum, et imaginum invaluit. Inde vero falsis miraculis et prodigiis mendacibus, legendis fabulosis, scriptis ementitis et supposititiis magis ac magis in cordibus hominum radicatus est, per artes et fraudes innumeras impostorum ψευδολόγων, qui qualemcunque pietatis et humilitatis speciem per hypocrisim suam præ se laturi sunt, intus tamen nihil minus sunt futuri, quam quod videbantur, cauteriatam quippe conscientiam sunt habituri, id est, parum sanam, pollutam et contaminatam, et impurissimis criminum, quorum conscii sibi sunt, notis veluti quodam cauterio inustam, atque adeo duram, callosam et ἀναίσθητον. Quo spectat etiam quod apponitur, de *prohibitione matrimonii*, et *interdictione ciborum*, quæ fieri debuit ab istis ψευδολόγοις, ut pressius designetur character eorum, qui tales doctrinas introducturi erant, et ita ostendatur non modo legem cœlibatus et jejuniorum inter eas doctrinas merito reponi, quæ dæmonem auctorem habent, et divinæ institutioni repugnant, sed a talibus hominibus potissimum invectas esse in Ecclesiam Christianam, ut sane eventus vaticinio apprime respondit. Notum quippe idololatriam in Ecclesia ortam esse eodem tempore, quo legem cœlibatus et vitæ monasticæ, et iisdem auctoribus, Paulo scilicet et Antonio, monachorum Patriarchis in quarto seculo.

XXI. Nihil autem opus est diu immorari in vaticinii istius complemento investigando, cum res ipsa clamet, quæcunque de apostasia ista novissimorum temporum a Paulo dicuntur, in Ecclesia Romana deprehendi; tam quoad defectionem a fide, spiritus erroneos, doctrinas dæmoniorum in multiplici idolomania, quæ in ea obtinet, quam quoad hypocrisim falsiloquorum, qui cauteriatam habent conscientiam, et qui leges cœlibatus et jejuniorum introduxerunt. Quæ omnia non in alium quam in Pontificem, et Ecclesiam Romanam quadrare, certum est. Nobis sane constat tribui non posse, qui nec a fide semel Sanctis tradita defecimus, nec doctrinas erroneas et idololatricas induximus, nec conjugium cuiquam interdiximus, nec usum ciborum vetuimus. Sed de adversariis quis dubitet? Quos ista præstare clarum est. Nec juvat eos, quod alii etiam hæretici, in quos apostasiæ istius invidiam derivare solent, puta, Tatiani, Encratitæ, Marcionitæ, et Manichæi, matrimonium et ciborum quorundam usum

damnarint. Nam accusatio aliorum ipsos excusare non poterit, nisi ostendant se nec matrimonium nec cibos vetare: præterquam quod textus Pauli alio respicit, quam ad veteres illos hæreticos, quia loquitur de apostasia, quæ *novissimis temporibus* demum oritura esset, non primis illis Ecclesiæ Christianæ seculis. Deinde agit de iis, qui potestatem habituri erant jubendi abstinentiam a cibis, et prohibendi matrimonium. At hæretici isti docere quidem poterant et damnare talia, sed non poterant jubere, non cogere, quod faciunt Pontificii. Nequicquam etiam hic opponitur, Paulum loqui tantum de quibusdam, τινες, inquit, αποστησονται. Nam præterquam quod Apostolus potuit respicere ad initium et primam istius apostasiæ periodum, in qua certum paucos adhuc istis falsis doctrinis fuisse imbutos, constat pronomen hoc non excludere multitudinem, sed tantum universalitatem, ut innuatur non omnes absolute et sine exceptione istius apostasiæ reos fuisse, quia Deus suos semper habet, quos ab errore immunes servat. Talem usum esse in Scriptura istius pronominis patet ex variis locis, ubi τινες pro multis ponuntur, Joh. vi. 60, collato cum 64, Rom. xi. 17, colla. cum ver. 32, 1 Cor. x. 7, 8, 9, collato cum Exod. xxxii. 3, Num. xiv. 1, et xxv. 4.

2. Character, Christi Adversarius. XXII. Ex hac porro apostasia oriuntur duo alii characteres Antichristi a Paulo notati: *Oppugnatio* Christi et *Elatio*, quod sit ὁ αντικειμενος, και ὁ ὑπεραιρομενος, *Hostis* et *Æmulus*. Hostis debuit esse Christi, qui ejus doctrinam oppugnaret, sed non apertus et patens, qui γυμνη, quod aiunt, κεφαλη Christum impeteret, sed dissimulatus, et latens, qui dum se αντιχριστου esse profitetur, revera Αντιχριστον se proderet, et sub prætextu vicariatus auctoritatem Domini sui usurparet, et eum de solio deturbaret. Hinc apostasia ista vocatur μυστηριον της ανομιας, et in fronte Babylonicæ meretricis inscriptum est nomen *Mysterium*, Apoc. xvii. 5, quia mystica debuit esse Antichristi impietas, id est, *pietatis nomine palliata*, ut bene habet Glossa; quia per cuniculos in Ecclesiam irrepere debuit, et in ea specioso religionis et pietatis obtentu, dominium suum stabilire. Quo spectat etiam aureum Babylonicæ meretricis poculum, quo homines superstitionibus, sub specioso prætextu pietatis, mandatis, et mysteriorum nomine commendatis dementat. Propterea proponitur veniens, "cum omni fraude injustitiæ, sive iniquitatis seductione," 2 Thess. ii. 10. Tanquam πλανος *Impostor* et *Seductor*, 2 Joh. 7, qui oculatissimis etiam possit imponere, qui incolas terræ debeat seducere, Apoc. xiii. 14, qui sit ψευδολογος εν ὑποκρισει, 1 Tim. iv. 2. atque adeo qui callida pietatis simulatione et Christianismi professione facilius homines seduceret, et a Christo abduceret. Nam si aperto Marte Christum oppugnaret, quis non statim Christi hostem agnosceret? Quodnam hic esset mysterium, quænam sapientia, agnoscere Antichristum? Ita Antichristus non manifestus Christi hostis esse debuit, sed occultus et clandestinus; qui sub nomine Christiano Christum oppugnaret, et sub cornibus Agni Draconis blasphemias eructaret. Quomodo proditoribus et
Apoc. xiii. 11. apostatis, qualis est Antichristus, in more positum est,
2 Cor. xi. 14, 15. regis sui nomen et auctoritatem præ se ferre, ut subditos facilius decipiant, Pseudo-prophetis, qui lupi sunt rapaces, ovium pelles inducere, et Satanæ in angelum lucis, et ministris ejus in ministros justitiæ se transformare.

XXIII. Pontificem autem talem esse Christi *Adversarium*, quis negare sustineat, dum mysterium hoc inquitatis, δις δια πασων oppositum mysterio pietatis, attendit. Nec opus est multis hanc oppositionem de-

monstrare, quæ in antecedentibus tum quoad fidem, tum quoad cultum, tum quoad regimen abunde probata est; quod ulterius posset ostendi ex recensione innumerorum errorum tam veterum quam novorum, quibus se apostatam esse luculenter testatur. Sed sufficiat nunc observasse, quomodo Christo adversetur quoad ejus *officium mediatorium*, tum in genere per alios mediatores et intercessores, quos illi adjungit, tum in specie quoad prophetiam per traditiones αγραφους, et auctoritatem infallibilem, quam sibi vendicat; quoad *sacerdotium*, per sacrificium missaticum et satisfactiones humanas; quoad *regnum*, per potestatem et imperium quod usurpat in terris. Ita autem Christo adversatur, ut non sit aperta oppugnatio, qualis est Judæorum aut Mahumetanorum; sed μυστηριωδης et occulta, larva Christianismi velata, et sub prætextu vicariatus. Quod diffiteri non possunt adversarii, qui pertendunt, ideo Papam non posse Antichristum dici, eo quod nomen et religionem Christi, se autem ejus servum et vicarium profiteatur; quasi non possit Christum verbis profitendo reipsa abnegare, et sub pietatis velo, impietatis venenum propinare.

3. Character, Æmulus Christi.

XXIV. 3. Antichristus debuit ita esse αντικειμενος Christum oppugnando, ut debuerit etiam esse ὑπεραιρομενος ejus gloriam æmulando, et ei se conferendo, imo etiam præferendo, sic enim Paulus, 2 Thess. ii. 4, ὁ αντικειμενος και ὑπεραιρομενος επι παντα λεγομενον Θεον η σεβασμα· ὡστε αυτον εις τον ναον τοῦ Θεοῦ ὡς Θεον καθισαι; "Qui est contrarius et se extollens super omnem qui dicitur Deus aut Numen, adeo ut in templo Dei sicut Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum." Sensus est, Hominem illum peccati, Filium perditionis, eo superbiæ perventurum, ut, terræ filius cum sit, se efferat super id omne quod dicitur Deus, id est, tum super reges et principes, qui in Scripturis Dii vocantur, Psal. lxxxii. 1, 6, Joh. x. 34, tum supra augustam illam *imperatorum* majestatem, qui σεβαστοι olim vocabantur, ut sæpe in numismatibus Augusti occurit. Quare autem dictus sit σεβαστος, docet Dionis abbreviator. "Volebat," inquit, "Romulus vocari, sed invidiæ declinandæ causa, ne regis ullius nomen affictum videretur, maluit dici Augustus, ὡς πλεῖον τι ου κατ' ανθρωπους ων, παντα γαρ τα εντιμοτατα και ἱεροτατα Αυγουστα προσαγορευεται, εξ ὁυπερ και σεβαστον αυτον ἑλληνιζοντες προσεῖπον ωσπερ τινα σεπτον, Tanquam aliquid esset supra hominum conditionem, nam quæ in honore et cultu sunt, ea Augusta vocantur, unde qui Græcisabant σεβαστον vocabant, quasi sanctum Dei," Dio. lib. liii. Nec super eos tantum Antichristus se efferre debuit, qui in terris vocantur Dii, sed et super eos, qui in cœlis divi indigitantur, Angelos et Sanctos, imo eousque, ut in templo Dei sedeat tanquam Deus, supremam, universalem ac plane divinam in Ecclesia potestatem sibi vindicans, et ita se gerens, ac si Deus esset in terris.

XXV. Quod si a thesi ad hypothesim descendimus, cui aptius ista quadrant quam Pontifici, in primatu et dominio tum temporali, tum spirituali, quod sibi arrogavit? Quis nescit, eum supra reges et principes, imo ipsos imperatores se efferre, dum sibi jus arrogat eos instituendi, et destituendi ad libitum, absolvendi subditos illorum a juramento fidelitatis, et ipsorum regna ad alios transferendi, ut fuse ostensum, Disp. V? Nonne se effert supra angelos, quorum se judicem constitutum esse jactitat, qui habeat jus illis imperandi, cui subesse teneantur? *Innocentius IV.* in C. Canonum, "Conditori canonum et vicario Creatoris subdita est omnis creatura, ejus potestas est major omni potestate creata, se extendens ad cœlestia, terrestria, infernalia, ut ei genua cuncta curventur," &c., Anton. summ. p. 3. l. 22. c. 5. *Clemens. VI.* in Bulla super anno jubi-

læo beatis angelis mandat, ut animas eorum, qui postquam peregrinandi causa Romam venire proposuissent, in via forte confessi morerentur, in cœlum recta transferrent, "Prorsus mandamus angelis Paradisi, quatenus animam a Purgatorio penitus absolutam in Paradisi gloriam introducant," apud Balæum in vita Clementis VI. Nonne se effert supra Sanctos, quando eorum αποθεωσιν a se pendere vult, ut quos velit vel catalogo sanctorum adscribere possit, vel ex hoc libro vitæ dispungat? Atque ita Papa, *Deus* Pontificiorum *Deificus*, ut Tertulliani verbum usurpem, pro arbitrio suo, non modo de veneratione et honore, qui sanctis debetur, sed etiam de sanctitate et divinitate statuit, "Ut nisi homini Deus placuerit, Deus non sit," ut ait Tertullianus, Apol. c. v. Quod si cætera Ecclesiæ Romanæ σεβασματα attendimus, imagines crucis, reliquias sanctorum, altaria, sacramentum ipsum altaris, quod vulgo *corpus Domini* dicitur, nonne se super illa effert, quando eorum consecrationem et cultum a se pendere contendit? Et ita ea consecrat, ut honori suo inserviant, atque, ut ita dicam, famulentur. Hinc imago crucis in processionibus Pontifici, ut ejus insigne honoris, præfertur, et ipse Deus missaticus jumento ante ipsum vehitur, ex *Cærem.* lib. i., dum ipse humeris principum sublimis effertur.

XXVI. Verum hæc levia sunt præ superbia, qua se gerit pro Deo, sedens in templo Dei ut Deus, et ostentans se esse Deum. Licet enim vix credibile sit dari posse hominem, qui eo usque dementiæ procedat, ut se gerat pro Deo, et nomen et auctoritatem Dei atque honorem sibi arroget, inventus tamen est, qui et nomine et re se pro Deo gerit, quatenus denominationes soli Deo proprias, et honores debitos, non tantum tribui sibi permittit, sed et imperat. Et ad nomina quidem quod attinet, negari non potest, passim in Pontificiorum scriptis Papam *Deum* vocari, ut supra jam visum Disput. III. Glossa Juris Canonici Extr. Joan. XXII. expresse *Papam Dominum Deum nostrum* vocat. Nicolaus Papa, ut a Gratiano citatur, Dist. 69, cap. 7, "Satis evidenter ostenditur, a seculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, cum nec Deum posse ab hominibus judicari manifestum sit." Stapleto. in Præfat. ad Gregor.

XIII. Princip. Doctrin., "Papam optimum, maximum, et supremum Numen in terris nominat." P. Blond. l. 3. Romæ instauratæ, "Omnes principes orbis terrarum," inquit, "Pontificem ut Deum summum honorant et colunt." Unde apud Canonistas passim legas voces istas impias: "Quod sententia Papæ et sententia Dei sit una sententia, unumque tribunal inter Deum et Papam. Quod nulla possit esse ab eo ad Deum appellatio, quia una sit curia Dei et Papæ, quia Pontifex tanquam Deus judicat, ideo nihil contra ejus sententiam opponi possit." Augustin. Triump. quæst. 6, 1; Tiber. Deci. vol. 3, respon. 14, numer. 57; Menoch. cons. 51, numer. 13, "Quod divinam habeat dignitatem. Quod, quicquid vel approbat vel reprobat, id omnes vel approbare vel reprobare debeant." Gloss. dist. 19, "Quod nemo ei debeat dicere, quid facis? etiamsi innumerabiles populos una secum in infernum præcipites adducat." Dist. 40, "Quod omnes mortales sibi habeat subditos, omnisque ei subsit humana creatura." Extra. de Major. C. Unam sanctam, et innumera id genus, quæ referre longum nimis foret. Nec ad excusandas impias istas blasphemias dici potest, esse oratorias aut panegyricas ὑπερβολας, quæ pro dogmatibus non sint sumendæ. Nam præterquam quod istæ a doctoribus maxime approbatis sunt profectæ, et ipsorum conciliis, juri canonico, et libris usualibus insertæ, quis nescit, talia elogia Papis tributa fuisse ab eorum adulatoribus, illis non modo non invitis et recusantibus, sed approbantibus, nec unquam ea curasse tanquam blasphema et Christo contumeliosa ex libris suis deleri,

cum tam seduli sint in bonis auctoribus per Indices suos Expurgatorios mutilandis. Ut vero Dei nomen sibi vendicant, ita et Christi Domini titulos et attributa sibi arrogant. Nec diffitetur *Bellarminus* de Concil. Auctorit. l. ii. c. 17, "Nomina omnia," inquit, "quæ in Scripturis tribuuntur Christo, unde constat eum esse supra Ecclesiam, eadem omnia tribuuntur Pontifici." Hinc si Christus dicitur *Caput*, *Sponsus*, *Fundamentum*, *supremus Pastor Ecclesiæ*, *Principium fidei*, *Dominus domus Dei*, *Leo de tribu Juda*, *Radix David*," &c., apud omnes est in confesso, hæc Pontifici non minus tribui. Frustra hic opponitur, Papam nihilominus se *servum servorum* vocitare. Quid enim juvat ficta humilitate se servum servorum dicere, si reipsa Domini Dominorum auctoritatem intoleranda superbia sibi arrogat? Quo spectat Trevirensis Præsulum querimonia de Nicolao apud Aventi. Annal. 4, "Tu pontificis quidem personam præ te fers, at tyrannidem agitas, sub habitu pastoris lupum sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis Jovem ostentas. Cum sis servus servorum, Dominus Dominorum esse contendis," &c.

XXVII. Sed parum esset nomina tribui, nisi reipsa auctoritatem et potestatem, soli Deo et Christo propriam, sibi vendicaret. Verum quis ambigendi locus esse potest, post ea quæ præstare solet, et quæ ipsi vulgo tribuuntur? Annon ille se gerit pro Deo, qui gloriatur se omnem potestatem consequutum in cœlo et in terra? Qui jus habeat condendarum legum et imperandarum conscientiis? Qui se infallibilem et ἀναμάρτητον jactet, Scripturæ Sacræ interpretem summum, et supremum controversiarum judicem, a quo non liceat provocare? Qui ex peccato possit facere non peccatum, et contra, et absoluta potestate possit quicquid vult? Annon se gerit pro Deo, qui se totius orbis Dominum et Monarcham jactat, qui triplex regnum obtinet, cœlestium, terrestrium, et subterraneorum; in cujus signum tiara Papalis triplici corona ornata est, quod regnum appellatur? Qui summum habeat in reges et principes, et imperatores ipsos imperium, et in spiritualibus et in temporalibus, ut possit ipsos de solio deturbare quandocunque libuerit, et regna transferre? Annon se effert etiam supra Deum, qui Scripturæ auctoritatem omnem a sua suspendit, qui jus sibi tribuit dispensandarum et abrogandarum legum divinarum et humanarum ut in juramentis et votis, in gradibus consanguinitatis, et in plerisque Legis præceptis, imo possit dispensare contra auctoritatem Apostoli, quia sit major Apostolo, imo contra Vetus Testamentum, eo quod sit major omnibus ejus auctoribus? Qui mandata Christi varia abrogat, opposita illis introducit, et dispensandi de institutis Christi facultatem sibi transcribit? Qui denique peccata in se et regimen suum admissa majoribus pœnis plectit, quam admissa in Christum? Quid est vero pro Deo se gerere, si hoc non est?

XXVIII. Ita Pontifex vere se prodit ἀνθρωπον ἁμαρτιας, ὑιον ἀπωλειας et ἀνομον, *Hominem peccati*, *filium perditionis*, *exlegem*, quod Paulus Antichristo tribuit, ver. 3. *Homo* quidem *peccati* recte dicitur, tum quia ipse peccator est insignis, licet sanctitatis titulum usurpet, nec dissimulant Pontificii scriptores, dum gravissima Paparum scelera describunt, tum quia aliis est peccandi auctor. *Filius* etiam *perditionis* non modo *passive*, quia perditioni devotus est instar Judæ, qui osculo prodidit Dominum, Joh. xvii. 12, sed et *active*, quia alios in idem perditionis barathrum secum abducit, adeoque et אבדון et ὁ ἀπολλυων κατ' ἐξοχην, Apoc. ix. 11. Denique ὁ ἀνομος, antonomastice, qui *Exlegem* se ostendit, omnibus scilicet legibus solutum, qui a nemine judicandus sit, licet de omnibus judicet, qui sibi licere putat quicquid libet, ut sua illi pro lege sit voluntas, ut nec in personam, nec in

facta ipsius omnino sit inquirendum; sed acta illius qualiacunque pro licitis, et ipse qualiscunque, non modo pro sancto, sed etiam pro sanctissimo, imo ipsa sanctitate habeatur. "Papa legi non subjacet ulli," inter casus Papales apud Hostiensem, "Habet potestatem eminentissimam, plenissimam, absolutam et illimitatam, cui nihil resistit, per quam omnia super jus, extra jus, et contra jus potest, quia est quasi Deus in terris," &c. *Tiber. Deci.* l. iii. resp. 14; *Bertachi* repert. dictione Papa; Glossator Gratiani, Causa 9. Quæst. 3, Canone *Nemo.* "Concilium non potest Papam judicare. Unde si totus mundus negotiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod sententiæ Papæ standum esset." Quia ut in illo Canone legitur, "Neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur." Unde impia illa quidlibet audendi libido. Dist. 40, Canone *Si Papa.* "Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus."

XXIX. Ad istam Antichristi ἀνομίαν pertinet etiam fœda *idololatria*, cujus reus esse debuit, et propter quam ejus sedes nomine *meretricis*, *scortationum matris*, indigitari solet apud Joannem. Quia vero hanc sedi Romanæ justissime impingi, Disp. II. III. et IV. probavimus, non est, quod actum agamus. Pergimus ad quintam notam, quæ *Numerum* et *Characterem* Bestiæ spectat, de quo Apoc. xiii. 16, 17, "Et facit omnes," inquit Joannes de secunda Bestia, "parvos et magnos, divites et pauperes, liberos et servos, ut det iis characterem in manu sua dextera, aut in frontibus suis, et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habeat characterem, sive nomen Bestiæ, sive numerum nominis ejus. Hic sapientia est; qui intelligentiam habet, computet numerum Bestiæ, numerus enim hominis est, et numerus ejus 666." Nolo jam penitius inquirere, quid per priorem bestiam intelligendum sit; an imperium Romanum vetus sub imperatoribus Paganis, ut non paucis placet; an vero imperium Antichristi, quod postea plenius describitur, ut aliis plerisque videtur. Quod Bellarminus agnoscit lib. iii. de Ponti. cap. 15, "Idem," inquit, "Antichristus per duas bestias exprimitur, per unam, ratione regiæ potentiæ et tyrannidis, qua coget homines violenter; per alteram, ratione magicæ artis, qua callide homines seducet." Hoc tantum observasse sufficiet, tanquam extra controversiam positum; posteriorem *Bestiam ex terra ascendentem* Antichristum designare, non tam respectu potestatis temporalis, et ut monarcham et principem terrenum, quam ratione potestatis spiritualis, et ut pseudo-prophetam et seductorem, (quod notat Bellarm. loco citato,) qui debuit characterem imprimere in fronte et dextera suis omnibus et singulis, nullo prorsus excepto cujuscunque fuerint gentis, conditionis, sexus, et ætatis, quo quasi symbolo et tessera solenni suæ in universos potestatis, adoratores omnes suos insigniet. In quo Diabolus, ut Dei simia Christum imitatur. Ut enim Christus dicitur suos omnes signare in frontibus sigillo Dei, cap. vii., ut hac nota a filiis seculi discernerentur, ita Bestia suos sectatores aliquo etiam charactere obsignare voluit.

5. Nota, character et numerus.

XXX. Quis autem sit character iste dissentiunt interpretes. Certum est quidem Spiritum Sanctum hic alludere ad veterum morem, qui stigmate notabant in manu, vel qui militiæ nomen dabant, unde apud Veget. l. ii. c. 5, *milites* dicuntur *scripti victuris in cute punctis*; vel qui ad publicas operas destinabantur; vel qui servitio addicti erant, quibus stigmata in fronte inurebantur, non modo ad contumeliam et pœnam, sed et ad distinctionem, ut servi dignoscerentur ex dominorum suorum stigmate ipsis impresso, et *inscripti* vel *literati* et στιγματίαι dicebantur. Verum non inde se-

quitur quod vellent Pontificii, esse characterem visibilem frontibus vel dexteris impressum, quod ænigmatico et prophetico stylo parum convenit. Sufficit ut tessera aliqua detur illius communionis, sive cum Dionysio Carthusiano et Alberto magno intelligamus *vitæ et doctrinæ Antichristi conformitatem*, sive cum Thoma *professionem illiciti cultus*, qua Antichristi sequaces ab aliis distinguantur, et qua se ei tanquam sacramento militari et voluntaria servitute subjiciant, ad ipsius auctoritatem subeundam et promovendam professione et opere. Eo enim refertur, quod de charactere impresso *fronti* et *dexteræ* dicitur, *in fronte* propter professionem, *in manu* propter operationem. Ut Augustin. de Civit. Dei, lib. xx. cap. ix., Primasius in Apoc. cap. xiii., et alii notant: Quomodo Christus suos obsignat; partim charactere interno, Spiritu scilicet et fide per charitatem efficaci, 2 Tim. ii. 19, Eph. iv. 30, partim externo, in fronte, Ezech. ix. 4, Apoc. ix. 4, per fidei *professionem*, in manu per *operationem*, ut, profitentes publice veritatem, non pudeat ipsos evangelii, Rom. i. 16.

XXXI. Quo posito, non difficile est *characterem* istum apud Pontificios invenire. Nam ut nihil dicamus de *signo crucis*, quo perperam Pontificii a Reformatis volunt jam dignosci, quod manu dextera fronti solent imprimere; nihil etiam de *confirmationis chrismate*, quod omnes debent ab Episcopo suscipere in fronte, et cujus tantam esse necessitatem dicunt, ut "Christianus nunquam esse possit, qui confirmatione episcopali non fuerit chrismatus," De Consec. dist. 5, A. Ut Jejun.; nihil etiam de *sacramento ordinis*, in quo character dicitur imprimi per unctionem in capite et manu dextra, qui vocatur *indelebilis*, absque quo nullum possideri potest beneficium; quis nescit neminem in communionem Rom. recipi posse, qui Papæ non subjiciatur, ita ut illi subesse sit de necessitate salutis? Quo spectat professio fidei Romanæ a Pio IV. edita, qua novum symbolum Romanum, quo tanquam charactere insigniuntur Romani, et per quod solemne obsequium tenentur Papæ vovere et promittere, ex decreto Concilii Tridentini, continetur in Bulla Pii IV., super forma juramenti professionis fidei, de qua supra Disp. I. "Ego N. firma fide credo et profiteor," &c. Qui ergo tali juramento se obstringit; qui expresse profitetur subjectionem et fidem Papæ et communionem cum eo; qui religionis cultum observat juxta traditiones Romanæ Sedis, quales sunt sanctorum, imaginum, reliquiarum cultus, adoratio crucis et eucharistiæ, frequentatio missarum, peregrinationes ad loca sancta, &c., is characterem Romanum habet. Quo sensu auctor 2 lib. Maccab., cap. iv. ver. 10, observationem rituum Gentilium vocat τὸν ἑλληνικὸν χαρακτῆρα, *Græcanicum characterem*, quo scilicet religio Græca seu Gentilis dignoscebatur. Ita *professio Papismi*, ad quam suos omnes stipulatione communi vel juramento singulari obstringit Papa, bene *character Latinus* dicitur.

XXXII. Quod vero dicitur Antichristus prohibiturus, *ne quis emat vel vendat, qui non habuerit characterem*, suam etiam in regno Pontificio veritatem ita clare obtinet, ut non tam ista prædictio rei futuræ, quam historia jam gestæ videri possit. Testis hic nobis sit Gregorius VII., qui auctor Guliel. Conquestori fuit, "ne aliquem in sua potestate aliquid emere et vendere permitteret, quem Apostolicæ Sedi inobedientem deprehenderet," apud Bertold. append. ad Herm. Contr. anno 1084. Alexander III., qui in Synodo Turonensi contra eos, qui se a subjectione Rom. Sedis subduxerant, decernit, "ne ubi cogniti fuerint, receptaculum quisquam eis in terra sua præbere, aut præsidium impertiri præsumat, sed nec in emptione, aliqua cum iis communio habeatur," &c., apud Gulielm. Neubrig. rerum Anglic., l. ii.cap. 15. Item in Conc. Later. contra Albigenses habito, "Eos et de-

fensores eorum et receptores anathemati decernimus subjacere, et sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere vel fovere, vel negotiationem cum iis exercere præsumat," Decret. Greg. l. v. t. 7. c. 8. Martinus V., optimus hujus oraculi interpres et πρακτης, in Bulla damnationis errorum Wicleffi et Hussi annexa Actis Concilii Constantiensis, districte prohibet, "ne hujusmodi homines domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negotiationes et mercantias quaslibet exercere, aut humanitatis solatia cum Christi fidelibus habere permittantur." Talis fuit Bulla Pauli III. adversus Henricum VIII. Angliæ regem, quod Pontificis jugum excusserat, Christianis omnibus interdicentis, "ne cum Henrico ejusque subditis commercia haberent, aut contractus inirent," &c. Sic comprobata est etiam ad literam veritas hujus prophetiæ juxta Carthusiani expositionem, "Christiani," inquit in hunc locum, "tunc," id est tempore Antichristi, "velut excommunicati vitabuntur, et mutuo vendere ac emere non licebet aperte, nisi signatis charactere Antichristi." Notum quinetiam hæc apud Pontificios obtinere hodie, et factis ipsis nimis comprobari cruda dogmata : "Licere hæreticum bonis suis spoliare," Caus. 15, quæst. 4, Glossa. "Patrem filium hæreticum teneri exhæredare. Propter hæresim patris filios esse sui juris. Uxorem viro hæretico benevolentiam reddere non teneri," apud Simanchum. "Subditis licere Domino hæretico negare obsequium. Non licere Christianis tolerare regem hæreticum, si conetur ille pertrahere subditos ad suam hæresim." Apud Bellarm. lib. v. de R. P. cap. 7. Hæreticus autem illis est, quilibet vel maxime orthodoxus, cujus fides cum Papæ et Ecclesiæ Rom. fide non conspirat.

Nomen et Numerus Bestiæ.

XXXIII. Characteri additur *Nomen*, et *Numerus Bestiæ*. Quomodocunque autem intelligatur, sive *exegetice* et *copulative*, ut tria ista jungantur, tanquam tria nomina ejusdem rei, ut posterius sit εξηγητικον prioris, (ut non paucis placet, et videtur satis clare insinuari loco citato, cap. xiii. 17, ubi ista conjunguntur, "Nemo potest emere vel vendere, nisi qui habuerit το χαραγμα, η το ονομα του θηριου, η τον αριθμον του ονοματος αυτου, characterem, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis ejus," id est, nomen hunc numerum habens; unde alibi mentio fit simpliciter characteris, cap. xiv. 9, vel characteris nominis bestiæ, ver. 11, vel characteris et numeri nominis, cap. xv. 2); sive *distincte*, quasi res diversæ, ut aliis magis probatur, et *Character* quidem in genere notet professionem cultus Antichristiani, *Nomen* vero propriam Bestiæ appellationem, qua Bestia ab aliis bestiis distinguatur, *Numerus* vero *nominis* nomen tali numero expressum, certum est rem eodem redire, nimirum ut proponatur nota singularis Antichristianismi, prout professione, nomine, et numero isto designatur. *Nomen* autem hoc non proprium et personale notat, sed mysticum seu Gentilitium et commune, quod non aliud est quam nomen *Romani* seu *Latini status*, cujus ultimum caput debuit esse Antichristus; de quo dubitari non potest, si nomen istud numerum Bestiæ comprehendat. Numerus dicitur *numerus nominis*, quia literæ, ex quibus nomen constat, numerum illum complectuntur, juxta Hebræos et Græcos, qui literis suis pro numerorum notis sæpe utuntur. Dicitur etiam *numerus hominis*, vel quia ejus computatio hominibus est nota, et inter eos non raro usitata, quam humani ingenii vis assequi possit, quomodo *mensura hominis*, Apoc. xxi. 17, est quæ hominibus usitata est et obvia, et *calamus hominis*, Isa. viii. 1, qui ab hominibus usurpatur et intelligitur; vel quia hominis intellectum habentis proprium est numerare. Exprimitur autem nomen hoc, et numerus, vel tribus vocibus integris, εξακοσιοι εξηκοντα εξ, ut habet regium exemplar *Montani*, vel tribus numeralibus χ,

ξ, ς, quarum χ Græcis notat 600, ξ 60, ς 6, ut numerus totalis sit 666. Quam computandi rationem non modo nostri sequuntur, sed et pontificii fere omnes. Unde *Suarez*, lib. v. cap. 19. num. 11, "De nomine Bestiæ omnes docent tale futurum esse ut ex literis constat, quæ, ad rationem numerorum juxta Græcæ linguæ consuetudinem redactæ, numerum 666 contineant." Nec recens est iste computus, quando *Irenæus* ipse, Polycarpi discipulus, testatur lib. v. c. penult, "eos, qui Joannem de facie ad faciem viderant, docuisse, quod numerus nominis Bestiæ secundum Græcorum computationem, per literas, quæ in eo sunt, sexcentos habebat et sexaginta sex."

XXXIV. Licet autem difficile fuerit ante adventum Antichristi mysterium numeri istius assequi, ut Irenæus fatebatur rem arduam esse ante prophetiæ complementum certo statuere quod illud nomen sit, "certius et sine periculo esse affirmando sustinere adimpletionem prophetiæ quam suspicari et divinare nomina quælibet," interim non obscure colligi potest, ex rerum eventu, si receptam et communem computandi rationem per literas numerales sequamur. Nolumus hic immorari in recensendis et refellendis variis interpretum sententiis, qui numeri istius mysterium conati sunt aperire. Obiter tantum notamus parum appositam et plane alienam videri nobis eorum sententiam, qui volunt istud nomen et numerum Bestiæ non tam in literis, quam in doctrinis consistere, nec tam literalem computandi rationem respici, quam res, doctrinas et praxes Antichristianas, ex quibus Bestiæ sive Antichristi sequaces dignoscuntur, numerumque finitum poni pro indefinito, eoque magno, ut significetur errores et blasphemias Antichristi nec leves nec paucas esse. Sed longe alienius est Grotii commentum, qui pertendit hoc loco designari *Trajanum*, cujus nomen notissimum erat *Ulpius*, ΟΥΛΠΙΟΣ, quod nomen facit numerum 666, si in fine scribat non Σ, quod valet ducentos, sed ς, quod pro numero senario semper ponitur. Cur enim Trajanus hic designaretur potius, quam multi alii Cæsares, qui Trajano pejores fuerunt, et Ecclesiæ nocentiores? Rursus cur tertia potius persecutio hic notaretur, quam alia aliqua? Tertio, ejusdem est numerus et nomen et character. At character non est Trajani, ut Grotius ipse fatetur, et res ipsa docet. Denique, cur numerus hic quæritur non in nomine *Trajanus*, sed in prænomine *Ulpius*, quod multis commune erat? eoque magis quod ΟΥΛΠΙΟΣ non valet 666, nam sigma finale, quocunque modo scribatur, sive Σ sive σ sive ς sive C, semper valet 200. Sic Ο notat 70, Υ 400, Λ 30, Π 8, Ι 10, Ο 70, C 200, quæ summam faciunt 860.

XXXV. Missis ergo istis sententiis, communiorem et vulgo receptam retinemus, quæ Pontificem et statum ac imperium ejus recte describi vult. Hoc vero, quomodocunque computetur, sive Græce sive Hebraïce, ut duæ sunt linguæ, quibus dedit Deus oracula sua et prophetias, ac mysteria sua inclusit, res eodem redibit. Nam si Græcis literis computatio fieri debeat, quod fit valde verisimile, quia Græce scripta est Apocalypsis, et ad Græcos; non aliud convenientius occurrit, quam nomen Λατεῖνος, ut conjiciebat Irenæus. Si vero Hebraïcis characteribus nomen istud numerari debuit, erit vel רומיית, *Romana* scilicet *sedes*, vel רמענוש, *Romanus*, ut *Joh. Foxus* arbitratus est. Quæcunque enim de nomine illo dicuntur, istis nominibus proprie conveniunt. Nam *Romanus* vel *Latinus* nomen est prioris Bestiæ, et tale, quod Papa, cui omnes aliæ notæ Bestiæ ibidem additæ conveniunt, (nimir. quod tota pene terra eam secuta sit mirabunda, quod supra capita sua habeat nomen blasphemiæ, quod loquatur grandia et blasphema, quod potestatem habeat in omnem gentem et linguam, &c.) omnibus imponit, quod denique continet numerum 666, ut ex sequenti schemate patet.

λ	30	ר	200	ר	200
α	1	ו	6	מ	40
τ	300	מ	40	ע	70
ε	5	י	10	נ	50
ι	10	י	10	ו	6
ν	50	ת	400	ש	300
ο	70				
ς	200				
	666		666		666

Sic optime *Pontifex Romanus*, ejusque *Sedes* designatur. Is enim vere *Latinus* est, qui Latini imperii reliquias et sedem antiquam obtinet, cultumque publicum, non alio sermone quam Latino, peragi patitur, nec alio diplomata et decreta sua emittit. Imo *Ecclesia Romana* Græcis appellatur *Latina*, et hæc distinctio adeo insignis erat, ut in generalibus conciliis occidentales patres seu episcopi, *Latini*, reliqui vero *Græci*, discriminatim appellarentur; tam accurate eventus cum vaticinio consentit. Sedem etiam ejus Romam esse, res est in propatulo. Ex qua interpretatione commodus oritur sensus, nihil ut opus sit recurrere ad subtile quidem et ingeniosum ac abstrusum clarissimi Potteri inventum, sed nescio an æque sit solidum, et ex mente Spiritus Sancti, quo pertendit computum istum fieri debere, et numerum inveniri posse per extractionem radicis quadratæ numeri 666, qui sit numeri· 25, per se multiplicati cum fractionibus 41, quomodo numerus 144, qui numerus est cœtus virginum et novæ Jerusalem, derivatur ex radice quadrata 12, per se multiplicata; qui numerus passim recurrit in descriptione Hierosolymæ cœlestis, cui 12 fundamenta, 12 portæ, 12 angeli, 12 tribus, &c. tribuuntur in Apo., ut numerus 25 in Papatu passim obtinet. Relicta ergo suo loco sententia ista, sufficit ad institutum nostrum, numerum Bestiæ præcise inveniri in nominibus prædictis.

XXXVI. Frustra Bellarm. et alii hic reponunt, nomen *Latinus*, ut significat *Romanum*, non scribi per ει, sed per simplex *Iota*, et tunc non reddere illum numerum. Nam præterquam quod Irenæus, qui Græce procul dubio melius novit, et Græce etiam scripsit, hoc habet, "Λατεινος nomen," inquit, "valde verisimile est, quoniam verissimum regnum hoc habet vocabulum, Latini enim sunt qui nunc regnant;" jamdiu observatum est, Græcos literam ι in diphthongum ει convertere solitos fuisse, quum eam ante ν producebant, ut Αντωνεῖνος, Σαβεῖνος, Λατεῖνος, *Antoninus*, *Sabinus*, *Latinus*, ut celeb. Scaliger notat, animadv. in Euseb. Chron. p. 106. Et notum est veteres Romanos pro ι, longo quo nunc utimur, diphthongum ει usurpasse, ut *queis*, *preimus*, *capteivei*, apud Plautum, &c. Sic in Ennio, *Quamprimum Caseei, populei tenuere Lateinei*. Non meliori cum ratione additur, multa alia nomina dari, quæ eundem numerum exhibent, ut Τεῖταν, Λαμπετης, Ευανθας, ὁ Νικητης, et sim. Nam nos non ex solo nomine Bestiæ argumentamur, sed ex nomine aliis Bestiæ notis conjuncto, quod de aliis nominibus dici non potest. Adde quod solum hoc nomen *Latinus* vel *Romanus* est nomen prioris Bestiæ: frustra vero quæritur aliud quodvis nomen continens numerum 666, nisi etiam Bestiæ illius nomen sit. Denique male pertendit etiam Bellarmin., si *Latinus* sit nomen Antichristi, "debere ei esse proprium, et usitatum maxime, at neque proprium esse nomen Papæ, sed commune, nec usitatum, quia nunquam se Papæ Latinos vocant," quia supponit nomen hoc esse debere proprium Antichristi, cum sit

nomen prioris Bestiæ, quæ Romanum statum designat, ideoque nomen gentile et commune, non proprium.

6. Nota Antichristi, ejus effecta et miracula.

XXXVII. 6. Antichristi *nota* respicit ejus *effecta* et *opera*, qualia sunt inprimis, *miracula* et *signa*, quæ illi tribuuntur. "Cujus adventus," inquit Paulus, 2 Thess. ii. 9, "erit in omni virtute, et signis et prodigiis." Ita Apoc. xiii. 13, "Et faciet signa magna," confirmatur ex Matth. xxiv. 24, "Exorientur Pseudo-Christi et Pseudo-Prophetæ, edentque magna signa et prodigia," &c. quod *Bellarminus*, *Malvenda*, et alii ad Antichristum referunt. Qualia autem futura sint Paulus explicat, quando ea vocat τέρατα ψεύδους, *prodigia mendacii*, quod potest intelligi, ut bene observat *Bellarmin.* lib. iii. de Pontifice Rom. cap. 15, *vel originaliter*, ratione efficientis, quia sunt a Satana, mendacii Patre, qui nulla potest vera miracula edere, quod Paulus ibidem notat, dum ait adventum Antichristi "fore cum efficacia Satanæ in omni virtute et signis mendacii;" vel *formaliter*, ratione naturæ, quia vel fabulosa erunt et præstigiosa, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum, unde dicuntur fieri in *conspectu hominum*, Apoc. xiii., id est, ut apparentia et oculos hominum perstrigentia, non solida et vera, ut vera miracula; vel denique *terminative*, ratione finis, quia ad stabiliendum mendacium tendunt, et sunt comparata, ὅτι πρὸς ψεῦδος ἄγουσι. Non alia enim de causa Antichristus signa ista patraturus est, quam ut mendaciis suis fidem conciliet, et a veritate ad errorem homines abducat, ut *Chrysost.* et *August.* interpretantur.

XXXVIII. Non difficile vero est complementum apud Pontificios deprehendere. Quis enim ignorat miraculorum ostentationem ab aliquot seculis propriam esse Latinorum, nec ulli jam religioni præter papisticam competere. Judæi enim miraculis destituuntur; Turcæ religionem suam, non virtute miraculorum, sed vi et armis propagandam esse profitentur? Orthodoxi, solis miraculis Christi et Apostolorum contenti, alia nulla quærunt. Et quamvis nascenti Ecclesiæ necessarium fuisse usum miraculorum censeant, ut per ea infideles ad fidem converterentur; conversis tamen, et fidem in Ecclesia confirmata profitentibus, miraculis non esse opus credunt, ut "qui adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum sit ipse prodigium, qui mundo credente non credit," ut ait Augustinus de Civit. Dei. lib. xxii. cap. 8. Et qui "propter miracula jam facta non credit, multo minus crederet, etsi alia nova miracula illi proponerentur:" ut bene Stella in Luc. ii. 29, observat. At pontificii de miraculis suis gloriantur, imo ea inter præcipuas Ecclesiæ notas reponere solent. Hinc nullus Sanctus apud illos habetur, qui miraculis non inclaruisse dicatur: nullæ reliquiæ, nulla insigniora simulacra ad quæ peregrinationes fieri solent, quæ miraculorum fama non celebrentur. Sed qualiacunque hic miracula obtrudantur, dicimus esse τέρατα ψεύδους. 1. Quia ad erroris et mendacii confirmationem adhibentur, ita ut vel hoc solum falsitatem ipsorum satis possit arguere, licet de cætero aliquid veri haberent, quia nos abducunt a Christi veritate ad mendacium. 2. Quia maxima ex parte meræ sunt illusiones, imposturæ et præstigiæ vel malorum spirituum, vel impiorum hominum, ad quæstum adornatæ, ut multis exemplis probari posset. 3. Quia si veri aliquid subest, hoc non superat totius naturæ vires, sed referendum est vel ad portenta dæmonum, vel ad prodigia magorum, ut facillimum esset imposturas et vanitatem talium miraculorum retegere, ut a variis factum est. Sed præstat audire testes domesticos, qui de gravissima hac fraude conqueruntur. "Aliquando fit in Ecclesia," inquit Lyranus in Dan. xiv., "deceptio populi maxima in

miraculis fictis a sacerdotibus, vel eis adhærentibus, propter lucrum temporale." Sic Biel in Can. Miss. C. 49. dicit, "Miracula fieri hominibus ad imagines confluentibus nonnunquam operatione dæmonum, ad fallendum inordinatos cultores, Deo permittente, exigente talium infidelitate." "In sacramento," inquit Alex. de Hales in 4. sent. q. 53, "apparet caro interdum humana procuratione, interdum operatione diabolica." Huc pertinet Melchioris Cani ingenua confessio, qui lib. ii. Loc. Theol. prolixe queritur, res gestas sanctorum falsis et commentitiis fabulis contaminari. "Nostri," inquit, "plerique vel affectibus inserviunt, vel de industria quoque ita multa confingunt, ut eorum non solum pudeat, sed etiam tædeat." Addit, tales rationes inventas esse, aut ad quæstum, aut ad errorem, et post alia multa huc pertinentia subjicit de *Legenda Aurea*: "In illa," inquit, "miraculorum monstra sæpius legas, quam vera miracula, hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi et prudentis." Hujusmodi multa suppeditant libri legendarum, Speculum Historiale Vincentii, Antonii, Conformitates Francisci, &c. Eo pertinent statuarum in Ecclesiis progressiones, stationes, risus et varii motus, animarum etiam lachrymæ, suspiria, confessiones, Christi, Mariæ, Apostolorum crebræ visiones, morborumque fictæ sanationes, et mille mendacia et ludibria hujus generis, quibus ad regnum suum stabiliendum usus est Pontifex. Hinc enim idololatria multiplex in Ecclesiam irrepsit; hinc statuarum adoratio, hinc missarum celebratio, et vota pro mortuis, purgatorii flammæ, et indulgentiarum nundinatio; hinc denique innumerabilium fallacium inventio manavit; et nisi in Pontificiis implenda fuisset prophetia Pauli, quod "Deus missurus sit in eos efficaciam erroris, ut credant mendacio," 2 Thess. ii. 11, plane incredibile videretur homines ratione pollentes, et luce evangelii illustratos, ita dementari potuisse, ut in errores tam fœdos, miraculis tam crassis et putidis abduci se paterentur. Huc pertinent *imposturæ* et *fraudes*, quibus Pontifices imperium suum promovere, et confirmare sategerunt, sive in falsandis et corrumpendis auctoribus, sive in revelationum figmentis, sive in imposturis circa sanctos et reliquias, sive in fabulis innumeris, quibus totus Papatus nititur, ut fuse a nostris est probatum. *Chamiero* imprimis lib. xvi. de Antichristo a cap. 9, usque ad 14, et celeb. *Jurieu* in Præjudiciis, p. 12, 13, 14, et seq.

Crudelitas et violentia.

XXXIX. *Fraudulentiam* et *deceptionem* Antichristi in signis et miraculis, excipit *crudelitas* et *violentia*, quæ se exerere debuit in tyrannico imperio, et verorum fidelium persecutione, secundum quam describitur per "Bestiam, cui data est potestas bellum faciendi sanctis, et eos vincendi," Apoc. xiv., per "mulierem ebriam sanguine martyrum," Apoc. xvii., de qua dictum Disp. V. et VI. His adde *luxum* et *divitias*, quando per Mulierem, "amictam purpura et cocco, et inauratam auro et margaritis," describitur Apoc. xvii. 4, in qua omnes qui habebant naves in mari dicuntur facti divites ex ejus copiis, xviii. 16, 19. Hæc vero ubi melius impleta reperias, etiam quoad literam, quam in Rom. Pontifice, et ejus Curia? Quis potest *Petri patrimonium* attendere, quo et Petro illuditur et toti orbi, et luxum ingentem Aulæ et Curiæ Pontificiæ, thesauros omni divitiarum genere fœtos, reditus immensos, et alia id genus, qui non fateri cogatur, non alios melius mulierem illam purpura et cocco amictam, quæ se jactat reginam luctus omnis expertem, nobis exhibere? Ne jam loquamur de venalitate Officiorum Ecclesiasticorum, de Annatarum, Pallii Episcopalis, Dispensationum, Jubilæorum, Indulgentiarum nundinationibus, de Taxa Cancell., ubi omnia venum

Luxus et divitiæ.

exponuntur; aliisque artibus innumeris, quibus opes undiquaque per fas et nefas corradere solet, et totum pene orbem terrarum sibi obnoxium et tributarium facit.

XL. Possent alia plura adhuc addi argumenta ad sententiæ nostræ confirmationem, inprimis quæ ex collatione *Antiochi et Antichristi* ex Daniele peti possunt; sed de his alibi dicendi erit locus, et quæ hactenus allata sunt sufficere possunt, si rite expendantur, ad evincendum notas eas, quibus Antichristus ejusque imperium et status nobis a Spiritu Sancto describitur in Scriptura, non alii cuipiam melius quam Pontifici Romano convenire. Qui plura voluerit, consulere potest magna ex nostris nomina, et viros undequaque doctissimos, qui quæstionem hanc ex professo tractarunt, et uno ore idem pronuntiarunt; quales sunt inter cæteros Sereniss. M. Rex. Britanniæ Jacobus, in opere suo regio et Apologia ad principes iii. Plessaus in Historia Papatus, Whitakerus, Junius, Danæus, Chamierus, Molinæus, Vignerius, Powelius, Downanus, Maresius, Medus, aliique non pauci, et novissime eruditissimus theologus et de Ecclesia Dei in causa ejus tuenda optime meritus, frater in Christo conjunctissimus D. Jurieu in lib. *Præjudiciorum contra Papatum*, et in *Complemento prophetiarum* ante annum evulgato, part. 1, ubi hoc argumentum ea accuratione et soliditate exequitur, ut post ejus messem vix ulli spicilegio locus detur.

XLI. Sed ut pressius urgeamus adversarios, libet hic nonnulla ex ipsis Pontificiis in medium afferre testimonia, qui ingenue agnoverunt Anti-Christum in Papa, et ejus Sedem in Sede Romana inveniri. Gregorius I., Pontifex ipse, circa annum 600, non obscure hoc insinuavit adversus Johannem Constantinopolitanum, qui titulum *Occumenici*, quem Papa proprium sibi esse voluit, usurpabat, in Epistola ad Mauritium Imperatorem, lib. iv. epist. 30, "Ego autem fidenter dico, quod quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in sua elatione Antichristum præcurrit, quia superbiendo cæteris se præponit," &c. Et epist. 36, "Rex superbiæ prope est, et quod dici nefas est, sacerdotum præparatus est ei exercitus, quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerunt, ut ducatum præberent humilitatis." Circa finem seculi decimi luculentum extat testimonium Arnulphi Episcopi Aurelianensis in Synodo Rhemensi, qui miserrimum Ecclesiæ sui temporis statum deflens, "O lugenda," inquit, "Roma, quæ nostris majoribus clara patrum lumina portavisti, nostris temporibus monstrosas tenebras futuro seculo fumosas effudisti." Et post mentionem factam variorum Pontificum corruptissimorum, quales fuerunt Octaviani, Bonifacii, aliaque id genus monstra hominum, ut vocat, qui Sedem a centum annis occupabant, concludit tandem, "Quid hunc, Reverendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea et aurea radiantem, quid hunc," inquam, "esse censetis? Nimirum si charitate destituitur, solaque scientia inflatur et extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens et se ostendens tanquam sit Deus." Hæc erant secula ferrea et plumbea, de quibus Baronius ad annum 900 queritur, in quibus impotentissimæ dominabantur meretrices Theodora et Marozia, et monstra in Sedem intrudebant, et Genebr. in lib. v. Chronic. fatetur, "Per annos fere 150, Pontifices circiter quinquaginta a Joanne scilicet VIII. usque ad Leonem IX. a virtute majorum prorsus defecisse, Apotacticos, Apostaticosque potius quam Apostolicos." Gregorii VII. tempore, quo imperium Antichristianum ad ακμην pervenit, quod contigit seculi undecimi initio, non pauci illorum temporum idem aperte testati sunt, referente Aventino Anna. lib. v. "Plerique pro concione," inquit, "Gregorio maledicunt, Hil-

debrando male precantur, ipsum Antichristum esse prædicant, pietatis sub specie, inquiebant, debacchatur, honestis nominibus bonum publicum simulat, titulo Christi negotium Antichristi agitat, in Babylonia in templo Dei sedet, super omne id quod colitur extollitur, quasi Deus sit, se errare non posse gloriatur," &c. Fredericus II. Imperator de Pontifice non aliter loquitur seculo decimo tertio apud Petrum de Vineis lib. i. de Episto., ubi asserit " Papam esse Bestiam e mari egredientem, magnum Draconem mundum seducentem, et Antichristum," &c., quod confirmat in epistola ad Germaniæ Principes, apud Aventinum lib. vii. Memorabile inprimis est testimonium Eberardi, Salisburgensis Episcopi, qui in Conventu Ratisbonensi multis probat omnes characteres Antichristi in Papa inveniri, apud eundem lib. vii. Præfatus Christum tesseram nobis, qua a cæteris dignosceremur, studium pacis reliquisse, " Summo opere," inquit, "admonuit quoque, uti falsos Christos, falsos prophetas vitaremus, qui tecti pelle ovium, nimirum Christiano nomine, atque Pontificio titulo, nobis dominari atque illudere cuperent. Quos ex spinis atque operibus nimirum avaritia, luxu, contentione, odio, invidia, bellis, dominandi libidine, ambitione cognosci oportere. Quidnam apertius hisce verbis, quam Babylonis Pharisæos atque Scribas cœlestis Imperator indicavit? sub Pontificis maximi titulo, Pastoris pelle lupum sævissimum, nisi cœci sumus, sentimus, &c. Hildebrandus ante annos centum et septuaginta, primus specie religionis Antichristi imperii fundamenta jecit, hoc bellum nefandum primus auspicatus, quod per successores usque continuatur," &c. Qui servus servorum est, Dominus Dominorum, ac si Deus foret, esse cupit, sacros cœtus, atque concilia fratrum, imo Dominorum suorum aspernatur, &c. Ingentia loquitur, quasi Deus esset, nova consilia sub pectore volutat. Ut proprium sibi constituat imperium, leges commutat, suas sancit, contaminat, diripit, fraudat, occidit, perditus homo ille, quem Antichristum vocare solent, in cujus fronte contumeliæ nomen scriptum, *Deus sum, errare non possum*, in templo Dei sedet, longe lateque dominatur," et alia plura id genus habet, quæ ibidem legi possunt. Longum foret referre omnia testimonia, quæ sequentibus seculis de hac veritate prodierunt, sive apud Petrarcham, Marsilium Patavinum in defensore Pacis, part 2, Nicolaum de Clemangis de corrupto Ecclesiæ statu, Alvarem Pelagium, Theodoricum a Niem, Mantuanum, Vesselum, Groningensen, et alios non paucos, quæ ut ab aliis collecta jam omittimus. Hoc unum nobis sufficiat hinc observasse, non novitiam, et inauditam esse nostrorum de Antichristo sententiam, sed a multis seculis in ipsius Ecclesiæ Romanæ sinu cognitam et sæpius propositam.

XLII. Non desinunt tamen adversarii in contrarium niti, et nihil non moliri ad veritatem istam clarissimam obscurandam, his potissimum rationibus fulti. Primo, Antichristum hominem singularem et unicum futurum, qui sub finem mundi demum revelandus sit, post prædicationem evangelii per totum orbem, Matth. xxiv. 14, et imperii Romani desolationem, et per tres annos cum dimidio sit duraturus. Secundo, futurum origine Judæum, qui instauraturus sit templum, et restituturus circumcisionem, Sabbathum, et alias cæremonias legales. Tertio, Henochum et Eliam venturos, qui se ipsi opponant, qui per *duos Testes* designentur de quibus Apoc. xi. Quarto, abnegaturum Christum ejusque Incarnationem, 1 Joh. ii. 22, et oppugnaturum omnia Salvatoris nostri instituta. Quæ cum de Papa dici nequeant, non debere etiam ipsum Antichristum censeri. Quinto, Patres hic procul a nobis abire; et non paucos esse, qui locum Pauli de Caligula et Simone Mago, et Apo-

calypsim de Trajano, Apollonio, et Domitiano intelligendum censeant.

XLIII. Nam ad primum quod attinet, falso supponitur Antichristum debuisse esse unam personam singularem, cum *successive* tantum et *repræsentative* una, non *numerice* unica, dici possit; quomodo ὁ κατεχων apud Paulum Rom. imperatorem in communi denotat, seu statum imperii, non unum aliquem imperatorem in singulari. Sic *unus* aliquando significat unum certum individuum, sive unicum hominem singularem, aliquando unam in corpore civili vel ecclesiastico personam nunquam morientem, quæ non est homo unicus singularis, sed singularium hominum continuata in eodem statu sibi invicem succedentium series. Quo posteriori sensu tantum, non priori, dicimus Antichristum esse unum. 1. Quia mysterium Antichristi jam tempore Apostoli operabatur, 2 Thess. ii., quod oportuit retinere ne revelaretur, quod dici non potuisset, si unica demum futura erat persona. 2. Quia debuit esse auctor et caput insignis et quasi catholicæ apostasiæ, ex 2 Thess. ii. 3, Apoc. xiii. 16, quod non est opus unius hominis, aut unius seculi, sed plurium. 3. Quia quæ in Scripturis sub typis Bestiarum mystice describuntur, non sunt singularia individua, sed singuli bestialium hominum status. Sic *quatuor Bestiæ*, Dan. vii., sunt quatuor regna, Assyrium, quod per Leonem, Persicum, quod per Ursum, Macedonicum, quod per Pardum, et Romanum, quod per Bestiam terribilem notatur. Sic c. viii. *Aries* notat reges Medorum et Persarum; *Hircus* reges Græcorum. 4. Septem capita Bestiæ septicipitis non sunt septem principes singulares Rom. status, sed totidem principatus, seu præcipuæ regiminis formæ quæ obtinuerunt. Antichristus vero debuit esse ultimum istius Bestiæ caput, non ergo unicus et singularis princeps, sed principatus et imperium. 5. Quia status ejus vocatur *Babylon*, et *Civitas magna*, quæ a pluribus sibi succedentibus regi debuit, quorum gesta non cadunt in unius hominis vitam, ut spiritus Antichristi non in uno clauditur individuo, sed in multa extenditur, 1 Joh. ii. et iv. Denique quia revelandus fuit sublato Romano imperio, et abolendus tantum illustri adventu Christi, quod durationem non unius hominis sed plurium necessario postulat.

XLIV. Nec contrarium evincitur, vel ex loco, Joh. c. v. 43, ubi Antichristum volunt designari per αλλον, qui venit nomine suo, quia hoc notat indefinite quemlibet, qui suo nomine, non missus a Deo, venit, utcunque missionem divinam prætendat, non unum singularem. Maldonatus, *quisquis alius*; Salmero, *De quocunque potest intelligi.* Jansenius *sæpius hoc impletum fuisse* ait. Vox αλλος nunquam individuum certum notat, nisi addito articulo, vel ex diserta circumscriptione, Matth. v. 39, obverte illi και την αλλην, id est alteram; Joh. xx. 8, ὁ αλλος μαθητης, *alius ille discipulus*; Matth. iv. 21, vidit αλλους δυο αδελφους, *alios duos fratres.* Antithesis vero nihil concludit; etsi enim *ego* et *alius* opponantur, et *ego* significet unam certam et individuam personam, non est necesse per *alium* intelligi pariter unum definite. Joh. xxi. 18, *Alius te cinget*; hic *alius* non unum definite, sed indefinite notat. 1 Cor. iii. 10, "Ego ut peritus architectus fundamentum posui, alius vero super ædificat," id est *quivis* indefinite. *Unus* etiam *multis* opponitur; pastor bonus, furibus, lupis. Nec, si Christus unicus est, unicus tamen debet esse Antichristus illi oppositus. Quia Christus caput Ecclesiæ suæ unicus est, quia immortalis, ac proinde sacerdotium habet αδιαδοχον; Antichristus, caput suæ Ecclesiæ, non est unicus aliquis homo immortalis, sed singulorum quorundam mortalium in eadem sede successio. Nequicquam etiam unitas numerica et individualis Antichristi colligitur ex

articulo præpositivo qui opponitur ab Apostolo, 2 Thess. ii. 3. et 8, ὁ ἀνθρωπος ἁμαρτιας, ὁ ἀνομος, quia sæpe articulus indefinito subjecto præponitur, non minus ac definito; Matth. xii. 35, ὁ ἀγαθος ἀνθρωπος, ὁ πονηρος ἀνθρωπος, indefinite de quolibet homine bono aut malo, non definite de unico; Marc. ii. 27, ὁ ἀνθρωπος, homo non est propter sabbathum. Sic sæpe alibi. Rursus si articulus aliquid certi et definiti significat, non est statim unicum individuum, sed id de quo expresse et determinate est sermo, ne aberret animus et vagetur oratio, sive sit singularis persona, sive genus quoddam aut species, quomodo ὁ κατεχων non unicum imperatorem sed imperium Romanum in genere notat, et ὁ βασιλευς in regno, non individuum, sed certæ alicujus regionis regem notat. Denique articulus sæpe non tam apponitur διακριτικως, quam δεικτικως et ἐξαιρετως, ad significandum id quod in unoquoque est magis insigne et notabile, sive in bono sive in malo, quod de eo κατ' ἐξοχην dicitur, ut ὁ πειραζων, ὁ πονηρος, Diabolus vocatur, licet homines etiam mali et tentatores dentur. Hoc sensu recte ὁ ἀνομος et ὁ ἀνθρωπος ἁμαρτιας dicitur Antichristus.

XLV. Gratis etiam fingitur, Antichristum sub finem tantum mundi revelandum, cum jam Pauli tempore nefandi istius mysterii tela texeretur, et eventus doceat jam impleta esse quæ de ipso prædicta fuerant. Neque hoc vel ex prædicatione evangelii per totum orbem, de quae Matth. xxiv., colligi potest, quia non agitur de adventu Antichristi, sed vel de fine seculi, vel de excidio Hierosolymitano, ante quod debuit evangelium prædicari per totum orbem, quod suo tempore jam contigisse Paulus testatur, Col. i. 6; vel de desolatione imperii Romani, quam jam ante multa secula contigisse supra probatum est; vel
1 Tim. iv. 1. ex eo quod *novissimis temporibus* excitandus dicitur, quia notum est diversimode novissima tempora in Scriptura usurpari, aliquando pro *fine temporis*, quo sensu ἐσχατη ἡμερα, ultima dies, notat diem resurrectionis et finem mundi, Joh. vi. 39, et xi. 24, 1 Pet. i. 5, aliquando pro tractu aliquo et *duratione temporis*, quomodo tempus Novi Testamenti a primo Christi adventu usque ad secundum solet designari per *tempora novissima* absolute, passim in Novo Testamento, Act. ii. 17, Heb. i.
1 Joh. i. 18. 1, 1 Pet. i. 20, quia est ultima Dei dispensatio, post quam nulla alia expectanda est, sed sola æternitas. Sed quia duratio illa varias debuit habere periodos; ideo ultima periodus specialiter et comparate vocatur *novissimum tempus*, id est, temporum ultimorum novissimum, quo sensu Paulus, 1 Tim. iv.1, dicit apostasiam fore *novissimis temporibus*, ἐν ὑστεροις καιροις, et 2 Pet. iii. 3, ἐπ' ἐσχατων των ἡμερων, extremis diebus venturos irrisores. Sed ista novissima tempora non statim immediate et paucis tantum annis ultimum judicium sunt præcessura, sed designant memorabile aliquod temporis intervallum, quod finem mundi præcedere debuit. Unde licet Antichristus oriturus diceretur tantum novissimis diebus, non statim inde colligi potest, quod paucis demum annis finem mundi præcessurus sit, ut vellent Pontificii, sed tantum quod in periodo temporis ultima sit manifestandus.

XLVI. Hoc vero certius confirmabitur, cum responsum fuerit ad objectionem adversariorum de *duratione Antichristi*, quam tribus annis cum dimidio circumscribunt ex Apoc. xii. 6, ubi mulier dicitur mansura in deserto per mille ducentos ex sexaginta dies, et c. xiii. 5, ubi bestiæ dicitur data potestas bellum faciendi sanctis per 42 menses. Sed perperam ista exponuntur, quasi historice de diebus naturalibus ageretur secundum literam, cum certum sit ista intelligenda esse mystice ex stylo prophetarum de *diebus propheticis*, qui totidem sunt anni, quo sensu 70

septimanæ Danielis ponuntur pro septimanis, non dierum, sed annorum. Nec res obscura est, si ea, quæ Antichristus peragere debuit, attendantur, quæ tantillo temporis spatio perfici non potuerunt. Debuit scilicet ex sententia Pontificiorum totum orbem subigere, Christianos omnes profligare, cultum omnem religionis Christianæ abolere, Hierosolymam cum templo denuo extruere, Gog et Magog secum jungere, et alia id genus, quæ tam brevi intervallo posse peragi nemo dixerit. Et cum ex rei veritate testetur Spiritus Sanctus, quod regna decem eodem tempore oritura sint cum bestia; 2. Populi et nationes innumeræ eam sint adoraturæ; 3. Quod bellum gerere cum sanctis debeat, et eos vincere; 4. Quod omnes terræ incolas ad sui cultum compellere debeat, non armorum vi, sed seductionis artibus; 5. Quod meretrix tamdiu insidere debeat bestiæ, donec, vino scortationis ejus inebriatis omnibus terræ incolis, cum ea scortentur reges, et mercatores opibus delitiarum ejus ditescant, quis non videt hæc omnia opus esse non duorum vel trium annorum, sed longe majoris spatii, quomodocunque tempus hoc intelligatur, vel indefinite, ut quibusdam videtur, vel definite, ut aliis placet?

XLVII. Quod ulterius affertur de *origine Antichristi*, quod sit futurus Judæus, ex tribu Dan oriundus, merum est figmentum a nonnullis veterum sine ulla ratione excogitatum, cui ne ipse quidem Bellarminus multum tribuit. Nam si Judæus debuit esse, quomodo diceretur per apostasiam defecisse a fide, quam nunqum habuit, et sedere in Ecclesia in qua nunquam fuit? Quam autem sit futile et infirmum, quod dicitur ex tribu Dan oriundus, quia, Apo. vii. 4, non fiat mentio istius tribus inter 144 mille signatos, res ipsa docet; nec diffitetur Emanuel Sa, quum ait non posse dici cur omissa sit. Quod vero pertendunt Antichristum Hierosolymis sedem suam habiturum, et ibi instauraturum templum, et restituturum cæremonias legales, repugnat verbis Christi, qui templum Hierosolymitanum nunquam esse denuo ædificandum docet, Matth. xxiii. 38, et xxiv. 2, Luc. xix. 44, et Scripturæ, quæ cultus Levitici abrogati semel per evangelium restitutionem nuspiam tradit. Templum ergo, in quo sessurus dicitur Antichristus, non potest esse templum Hierosolymitanum æternæ desolationi devotum, sed Ecclesia Dei, quæ passim hoc nomine venit in Scriptura, quam erat invasurus, et sacerrimam suam sedem in illa collocaturus, ut supra probatum est.

XLVIII. Non melioris est commatis fabula de *Enocho* et *Elia*, qui e Paradiso in orbem redituri sint sub finem mundi, ex Gen. v. 24, et Malach. iv. 5, et publice se opposituri Antichristo, et ab eo interficiendi, sed triduo post cunctis videntibus resurrecturi, et in cœlum assumendi, Apoc. xi. 3; meram enim fabulam esse vel ex eo constat, quod altum de eo sit in Scriptura silentium, quæ de eorum translatione in Paradisum plane tacet. De Enocho quidem dicit, quod, postquam ambulavit cum Deo, id est, pie et sancte in mundo vixit, non visus sit amplius, quia Deus eum ad se recepit, nimi. in cœlum, ne videret mortem. Nec locus Ecclesiastici xliv. 26 aliud docet, Vulgata quidem versio habet, quod "translatus sit in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam;" sed Græca aliter sonant, dicitur tantum quod μετετεθη ὑποδειγμα μετανοιας ταις γενεαις, ut esset "exemplum pœnitentiæ generationibus posteris," ut hoc exemplo sapere discerent, et pari gloria fruerentur. Elias vero expresse dicitur in *cœlum translatus*, 2 Reg. ii. 11, ubi mortalitate exuta, immortalitatem induit, nec ulterius morti obnoxius esse potuit, ut vel neci possit tradi ab Antichristo, vel resurrectione opus habeat. Nec hoc commentum potest ex Apoc. xi. 3 elici, ubi mentio fit *duorum Testium*

occisorum, et postea vivificatorum, quia Testes isti non alii sunt, quam pauci illi pii evangelicæ veritatis assertores, ante tempora Reformationis divinitus excitati ad resistendum Antichristo, qui in primis Reformatoribus reviviscere visi sunt. Nec Elias personalis, sed mysticus, apud Malachiam intelligitur, qui jamdudum venit in persona Joannis Baptistæ, ex Christi declaratione, Matth. xi.

XLIX. Ad quartum resp. Abnegationem Christi et ejus oppugnationem esse vel *apertam* et *explicitam*, quoad externam professionem, vel *implicitam* et *occultam*, quoad rei veritatem. Antichristus debuit abnegare Christum non primo, sed secundo modo, dissimulatus Christi hostis esse debuit, qui, prætenso Christi nomine, dominaretur in Ecclesiam ipsius, et Christi personam, officia, et beneficia reipsa oppugnaret. Non ergo hic expectandum, ut Antichristus se Christi hostem profiteatur, sed ut talem se reipsa exhibeat, nec ut se Christum jactet, quod faciebant pseudo-christi, sed ut revera quæ Christi sunt sibi vindicet, quod Papam facere supra probatum est. Quod Augustinus in hunc locum bene observat, "Non attendamus ad linguam, sed ad facta. Item magis mendax est Antichristus, qui ore profitetur Jesum Christum, et factis negat." Cum ergo Papa triplex officium Christi ad se rapiat, ejus evangelium suis traditionibus, et ejus redemptionem suis indulgentiis, purgatorio, missis, meritis pessundet, etsi ore profiteatur adhuc Jesum esse Christum, tamen illum una cum Patre factis et operibus negasse censendus est. Porro quod addunt Pontificii, "Antichristum aboliturum sacrificium missaticum, et baptismi abnegationem" introducturum, nuspiam dicitur. De Antiocho quidem prædicitur apud Danielem c. xi. 31, quod sacrificium juge quod sub Lege quotidie offerebatur, esset aboliturus, quod reipsa etiam præstitit. Cui hac in parte optime respondet Antichristus, non quidem sacrificium missaticum abolendo, sed per ejus institutionem et observationem idololatricam, tollendo juge sacrificium Ecclesiæ, infringendo scilicet vim et efficaciam sacrificii a Christo pro nobis semel oblati, et spiritualem et rationalem Novi Testamenti cultum a Deo institutum evertendo, ad introducendum cultum idololatricum *Dei Maozim*, de quo Angelus loquitur apud Danielem c. xi. 38; quod ut a plerisque intelligitur respectu *Antiochi* de *Jove Olympio*, qui Deorum princeps et potentissimus habebatur, quem in templo Hierosolymitano posuit, ut populum ad illius cultum cogeret, 2 Macab. vi. 2, ita respectu *Antichristi* non incommode refertur ad idololatriam Romæ, tum erga Deum Missaticum, qui revera ignotus erat Patribus, tum erga Angelos et Sanctos, quos tanquam protectores et auxiliatores, ac ὑπερασπιστὰς colunt, et honorant, auro, argento, et rebus pretiosis, id est, magnifice et cum externa pompa ac donariis amplissimis, ut solenne est apud Pontificios, quomodo vox מעז vertitur a lxx. per ὑπερασπιστὴν, et a Vulgato per *protectorem*, Psalm. xxvii. 1, et xxviii. 8, et xxxi. 2, 4.

L. Ad quintum de *Patribus* resp. non fuisse prophetas, sed interpretes proposuisse tantum quid suspicabantur, non quid certo esset statuendum, ut August., lib. xx. de civitate Dei cap. 19, observat. Nec mirum, si rerum eventu facem vaticiniis nondum præferente sæpe fluctuaverint et multa hic a veritate aliena conjectarint, cum constet omnibus, longe facilius esse impleta observare, quam implenda prædicere, quia hoc est revelationis divinæ, quæ paucis competit, illud vero experientiæ in medio positæ. Unde si nuspiam Patres in controversiis debent sedere Judices, multo minus in hac quam in aliis quibusvis, quæ non illorum, sed nostrorum fuit temporum. Quod si qui sint inter doctos,

qui loca Pauli et Joannis alio detorquere conati sint in gratiam Pontificis, quod præ cæteris Hugo Grotius, vir eruditione conspicuus, sed dubiæ semper in religione fidei, novo et hactenus inaudito commento tentavit; præterquam quod ab ipsis Pontificiis non recipitur, qui loca nobiscum de Antichristo intelligunt, talis figmenti vanitas abunde a nostris demonstrata est, et præ cæteris solidissime a celeb. Maresio, ut non opus sit in eo refellendo nunc immorari. Cum vero ex dictis liqueat, nobisque sit persuasum, Papam esse Antichristum, summe necessariam fuisse nostram ab ejus communione secessionem, et impossibilem plane, rebus sic stantibus, nostrum cum ea syncretismum esse, merito concludimus.

DISPUTATIO OCTAVA,

ET ULTIMA, IN QUA OBJECTIONES SOLVUNTUR.

DISPUTATIO OCTAVA,

ET ULTIMA, IN QUA OBJECTIONES SOLVUNTUR.

Respondente EMANUELE WURSTEMBERGERO *Bernensi.*

I. Versati fuimus hactenus in examine præcipuorum argumentorum, quibus nostræ ab Ecclesia Romana secessionis necessitas, et syncretismi cum ea ἀδυναμία adstruitur, et justissimas ac gravissimas causas majores nostros habuisse ab illa exeundi, nos vero nullas ad eam redeundi habere posse, probatum dedimus. Ordo jam postulat, ut ἀνασκευὴν etiam instituamus rationum præcipuarum, quibus οἱ ἐξ ἐναντίας contra secessionem et pro syncretismo pugnant. Nec enim defuerunt superiori seculo, vel desunt hoc nostro tam theologi quam politici, qui secessioni nostræ temeritatis et injustitiæ crimen impingunt, quique sub specioso pacis prætextu, sed revera ut rebus suis et commodis consulant, nostrum ad Romam reditum urgere non desinunt, et honestum in speciem, sed reipsa turpissimum et exitiale syncretismi consilium suadere conantur.

II. Quia vero multiplici argumentorum genere utuntur, ea in duos ordines dispescemus. Primo, expendemus illa, quibus secessionem nostram injustam, et temerariam, atque adeo vere schismaticam fuisse probare contendunt. Secundo, excutiemus alia, quæ syncretismum, ut justum et possibilem, commendant. Et ut de prioribus dicamus primum; ex eo potissimum schismaticam esse secessionem nostram evincere satagunt. Primo, quod ab Ecclesia vera defecerimus. Si a vera Ecclesia, inquiunt, nemo potest secedere sine schismatis nota, non potuimus ab Ecclesia Romana secedere, quin in schismatis crimen incideremus, quia vera fuit Christi Ecclesia. Veram autem fuisse probant, 1. Quia retinet præcipua veræ religionis fundamenta, quibus fides nostra superstruitur, et salus constat, puta verbum Dei et publicam ejus prædicationem, symbolum apostolicum, decalogum, orationem dominicam, quibus continetur summa credendorum et faciendorum; 2. Retinet sacramentorum, et baptismi inprimis usum, qui quoad substantiam saltem integer servatur, ex nostra etiam hypothesi; 3. Quia fuit olim vera Ecclesia, ergo et nunc esse debet, alias evanuisset promissio Christi, firmitatem Ecclesiæ adversus inferorum portas spondentis; 4. Si Ecclesia Romana defecisset a pristina majorum fide, ostendi possent auctores, et tempora ac momenta, quibus introductæ sunt tales corruptelæ et factæ mutationes; quod cum fieri nequeat, non posse dici ullam talem factam esse mutationem.

1. Objectio de Schismate.

III. Sed non difficile est nodos istos solvere. Primo, damus libenter adversariis, ab Ecclesia vera nunquam esse secedendum, et merito in schismatis crimen incurrere, qui veram Ecclesiam quocunque demum prætextu deserunt. Cum enim unica sit Ecclesia, extra quam nulla est salus, ut nulla fuit extra Arcam, quæ illius fuit symbolum, nec possit Deum habere Patrem in cœlis, qui Matrem Ecclesiam in terris non habeat, nemo potest ab ejus communione recedere, quin eo ipso a communione Dei et Christi sese separet, atque adeo ab omni salutis participatione exclusus maneat. Sed negamus propterea ab Ecclesia Romana non fuisse secedendum, quia supponitur πρῶτον hoc ψεῦδος, quod in tota hac Disputatione subinde recurrit, Ecclesiam Romanam unam esse veram illam Ecclesiam, quæ nunquam debet deseri. Cum vero hoc falsissimum esse in præcedentibus variis rationibus sit demonstratum, ex eo etiam liquet nec injustam, nec temerariam fuisse aut schismaticam nostram ab ea separationem. *Schisma* enim *non facit separatio, sed causa*, ut bene monet Cassander, l. de *offi. viri pii.* Et ut vera Ecclesia deseri non potest sine schismate, ita in falsa et apostatica nemo potest manere sine crimine. Ut non quævis secessio in religionis negotio est vitiosa et culpanda, et quædam non modo licita est, sed et necessaria et indispensabilis, ita non quævis communio Ecclesiæ est probanda, sed ea demum, quæ potest consistere cum communione Christi et fundamento salutis. Si ergo nobis sit persuasum, ut est persuasissimum, talem esse communionem Ecclesiæ Romanæ hodiernæ, nemo non videt, necessario nobis ab ea secedendum fuisse, ut saluti nostræ iremus prospectum.

IV. Verum ut facilius cavillationes adversariorum, quas hoc in negotio nectere solent, discutiamus, observandum Ecclesiam posse spectari, vel respectu *fidei*, et quoad *statum internum* et *invisibilem*, (quatenus est corpus Christi mysticum, et cœtus verorum fidelium et electorum, sine ulla hypocritarum et profanorum mixtura,) vel quoad *statum externum* et *visibilem*, et respectu *professionis*, quatenus est cœtus vocatorum, qui eandem fidem et religionem profitentur. Priori respectu certum est, secessionem omnem ab Ecclesia illa, quæ est corpus mysticum Christi, esse injustam et illicitam, quia necessario post se traheret secessionem omnem a Christo, et salutis privationem. Sed posteriori damus non esse abrumpendum temere vinculum communionis externæ cum cœtu aliquo visibili vocatorum, dum fundamentum salutis, sive quoad fidem, sive quoad cultum, retinet. At si contingat, ut cœtus ille quoad majorem sui partem, relicta puriori fide, errores capitales foveat, et idololatriam in cultu præcipiat; nec modo monitores spernat, sed ferro et flammis eos persequatur, et ad eosdem errores profitendos et cultum idololatricum præstandum per vim adigat; separatio non modo licita est, sed justa, necessaria et indispensabilis, quia non possemus in communione talis ecclesiæ apostaticæ manere, nisi nuncium remittendo Christo, et ejus veritati, quo nullum gravius crimen dari potest. Hunc autem fuisse statum Ecclesiæ Romanæ, e qua majores nostri exierunt, hactenus pluribus argumentis confirmavimus. Unde, si ab ea facta fuit secessio, non tam fuit secessio ab Ecclesia, quam secessionis terminus, et ad veram Ecclesiam Christianam, imo antiquam illam Romanam, cujus fides toto orbe celebrabatur, a qua hodierna defecit, regressio.

V. Nec huic verissimæ sententiæ intercedere possunt quæ pro veritate Ecclesiæ Romanæ afferuntur rationes. Non prima, quod *retineat veræ religionis fundamenta.* Nam 1. Non statim qui retinent utcunque veræ religionis fundamenta, vera sunt Ecclesia. Jeroboam non evertit omnia re-

ligionis fundamenta, qui tamen Israëli defectionis fuit auctor. Pharisæi retinebant plurima religionis fundamenta; nec tamen poterant dici vera Ecclesia. Pseudapostoli profitebantur se Christianos, et se doctrinam Christi observare gloriabantur, qui dicuntur tamen non retinere caput, Col. ii. 19, et excidisse a Christo, Gal. v. 4; ita licet Ecclesia Romana retineat varia religionis fundamenta, non propterea veræ Ecclesiæ nomen potest sibi arrogare. Nec mirum, quia cornua Agni debuit retinere Antichristus, ut facilius simplicioribus imponeret. Nec Satan iniquitatis mysterium concipere et edere potuisset, nisi mysterii pietatis fuco palliatum; nec homo peccati se apostatam, et filium perditionis, ac verum Antichristum prodidisset, nisi in templo Dei, Ecclesia scilicet Christiana, quæ doctrinam Christi retinere se profitetur, sedem suam locasset. Ideo *Ecclesia Romana* sub duplici σχεσει potest spectari, vel qua *Christiana*, vel qua *Papalis*, vel qua aliquid adhuc veri retinet ex parte Christi, vel qua recepit errores et corruptelas Antichristi. Secessio non facta est ab ea ut Christiana, hactenus enim cum ipsa sentire et credere nos profitemur quod ex verbo Dei retinet, sed qua Papali, quia nolumus admittere errores et idololatrias veræ doctrinæ superinductas.

VI. 2. Aliud est, fundamentum retinere *ore tenus* et *quoad professionem*, aliud *corde* et *quoad veritatem*; aliud retinere utcunque, aliud purum et illibatum servare absque ulla contrarii mixtura; aliud retinere ex parte, aliud integrum et solum, sine ulla additione vel detractione. Damus Ecclesiam Romanam retinere fundamentum priori sensu, sed negamus posteriori. Quid vero juvat substantiam religionis et fundamentum nomine tenus profiteri, si reipsa adulteres et corrumpas erroribus variis capitalibus? Ut licet aurum et argentum in improba et adulterina moneta remaneant, non minus tamen illa rejicitur, quia cupro et stanno miscentur. Quid juvat fundamentum habere, si illud vel alio fundamento subvertas, aut illi idolum imponas? Veritas fundamenti ex unitate ejus et integritate pendet; ubi unicum et totum non habetur, ibi omnino non habetur. Ut Christus non dividitur, 1 Cor. i. 13, ita nec evangelium ejus, "Nullum aliud fundamentum poni potest præter positum, Christum Jesum," 1 Cor. iii. 11. Unde evertitur non modo detractione et oppositione directa, sed et additione, maxime si additio illa sit corruptiva fundamenti, tunc enim quod additur et apponitur, opponitur, et quod videtur tantum *præter*, est etiam *contra*. Hinc Paulus vetat nos sapere παρ ὁ γεγραπται, "præter id quod scriptum est," 1 Cor. iv. 6, et anathemate percutit eum, qui voluerit "evangelizare παρ ὁ, præter id, quod evangelizatum est," Gal. i. 8. Hoc autem in Ecclesia Romana locum habere quis non videt? quæ hic peccat non modo *detractione*, negata sufficientia et integritate Scripturæ, inducto secundo decalogi præcepto, ablato laïcis calice eucharistico, &c, sed etiam *additione*, articulos fidei multiplicando pro lubitu, et ea dogmata proponendo, quæ cum articulis fundamentalibus plane sunt ασυστατα. Sic fundamentum fidei est Scriptura Sacra, sed quam misere illam corrumpunt, sensum ejus pervertendo, auctoritatem, perfectionem, perspicuitatem, integritatem, &c. vellicando, et traditiones αγραφους, quæ pari pietatis affectu sint cum ea recipienda, addendo! Fundamentum est Christus, Mediator noster unicus apud Deum, sed quomodo illum retinent, qui alios mediatores cum ipso nobis obtrudunt, aliud caput et fundamentum Ecclesiæ, alia merita, aliud sacrificium propitiatorium, aliam intercessionem, aliud purgatorium, &c. Quid est *evertere fundamentum*, si hoc non est? Ita si de cultu Dei agitur, licet fateantur Pontificii Deum esse colendum, quia tamen huic fundamento

multiplex imponunt idolum in variis objectis cultus religiosi, quæ hic proponuntur, merito censentur hac in parte etiam addendo illud evertere. Frustra etiam dicitur apud ipsos remanere symbolum apostolicum, oratio dominica, et decalogus, si, verba profitendo generice, genuinum sensum tamen et veritatem specifice non retinent; quod facile ex singularum partium inductione colligi posset, si id nunc ageremus.

VII. 3. Si nomen veræ ecclesiæ non est denegandum illi cœtui, qui retinet veræ religionibus fundamenta, non possunt negare adversarii, Ecclesiam nostram veram esse, utpote quæ ex ipsorum etiam confessione talia fundamenta retinet. Nihil enim a nobis creditur quod ad articulos *affirmativos*, quod ab ipsis Pontificiis non recipiatur, licet non assentiamur illis omnibus, quæ credenda nobis imponunt. Unde controversiæ, quæ nobis cum illis de religione intercedunt, non versantur circa ea quæ credimus, talia enim sunt, ut de illis omnes veri Christiani tum veteres tum recentiores consentiant, et quæ nobiscum una fide suscipiunt et confitentur, (quod satis demonstrat, ut hoc obiter dicam, quam falsa sit et impudens eorum accusatio, qui religionem nostram vel novam ac recentem, vel privatam ac singularem esse criminantur) sed tantum circa alia doctrinæ capita, quæ illi statuunt, nobisque invitis credenda obtrudunt. Sic non quæritur inter nos an Christus Jesus sit noster apud Deum Mediator, vel an ejus mors sit sacrificium pro peccatis nostris, quæ nostra est fides, sed, an præter Christum dentur alii mediatores, et præter sacrificium crucis, detur aliud sacrificium propitiatorium incruentum; quod statuunt, nos negamus. Non quæritur, an Deus sit adorandus, quod agnosco; sed an adoranda sit hostia, quod nego. Non quæritur, an Christus sit caput Ecclesiæ, quod utrinque est in confesso, sed, an præter caput istud primarium, Pontifex possit esse caput secundarium, quod sanciunt adversarii. Ita si cætera controversiæ capita persequimur, facile est demonstrare, non agi de *articulis positivis* et *affirmativis*, quibus quid nos credamus definitum est et expositum, sed de *articulis negativis* et *exclusivis*, quibus non quid credamus, sed quid non credamus explicatur, quodque ab adversariis est additum. Cum ergo totalis nostra cum Pontificiis non sit de ullis fidei nostræ capitibus, quæ nobiscum omnia confitentur, sed de ipsorum tantum placitis, quæ nos non possumus admittere, quia cum verbo Dei pugnare censemus, ex eo colligitur clarissime, argumentum quo utuntur, ad veritatem Ecclesiæ suæ demonstrandam, non minori, sed potiori jure nostræ veritatem suadere, atque adeo adversarios hac in parte non posse juvare.

VIII. Quod vero de fundamentis religionis dictum est, idem etiam applicandum est *sacramentorum administrationi*, quæ secunda est adversariorum ratio. Fateor veram Ecclesiam eam esse, quæ cum pura verbi Dei prædicatione habet conjunctam legitimam et incorruptam sacramentorum administrationem, et si hoc apud Romanos obtineret, nemo negare possit ipsis veræ Ecclesiæ nomen. Sed quia sacramenta ista misere corrumpunt, non modo quinque spuria addendo, sed ea quæ a Christo sunt instituta, baptismum, et s. cœnam, variis modis vel substantialiter vel accidentaliter adulterando; ideo ex hoc etiam crimine defectionem eorum colligimus. Ad baptismum vero quod attinet, licet plures corruptelæ in eum introductæ sint, quia tamen ejus substantia illæsa mansit in Papatu per Dei gratiam, non rebaptizamus quotquot ad nos a Pontificiis accedunt. Sed verus baptismus non statim facit veram et puram Ecclesiam. Vera circumcisio et sacrificia uni Deo consecrata erant in Ecclesia decem tribuum, non ideo erat vera. Ecclesia hæretica verum potest habere baptismum, ut agnoscunt Patres, nec tamen minus propterea falsa est Ecclesia. Nec hoc possunt

diffiteri Pontificii, etiam ex sua hypothesi, dum baptismum nostrum agnoscunt esse verum, semel administratum non iterando, qui tamen Ecclesiæ veræ nomen nobis tribuendum esse acriter negant.

IX. Ad tertium resp. licet Ecclesia Romana fuerit olim vera Ecclesia, quum ad eam scripsit Apostolus, et fides ejus toto celebrabatur orbe, non sequitur eam veram esse etiamnum hodie; quasi privilegium infallibilitatis illi competat, ut nec erraverit unquam, nec errare potuerit, quod falsissime hic semper supponunt. Neque hic reponendum, sic inanes fore promissiones Ecclesiæ factas, quod supra petram sit ædificata, quodque portæ inferorum adversus ipsam non sint prævalituræ. Hæc enim et similia elogia Ecclesiæ catholicæ et invisibili electorum competunt, quæ nec deficit unquam, nec deficere potest totaliter. Sed male ad cœtum aliquem visibilem particularem applicantur, cum nullus talis detur, qui deficere non possit, et non paucos defecisse exemplis variis probari possit, et in Veteri et in Novo Testamento. Non quod vere fideles et electi unquam possint deficere vel totaliter vel finaliter, sed quia cœtus visibiles, in quibus degunt electi, possunt corrumpi eatenus, ut nec pura amplius obtineat verbi prædicatio, nec legitima retineatur sacramentorum administratio. Alias si ratio allata valeret, sequeretur, neque Ecclesiam Israëliticam potuisse unquam deficere, et fieri meretricem, quia fuerat antea vera Ecclesia; et Ecclesias Asiaticas, quæ olim fuerunt veræ Ecclesiæ Christi, esse etiamnum hodie tales, quod nemo non videt esse absurdissimum.

X. Verum dices, si aliqua hic mutatio contigit, debent ergo designari auctores, per quos, et temporum momenta, quibus facta est. Sed nulla est ratio quæ nos eo adigat; quasi in infelici seculi hujus conditione, in quo quotidie omnia in pejus ruere videmus, ac retro sublapsa referri, variæ non occurrant subinde mutationes, quarum neque tempus, neque locus, neque primi auctores accurate observari possunt? Quis enim ignorat Satanæ hunc esse astum, ut non interdiu sed noctu, dormientibus hominibus et non advertentibus, zizania sua serat? Quis nescit hanc esse novatorum artem, ut facilius venenum suum et errores insinuent, ut non aperte et palam, sed clam et subdole agant? ut difficile sit, ne dicam impossibile, prima momenta notare, quibus corruptio aliqua cœpit, licet tam sit aperta ut negari nequeat. Verum quid opus auctores vel tempora indicare, modo de rei veritate constet? An, ut probem te peste correptum esse, vel aliquo alio morbo, necesse est ut doceam, quo momento exitialis illa lues cœperit grassari; nonne sufficit ut ostendam indubitatis argumentis, te gravi hoc et lethali morbo laborare? et nonne ludibrium deberet, qui de principio morbi potius cogitaret, quam de remedio salutari, quod adhiberi debet ad ejus curationem? An, ut demonstrem te senem esse, opus est ut doceam, quo momento cœperint primæ apparere rugæ in facie, aut vires tuæ inclinari et temperamentum corrumpi? Nonne hic satis est, ut conferam corpusculum tuum jam exsangue et humi cernuum cum corpore tuo olim vegeto et florenti, ut evincam magnam in te factam fuisse mutationem? Licet ergo talium corruptelarum originis momentum indicari præcise non posset, non propterea sequeretur eas nullas esse, vel falso a nobis Ecclesiæ Romanæ tribui; quia non quæritur hic, quando talis facta fuerit corruptio, sed an revera talis deprehendatur, quod non ex historiæ veteris monumentis, sed ex status præsentis consideratione, colligi potest. Nec alia fuit Christi Domini nostri in redarguendis erroribus Scribarum et Pharisæorum agendi ratio. An ille vel auctores, vel locos, vel tempora, quibus tales errores invecti erant in Ecclesiam, recenset, quo tamen nemo melius hoc præstare potuit, qui omnia mutationum momenta noverat accuratissime? Nihil mi-

nus. Imo sola Scriptura contentus ad primum principium provocat, "Ab initio non fuit sic," Matth. xix. 8, vel, "Erratis, nescientes Scripturas," Matth. xxii. 29. Cur ergo ad scrupulosam istam temporis et cæterarum circumstantiarum notationem, quæ nihil ad rem faciunt, adstringeremur? Sufficit nobis ut ostendamus doctrinam Apostolorum a doctrina, quæ nunc obtinet in Papatu, δις δια πασων dissidere, et statum hodiernæ Ecclesiæ Romanæ multum differe ab antiqua, atque adeo ab initio non fuisse sic.

XI. Regeres forte, facilem esse istam temporis et auctorum mutationum designationem, quia ejusmodi mutationes in re tanti momenti fieri nequeunt sine magnis motibus; quando agitur de mutanda veteri fide, pro qua ut aris et focis disceptatur, et de nova et contraria introducenda. Sed neque hoc majoris est ponderis. Quis nescit mutationes istiusmodi, non semper magno cum apparatu et γυμνῃ τῃ κεφαλῃ, sed sæpius et ordinarie paulatim et sensim fieri, ita ut vix ac ne vix quidem præcise singuli earum gradus distincte observari queant, maxime quum tales mutationes non fiunt statim per veteris doctrinæ abrogationem, quod posset hominum animos commovere, sed per novæ nondum creditæ introductionem? Non per errorum crassiorum, qui in sensus facile possunt incurrere, propositionem; sed per occulti et a sensibus remoti dogmatis alicujus insinuationem. Non per publicam professionem inter omnes; sed per clancularíam et privatam intra paucos disseminationem. Non per cognitionem claram et distinctam; sed per cognitionem obscuram et confusam, quod hic contigisse constat: tunc enim facile imponitur hominibus, et insensibilis potest fieri mutatio. Hic itaque distinguenda sunt *errorum initia* et *primi gradus*, ab eorum *incrementis* et ακμῃ; tacita eorum et subdola inter paucos communicatio, et publica ac aperta eorum professio. Fateor posteriori sensu posse varios animorum motus excitare in Ecclesia, et dissidia ac contentiones parere; quod nimis contigisse omnium seculorum experientia testatur. Sed non par est ratio initii et primorum graduum eorum, ita enim sensim ac sine sensu fieri solent, ut non possint facile observari; Satana hac arte subdole utendo, ut incautos decipiat, et felicius ac commodius venenum suum exitiale instillet, et infelix lolium serat, dum homines citius immedicabile vulnus sentiunt, quam ut sciant se accepisse.

2. Objectio petita a defectu Successionis et Vocationis.

XII. 2. Contra secessionem nostram sic pugnant. Ab ea Ecclesia sine crimine non possumus secedere, quæ perpetuam et non interruptam habet successionem, ut ad eam nos recipiamus, quæ omni destituitur vocatione legitima. Nam si aliquam habuissent primi nostri Reformatores, vel fuisset *Ordinaria* vel *Extraordinaria.* Ordinariam non fuisse res ipsa clamat, quia nullum adhuc ministerium inter nos erectum erat; nec extraordinariam, quia miraculis debuissent eam confirmare, quod non fecerunt tamen. Cum E. nullam missionem habuerint, nullam etiam Ecclesiæ reformandæ auctoritatem habuisse, atque adeo nullas vocationis suæ notas dare posse, quod tenentur tamen ut audiantur; veram enim eam Ecclesiam esse non posse, quæ falsam missionem habet. Ut responsio clarius pateat, quia duplex difficultas hic attingitur, prima de *perpetua successione*, altera de *Reformatorum nostrorum vocatione*, quas ad ravim usque solent nobis objicere, paulo distinctius de utraque nobis est agendum. Et ut de *successione* perpetua dicamus primos. Cum multiplex possit esse *successio*, vel *personarum* et *locorum*, vel *doctrinæ* et *rerum*; vel *naturalis* ratione carnis, vel *politica* ratione munerum, vel *spiritualis* ratione fidei; videndum quænam hic successio debeat obtinere. Et naturalem quidem ac politi-

Successio personalis vel localis non est necessaria, sed tantum doctrinalis.

eam nemo dixerit locum hic habere debere, ut nec personalem et localem. Nam ita Judæi increduli et profani succedebant piis patribus, dum ab ipsis oriundi erant. Scribæ et Pharisæi succedebant veris doctoribus, qui tamen seductores erant et veritatis hostes acerrimi. Sic Ariani succedebant Orthodoxis; sic tenebræ luci, morbus sanitati, tyrannus pio principi succedit. Sola ergo hic *successio fidei* et *doctrinæ* attendenda est, absque qua cæteræ omnes successiones vanæ sunt et exitiales. "Cathedræ successio nihil successionis præter nomen habet, sed idem sentiendi successio veritatem," inquit Gregor. Nazianz. in Matth. xxiii. Illi demum in cathedra Mosis sedent, qui doctrinam Mosis docent; nec habent hæreditatem Petri, qui fidem ejus non tenent. Quamvis ergo Ecclesia Romana successionem vel personalem, vel localem haberet, frustra esset, nisi successionem doctrinæ et veritatis, qua ipsam destitui pertendimus, haberet. Ne jam dicamus successionem etiam personalem sæpissime in Papatu interruptam esse per schismata et dissidia horrenda, quibus laboravit, et per simoniacam variorum Pontificum in Sedem illam pestilentiæ intrusionem, quæ inanem esse ipsorum de successione non interrupta gloriationem evincunt. Sed si apud nos Apostolica doctrina retinetur illibata, cur successionis præjudicio gravare nos volunt, cum penes nos vera et legitima, non penes ipsos, sit successio. Quod si negare velint adversarii, ad examen doctrinæ veniendum erit, quod tanto molimine refugiunt.

Quanta sit necessitas quæstionis de Vocatione Pastorum.

XIII. Ad *vocationem* vero *nostram* quod attinet, varia sunt, quæ hic reponi debent. Primo, perperam et sine ratione notæ vocationis nostræ petuntur, nec enim multum refert, ut populus de ea inquirat, modo illi constet de veritate doctrinæ, quam proponimus. Sane si fidem nostram vellemus pendere a vocatione pastorum, necesse esset de illius veritate persuaderi; sed alia longe est mens nostra. Nec enim sic procedimus, vocatio nostra est legitima, ergo doctrina nostra vera est, et audiendi sumus. Sed contra, doctrina nostra vera est; ergo audiendi sunt, qui eam docent, ut veritas missionis et Ecclesiæ pendeat a veritate doctrinæ, non contra. Nec enim falsa potest esse Ecclesia, quæ veram et salutarem Christi doctrinam retinet, licet de cætero vocatio pastorum aliquid minus ordinati haberet. Et ut ministerium est propter doctrinam, non doctrina propter ministerium, ita inquisitionem ministerii præcedere debet inquisitio doctrinæ. Quod non ideo a nobis dicitur, quasi quæstionem hanc plane fidelibus inutilem et non necessariam censeamus, (fatemur enim hoc non parum conducere ad boni ordinis conservationem, et legitimorum pastorum a falsis et adulterinis discretionem) sed tantum ut ostendamus, primariam aut præcipuam esse non debere, quæ nos sollicitos habeat, sed secundariam tantum et minus principalem, quæ supponat semper veræ doctrinæ inquisitionem. Illa enim tantum *necessitas ordinis*, sine quo salus potest obtineri; sed ista est *necessitas medii*, sine quo non pervenimus ad salutem. Secundo, merito suspecta nobis esse debet hæc agendi ratio, cum auctores habeat Pharisæos, qui ita cum Christo agere solebant ut in ejus vocationem non semel inquirerent. "Qua auctoritate," inquiunt, Matth. xxi. 23, "facis ista, et quis tibi dedit istam auctoritatem?" Tertio, Pontificios minime omnium decebat hanc quæstionem nobis movere, quam longe potiori jure in ipsos possumus retorquere; ostendant enim et ipsi vicissim vocationis suæ veritatem, qua auctoritate Pontifices, Cardinales, Sacerdotes, &c. talia munera usurparint et exerceant, quorum nulla institutio, nullum exemplum in Scriptura potest deprehendi?

Reformatores nostros non caruisse Vocatione probatur.

XIV. Sed ut pressius quæstionem propositam attingamus, quatenus primos nostros Reformatores spectat, dicimus quarto distinguendos esse eos, qui publico in Ecclesia Romana ministerio fungebantur, ab aliis qui mere privati fuerunt. Et ad illos quidem quod attinet, ut quamplurimi fuerunt, qui ad hoc opus se accinxerunt Archiepiscopi, Episcopi, et Presbyteri, in Anglia, Germania, Gallia, Helvetia, et alibi, non potest de eorum vocatione dubitari, quando ipsam ab Ecclesia Romana habuerant. Alias fateri cogentur, vel suam vocationem nullam esse et falsam; vel si vera est, nostros, qui ea instructi opus Reformationis sunt aggressi, non sine vocatione hoc fecisse. Neque hic reponendum, 1. Si veram vocationem habuerunt, eo ipso veram fuisse Ecclesiam, quæ illis eam contulit, nec enim falsam Ecclesiam posse dare veram vocationem. Nam si baptismus verus potest esse in Ecclesia falsa et hæretica, ut supra visum, quidni etiam vocatio? Nam ubi est baptismus verus, ibi debet esse legitima administrandi potestas; ubi est illa potestas, ibi est etiam vera vocatio. Nemo sigilla tractare potest, nisi sigillorum custos; nemo custos nisi vocatus. Ita nemo sacramenta, quæ sigilla sunt fœderis, potest administrare, nisi cui tabulæ fœderis sunt commissæ. Nec semper verum, vocationem veram supponere Ecclesiam veram. Certum quidem est, ubi nulla est vocatio, ibi nullam esse veram Ecclesiam; sed non continuo sequitur, ibi esse veram Ecclesiam, ubi est aliqua vocatio. Nam Ecclesia Judaïca tempore regum idololatrarum non erat vera Ecclesia, sed non destituebatur tamen vocatione ordinaria. Ecclesia Ariana et Nestoriana non erat vera Ecclesia, et vocationem tamen veram habuit; Novatianis et Catharis conversis, idem servabatur locus, in quo fuerant antequam ad Orthodoxos accederent. Unde Canon sextus Ecclesiæ Africanæ sancit, τους κλερικους των Δονατιστων εν τῳ κληρῳ της καθολικης εκκλησιας αναδεχεσθαι, η εν ταις ιδιαις τιμαις μενειν, Ut "recipiantur clerici Donatistæ in clero Ecclesiæ catholicæ, aut maneant in propriis dignitatibus" Quod fuse persequitur Hiero, in Dialogo adversus Luciferianos. Missio ergo inter eos esse potest, qui tamen vera Ecclesia non sunt, sed Ecclesiæ aliquid retinent vel Ecclesiæ serviunt; per quos ut doctrinæ pars, ita etiam vocationis nonnihil ad eam doctrinam prædicandam derivatur. Missio non oritur ab Ecclesia ut fonte et principio, sed a Deo per homines etiam malos, ut diplomata regia per eum etiam feruntur, qui nihil regium in se habet. Sic ab Ecclesiæ Rom. auctoritate non pendet vocatio, etsi per manus Ecclesiæ Romanæ transmissa; nec Ecclesiæ, sed Christo, quod in vocatione supererat boni, acceptum ferri debuit, ut aqua per canalem delata, non a tubulo, sed a fonte est derivanda.

XV. 2. Dices, nostros quidem vocationem habuisse ab Ecclesia Romana, sed omni illo jure excidisse, quia ab Ecclesiæ Romanæ doctrina, ad cujus defensionem vocati erant, defecerunt. Sed tantum abest, ut illos excidisse vocationis suæ jure dici debeat, ut contra certum sit, eos vocationem suam ad proprium et legitimum suum finem retulisse, et sic rite officio suo defunctos fuisse. Nimirum hic distinguendus est accurate *finis primarius* Dei et Christi vocantis, et *finis secundarius* hominum, quorum ministerio Deus usus est ad vocationem illam conferendam. Fateor non fuisse finem et intentionem eorum, qui ipsos ordinaverant, ut doctrinæ receptæ se opponerent, sed potius ut eam docerent et defenderent, sed respexerunt illi, quod facere omnino tenebantur, ad finem primarium Dei vocantis, Christi institutionem, et muneris sui primævam obligationem et naturam; nimirum ut evangelium purum prædicarent, et doctrinam

a Christo et Apostolis traditam illibatam retinerent et populo traderent. Nec aliter sese gerere potuerunt, nisi hominibus potius quam Deo obedire vellent, et juramentum, quo se Deo vocanti obstrinxerant ad propugnandam et prædicandam veritatem, violarent et rescinderent, ut fidem datam hominibus de propagando mendacio servarent, quod impium est vel cogitare. Si ergo a fine ordinantium aliquo modo deflexerunt, non fuit vocationis abusus et corruptio, sed potius correctio. Et si aliter fecissent, in Deum, in proximum, in populi Christiani salutem, atque adeo in seipsos, officiumque suum graviter peccassent. Nec culpandi veniunt, sed laudandi, qui, resectis sordibus et corruptelis ab hominibus additis, retinent bonum quod a Christo est institutum, et ad legitimum ordinem omnia revocant.

XVI. Quo vero res clarior evadat, *Vocatio* iterum est distinguenda; alia, quæ *sua institutione falsa* est, ut vocatio Judæorum, Mahumedanorum, et aliorum infidelium, quæ directe tendit ad propagationem idololatriæ et impietatis; alia, quæ institutione sua quidem sancta est et legitima, sed quæ *abusu hominum corrupta* degeneravit, qualis est vocatio Pontificiorum. Illa penitus exscindenda est et abjicienda, quia nihil boni in ea deprehenditur. Sed ista corrigenda et reformanda juxta intentionem primarii auctoris, ut, sublatis corruptelis, sola Christi institutio et usus maneat. Quod dum facere conati sunt nostri, non repugnasse vocationi, sed illi potius respondisse censendi sunt. Ita enim ad hoc tenebantur, ut, nisi præstitissent, perjurii crimine adversus Deum sese obtrinxissent. Fateor quidem vocationem istiusmodi, quæcunque tandem sit, etiam corruptissimam, si ad Dei verbum docendum tendat, inutilem esse ad conciliandam errori auctoritatem, vel homini in errore manenti gratiam, vel Ecclesiæ per illam prædicationem salutem. Adstringit tamen vocatum, ut munus suum religiose et sancte obeat, et licet passim omnes alio munus illud convertant; ille tamen, si conscientiam suam audit, tenetur ad veritatem indagandam, agnitam amplectendam, pestem arcendam, et salutem gregis procurandam. Quia ipsa Ecclesiæ prima intentio et scopus hoc postulat, hoc ipsa rerum necessitas exigit; hoc Deus ipse, cui magis obediendum quam hominibus, præcipit; hoc vocationis ratio petit. Nam si omnes et singuli Christiani, qua tales, oblata occasione, urgente necessitatis casu, verbum Dei fratribus annunciare tenentur; multo magis, qui ad id hominum consensu vocati sunt. Nec hujus agendi modi exempla varia desunt, sive in repub., sive in Ecclesia, sive in familia. Si quis tyranni auctoritate in Senatum cooptatur, eo procul dubio fine ut tyrannidem magis magisque confirmet et illi inserviat, et pœnitentia postea ducitur; nonne agnitum tyrannum ex ratione muneris tenebitur deserere, imo etiam persequi? In Ecclesia Israëlitica sacerdotes Levitici, qui ad idola deflexerant, non opus habebant nova vocatione, ut ad reformationem Ecclesiæ sese accingerent, sed legitimo tantum vocationis exercitio. Ita si qui inter Arianos, Nestorianos, et Donatistas, Episcopi fuerant, poterant legitime, imo tenebantur ex vi muneris errorem abjicere et veritatem profiteri. Si servi cum fure, vel œconomi cum adversario colludunt ad dominum prædandum, nonne licebit ipsis suum errorem castigare et ad meliorem frugem redire, ut domino suo fideliter inserviant? Sic neque censendi sunt vocatione sua excidisse, vel nova opus habere vocatione, qui ad sacrum munus vocati erant, ut mendacio obniterentur et profiterentur veritatem. Regeres, sed obstrinxerunt se Romano Pontifici, cui fidem datam frangunt. Resp. Obstrinxerunt se Pontifici, fateor, sed prius Deo, et propter Deum illi. Ita si fidem datam Pontifici deprehendunt ἀσυστάτον esse cum fide Deo

Reformatores nostros non caruisse Vocatione probatur.

XIV. Sed ut pressius quæstionem propositam attingamus, quatenus primos nostros Reformatores spectat, dicimus quarto distinguendos esse eos, qui publico in Ecclesia Romana ministerio fungebantur, ab aliis qui mere privati fuerunt. Et ad illos quidem quod attinet, ut quamplurimi fuerunt, qui ad hoc opus se accinxerunt Archiepiscopi, Episcopi, et Presbyteri, in Anglia, Germania, Gallia, Helvetia, et alibi, non potest de eorum vocatione dubitari, quando ipsam ab Ecclesia Romana habuerant. Alias fateri cogentur, vel suam vocationem nullam esse et falsam; vel si vera est, nostros, qui ea instructi opus Reformationis sunt aggressi, non sine vocatione hoc fecisse. Neque hic reponendum, 1. Si veram vocationem habuerunt, eo ipso veram fuisse Ecclesiam, quæ illis eam contulit, nec enim falsam Ecclesiam posse dare veram vocationem. Nam si baptismus verus potest esse in Ecclesia falsa et hæretica, ut supra visum, quidni etiam vocatio? Nam ubi est baptismus verus, ibi debet esse legitima administrandi potestas; ubi est illa potestas, ibi est etiam vera vocatio. Nemo sigilla tractare potest, nisi sigillorum custos; nemo custos nisi vocatus. Ita nemo sacramenta, quæ sigilla sunt fœderis, potest administrare, nisi cui tabulæ fœderis sunt commissæ. Nec semper verum, vocationem veram supponere Ecclesiam veram. Certum quidem est, ubi nulla est vocatio, ibi nullam esse veram Ecclesiam; sed non continuo sequitur, ibi esse veram Ecclesiam, ubi est aliqua vocatio. Nam Ecclesia Judaïca tempore regum idololatrarum non erat vera Ecclesia, sed non destituebatur tamen vocatione ordinaria. Ecclesia Ariana et Nestoriana non erat vera Ecclesia, et vocationem tamen veram habuit; Novatianis et Catharis conversis, idem servabatur locus, in quo fuerant antequam ad Orthodoxos accederent. Unde Canon sextus Ecclesiæ Africanæ sancit, *τους κλεgικους των Δονατιστων εν τῳ κληgῳ της καθολικης εκκλησιας αναδεχεσθαι, η εν ταις ιδιαις τιμαις μενειν*, Ut "recipiantur clerici Donatistæ in clero Ecclesiæ catholicæ, aut maneant in propriis dignitatibus" Quod fuse persequitur Hiero, in Dialogo adversus Luciferianos. Missio ergo inter eos esse potest, qui tamen vera Ecclesia non sunt, sed Ecclesiæ aliquid retinent vel Ecclesiæ serviunt; per quos ut doctrinæ pars, ita etiam vocationis nonnihil ad eam doctrinam prædicandam derivatur. Missio non oritur ab Ecclesia ut fonte et principio, sed a Deo per homines etiam malos, ut diplomata regia per eum etiam feruntur, qui nihil regium in se habet. Sic ab Ecclesiæ Rom. auctoritate non pendet vocatio, etsi per manus Ecclesiæ Romanæ transmissa; nec Ecclesiæ, sed Christo, quod in vocatione supererat boni, acceptum ferri debuit, ut aqua per canalem delata, non a tubulo, sed a fonte est derivanda.

XV. 2. Dices, nostros quidem vocationem habuisse ab Ecclesia Romana, sed omni illo jure excidisse, quia ab Ecclesiæ Romanæ doctrina, ad cujus defensionem vocati erant, defecerunt. Sed tantum abest, ut illos excidisse vocationis suæ jure dici debeat, ut contra certum sit, eos vocationem suam ad proprium et legitimum suum finem retulisse, et sic rite officio suo defunctos fuisse. Nimirum hic distinguendus est accurate *finis primarius* Dei et Christi vocantis, et *finis secundarius* hominum, quorum ministerio Deus usus est ad vocationem illam conferendam. Fateor non fuisse finem et intentionem eorum, qui ipsos ordinaverant, ut doctrinæ receptæ se opponerent, sed potius ut eam docerent et defenderent, sed respexerunt illi, quod facere omnino tenebantur, ad finem primarium Dei vocantis, Christi institutionem, et muneris sui primævam obligationem et naturam; nimirum ut evangelium purum prædicarent, et doctrinam

a Christo et Apostolis traditam illibatam retinerent et populo traderent. Nec aliter sese gerere potuerunt, nisi hominibus potius quam Deo obedire vellent, et juramentum, quo se Deo vocanti obstrinxerant ad propugnandam et prædicandam veritatem, violarent et rescinderent, ut fidem datam hominibus de propagando mendacio servarent, quod impium est vel cogitare. Si ergo a fine ordinantium aliquo modo deflexerunt, non fuit vocationis abusus et corruptio, sed potius correctio. Et si aliter fecissent, in Deum, in proximum, in populi Christiani salutem, atque adeo in seipsos, officiumque suum graviter peccassent. Nec culpandi veniunt, sed laudandi, qui, resectis sordibus et corruptelis ab hominibus additis, retinent bonum quod a Christo est institutum, et ad legitimum ordinem omnia revocant.

XVI. Quo vero res clarior evadat, *Vocatio* iterum est distinguenda; alia, quæ *sua institutione falsa* est, ut vocatio Judæorum, Mahumedanorum, et aliorum infidelium, quæ directe tendit ad propagationem idololatriæ et impietatis; alia, quæ institutione sua quidem sancta est et legitima, sed quæ *abusu hominum corrupta* degeneravit, qualis est vocatio Pontificiorum. Illa penitus exscindenda est et abjicienda, quia nihil boni in ea deprehenditur. Sed ista corrigenda et reformanda juxta intentionem primarii auctoris, ut, sublatis corruptelis, sola Christi institutio et usus maneat. Quod dum facere conati sunt nostri, non repugnasse vocationi, sed illi potius respondisse censendi sunt. Ita enim ad hoc tenebantur, ut, nisi præstitissent, perjurii crimine adversus Deum sese obtrinxissent. Fateor quidem vocationem istiusmodi, quæcunque tandem sit, etiam corruptissimam, si ad Dei verbum docendum tendat, inutilem esse ad conciliandam errori auctoritatem, vel homini in errore manenti gratiam, vel Ecclesiæ per illam prædicationem salutem. Adstringit tamen vocatum, ut munus suum religiose et sancte obeat, et licet passim omnes alio munus illud convertant; ille tamen, si conscientiam suam audit, tenetur ad veritatem indagandam, agnitam amplectendam, pestem arcendam, et salutem gregis procurandam. Quia ipsa Ecclesiæ prima intentio et scopus hoc postulat, hoc ipsa rerum necessitas exigit; hoc Deus ipse, cui magis obediendum quam hominibus, præcipit; hoc vocationis ratio petit. Nam si omnes et singuli Christiani, qua tales, oblata occasione, urgente necessitatis casu, verbum Dei fratribus annunciare tenentur; multo magis, qui ad id hominum consensu vocati sunt. Nec hujus agendi modi exempla varia desunt, sive in repub., sive in Ecclesia, sive in familia. Si quis tyranni auctoritate in Senatum cooptatur, eo procul dubio fine ut tyrannidem magis magisque confirmet et illi inserviat, et pœnitentia postea ducitur; nonne agnitum tyrannum ex ratione muneris tenebitur deserere, imo etiam persequi? In Ecclesia Israëlitica sacerdotes Levitici, qui ad idola deflexerant, non opus habebant nova vocatione, ut ad reformationem Ecclesiæ sese accingerent, sed legitimo tantum vocationis exercitio. Ita si qui inter Arianos, Nestorianos, et Donatistas, Episcopi fuerant, poterant legitime, imo tenebantur ex vi muneris errorem abjicere et veritatem profiteri. Si servi cum fure, vel œconomi cum adversario colludunt ad dominum prædandum, nonne licebit ipsis suum errorem castigare et ad meliorem frugem redire, ut domino suo fideliter inserviant? Sic neque censendi sunt vocatione sua excidisse, vel nova opus habere vocatione, qui ad sacrum munus vocati erant, ut mendacio obniterentur et profiterentur veritatem. Regeres, sed obstrinxerunt se Romano Pontifici, cui fidem datam frangunt. Resp. Obstrinxerunt se Pontifici, fateor, sed prius Deo, et propter Deum illi. Ita si fidem datam Pontifici deprehendunt ἀσύστατον esse cum fide Deo

data, illam abrumpere debent, ut istam inviolatam servent. Ita centuriones in castris fidem regi et duci pollicentur, sed primo regi, dein duci propter regem; si vero agnoscant ducem proditionis reum esse, et res novas moliri contra regem, eodem illo, etsi implicito juramento, ducem non tantum deserere, sed et oppugnare tenentur In male promissis rescindenda fides. Quæ impia sunt, nec promitti debuere, nec, si promissa sunt, sine impietatis crimine præstari queunt.

XVII. Non potest etiam eorum vocationem irritam reddere, vel quod *excommunicati fuerint.* Nam excommunicatio injusta, ut brutum fulmen, non eos feriit, nec suum illis potuit auferre ministerium; non magis quam Apostolis nocuit excommunicatio Synedrii Judaïci, et Athanasio aliisque Orthodoxis excommunicatio Arianorum, quod Canones ipsi Pontificii sanciunt. Caus. 24. Can. Ait Cœlestinus. Vel quod *Episcopi non fuerint*, sed tantum Presbyteri, qui nullum jus vocandi habuerint. Nam præterquam quod non defuerunt etiam Episcopi et Archiepiscopi varii, qui Reformationi manum admoverunt, cum nullum sit inter Episcopum et Presbyterum ex jure Divino discrimen, non major illi potest quam isti competere vocandi potestas. Vel denique quod *reordinentur* jam, qui veniunt ex Papatu, quod non fieret, si legitima eorum agnosceretur vocatio. Nam quod potuit sufficere in Ecclesia corrupta ad eam reformandam, non sufficit in Ecclesia restituta et reformata. Vocatio eorum vera fuit et legitima quoad *substantiam*, sed diversimode inquinata quoad *modum.* Ita repurganda est a suis sordibus, et nitori suo restituenda, ut retinendo quod superest veri et boni a Christo instituti, respuatur quicquid falsum est et Antichristianum.

Qualis fuerit vocatio Laicorum.

XVIII. Ex quibus colligitur Reformatores nostros, qui in Papatu ordinati fuerant, non caruisse vocatione, quum magnum hoc opus sunt aggressi. Sed quia non illi modo sed alii non pauci, qui nullo inter Pontificios publico fungebantur munere, in eo etiam laborarunt, videndum quo jure et qua vocatione instructi id susceperint. Hic autem ante omnia observare licet, quod licet vocatio ordinaria necessaria sit in Ecclesia ad vitandam αταξιαν, ut omnia fiant in ea ευσχημονως et κατα ταξιν, 1 Cor. xiv. 40, non tamen eo usque absolute et simpliciter sit necessaria, quasi non liceat privato in ullo casu vel verbum prædicare, vel de Ecclesia restituenda cogitare. Nam cum vocatio generalis Christianorum, et charitatis lex hoc unicuique imponat, ut quibuscunque potest modis salutem suam et proximi promoveat, mirum videri non debet, si occasione oblata quis utatur ad hoc opus exequendum, maxime si summæ cujusdam et ineluctabilis necessitatis ratio hoc videtur exigere. Nam necessitas multa facit, quæ, remota necessitate, fuissent culpanda. *Ubi nulla urget necessitas, constituta Patrum inviolata serventur*, inquit Gelasius. Sed in casu necessitatis, ubi aliter fieri nequit, *nullam habet legem necessitas, et ipsa sibi legem facit*, ut habetur in decreto Gratiani, Caus. 1. q. 1. cap. *Remissionem*, ubi agitur de baptismo, quem conferri posse a Simoniaco conceditur, non autem ordines, nimirum quia alia sunt *sacramenta necessitatis*, alia *dignitatis.* Sic multa licent et laudantur in maxima reipublicæ perturbatione, quæ alias in statu pacato et bene ordinato non licerent, nec legitime fierent. Si in regno conjuratio fit adversus principem, et si illi, quorum munus erat conjuratoribus sese opponere, non modo non faciunt, sed ipsi vel stertunt, vel in conjuratorum partes trahuntur, nonne licebit bonis et fidelibus subditis, quantumvis privatis, proditoribus resistere, de auctoritate ipsos deturbare, facere quæcunque necessaria videbuntur ad conjurationem illam dissipandam, et cæteros in obsequio principis conti-

nendos? Sane quod seditionis et criminis læsæ majestatis nomine notaretur, si fieret contra regios ministros, auctoritate sibi concessa legitime utentes; si de proditione constiterit, non crimen, sed actio heroïca censeri debet, et obedientiæ exemplum eo nobilius, quo minoris est auctoritatis ille, qui id exequi voluit. Ita si milites hostem in se irruere vident, duce suo stertente vel languente ad imperia, vel etiam urbem prodente; annon licebit ipsis claves proditori eripere, et ad signa etiam nullo vocante convenire? Cum res ipsa vocat, quid voces, si desunt, moramur? Imo si obedientiæ specie silent et quiescunt, immemores juramenti, perfidiæ et proditionis insimulantur; sola scelerum conscientia inquinat; illam vero nemo purgat, nisi malo pro virili obnitatur. Licet in specula non sis, nec in excubiis, si tamen incendium vides, et vigiles dormire vel silere animadvertis, si non exclamas, reus es; quisque enim incendio grassanti obviam ire pro virili tenetur. Huc referri potest P. Scipionis consilium laudatum a Valerio, lib. v. cap. 7, qui, cum ex ærario pecuniam ad necessarios usus reipubl. promi oporteret, idque quæstores, quia lex prohibebat, agere recusarent, privatus claves poposcit, et legem utilitati et necessitati cedere coegit. Pontificii ipsi in casu necessitatis potestatem baptizandi concedunt laïco et mulieri, et a privato fieri posse confessionem, si desit sacerdos. Joh. Hier. Albanus de potestate Papæ et Concilii, si Papa in hæresim incidat, et Prælati officium facere negligant, laïcos de Ecclesiæ reformatione consilium inire posse fatetur. Distinguendus ergo hic venit *duplex Ecclesiæ status*; vel bene *ordinatus* et *constitutus*, vel *confusus* et *perturbatus*. Fateor in priori non licere privato laïco sacra tractare, neminemque sine prævia vocatione legitima Ecclesiæ clavum et regimen invadere debere. Sed alia est ratio posterioris, nam in perturbato Ecclesiæ statu, sat juris est cuique ex vocatione generali et charitatis lege ad rejiciendos errores, et veritatem amplectendam et profitendam. Et si, ut bene jurisconsulti observant, *nulla datur obligatio ad illicita*, quis dixerit fideles ad mendacium propugnandum obligatos fuisse? Quis non contra fateatur, indispensabilem illis necessitatem fuisse impositam mendacium rejiciendi, et veritatem publice defendendi? Hæc vero fuit temporum illorum ratio. Ita omnia etiam perturbata, ut rectores Ecclesiæ, quorum erat erroribus grassantibus sese opponere, et lupos ab ovili Domini arcere, non modo non facerent, sed et ipsi in lupos conversi gregem Dominicum vastarent, et Christi legitimi ac unici regis auctoritatem nefarie usurparent, et si qui de officio monere eos vellent, non tantum non audirent, sed ferro flammisque persequerentur. Quid hic faciendum fuit majoribus nostris, qui gravissimum hoc malum perspectum habebant? An manendum illis fuit sub jugo illo Antichristi dirissimo, ubi pereundum illis fuisset necessario? Annon licuit, postquam omnem spem reformandæ Ecclesiæ viderunt decollatam, mature se ab exitio præsentissimo subducere, et saluti suæ per justam secessionem prospicere? Ni hoc fecissent, summo se obstrinxissent scelere, et in Deum ingrati et injurii, certissimam in se perniciem arcessivissent.

XIX. Uno verbo, si unusquisque ad profitendam veritatem necessario obligatur, nec jus ullum habet ad mendacium retinendum et docendum, quisquis mendacium docet, nullam ad id missionem legitimam potest habere. Contra, qui veritatem prædicat, non modo jus et vocationem habet eam proponendi, sed et ex officio indispensabili tenetur. Ita quandiu rectores Ecclesiæ docent veritatem quam Christus tradidit, jus habent illud præstandi, nec potest in dubium vocari eorum vocatio. Sed si mendacium docent, impossibile est eos ad id vocari a Christo. Ut ergo agnoscatur, a

quorum partibus stet legitime vocatio et missio, non ad formulas externas ordinationis, quæ nihil est sine veritate, attendendum est, sed respicienda est unice veritas; nam ut qui pro veritate militat ex Deo est, et ad id ab ipso vocatur, ita qui eam oppugnat, non potest a Deo esse, nec ab ipso ad id vocari. Quod non ideo dicimus, quasi vellemus liberum esse et integrum cuivis sese ingerere omni tempore et casu ad functiones ministerii publici. Scimus Deum esse Deum ordinis non confusionis, nec ordinem, semel in Ecclesia sancitum, sine absoluta necessitate esse violandum. Sed hoc tantum volumus, veritatem non propter ordinem datam esse, sed ordinem propter veritatem, atque ita ordinem veritati cedere debere, non veritatem ordini, quum veritas et ordo non possunt simul subsistere. Dum ergo qui ex ordine recepto vocantur ad veritatem docendam, rite officio suo funguntur, nemini licet eos turbare, vel intrudere se in ministerium. Sed si eo misere abutantur, et tantum abest ut doceant veritatem, persequuntur eos, qui eam sequuntur, et mendacium persuadere conantur, nemo est qui jus non habeat illis resistendi, et veritatem pro virili promulgandi et amplectendi, a quocunque nobis proponatur; nec ulla datur circumstantia locorum, temporum, personarum, quæ impediat quominus obligemur ad veritatem sequendam, et quæ efficiat, ut debeamus sequi eos qui eam oppugnant, quacunque jactent se instructos esse vocatione. Alias dicendum esset, vel eos, qui ordinationem non acceperunt juxta ritus receptos, non posse veritatem unquam docere, vel veritatem non esse amplectendam, quoties ab iis proponitur, qui ordinationem non habent, quod utrumque et sanæ rationi et experientiæ repugnare certum est. Rursus, si ex necessitate missionis pro Ecclesia Romana quis pugnaret, dicendum erit, vel nullos ex iis, qui missionem habent, posse errare, vel, licet errent, non minus sequendos tamen esse, quod utrumque etiam pietati et rationi adversari nemo non videt. Hunc autem statum esse controversiæ inter nos et pontificios proclive est cuivis agnoscere. Donec ergo non demonstrant nobis, veritatem penes se esse, et mendacium penes nos, non possunt obtendere nobis defectum missionis, qui pertendimus veritatem a partibus nostris stare, et mendacium apud adversarios. Sic necesse est ad examen doctrinæ venire, ut constet quibusnam jus competat prædicandi.

XX. Verum quidem est neminem prædicare debere, nisi mittatur, ex Rom. x. 15. Sed non semper externe et mediate ab hominibus fit missio, sed aliquando interne et immediate a Deo. Quum tolerabilis est Ecclesiæ status, nullaque urget necessitas, εὐταξίας ratio, fateor, postulat, ut ordo receptus, qui a Deo institutus est et hominum ministerio peragitur, servetur. Sed in casibus summæ et ineluctabilis necessitatis, et in deplorato rerum statu, qualis iste fuit, quum nullus amplius locus ordini relictus est, necessitatis lex, seu potius Deus ipse, qui homines in istam necessitatem compulit, non modo non vetat, sed etiam præcipit et potestatem dat ea procurandi, quæ faciunt ad salutem propriam, et proximi ædificationem, etiam cum ordinis illius neglectu, si modo ordinario et consueto haberi non possint. Sic si aliquis in remotissimas orbis terrarum plagas tempestate delatus esset, inter populos plane barbaros, apud quos nullum esset Christianæ religionis vestigium, an sacrilego silentio premere debebit mysteria evangelica? Nonne ex charitatis lege tenebitur infidelibus illis convertendis operam dare, et si labori ipsius Deus eatenus benedicit, ut plures adducat ad fidem, annon licebit ipsi cœtum colligere, ecclesiam constituere, et pastoris ordinarii ex ipsorum voto apud ipsos fungi officio? An patriam repetere prius tenebitur, ut juxta ritus receptos consecretur? Quid

si in patriam redeundi denegatur illi facultas, an satius esset pati potius lumen evangelii extingui, et gregem dissipari, quam ut pastoris munere fungeretur, et tam insigne opus desereret?

XXI. Rem autem non modo ita se habere posse, sed et contigisse sæpius testatur historia apostolica et ecclesiastica. Sic Act. viii. 4. Fideles post mortem protomartyris Stephani, huc illuc vento persecutionis dispersi, evangelium prædicant, et multos ad fidem adducunt, ver. 4, et cap. xi. 19, 20. Apollos, edoctus viam Dei per Priscillam et Aquilam, nulla alia munitus vocatione, Judæos convincit per Scripturas demonstrando Jesum esse Christum, cap. xviii. 25, 26. Sic Theodor., lib. i. cap. 22, refert tempore Constantini M. Ædesium et Frumentium fratres delatos in Indiam, et a Barbaris longa servitute detentos, multos ex illis, et regem præ cæteris ad fidem Christi convertisse, et ita cœpisse cœtus cogere, ecclesias instituere, ut istic cultui sacro vacarent. Idem, cap. 24, narrat, fœminam captivam inter Iberos conversionis ipsorum fuisse causam, regina primum ad fidem Christi adducta, et per reginam rege, et sic rex *Apostolus gentis suæ factus est*, inquit Ruffinus, lib. x. cap. 11. Et quum Valentis tyrannide duo Macarii, Ægyptius et Alexander, monachorum patres, in insulam Paludium relegati essent, exilii necessitate in beneficii occasionem versa, brevi effecerunt ut insulares baptismo consecrarentur, Theod. lib. iv. cap. 1. Plurima possent afferri exempla ejusmodi hominum privatorum, quorum opera conversi sunt ad fidem Christi plurimi. An mirum ergo videri debet, si quidam ex Reformatoribus nostris, in eo statu constituti, tale quid fuerint aggressi, summa id exigente necessitate, quum nulla alia apparebat vel libertatis vel salutis via? Maxime cum dona illa eximia et singularia, quibus eos instructos Deus voluit, rara eruditio, ingenii acumen maximum, judicium subactissimum, constantia et patientia invicta, zelus ferventissimus, et alii motus heroïci et plane extraordinarii, quibus Reformationem cœperunt, promoverunt, et tandem perfecerunt, adversus omnes contradicentium artes et molimina, fuerint veluti sigilla authentica divinæ eorum vocationis; cum neminem lateat, magna illa dona nunquam a Deo conferri, nisi ad magnum et extraordinarium aliquod opus. Quibus adde successum admirabilem et plane stupendum, quem Deus eorum laboribus largitus est, in quo Providentia prorsus singularis et admirabilis ita apparet conspicua, ut neminem latere possit, nisi eos, qui fascino superstitionis et odio veritatis sunt excæcati. Denique si quid desiderari potuit in hac prima vocatione, facile suppletum fuit, tum Ecclesiæ consensu et succedente approbatione, tum auctoritate publica magistratuum et populorum, ut hic nihil habeant quod carpere possint adversarii, nisi doctrinam a nostris traditam falsam esse et corruptam, quod in æternum nunquam sunt demonstraturi, ostendant.

XXII. Dices forte varias illas corruptelas, quas in Ecclesia Rom. fuisse pertendimus, potuisse quidem majoribus nostris occasionem dare eas rejiciendi, et se ab illis immunes præstandi per *secessionem negativam*, sed non statim jus potuisse conferre cœtus segreges cogendi, et novum ministerium in illis instituendi, quod sine auctoritate publica fieri non potuit, nisi velimus ἀταξίαν inducere in Ecclesiam. Verum facile est hoc telum repellere; nam ut non dicamus, hoc locum non habere in illis ecclesiis quæ ab Episcopis, Presbyteris, et aliis Romanæ Ecclesiæ rectoribus reformatæ sunt; quæ rationes secessionis negativæ necessitatem imposuerunt fidelibus, eædem secessionem positivam et patentem exigunt, ut conventus fiant publici, ubi verbum prædicetur, et sacramenta administrentur. Nec tantum hoc jus censendum est, cujus usus penes ipsos positum sit, sed officium et ob-

ligatio arctissima, et quæ, nisi absoluta sit impossibilitas, est indispensabilis. Hoc natura fidei exigit, quæ, ut corde retinetur, ita per confessionem apertam declaratur. Hoc pietas postulat, quæ cultum non tantum internum cordis, sed et externum corporis complectitur. Hoc charitas jubet, ut salutem proximorum non minus ac nostram sedulo promoveamus. Alias nisi hoc liceret, quid tandem illis fidelibus præstandum foret? an perstare deberent in communione Romana erronea et idololatrica? Sed hoc conscientia ipsorum non patitur, quia ore negarent quod corde credunt. An potius deberent manere sine pastoribus et ullo cultu externo, et expectare, donec Deus alios extra ordinem excitaret, quam ut jus sibi arrogarent congregandi ecclesias et creandi pastores? Scio quidem hoc satius visum auctori *Præjudiciorum*, cap. vii. pag. 155, sed nihil dici potuit absurdius et magis inconsiderate. Quid enim? An satius erit dispersos manere fideles, tanquam oves palantes sine pastoribus, et sine cultu ullo externo manere, atque ita pati lucem evangelii, fidem et pietatem intercidere, quam cœtus publicos cogere, et pastores præficere, qui illis præsint? An satius erit quod præcipuum est omittere, et sine quo Ecclesiæ societas stare nequit, quam non observare ordinem aliquem receptum, quum eo res devenit ut observari nequeat? An satius erit religionem omnem de mundo tolli, vel saltem ex aliqua regione, quam verbi præconium aliquod habere, quantumvis citra ritus consuetos, quia usurpari non possunt? Non crediderim quemquam pium et fidelem hoc apud se facile statuere posse. Imo quivis videt gloriam Dei et salutem fidelium exigere contrarium, nulla præsertim lege id prohibente, et si maxime aliqua daretur, casu necessitatis exceptionem et dispensationem a lege faciente. Neque hic reponendum, ad privatos et laïcos non pertinere publicam ministerii institutionem; ita non potuisse vocari et mitti pastores nisi a pastoribus. Nam licet hoc in ecclesia constituta et bene ordinata obtineat, non ideo debet semper locum habere in ecclesia corrupta et restituenda. Et hoc eo facilius admitti debet, quod certum sit et indubitatum, ut pluribus ostendi posset, si instituti nostri ratio id pateretur, jus vocationis pastorum, quod a Christo datum est Apostolis, et per eos ecclesiæ, non pertinere ad solos pastores, seu *ecclesiam repræsentativam*, sed *primario* et *radicaliter* residere in societate fidelium, seu *ecclesia collectiva*, quæ illud quidem ad meliorem ordinis observationem in pastores seu Synedrium transtulit; ita tamen ut illo se penitus non abdicarit, quin nomine et auctoritate sua semper exerceatur, et quin possit eo uti, quando illi, quibus hoc commisit, perperam eo abutuntur ad mendacii propagationem; ut solidissime hoc, ut cætera omnia, exequitur celeber. Claudius, in eximio opere *Defensionis Reformationis*, non ita pridem edito Gallice, P. IV. cap. iii. et iv. Vide etiam quæ a nobis dicta sunt, *Institu. Elenct.* P. III. Loco 18, Quæst. 24, de jure vocationis pastorum. Licet ergo pastores evangelici vocationem non habuerint ab aliis pastoribus, (quod de quibusdam tantum dictum volumus, plerique enim, ut diximus, a Pontificiis ordinati erant) non minus tamen legitime potuerunt vocari ab Ecclesia, in casu extremæ necessitatis, quem ponimus.

XXIII. Frustra ergo pertendunt Pontificii, non potuisse laïcos ministerium obire, vel alios ad ministerium vocare, dando illis auctoritatem, quam non habebant. Pari enim ratione dici posset populum, qui rege destituitur, non posse unquam regem sibi eligere, quia sic auctoritatem supremam communicaret alteri, quam non habet, vel cardinalium collegium, quod caret Pontifice, non posse creare Pontificem, quia nemo ex ipsis auctoritatem

Pontificiam obtinet. Sed ut facile respondebitur, et populum et cardinales, licet Rege et Pontifice destituantur, habere tamen jus eligendi, ita de laïcis dicendum est, eos, licet pastores non sint, habere tamen jus eos eligendi, quia, quamvis ministerium non habeant quoad usum et exercitium, habent tamen quoad jus collationis, ex institutione Christi, qui Ecclesiam voluit hoc jure donare. Ut sane auctoritas ministerialis proprie et primario non est pastorum, qui eam exercent, sed corporis Ecclesiæ, ad cujus ædificationem ministerium instituitur, et societatis fidelium, qui sunt pars potissima et essentialis Ecclesiæ, et ad quam ideo præcipue pertinent promissiones Christi, et gratiæ, quas communicat Ecclesiæ suæ; inter quas auctoritas ministerialis locum primarium obtinet, ut quæ inprimis est necessaria ad ejus ædificationem. Hoc tamen ita intellectum volumus, ut locum demum habeat in casu summæ necessitatis, ubi pastores legitimi desunt, et Ecclesiæ status est corruptus, vel perturbatus; alias ubi omnia sunt bene ordinata, non possunt legitime laïci vel ministerii partes assumere, vel alios ad illud vocare, quia hoc esset ordinem bene positum sine necessitate violare.

Qualis sit vocatio Reformatorum, ordinaria, an extraordinaria.

XXIV. Atque hinc non obscure colligitur, qualis dicenda sit illa vocatio, an *ordinaria*, an *extraordinaria*. Nam juxta varios vocum istarum sensus potest dici, vel ordinaria, vel extraordinaria, vel ex utraque mixta. Si *ordinarium* dicitur, quod ordini primitus et divinitus instituto est consentaneum, potest dici vocatio *ordinaria*. Sed si æquivoce pro eo sumitur, quod inveterata consuetudine, qualiscunque ea sit, publice est receptum, *extraordinaria* dicenda erit, quia plurimum abfuit ab ea consuetudine et more, qui in Ecclesia Romana inoleverat. Rursus *ordinaria* potest dici quoad τὸ *materiale*, sive functiones ordinarias ministerii a Christo instituti, verbi scilicet præconium, et sacramentorum administrationem, sed *extraordinaria* quoad τὸ *formale*, seu electionem et consecrationem, atque adeo illius exercitium et applicationem, quatenus eos Deus extra ordinem suscitavit, et donis heroïcis et extraordinariis instruxit ad Antichristum debellandum. Tertio, *ordinaria* quoad *jus* perpetuum et indispensabile, quod fidelibus competit, errores et idololatriam rejiciendi, et veritatem profitendi; imo quoad officium, quod tum fideles, tum pastores ipsos spectat ex Christianismi lege, sese ab Antichristi jugo subducendi, et Christo legitimo Domino fidem et obsequium addicendi; sed *extraordinaria* quoad *modum*, quia non facta est interventu ministerii ordinarii, (loquor de laïcis, qui manum Reformationi adhibuerunt) sed præter ordinem receptum, propter casum summæ necessitatis, fieri debuit. Denique potest dici *extraordinaria*, non ratione *doctrinæ*, quasi nova doctrina prædicata sit, vel ratione *muneris*, quasi officium mere novum usurparint, cujusmodi fuit munus Apostolicum; sed ratione *actus vocandi*, quia non consueto modo factus est, non neglecto ordine, sed quia violatus erat et corruptus, non observato. Vide quæ fusius dicta sunt Instit. P. III. Loc. xviii. Q. 23 et 25.

XXV. Si vero extraordinariam censemus eo sensu fuisse, non continuo sequitur, *miraculis* eam debuisse confirmari. Nam quævis vocatio extraordinaria non habet miracula, ut in variis prophetis et Joanne Baptista visum, qui, licet vocati extraordinarie, nulla tamen fecisse leguntur miracula. 2. Alia est Ecclesiæ de novo constituendæ, alia Ecclesiæ reformandæ et restituendæ ratio. Nam ad primam Christianismi constitutionem ubi abrogandus fuit Dei cultus antiquus per Mosem institutus, et novus instituendus, et gentes ab idolis ad verum Deum convertendæ, opus fuit

immediata et plane extraordinaria vocatione, quæ per miracula debuit confirmari, ad fidem eo magis adstruendam prædicationi Apostolorum, "Deo illis testimonium perhibente signis et prodigiis," &c. Heb. ii. 4. At ubi nova doctrina non proponitur, sed quæ corrupta fuit et obscurata, repurgatur tantum, et illustratur, ut in Reformatione factum, non opus fuit miraculis novis, sed sola verbi prædicatione; eadem enim miracula, quibus Christus et Apostoli suam confirmarunt doctrinam, nostram etiam, quæ eadem est, confirmant. Ne jam dicamus successum admirabilem Reformationis, et conversionem mundi tantum esse miraculum, ut qui, mundo credente, prodigia adhuc quærit, ipse sit prodigium, ut loquebatur Augustinus.

3. Objectio ab exemplis Veteris et novi Testamenti.

XXVI. 3. Objectio contra secessionem petitur ab exemplis variis tum Veteris tum Novi Testamenti, ex quibus patet, fideles ab Ecclesia corrupta non statim secessisse. Sic in Veteri Testamento Moses et prophetæ idololatricis temporibus nova non erigebant altaria, ut ordinaria celebrarentur sacrificia. Fideles non secedebant ab Ecclesia, quamvis idololatrica, ut cœtus separatos ab ea cogerent, et novum ministerium instituerent. Tempore Christi Ecclesia Judaïca corruptissima fuit; nec videmus tamen Simeonem, Zachariam, Annam, &c., eam deseruisse. Nicodemus, qui discipulum Christi se profitetur, non secedit a Judæis, et noctu tantum ad Christum accedit. Paulus ipse legitur ritus et cæremonias Judaïcas, etiam post earum abrogationem, observasse, circumciso Timotheo, Act. xvi., nuncupato voto et suscepta purificatione, Act. xxi. Patres ante Reformationem potuerunt manere in Ecclesia Romana, et in ea salvari, quidni et nobis idem præstare liceat?

XXVII. Ad hoc vero in genere respondemus, leges hic attendendas esse, non exempla. Nec enim, quod ab hoc vel illo fideli factitatum est, statim potest aut debet in imitationem trahi. Itaque licet nonnulli, in Ecclesia corrupta versantes, de secessione non fuerint solliciti, non sequitur idem a nobis sine vitio præstari potuisse. Non tam respicere debemus quid ante nos factum sit, quam quid nobis ex officio agendum incumbat. 2. Ad exemplum Mosis et Prophetarum et cæterorum fidelium Veteris Testamenti, vide quæ dicta sunt Disp. II. Thes. 6, 7, 8, 9, 10. Paucis observamus, fideles tunc temporis secessisse ab idololatris saltem negative, ut patet in 7000, qui genua non flexerunt Bahali. Imo non paucos etiam secessisse positive, ut Eliam, qui in desertum secedit, ne idololatria pollueretur, Mosem et Levitas, qui ultionem sumunt de idololatris, Exod. xxxii. 26, et prophetas, quoties invehebantur in peccata populi, et idololatriam illi suam exprobrabant. Deinde, alia fuit temporis illius, alia istius ratio. In illo Deus cultum suum ita uni loco addixerat, ut nefas esset alio convenire, vel sacra facere. Sed jam ubivis possumus puras manus ad Deum attollere, et Deum adorare in spiritu et veritate, Jo. iv. 23, et 1 Tim. ii. 8. Tertio, licet idololatria obtineret inter Israëlitas, dum populus ad regum exemplum componebatur, non tamen eatenus invaluerat, ut in legem abiret, ita ut populus per vim ad eam adigeretur. Quod etiam locum habere debet respectu Ecclesiæ Judaïcæ tempore Christi, quæ utut varios abusus et corruptelas haberet, sola tamen adhuc erat Ecclesia, solum templum, in quo rite facta fieri poterant, ideo in ea poterant fideles adhuc sine crimine manere; imo et debebant ad instar Christi cultum Mosaïcum observare, et ipsos Pharisæos docentes, et in cathedra Mosis sedentes audire, modo ab eorum fermento sibi caverent. Sed ex quo Christus cultum Mosaïcum abrogavit, et evangelicum instituit; ex quo Ecclesiam Christianam fundavit; Christo renunciaret, qui

vellet adhuc τῇ σκηνῇ λατρεύειν, Heb. xiii. 10, retinendo cultum Mosaïcum.

XXVIII. Ad exemplum *Nicodemi* resp. Nicodemi timiditatem, quum noctu venit ad Christum, Joh. iii. 1, non posse hic favere neutralium et pseudo-Nicodemitarum tepori; quia si ab initio aliquam pusillanimitatem exhibuit, quæ culpanda omnino fuit, eam tandem, contemptis omnibus periculis, generose superavit, quum se junxit Josepho Arimatheensi ad Domini sepulturam, Joh. xix. Hic itaque distinguendus nobis *Nicodemus Judaïzans*, et adhuc Neophytus, et *Nicodemus Christianus* et confirmatus. Ille ignorantia adhuc detentus timet, et noctu tantum ad Christum venit. At postquam fide illuminatus fuit, palam et interdiu confitetur, idque tempore magis formidoloso, quam fuisset antea, in morte scilicet Christi, quum ipsi discipuli fugiebant, et omnia desperata videbantur. Tunc fidem profitetur coram omnibus, non refugit odium, probrum et infamiam non metuit, persecutiones non reformidat. Hoc scilicet est Nicodemizare, si Nicodemum Christianum aspicimus. Cur ergo isti, quod fecit Nicodemus ignorantiæ suæ tempore, imitari volunt, exemplum autem, quod fide jam donatus prodit, dissimulant ad se pertinere?

XXIX. Ad *Paulum* quod attinet, cæremonias adhuc observantem, resp. discrimen esse longe maximum in exemplis. Nam cæremoniæ illæ legales, quas Paulus observabat, erant a Deo institutæ, at ritus Papales sunt humanitus conficti, et in Ecclesiam introducti. Cæremoniæ illæ, licet jam abrogatæ essent *de jure* per mortem Christi, nondum tamen erant *de facto*. Itaque tempore Apostoli indifferentes erant et mediæ, usque dum plene abrogarentur, nec damnabantur in evangelio, nisi quatenus cum opinione necessitatis et meriti observabantur. At ritus Papales sunt illiciti, et verbo Dei damnati, quibus proinde nunquam licet communicare. Tria ergo hic cæremoniarum tempora distinguenda. Primum, quo *vivæ* et necessariæ erant ex ordine Dei. Secundum, quo factæ sunt *mortuæ* et adiaphoræ post mortem Christi, quæ finem umbris imposuit. Tertium, quo *mortiferæ* sunt et exitiales, post prædicationem plenam evangelii. In primo debebant retineri. In secundo poterant usurpari, modo id fieret ex charitate. In tertio nefas est iis amplius uti. Hinc factum ut Apostoli in secundo hoc intervallo cæremoniis Mosaïcis nonnunquam usi legantur per Christianam συγκατάβασιν, ut Judæis infirmis sese accommodarent, et Synagogam honorifice sepelirent; quod præcipue Paulum fecisse observamus, qui omnia omnibus et Judæis Judæum se faciebat, ut aliquos lucraretur, 1 Cor. ix. 20. Sed tum demum, quum res illi erat cum fratribus infirmis; nam alibi quum agendum illi fuit cum Pseudo-Apostolis, constanter eas repudiat, ne ad momentum quidem ipsis cedit, Gala. ii. 5. Unde qui voluit circumcidi Timotheum, Act. xvi. 3, noluit tamen circumcidi Titum, Gal. ii. 3. Idem de tonsura et purificatione Pauli, Act. xviii. et xxi. 26, dicendum. Hæc enim usurpat ut res medias ex charitate, sociis suis se accommodando, ne videretur Mosis legem velle pervertere. Sed quid hoc ad idololatriam Papalem? quasi nihil differant, tondere se, et genua flectere coram idolo. De patribus ante reformationem dictum, Disp. VI. Th. 32, &c.

XXX. Non omittenda est hic objectio, quæ solet identidem adversus secessionem nostram, ut schismaticam et injustissimam, fieri, quæ petitur ex *schismate Donatistarum*, quasi rei simus criminis, quod merito illis impingitur. Sed quis non videt longum latumque discrimen intercedere inter nos et ipsos hac in parte? Primo quia Donatistæ non accusabant Ecclesiam, a qua secessionem fecerant, ullius erroris in doctrina, vel depravationis

in cultu. Nam quoad validitatem vel invaliditatem baptismi hæreticorum, agnoscebant utrinque, non esse causam sufficientem separationis, nec super illam secessionem suam fundabant Donatistæ, ut August. non semel observat cont. Cresco. lib. ii. cap. 3, et Epist. 48. Sed tantum, quod inter Episcopos suos retinerent *Traditores*, vel ordinatos a Traditoribus, id est, qui libros sacros tradiderant persecutoribus comburendos. Quales erant Cæcilianus, qui accusabatur, quasi tempore persecutionis libros sacros tradidisset comburendos, quod tamen falsum erat; et Felix Aptungitanus, qui Cæcilianum ordinaverat in Mensorii locum. Verum quis ignorat, nos Ecclesiæ Romanæ impingere varios errores gravissimos, et idololatrias crassissimas, quæ cum salute consistere nequeant? 2. Donatistæ sese ab Ecclesia segregaverant, secessione voluntaria, nulla ad eam vi vel persecutione adacti, Ecclesia ipsis identidem communionem suam et pacem offerente. Sed hic voluntaria non fuit, sed coacta secessio nostra. Ecclesia Romana ipsa nos a se separavit, nos proscripsit, et anathemate feriit, quia nolebamus retinere et profiteri ejus errores, et etiamnum hodie, quo præ se fert velle nos ad se revocare, oppugnat doctrinam nostram, ut hæreticam et ad ejus ejerationem cogit quotquot ad ipsam accedunt. Quis non videt duas istas differentias reddere secessionem Donatistarum schismaticam et injustam, et nostram non modo innocentem, sed et absolute necessariam? Peccatum, quod Ecclesiæ impingebatur a Donatistis, fuit factum Cæciliani, quod nec probatum a Donatistis, nec confessum ab Orthodoxis, atque adeo verum non erat; nec si verum fuisset, poterat justam secessioni causam dare, quia factum erat mere personale, cujus Ecclesia catholica non erat rea, nec Donatistæ obligabantur ad illud probandum vel sequendum, si voluissent ad eam redire. Verum nos, qui accusamus Ecclesiam Romanam variorum errorum, qui certo persuasi sumus esse idololatriæ ream; nos, qui accusamur ab Ecclesia Romana hæresis; quomodo possumus ad eam redire sine salutis aperto discrimine, coacti quippe profiteri doctrinas, quas falsas et hæreticas credimus, cultum observare, quem scimus esse illicitum, et ejerare doctrinas, quas verissimas esse ex Dei verbo persuasissimum habemus.

Pro syncretismo urgetur, 1. Pax Ecclesiæ.

XXXI. Sic contra secessionem disputant. Videndum jam quid pro *syncretismo* soleat afferri. Varia enim etiam proponuntur in eam rem argumenta. Primum petitur a *pace Ecclesiæ*, quæ toties nobis commendatur a Christo. Nam si pacem cum omnibus quærere et procurare debemus, si proximum etiam errantem diligere tenemur, quidni syncretismum cum eo fovere poterimus? Resp. "Speciosum quidem est nomen pacis," inquit Hilarius, "et pulchra opinio unitatis, sed quis ambigat eam solam unicam esse Ecclesiæ pacem, quæ Christi est?" Quod si talis pax per syncretismum haberi queat, ultro largimur modis omnibus esse quærendam. Sed si sine præjudicio veritatis et pietatis obtineri non potest, quis dixerit pacem talem optandam esse, vel quærendam? Fateor si pacificandæ Ecclesiæ vera et seria fieret mentio, nullum pium esse debere, qui libenter aures animumque non accommodaret. Nemo enim est vel mediocri pietatis sensu præditus, quem non excruciet fœda hæc et horrenda corporis Christi laceratio. Sed si hoc prætextu homines astuti se insinuant, ut a sincera Christi doctrina nos abducant, quis vellet pacem hominum redimere, pacis divinæ dispendio? Optandum sane super omnia, ut pax cum omnibus colatur, sed εἰ δυνατὸν, inquit Paulus, Rom. xii., si gloria Dei, si ratio veritatis et salutis nostræ hoc patitur, si pax divina non rescinditur; quod hic fieri non posse, rebus sic stantibus, persuasum habemus. Nec aliter de *proximi dilectione* ra-

tiocinari debemus. Eatenus sane proximum diligere tenemur, ut nihil omittamus ex iis, quæ possunt facere ad promovendam ejus salutem, errantem convertendo ad veritatem, infirmum et docilem cum omni lenitate tractando, Rom. xiv. 1, Gal. vi. 1. Sed semper meminisse debemus hoc fieri debere *usque ad aras*, id est, ut amor Dei et obedientia illi debita non lædatur, quod fieret tamen, si eam extenderemus usque ad syncretismum cum hostibus Christi, et cum illis, qui errant fundamentaliter, quod expresse Paulus vetat, 2 Cor. vi. 16, 17, dum *fideles* cum *infidelibus consociari* prohibet.

XXXII. Secundo, Paulus docet communionem coli posse cum fratribus errantibus, quum vult fratres infirmos tolerari, Rom. xiv. 1, Phil. iii. 14, 15, nec abnuit etiam graviter errantes posse servari, quum ostendit eos qui fundamento superædificant fœnum, stipulam, &c., posse tamen, licet ægre, servari, ὡς διὰ πυρός, 1 Cor. iii. 12, 13. Unde colligunt, nihil obstare quominus communionem colamus cum pontificiis, etiam ex nostra sententia errantibus. Resp. Ut solvatur difficultas, distinguendi sunt *errores*, ut et *articuli fundamentales*, a *non fundamentalibus*. Ut enim non omnes veritates sunt ejusdem necessitatis, ita nec omnia vulnera, quæ veritati infliguntur, statim sunt lethalia. Nec omnis morbus statim est sonticus. Hinc error duplex potest distingui; alius *capitalis* et *fundamentalis*, qui cor ipsum religionis et fidei petit, et qui articulum aliquem fundamentalem oppugnat et evertit; alius levior et *non fundamentalis*, qui veritati quidem in verbo revelatæ repugnat, sed minus necessariæ, et qui non statim errantem salute privat. Fateor posse communionem coli cum errantibus posteriori sensu; sed negamus priori, de quo hic potissimum quæritur, cum errores Pontificiorum sint capitales et fundamentales, ut supra visum. Unde loca Pauli aliena sunt, utpote quæ agunt de fratribus infirmis, qui errant in rebus levioris momenti, quales erant illi, qui tunc non satis adhuc edocti de natura libertatis Christianæ, cæremoniarum usum nondum poterant abjicere. Tales, fateor, tolerari possunt, non ut probentur et adoptentur eorum errores; sed ut, non obstantibus illis, charitas Christiana cum illis foveatur, donec majori luce a Deo donentur ad fidei confirmationem. Quo spectant verba aurea Pauli ad Phil. iii. 14, 15, "Quotquot sumus perfecti, idem sentiamus, et si quid aliter sentitis, Deus vobis revelabit. Interim in eo ad quod pervenimus, eodem incedamus canone." Sed male et perperam hæc referas ad eos, qui capitales et fundamentales fovent errores, qui cum vera in Deum fide et salute sunt ἀσύστατα; quod Pontificios præstare credimus.

XXXIII. Non magis appositus est alter, quo utuntur, locus, ex 1 Cor. iii. 13, 14. Nam certum est Paulum non loqui de illis, qui errabant fundamentaliter, (cum dicat eos retinere fundamentum, et salutis tandem fieri compotes,) sed de aliis, qui levius errando, et doctorum officio non rite defungendo, mercede sperata, sed non statim salute multari debebant, servandi ὡς διὰ πυρός, id est ægre et non sine difficultate, animam pro spolio habentes, ducta scilicet loquutione ex communi apud omnes diverbio, quo is, qui ægre servatur, dicitur *ereptus quasi ex incendio*, δαλὸς σωθεὶς ἐκ πυρός. Nimirum Apostolus ibi agit de doctoribus et ministris evangelii, quos architectis comparat, qui debent fundamento semel ab Apostolis posito superstruere doctrinam evangelicam ad ædificationem fidelium. Ex iis vero alii fideles et genuini doctores sunt, qui veram, salutarem, et ipsi fundamento homogeneam et convenientem doctrinam superædificant, quæ nomine *auri*, *argenti*, et *lapidum pretiosorum* venit, allusive ad Isa. liv. 11, ubi Ecclesia dicitur fundanda *sapphiris et lapidibus pretiosis*. Alii vero minus probæ notæ dicuntur fundamento superædificare *fœnum*, *lignum*, *et stipulam*,

id est doctrinas, non quidem absolute hæreticas et exitiales, (sic enim servari non possent) sed vanas, curiosas et inutiles, heterogeneas, et parum respondentes fundamenti præstantiæ. Bene ergo hinc concluseris, in sinu Ecclesiæ posse dari tales doctores, qui non rite per omnia muneris sui partes impleant; sed male colliges communionem coli posse cum iis, qui errant fundamentaliter.

XXXIV. Hoc tamen tertio evincere conantur ex *Lutheranorum* exemplo. Nam si cum illis syncretismum inire non recusamus, qui non minus graviter errant in articulo de cœna Pontificiis, quidni poterimus illum cum Pontificiis pariter inire? Licet vero de hoc argumento quædam jam dicta sint, Disp. III. Th. 22, &c., quia tamen nihil ferme est, quod toties, et tanto cum ardore a missionariis et aliis pontificiæ communionis hominibus objici soleat et urgeri, adeo ut hinc animi injusto et pertinaci in E. R. odio incensi nos insimulent; ut qui ab ea secessionem fecerimus, et in ea pertinaciter perseveremus, cum non detrectemus Lutheranorum communionem, a quibus haud minus tamen justas, minusque idoneas rationes secedendi habemus: æquum est ut de hoc etiam paulo plenius agamus. Primo fatemur votum hoc fuisse semper Reformatorum, ut communionem colere et syncretismum inire possent cum Protestantibus, qui nomen a summo Dei viro Luthero ducere solent, ut infelix illud dissidium tolleretur, quo mirum quantum renascentis evangelii propagatio est inhibita, infirmis scandalum præbitum, et hostibus veritatis insultandi, et de dissidiis nostris triumphandi data est ansa; atque in eum finem fraternitatis dextram non semel parati fuerunt porrigere iis, qui eodem pacis et charitatis studio agerentur. Cujus insigne testimonium esse potest decretum Synodi Carentoniensis anno 1631, de quo toties mentio fieri solet ab adversariis. Sed ab ipso Reformationis tempore non semel hoc se optare nostri sunt professi, et data occasione consilia irenica urserunt; quod fecerunt inprimis varii principes et theologi Reformati, ut patuit imprimis ex legatione quam in eum finem instituit Henricus IV. vere magnus, tunc rex Navarræ, et adhuc noster, ad principes Germaniæ a. 1583, approbante Synodo Vitriacensi. Et non ita pridem ex celeb. viri Joh. Duræi laboribus, qui opus hoc saluberrimum magno studio et indefessa diligentia promovere conatus est, luculenter liquet. Nec difficile esset ostendere, vulnus hoc non esse immedicabile, cum consensus iste evangelicorum non semel fuerit initus. Ut ex colloquio Marpurgensi inter Lutheram et Zuinglium et alios, habito a. 1529, patet, in quo agnitum fuit, in cæteris omnibus capitibus consensum esse, dissensum tantum in unico articulo de cœna Domini, eoque non toto; sic in conventu Wittembergensi, anno 1536, Maii 21, fuit inita concordia in communi formula de ea a Melanchtone scripta, et subscripta a theologis utriusque partis, qui ibi aderant. Quibus adde quæ in conventu Sweinfurtensi, a. 1532, Wittembergensi, a. 1536, Smalcaldico, a. 1537, et inter Saxones et Helvetios acta sunt a. 1537, et 1538, ubi ipse Lutherus suis ad Helvetios datis, 1 Dec. a. 1537, pacem urget, et optare se summopere testatur: "Erunt tam apud vos quam apud nos aliqui, quibus concordia hæc parum probabitur, sed suspecta erit. Si tamen nos utrinque, quibus illa cordi est, serio seduloque instabimus, clementissimus Deus et Pater utique gratiam suam dabit, ut et alii paulatim mitescant, et aquæ turbidæ considant." Et postea, "Cumprimis vero obnixe vos rogatos volo, ita de me existimetis, tanquam de eo, cui res tota summe sit cordi, quique quantum omnino mearum erit virium, nihil eorum sim intermissurus, quæ ad concordiam promovendam pertinebunt. Novit id Deus, quem testem invoco super animam meam," &c. Tum de capite controverso agens, "Verum

tamen, si non omnino satis recte mentem mutuo percepimus, hoc in præsens optimum sit, ut invicem amici simus, et optima quæque mutuo de nobis invicem polliceamur, donec gluma et aqua faculenta tandem subsidat." Sic in Polonia evangelici consensum Sendomiriæ inierunt, an. 1570. Et Bohemiæ Ordines, anno 1575, exemplo Polonorum, qui Hussiticam, Bohemicam et Augustanam Confessionem sequebantur, unanimes in communem fidei formulam convenerunt; quam Imperator Maximilianus tunc ratam habuit et securitate donavit. Ne jam loquamur de civili unione principum et ordinum evangelicorum in imperio, per quam ipsi Reformati agniti sunt *Socii Confessionis Augustanæ*, ut in conventibus Monasteriensibus et Osnabrugensibus fuit declaratum. Quæ omnia, non impossibilem, sed facilem fore syncretismum, si utrinque spiritu charitatis et pacis agerentur fideles, ostendunt. Ut theologi Marpurgenses et Rintelenses non ita pridem, in *Colloquio Cassellano* auctoritate Serenissimi Principis Wilhelmi Hassiæ Landgravii inito, agnoverunt. Cujus conclusionem hic subjicere non piget. "Ex his ita ultro citroque actis, cognitis et perpensis, atque declaratis," inquiunt, "cum constet, circa ea quæ fundamentum fidei et salutis constituunt, plenum esse consensum, quæstiones autem controversas fundamentum istud minime attingere, minusque multo tollere et evertere, convenit utrinque, ne altera pars alteram, propter dissensum in prædictis quæstionibus residuis traducat, convitiis proscindat, aut damnet, sed se mutuo sincera et fraterna charitatate complectantur, utrique parti addicti etiam ad hoc disponantur, quo se invicem pro ejusdem veræ Christi Ecclesiæ catholicæ membris, veræque salvificæ in Christum fidei consortibus, atque vitæ æternæ cohæredibus, agnoscant."

XXXV. Quamvis vero syncretismum cum fratribus Lutheranis iniri posse censeamus, non sequitur eundem posse iniri cum Pontificiis, quia longum latumque discrimen intercedit inter utrosque. Isti impingunt in fundamentum multipliciter, sed illi nobiscum in eo conveniunt. Consentiunt in Protestantismo formali contra tyrannidem, idololatriam, et hæreses multiplices Ecclesiæ Romanæ. Nobiscum aversantur cultum imaginum, et invocationem sanctorum, purgatorium, satisfactiones humanas, merita operum, transubstantiationem, sacrificium missaticum, adorationem hostiæ, primatum Papæ, et infallibilitatem Ecclesiæ. Eadem nobis est regula fidei et morum, sola scriptura canonica. Idem unicus Mediator apud Deum, Christus θεάνθρωπος. Eadem justificatio per fidem ex meriti et satisfactionis Christi gratuita imputatione, et alia innumera, quibus a Pontificiis dissidemus, et quæ locum secessioni nostræ dederunt. Quod si alia quædam doctrinæ capita retinent, quæ nos veritati non satis consentanea credimus, et pauca sunt præ illis in quibus consentimus mutuo, si symbolica scripta, et confessiones publicas, ex quibus de Ecclesiæ fide nobis est judicandum, respicimus: (nam κυρίας δόξας et singulares doctorum privatorum opiniones attendendas non credimus) et non ejus momenti, quæ conscientiam possint inficere, et salutem ipsam evertere. Quod si res Ecclesiæ Romanæ in eo essent statu, si bona fide illi crederent, quod Lutherani credunt, et rejicerent quod rejiciunt, facile tolerantia Christiana illis a nobis non secus ac istis offerretur. Sed cum nemo non videat diversissimam esse utrorumque hac in parte sententiam; nemo etiam mirabitur, si, dum istis offerre solemus syncretismum, illis tamen denegamus.

XXXVI. Verum quicquid sit, inquies, errant Lutherani graviter cum Pontificiis, vel in hoc uno articulo de *præsentia reali corporis Christi* in cœna. Si ergo ab istis propterea secedendum esse nobis putamus, cur

non pariter ab illis? Vel si cum illis possumus communionem colere, quidni etiam cum istis? Resp. Fateor dogma hoc Lutheranorum tale esse, quod a nobis probari non possit; sed negamus ejusdem esse momenti cum erroribus Pontificiorum circa hoc caput. 1. Quia Pontificii non errant solum in præsentia reali corporis Christi, sed in transubstantiatione, sacrificio missatico, adoratione hostiæ, substractione calicis, et aliis, quæ gravia sunt et capitalia, quæ illi constanter nobiscum rejiciunt. 2. Error Lutheranorum est mere *theoreticus*; qui mentem quidem falsa opinione imbuit, sed qui conscientiam propterea non inficit, ut aliquid in cultu admittatur, quod idololatriam sapiat. Licet enim Christum præsentem esse velint in sacramento, tamen adorationem sacramenti nec ipsi agnoscunt, nec aliis imponunt, sed aperte impugnant. "Primo dicunt," sic loquitur Chemnitius in Exam. Conci. Trident. p. 2, de veneratione sacramenti, de Pontificiis, "ipsum sacramentum Eucharistiæ, seu totum illud, quod a Domino ut sumatur institutum est, esse cultu latriæ adorandum. Atqui Eucharistia, juxta dictum Irenæi, constat duabus rebus, terrena et cœlesti. Essent igitur etiam terrena elementa panis et vini in Eucharistia cultu latriæ adoranda, quod a manifesto idololatriæ seu ἀρτολατρείας crimine excusari et defendi nullo modo posset." Et postea, "Ad cavendam igitur idololatriam diserte distinguendum est. Christus Deus et Homo in divina et humana natura in actione præsens adoretur, substantia vero vel species elementorum panis et vini non adorentur, nec præter Creatorem etiam creaturam colamus," &c. Sed Pontificii non hic modo *theoretice*, sed et *practice* etiam errant, et quidem gravissime, dum adorationem hostiæ et credunt ipsi et exhibent, et cæteris tanquam summe necessariam sub pœna anathematis omnibus imponunt. 3. Lutherani hic falluntur resp. *loci*, dum putant corpus Christi ibi esse, ubi non est revera, sed non quoad *objectum*, ut pro corpore Christi aliud aliquod subjectum, substantiam puta panis, accipiant, quia volunt semper manere panem distinctum a corpore Christi. Sed Pontificii non modo peccant resp. *loci*, sed et *objecti*, dum non tantum Christi corpus ibi esse localiter pertendunt, sed ipsum panem in corpus Christi mutatum statuunt; atque ita, dum credunt se adorare Christum, reipsa nihil aliud quam panem adorant, et sic merito in ἀρτολατρείας crimen incurrunt. 4. Pontificii adorationem hostiæ non modo in usu sacramenti sanciunt, sed etiam extra usum seu extra illam actionem imperant, puta quum panis in processionibus circumgestatur et in repositione includitur, ut tunc populo adorandus proponatur. Sed Lutherani, licet cultum Christi in usu sacramenti agnoscant, extra illum tamen peculiarem cultum aut adorationem ad panem circumgestatum vel repositum statui non posse sine manifesta idololatria profitentur. "Quid aliud possumus," inquit ibid. Chemn., "juxta normam verbi divini judicare, quam talem cultum non esse Χριστολατρείαν, sed ἀρτολατρείαν?" 5. Licet præsentiæ realis dogma varia absurda post se trahat; quia tamen Lutherani ea non agnoscunt, et ab his abhorrere se profitentur, et testantur se credere præsentiæ istius modum esse plane ἄῤῥητον et inexplicabilem, qui non obstet, quominus corpus Christi saltem *quoad actum naturæ*, ut loquuntur, unicum locum eumque circumscriptivum occupet; quia naturarum in Christo veritatem et distinctionem expresse nobiscum confitentur, non statim possunt aut debent illis impingi omnes illæ, quæ ex hoc ipsorum dogmate possunt elici, consequentiæ, quasi de illorum essent fide: ut non possunt juste nobis adscribere portentosa illa dogmata, quæ ex nonnullis quorundam doctorum nostrorum verbis male intellectis solent perperam colligere. Sed Pontificiorum alia est ratio:

nec enim, qui tribuuntur illis *errores* solum sunt indirecti, et per consequentias educti, sed *directi* et *formales*, quos non modo non rejiciunt, sed quos omnibus credendos obtrudunt, v. g. sacrificium missaticum, transubstantiatio, adoratio hostiæ, cultus imaginum, &c. 6. Syncretismus, quem optamus cum Lutheranis, talis est, ut per eum nihil decedat nobis de ea veritate quam profitemur, utpote qui in sola fraterna tolerantia consistat, donec Deus ulterius errantes illuminet ad plenum consensum ineundum, in iis in quibus dissidemus. Sed Roma, quæ se dominam et infallibilem jactat, nullum potest syncretismum admittere, nisi in ejus verba juremus, et illius jugum subeamus. Absit vero ut tale quid vel cogitemus unquam, vel præstemus. Maneamus in liberate, in quam Christus nos asseruit, ne sub reconciliationis prætextu, redeamus ad compedes, et sub jugum durissimæ servitutis, sub quo antea detinebamur, denuo mittamur. Et si nostrum ad se reditum obtinere vult Roma, redeat primo in gratiam cum Christo, et eum solum regnare patiatur, et nos faciles experietur in ineundo consensu. Sed hoc optare facilius est quam sperare: nisi Deus, qui hominum corda in manu sua habet, potenter ea Spiritus sui virtute flectat, quod piorum omnium votum esse debet.

XXXVII. Cum ergo ex iis omnibus, quæ a nobis hactenus disputata sunt, constet, Romam quamplurimis exitialibus hæresibus doctrinam Christianam corrupisse, et in cultu crassissimarum superstitionum et idololatriarum, quæ cum salute plane sunt ἀσύστατα, ream esse; atque adeo sedem esse imperii tyrannici et Antichristiani, et insignis apostasiæ, quæ novissimis temporibus contingere debuit, a qua proinde Spiritus Sanctus pios omnes secedere jubet, si saluti suæ consultum volunt, quid superest nisi ut concludamus, necessariam omnino fuisse Patrum nostrorum ab ea secessionem, et impossibilem, rebus sic stantibus, nostrum ad eam reditum et cum ea syncretismum, qui totius istius Disputationis scopus fuit et finis. Faxit Deus Optimus Maximus, qui nos ad gloriosam regni sui libertatem vocavit, ut, in hac veritate salutari magis magisque confirmati, posthabitis et spretis promissis et minis omnibus, quibus vel nos inescare et ad se allicere, vel a fide Christi deterrere et abducere Babylon conatur, Christo unico capiti et sponso nostro indivulse adhærentes, illum ita constanter præ omnibus amemus, colamus, et sequamur, ut nihil ab ejus communione avellere unquam nos possit; donec ad communionem ejus gloriæ in cœlos translati, cum eo in æternum felices vivamus. AMEN, AMEN.

non pariter ab illis? Vel si cum illis possumus communionem colere, quidni etiam cum istis? Resp. Fateor dogma hoc Lutheranorum tale esse, quod a nobis probari non possit; sed negamus ejusdem esse momenti cum erroribus Pontificiorum circa hoc caput. 1. Quia Pontificii non errant solum in præsentia reali corporis Christi, sed in transubstantiatione, sacrificio missatico, adoratione hostiæ, substractione calicis, et aliis, quæ gravia sunt et capitalia, quæ illi constanter nobiscum rejiciunt. 2. Error Lutheranorum est mere *theoreticus*; qui mentem quidem falsa opinione imbuit, sed qui conscientiam propterea non inficit, ut aliquid in cultu admittatur, quod idololatriam sapiat. Licet enim Christum præsentem esse velint in sacramento, tamen adorationem sacramenti nec ipsi agnoscunt, nec aliis imponunt, sed aperte impugnant. "Primo dicunt," sic loquitur Chemnitius in Exam. Conci. Trident. p. 2, de veneratione sacramenti, de Pontificiis, "ipsum sacramentum Eucharistiæ, seu totum illud, quod a Domino ut sumatur institutum est, esse cultu latriæ adorandum. Atqui Eucharistia, juxta dictum Irenæi, constat duabus rebus, terrena et cœlesti. Essent igitur etiam terrena elementa panis et vini in Eucharistia cultu latriæ adoranda, quod a manifesto idololatriæ seu ἀρτολατρείας crimine excusari et defendi nullo modo posset." Et postea, "Ad cavendam igitur idololatriam diserte distinguendum est. Christus Deus et Homo in divina et humana natura in actione præsens adoretur, substantia vero vel species elementorum panis et vini non adorentur, nec præter Creatorem etiam creaturam colamus," &c. Sed Pontificii non hic modo *theoretice*, sed et *practice* etiam errant, et quidem gravissime, dum adorationem hostiæ et credunt ipsi et exhibent, et cæteris tanquam summe necessariam sub pœna anathematis omnibus imponunt. 3. Lutherani hic falluntur resp. *loci*, dum putant corpus Christi ibi esse, ubi non est revera, sed non quoad *objectum*, ut pro corpore Christi aliud aliquod subjectum, substantiam puta panis, accipiant, quia volunt semper manere panem distinctum a corpore Christi. Sed Pontificii non modo peccant resp. *loci*, sed et *objecti*, dum non tantum Christi corpus ibi esse localiter pertendunt, sed ipsum panem in corpus Christi mutatum statuunt; atque ita, dum credunt se adorare Christum, reipsa nihil aliud quam panem adorant, et sic merito in ἀρτολατρείας crimen incurrunt. 4. Pontificii adorationem hostiæ non modo in usu sacramenti sanciunt, sed etiam extra usum seu extra illam actionem imperant, puta quum panis in processionibus circumgestatur et in repositione includitur, ut tunc populo adorandus proponatur. Sed Lutherani, licet cultum Christi in usu sacramenti agnoscant, extra illum tamen peculiarem cultum aut adorationem ad panem circumgestatum vel repositum statui non posse sine manifesta idololatria profitentur. "Quid aliud possumus," inquit ibid. Chemn., "juxta normam verbi divini judicare, quam talem cultum non esse Χριστολατρείαν, sed ἀρτολατρείαν?" 5. Licet præsentiæ realis dogma varia absurda post se trahat; quia tamen Lutherani ea non agnoscunt, et ab his abhorrere se profitentur, et testantur se credere præsentiæ istius modum esse plane ἄῤῥητον et inexplicabilem, qui non obstet, quominus corpus Christi saltem *quoad actum naturæ*, ut loquuntur, unicum locum eumque circumscriptivum occupet; quia naturarum in Christo veritatem et distinctionem expresse nobiscum confitentur, non statim possunt aut debent illis impingi omnes illæ, quæ ex hoc ipsorum dogmate possunt elici, consequentiæ, quasi de illorum essent fide: ut non possunt juste nobis adscribere portentosa illa dogmata, quæ ex nonnullis quorundam doctorum nostrorum verbis male intellectis solent perperam colligere. Sed Pontificiorum alia est ratio:

nec enim, qui tribuuntur illis *errores* solum sunt indirecti, et per consequentias educti, sed *directi* et *formales*, quos non modo non rejiciunt, sed quos omnibus credendos obtrudunt, v. g. sacrificium missaticum, transubstantiatio, adoratio hostiæ, cultus imaginum, &c. 6. Syncretismus, quem optamus cum Lutheranis, talis est, ut per eum nihil decedat nobis de ea veritate quam profitemur, utpote qui in sola fraterna tolerantia consistat, donec Deus ulterius errantes illuminet ad plenum consensum ineundum, in iis in quibus dissidemus. Sed Roma, quæ se dominam et infallibilem jactat, nullum potest syncretismum admittere, nisi in ejus verba juremus, et illius jugum subeamus. Absit vero ut tale quid vel cogitemus unquam, vel præstemus. Maneamus in liberate, in quam Christus nos asseruit, ne sub reconciliationis prætextu, redeamus ad compedes, et sub jugum durissimæ servitutis, sub quo antea detinebamur, denuo mittamur. Et si nostrum ad se reditum obtinere vult Roma, redeat primo in gratiam cum Christo, et eum solum regnare patiatur, et nos faciles experietur in ineundo consensu. Sed hoc optare facilius est quam sperare: nisi Deus, qui hominum corda in manu sua habet, potenter ea Spiritus sui virtute flectat, quod piorum omnium votum esse debet.

XXXVII. Cum ergo ex iis omnibus, quæ a nobis hactenus disputata sunt, constet, Romam quamplurimis exitialibus hæresibus doctrinam Christianam corrupisse, et in cultu crassissimarum superstitionum et idololatriarum, quæ cum salute plane sunt ἀσύστατοι, ream esse; atque adeo sedem esse imperii tyrannici et Antichristiani, et insignis apostasiæ, quæ novissimis temporibus contingere debuit, a qua proinde Spiritus Sanctus pios omnes secedere jubet, si saluti suæ consultum volunt, quid superest nisi ut concludamus, necessariam omnino fuisse Patrum nostrorum ab ea secessionem, et impossibilem, rebus sic stantibus, nostrum ad eam reditum et cum ea syncretismum, qui totius istius Disputationis scopus fuit et finis. Faxit Deus Optimus Maximus, qui nos ad gloriosam regni sui libertatem vocavit, ut, in hac veritate salutari magis magisque confirmati, posthabitis et spretis promissis et minis omnibus, quibus vel nos inescare et ad se allicere, vel a fide Christi deterrere et abducere Babylon conatur, Christo unico capiti et sponso nostro indivulse adhærentes, illum ita constanter præ omnibus amemus, colamus, et sequamur, ut nihil ab ejus communione avellere unquam nos possit; donec ad communionem ejus gloriæ in cœlos translati, cum eo in æternum felices vivamus. AMEN, AMEN.

DECAS

DISPUTATIONUM MISCELLANEARUM.

EXERCITATIO THEOLOGICA,

DE LIBRO VITÆ.

Respondente Marco Michaele Michælio *Genevensi.*

I. Cum frequentissima *Libri Vitæ* in Scripturis occurrat mentio, et graves de eo moveri soleant quæstiones, quæ ad electionis immutabilitatem et certitudinem illustrandam non parum faciunt, fructu suo non carituram esse apud veritatis studiosos operam nostram sumus arbitrati, si brevem de eo institueremus disceptationem. Quod ut commodius exequi possimus, tria hic potissimum expendenda venient. I. Quid per Librum vitæ intelligendum sit, et quo sensu Deo tribuatur. II. An quisquam ex eo deleri possit. III. An et unde constare queat, nos in hoc libro esse scriptos.

Quotuplex Liber Deo tribuatur.

II. Et ad primum quidem quod attinet; quid sit *Liber* iste, et quotuplex, non convenit inter omnes. Quidam plures, quidam pauciores ejus species constituunt. Sixtus Senensis, Biblioth. sanctæ lib. ii., cui placuit ista minutius distinguere, quintuplicem facere voluit ad instar Pentateuchi, et volumen unum in quinque quasi tomos distribuere. Primus illi est ספר חיים, *Liber viventium*, sivè prædestinatorum catalogus, in quo quicunque ad vitam electi sunt, conscripti censentur, de quo Paulus Phil. iv. 3, et Apoc. xvii. 8, et xxi. 27. Secundus est *Liber mandatorum*, qui κατ' ἐξοχὴν *Scriptura* dicitur, eo nomine recte insignita; tum quia promissiones vitæ æternæ una cum præceptis ad vitam æternam consequendam necessariis continet, quo sensu passim vocatur λογος ζωης, *Verbum vitæ* et *Doctrina salutis*, tum etiam quia Christus, qui verus Deus est et vita æterna, totius Scripturæ centrum est et finis. Tertius illi est *Liber vitæ Agni*, de quo Apoc. xiii. 8. "Adorabant bestiam omnes incolæ terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni," &c. Ita dictus, non quod sit liber ab Agno descriptus, sed quod ipse Agnus ad normam vitæ nobis proponatur, veluti liber quidam illustris et conspicuus, non papyro aut membranis, sed in ipsa Christi carne et membris aptatus, non atramento miniove, sed pretioso et incontaminato ejus sanguine conscriptus, in quo quilibet Christianus potest uno velut intuitu legere et ediscere, quæcunque ad piam et vere Christianam vitam necessaria, innocentiam singularem, profundam humilitatem, perfectissimam obedientiam, patientiam incredibilem, ardentissimam charitatem, et cæteras virtutes ad æternæ beatitudinis aditum maxime necessarias; ad quem librum pertinere posset, quod Christus dicitur apud Petrum, primæ cap. ii. 21, reliquisse ὑπογραμμον, *ut sequamur ejus vestigia.* Quartus vocatur *Liber vitæ præteritæ*, seu liber vitæ uniuscujusque, in quo scilicet singulorum dicta et facta reponuntur, ut de illis rationem reddant in die judicii,

de quo vult intelligi locum Apoc. xx. 12, ubi ex August. lib. xx. de Civ. Dei, cap 14, putat legendum, non tantum ut habetur vulgo, et "*liber alius apertus est, qui est liber vitæ,*" sed "*liber alius apertus est, qui est liber vitæ uniuscujusque,*" ut notetur vis quædam divina, cujus virtute in die judicii ita reducentur unicuique in memoriam præterita gesta sua, et ante oculos mentis ponentur, ut nulli tunc licitum futurum sit vel ignorare, vel dissimulare, vel abscondere peccata sua. Quintus et ultimus est *Liber vitæ æternæ*, beata scilicet et æterna Christi præsentia, apud quem est fons vitæ, Psal. xxxvi., et in cujus visione habebimus lumen vitæ, et assiduam, ut ita dicam, Libri vitæ lectionem. Ita ut quicquid in primo Prædestinationis libro sancitur, in secundo Scripturæ promittitur, in tertio Agni exercetur, in quarto Judicii determinatur, in hoc ultimo tandem certissime complendum sit et revelandum.

III. Quamvis autem non diffiteamur, quædam hic a Senensi apposite recenseri ad librorum divinorum evolutionem, sunt tamen non pauca, quæ merito hic desiderantur, dum vel sine necessitate quosdam multiplicat, vel sine ratione alios omittit. Quis enim ignorat Providentiæ librum amplissimum, cujus tamen nulla hic apud ipsum mentio? Quis non videt iterum, perperam distingui librum primum Prædestinationis, a libro ultimo gloriæ et felicitatis, qui titulo tantum, non reipsa differunt? Ut nihil jam dicam vel de subtili, sed parum solida libri Agni expositione, cujus nullum in Scriptura veram occurrit fundamentum, vel de libri vitæ præteritæ commento, quem sine ratione ex loco Apocal. exculpere conatur, contra omnium probatorum codicum fidem, qui legunt simpliciter βιβλιον αλλο ηνεωχθη ὁ εστι της ζωης, *qui est liber vitæ*, non vero της ζωης ἑκαστου, *liber vitæ uniuscujusque*, ut contendit.

IV. Ut ergo enucleatius rem totam persequamur, quædam in genere de libris Dei præmittenda sunt, ex quibus facilius ad cognitionem libri vitæ, de quo nunc agimus, pervenire poterimus. Librorum Dei sæpe Scriptura meminit, sed non semper eodem sensu. Nos, cæteris distinctionibus missis, in duos ordines eos tribuimus. Alii sunt *externi*, qui a Deo quidem sunt *originaliter*, sed non in Deo *subjective* continentur. Alii *interni*, qui et *a Deo* sunt, et *in Deo*, quorum ipse non tantum est efficiens et principium, sed etiam, ut ita dicam, subjectum. Externi rursus varii, sed potissimum triplices, pro triplici Dei scriptione: 1. Liber *Mundi* seu *Creaturarum*. 2. Liber *Scripturæ*. 3. Liber *Conscientiæ*. Primum scripsit in Mundo per opera; secundum scripsit in Ecclesia per Verbum; tertium exarat in corde per Spiritum.

Libri externi Dei varii.
1. Liber mundi.

V. Primus liber Dei est *liber mundi*, totius sc. hujus universi opificium, in quo velut in libro amplissimo, magnis quidem et crassis, sed speciosissimis tamen et magna arte incisis characteribus ita se ipsum descripsit Deus, ut aperire oculos nequeant homines, quin aspicere eum cogantur. Licet enim essentia ejus sit incomprehensibilis, et humanos sensus procul effugiat, tam illustres tamen, tamque claras gloriæ suæ singulis operibus suis notas insculpsit, ut sublata sit omnis quantumlibet rudibus et stupidis ignorantiæ excusatio. Quid enim est conspicuum hujus mundi theatrum, quam παιδευτηριον της θεογνωσιας, και ψυχων διδασκαλειον, ut magnifice exprimit *Basilius*. Eo respicit procul dubio Paulus, quum, Rom. i. 19, 20, dicit τα αορατα αυτου απο κτισεως κοσμου τοις ποιημασι νοουμενα καθορασθαι, "invisibilia ejus a creatione mundi operibus conspecta videri," scili. velut in libro, qui nobis legendus proponitur. Nec abludit Scriptura quum sub *libri* metaphora de creaturis, et in specie de cælo loquitur, Isa. xxxiv. 4, Apoc. vi. 14, sed inprimis,

Psal. xix., ubi non solum קול, seu vox et sonus, creaturis tribuitur, sed etiam קו, seu *linea*, qualis nempe duci solet in libris scribendis, Isa. xxviii. 13. Unde dicuntur cœli מספרים *enarrantes* gloriam Dei, quia in seipsis velut in libro, qui ספר dicitur, laudum divinarum materiam nobis suppeditant, ut hic revera creaturæ sint instar librorum, quæ, utut mutæ videantur, in quibus nec loquela nec sermo sit, omnes tamen vocales sint reipsa, *quarum vox ubique audiatur*, Psal. xix. 3, nec sursum tantum cœli gloriam opificis prædicent, sed et deorsum terra, in qua magnificum ejus nomen conspicitur, imo præsentem clamat quælibet herba Deum.

2. Liber Scripturæ.

VI. Ita Deus in schola naturæ homines, non verbo, sed opere erudire voluit, et ut bene Tertull., "Præmisit naturam magistram, submissurus et Prophetiam, quo facilius credas Prophetiæ discipulus naturæ." Verum quia liber iste per peccatum mirum in modum obscuratus, et tantum non deletus fuit, ita ut ad salutem sufficere nequeat, addidit Deus *librum* alterum *Scripturæ*, in quo clare et distincte, non modo potentiæ et divinitatis lineamenta nobis expressit sed insuper voluntatis et gratiæ testimonia indubitata reliquit, unde passim liber Dei, liber Legis, liber fœderis, liber Domini vocatur, Exo. xxiv. 7, Heb. ix. 19, Isa. xxxiv. 16. Utrumque librum nobis aperit Psaltes, Psal. xix., ut ostendat, utraque via Deum se nobis patefecisse, et a creaturarum contemplatione ad verbi lectionem esse transeundum, ut cognitio Dei salutaris possit haberi. Fateor Scripturam et librum Dei singulari ratione vocari posse tabulas illas, in quibus propriis digitis Legem suam exarare voluit, quæ מעשה אלהים, *opus Dei*, et מכתב אלהים, *Scriptura Dei*, Exo. xxxii. 16, vocantur. Sed hoc non obstat, quominus verbum illud, quod speciali Dei jussu et inspiratione per viros θεοπνεύστους scriptis consignatum est, *liber Dei* verissime dicatur, quia ejus solus auctor est et causa principalis, licet usus sit hominum ministerio in eo promulgando.

3. Liber Conscientiæ.

VII. Tertius liber externus est *liber conscientiæ*, in quo Deus jam ab initio cognitionem sui et legem naturalem impressit, et quod sui juris est et nostri officii docuit; ita ut singuli, si eum audire et attente expendere velint, facile non tam hominem, quam Deum ipsum loquentem animadvertant. In *statu instituto naturæ*, liber iste integer fuit et nulla litura notatus. In *destituto peccati*, corruptus quidem fuit et miris modis fœdatus, sed mansit tamen ad hominis convictionem et ἀναπολογίαν, "Gentes enim ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente conscientia ipsorum, et cogitationibus vicissim accusantibus et excusantibus," Rom. ii. 15. In *restituto gratiæ* renovatur et reformatur in fidelibus per Spiritum, ad eorum sanctificationem, quippe qui Legem digito suo non in tabulis lapideis, ut olim, quæ confringi possint, sed carneis cordis inscribit, 2 Cor. iii. 3, juxta promissionem fœderi novo annexam, "Inscribam legem meam cordibus ipsorum, et ero Deus illorum, et illi erunt mihi in populum," Jer. xxxi. 33. In statu denique *præstituto gloriæ* liber iste perficietur in beatis, super quos *scripturus* dicitur Christus *nomen Dei sui*, ut sciant se esse ejus filios, *nomen civitatis Dei*, *Jerusalem cœlestis*, ut norint se esse ejus incolas et cives; et *nomen suum novum*, ut agnoscantur ejus membra, Apoc. iii. 12.

VIII. Sic fuerunt *libri externi* Dei. Alii sunt *interni*, qui ita dicuntur, non proprie, quasi Deus, qui omnia uno intuitu in seipso disponit et videt, opus habeat libris ad instar hominum, vel ad memoriæ subsidium, vel ad rerum certitudinem confirmandam, sed ἀνθρωποπαθῶς et figurate ad denotandam rerum omnium, tum præfinitionem certissimam, tum infallibilem

id est doctrinas, non quidem absolute hæreticas et exitiales, (sic enim servari non possent) sed vanas, curiosas et inutiles, heterogeneas, et parum respondentes fundamenti præstantiæ. Bene ergo hinc concluseris, in sinu Ecclesiæ posse dari tales doctores, qui non rite per omnia muneris sui partes impleant; sed male colliges communionem coli posse cum iis, qui errant fundamentaliter.

XXXIV. Hoc tamen tertio evincere conantur ex *Lutheranorum* exemplo. Nam si cum illis syncretismum inire non recusamus, qui non minus graviter errant in articulo de cœna Pontificiis, quidni poterimus illum cum Pontificiis pariter inire? Licet vero de hoc argumento quædam jam dicta sint, Disp. III. Th. 22, &c., quia tamen nihil ferme est, quod toties, et tanto cum ardore a missionariis et aliis pontificiæ communionis hominibus objici soleat et urgeri, adeo ut hinc animi injusto et pertinaci in E. R. odio incensi nos insimulent; ut qui ab ea secessionem fecerimus, et in ea pertinaciter perseveremus, cum non detrectemus Lutheranorum communionem, a quibus haud minus tamen justas, minusque idoneas rationes secedendi habemus: æquum est ut de hoc etiam paulo plenius agamus. Primo fatemur votum hoc fuisse semper Reformatorum, ut communionem colere et syncretismum inire possent cum Protestantibus, qui nomen a summo Dei viro Luthero ducere solent, ut infelix illud dissidium tolleretur, quo mirum quantum renascentis evangelii propagatio est inhibita, infirmis scandalum præbitum, et hostibus veritatis insultandi, et de dissidiis nostris triumphandi data est ansa; atque in eum finem fraternitatis dextram non semel parati fuerunt porrigere iis, qui eodem pacis et charitatis studio agerentur. Cujus insigne testimonium esse potest decretum Synodi Carentoniensis anno 1631, de quo toties mentio fieri solet ab adversariis. Sed ab ipso Reformationis tempore non semel hoc se optare nostri sunt professi, et data occasione consilia irenica urserunt; quod fecerunt inprimis varii principes et theologi Reformati, ut patuit imprimis ex legatione quam in eum finem instituit Henricus IV. vere magnus, tunc rex Navarræ, et adhuc noster, ad principes Germaniæ a. 1583, approbante Synodo Vitriacensi. Et non ita pridem ex celeb. viri Joh. Duræi laboribus, qui opus hoc saluberrimum magno studio et indefessa diligentia promovere conatus est, luculenter liquet. Nec difficile esset ostendere, vulnus hoc non esse immedicabile, cum consensus iste evangelicorum non semel fuerit initus. Ut ex colloquio Marpurgensi inter Lutheram et Zuinglium et alios, habito a. 1529, patet, in quo agnitum fuit, in cæteris omnibus capitibus consensum esse, dissensum tantum in unico articulo de cœna Domini, eoque non toto; sic in conventu Wittembergensi, anno 1536, Maii 21, fuit inita concordia in communi formula de ea a Melanchtone scripta, et subscripta a theologis utriusque partis, qui ibi aderant. Quibus adde quæ in conventu Sweinfurtensi, a. 1532, Wittembergensi, a. 1536, Smalcaldico, a. 1537, et inter Saxones et Helvetios acta sunt a. 1537, et 1538, ubi ipse Lutherus suis ad Helvetios datis, 1 Dec. a. 1537, pacem urget, et optare se summopere testatur: "Erunt tam apud vos quam apud nos aliqui, quibus concordia hæc parum probabitur, sed suspecta erit. Si tamen nos utrinque, quibus illa cordi est, serio seduloque instabimus, clementissimus Deus et Pater utique gratiam suam dabit, ut et alii paulatim mitescant, et aquæ turbidæ considant." Et postea, "Cumprimis vero obnixe vos rogatos volo, ita de me existimetis, tanquam de eo, cui res tota summe sit cordi, quique quantum omnino mearum erit virium, nihil eorum sim intermissurus, quæ ad concordiam promovendam pertinebunt. Novit id Deus, quem testem invoco super animam meam," &c. Tum de capite controverso agens, "Verum

tamen, si non omnino satis recte mentem mutuo percepimus, hoc in præsens optimum sit, ut invicem amici simus, et optima quæque mutuo de nobis invicem polliceamur, donec gluma et aqua faculenta tandem subsidat." Sic in Polonia evangelici consensum Sendomiriæ inierunt, an. 1570. Et Bohemiæ Ordines, anno 1575, exemplo Polonorum, qui Hussiticam, Bohemicam et Augustanam Confessionem sequebantur, unanimes in communem fidei formulam convenerunt; quam Imperator Maximilianus tunc ratam habuit et securitate donavit. Ne jam loquamur de civili unione principum et ordinum evangelicorum in imperio, per quam ipsi Reformati agniti sunt *Socii Confessionis Augustanæ*, ut in conventibus Monasteriensibus et Osnabrugensibus fuit declaratum. Quæ omnia, non impossibilem, sed facilem fore syncretismum, si utrinque spiritu charitatis et pacis agerentur fideles, ostendunt. Ut theologi Marpurgenses et Rintelenses non ita pridem, in *Colloquio Cassellano* auctoritate Serenissimi Principis Wilhelmi Hassiæ Landgravii inito, agnoverunt. Cujus conclusionem hic subjicere non piget. "Ex his ita ultro citroque actis, cognitis et perpensis, atque declaratis," inquiunt, "cum constet, circa ea quæ fundamentum fidei et salutis constituunt, plenum esse consensum, quæstiones autem controversas fundamentum istud minime attingere, minusque multo tollere et evertere, convenit utrinque, ne altera pars alteram, propter dissensum in prædictis quæstionibus residuis traducat, convitiis proscindat, aut damnet, sed se mutuo sincera et fraterna charitatate complectantur, utrique parti addicti etiam ad hoc disponantur, quo se invicem pro ejusdem veræ Christi Ecclesiæ catholicæ membris, veræque salvificæ in Christum fidei consortibus, atque vitæ æternæ cohæredibus, agnoscant."

XXXV. Quamvis vero syncretismum cum fratribus Lutheranis iniri posse censeamus, non sequitur eundem posse iniri cum Pontificiis, quia longum latumque discrimen intercedit inter utrosque. Isti impingunt in fundamentum multipliciter, sed illi nobiscum in eo conveniunt. Consentiunt in Protestantismo formali contra tyrannidem, idololatriam, et hæreses multiplices Ecclesiæ Romanæ. Nobiscum aversantur cultum imaginum, et invocationem sanctorum, purgatorium, satisfactiones humanas, merita operum, transubstantiationem, sacrificium missaticum, adorationem hostiæ, primatum Papæ, et infallibilitatem Ecclesiæ. Eadem nobis est regula fidei et morum, sola scriptura canonica. Idem unicus Mediator apud Deum, Christus θεανθρωπος. Eadem justificatio per fidem ex meriti et satisfactionis Christi gratuita imputatione, et alia innumera, quibus a Pontificiis dissidemus, et quæ locum secessioni nostræ dederunt. Quod si alia quædam doctrinæ capita retinent, quæ nos veritati non satis consentanea credimus, et pauca sunt præ illis in quibus consentimus mutuo, si symbolica scripta, et confessiones publicas, ex quibus de Ecclesiæ fide nobis est judicandum, respicimus: (nam κυριας δοξας et singulares doctorum privatorum opiniones attendendas non credimus) et non ejus momenti, quæ conscientiam possint inficere, et salutem ipsam evertere. Quod si res Ecclesiæ Romanæ in eo essent statu, si bona fide illi crederent, quod Lutherani credunt, et rejicerent quod rejiciunt, facile tolerantia Christiana illis a nobis non secus ac istis offerretur. Sed cum nemo non videat diversissimam esse utrorumque hac in parte sententiam; nemo etiam mirabitur, si, dum istis offerre solemus syncretismum, illis tamen denegamus.

XXXVI. Verum quicquid sit, inquies, errant Lutherani graviter cum Pontificiis, vel in hoc uno articulo de *præsentia reali corporis Christi* in cœna. Si ergo ab istis propterea secedendum esse nobis putamus, cur

non pariter ab illis? Vel si cum illis possumus communionem colere, quidni etiam cum istis? Resp. Fateor dogma hoc Lutheranorum tale esse, quod a nobis probari non possit; sed negamus ejusdem esse momenti cum erroribus Pontificiorum circa hoc caput. 1. Quia Pontificii non errant solum in præsentia reali corporis Christi, sed in transubstantiatione, sacrificio missatico, adoratione hostiæ, substractione calicis, et aliis, quæ gravia sunt et capitalia, quæ illi constanter nobiscum rejiciunt. 2. Error Lutheranorum est mere *theoreticus*; qui mentem quidem falsa opinione imbuit, sed qui conscientiam propterea non inficit, ut aliquid in cultu admittatur, quod idololatriam sapiat. Licet enim Christum præsentem esse velint in sacramento, tamen adorationem sacramenti nec ipsi agnoscunt, nec aliis imponunt, sed aperte impugnant. "Primo dicunt," sic loquitur Chemnitius in Exam. Conci. Trident. p. 2, de veneratione sacramenti, de Pontificiis, "ipsum sacramentum Eucharistiæ, seu totum illud, quod a Domino ut sumatur institutum est, esse cultu latriæ adorandum. Atqui Eucharistia, juxta dictum Irenæi, constat duabus rebus, terrena et cœlesti. Essent igitur etiam terrena elementa panis et vini in Eucharistia cultu latriæ adoranda, quod a manifesto idololatriæ seu ἀρτολατρείας crimine excusari et defendi nullo modo posset." Et postea, "Ad cavendam igitur idololatriam diserte distinguendum est. Christus Deus et Homo in divina et humana natura in actione præsens adoretur, substantia vero vel species elementorum panis et vini non adorentur, nec præter Creatorem etiam creaturam colamus," &c. Sed Pontificii non hic modo *theoretice*, sed et *practice* etiam errant, et quidem gravissime, dum adorationem hostiæ et credunt ipsi et exhibent, et cæteris tanquam summe necessariam sub pœna anathematis omnibus imponunt. 3. Lutherani hic falluntur resp. *loci*, dum putant corpus Christi ibi esse, ubi non est revera, sed non quoad *objectum*, ut pro corpore Christi aliud aliquod subjectum, substantiam puta panis, accipiant, quia volunt semper manere panem distinctum a corpore Christi. Sed Pontificii non modo peccant resp. *loci*, sed et *objecti*, dum non tantum Christi corpus ibi esse localiter pertendunt, sed ipsum panem in corpus Christi mutatum statuunt; atque ita, dum credunt se adorare Christum, reipsa nihil aliud quam panem adorant, et sic merito in ἀρτολατρείας crimen incurrunt. 4. Pontificii adorationem hostiæ non modo in usu sacramenti sanciunt, sed etiam extra usum seu extra illam actionem imperant, puta quum panis in processionibus circumgestatur et in repositione includitur, ut tunc populo adorandus proponatur. Sed Lutherani, licet cultum Christi in usu sacramenti agnoscant, extra illum tamen peculiarem cultum aut adorationem ad panem circumgestatum vel repositum statui non posse sine manifesta idololatria profitentur. "Quid aliud possumus," inquit ibid. Chemn., "juxta normam verbi divini judicare, quam talem cultum non esse χριστολατρείαν, sed ἀρτολατρείαν?" 5. Licet præsentiæ realis dogma varia absurda post se trahat; quia tamen Lutherani ea non agnoscunt, et ab his abhorrere se profitentur, et testantur se credere præsentiæ istius modum esse plane ἄῤῥητον et inexplicabilem, qui non obstet, quominus corpus Christi saltem *quoad actum naturæ*, ut loquuntur, unicum locum eumque circumscriptivum occupet; quia naturarum in Christo veritatem et distinctionem expresse nobiscum confitentur, non statim possunt aut debent illis impingi omnes illæ, quæ ex hoc ipsorum dogmate possunt elici, consequentiæ, quasi de illorum essent fide: ut non possunt juste nobis adscribere portentosa illa dogmata, quæ ex nonnullis quorundam doctorum nostrorum verbis male intellectis solent perperam colligere. Sed Pontificiorum alia est ratio:

nec enim, qui tribuuntur illis *errores* solum sunt indirecti, et per consequentias educti, sed *directi* et *formales*, quos non modo non rejiciunt, sed quos omnibus credendos obtrudunt, v. g. sacrificium missaticum, transubstantiatio, adoratio hostiæ, cultus imaginum, &c. 6. Syncretismus, quem optamus cum Lutheranis, talis est, ut per eum nihil decedat nobis de ea veritate quam profitemur, utpote qui in sola fraterna tolerantia consistat, donec Deus ulterius errantes illuminet ad plenum consensum ineundum, in iis in quibus dissidemus. Sed Roma, quæ se dominam et infallibilem jactat, nullum potest syncretismum admittere, nisi in ejus verba juremus, et illius jugum subeamus. Absit vero ut tale quid vel cogitemus unquam, vel præstemus. Maneamus in liberate, in quam Christus nos asseruit, ne sub reconciliationis prætextu, redeamus ad compedes, et sub jugum durissimæ servitutis, sub quo antea detinebamur, denuo mittamur. Et si nostrum ad se reditum obtinere vult Roma, redeat primo in gratiam cum Christo, et eum solum regnare patiatur, et nos faciles experietur in ineundo consensu. Sed hoc optare facilius est quam sperare: nisi Deus, qui hominum corda in manu sua habet, potenter ea Spiritus sui virtute flectat, quod piorum omnium votum esse debet.

XXXVII. Cum ergo ex iis omnibus, quæ a nobis hactenus disputata sunt, constet, Romam quamplurimis exitialibus hæresibus doctrinam Christianam corrupisse, et in cultu crassissimarum superstitionum et idololatriarum, quæ cum salute plane sunt *ἀσύστατα*, ream esse; atque adeo sedem esse imperii tyrannici et Antichristiani, et insignis apostasiæ, quæ novissimis temporibus contingere debuit, a qua proinde Spiritus Sanctus pios omnes secedere jubet, si saluti suæ consultum volunt, quid superest nisi ut concludamus, necessariam omnino fuisse Patrum nostrorum ab ea secessionem, et impossibilem, rebus sic stantibus, nostrum ad eam reditum et cum ea syncretismum, qui totius istius Disputationis scopus fuit et finis. Faxit Deus Optimus Maximus, qui nos ad gloriosam regni sui libertatem vocavit, ut, in hac veritate salutari magis magisque confirmati, posthabitis et spretis promissis et minis omnibus, quibus vel nos inescare et ad se allicere, vel a fide Christi deterrere et abducere Babylon conatur, Christo unico capiti et sponso nostro indivulse adhærentes, illum ita constanter præ omnibus amemus, colamus, et sequamur, ut nihil ab ejus communione avellere unquam nos possit; donec ad communionem ejus gloriæ in cœlos translati, cum eo in æternum felices vivamus. AMEN, AMEN.

DECAS

DISPUTATIONUM MISCELLANEARUM.

EXERCITATIO THEOLOGICA,

DE LIBRO VITÆ.

Respondente Marco Michaele Michælio *Genevensi.*

I. Cum frequentissima *Libri Vitæ* in Scripturis occurrat mentio, et graves de eo moveri soleant quæstiones, quæ ad electionis immutabilitatem et certitudinem illustrandam non parum faciunt, fructu suo non carituram esse apud veritatis studiosos operam nostram sumus arbitrati, si brevem de eo institueremus disceptationem. Quod ut commodius exequi possimus, tria hic potissimum expendenda venient. I. Quid per Librum vitæ intelligendum sit, et quo sensu Deo tribuatur. II. An quisquam ex eo deleri possit. III. An et unde constare queat, nos in hoc libro esse scriptos.

Quotuplex Liber Deo tribuatur.

II. Et ad primum quidem quod attinet; quid sit *Liber* iste, et quotuplex, non convenit inter omnes. Quidam plures, quidam pauciores ejus species constituunt. Sixtus Senensis, Biblioth. sanctæ lib. ii., cui placuit ista minutius distinguere, quintuplicem facere voluit ad instar Pentateuchi, et volumen unum in quinque quasi tomos distribuere. Primus illi est ספר חיים, *Liber viventium*, sivè prædestinatorum catalogus, in quo quicunque ad vitam electi sunt, conscripti censentur, de quo Paulus Phil. iv. 3, et Apoc. xvii. 8, et xxi. 27. Secundus est *Liber mandatorum*, qui κατ' ἐξοχὴν *Scriptura* dicitur, eo nomine recte insignita; tum quia promissiones vitæ æternæ una cum præceptis ad vitam æternam consequendam necessariis continet, quo sensu passim vocatur λογος ζωης, *Verbum vitæ* et *Doctrina salutis*, tum etiam quia Christus, qui verus Deus est et vita æterna, totius Scripturæ centrum est et finis. Tertius illi est *Liber vitæ Agni*, de quo Apoc. xiii. 8. "Adorabant bestiam omnes incolæ terræ, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni," &c. Ita dictus, non quod sit liber ab Agno descriptus, sed quod ipse Agnus ad normam vitæ nobis proponatur, veluti liber quidam illustris et conspicuus, non papyro aut membranis, sed in ipsa Christi carne et membris aptatus, non atramento miniove, sed pretioso et incontaminato ejus sanguine conscriptus, in quo quilibet Christianus potest uno velut intuitu legere et ediscere, quæcunque ad piam et vere Christianam vitam necessaria, innocentiam singularem, profundam humilitatem, perfectissimam obedientiam, patientiam incredibilem, ardentissimam charitatem, et cæteras virtutes ad æternæ beatitudinis aditum maxime necessarias; ad quem librum pertinere posset, quod Christus dicitur apud Petrum, primæ cap. ii. 21, reliquisse ὑπογραμμον, *ut sequamur ejus vestigia.* Quartus vocatur *Liber vitæ præteritæ*, seu liber vitæ uniuscujusque, in quo scilicet singulorum dicta et facta reponuntur, ut de illis rationem reddant in die judicii,

de quo vult intelligi locum Apoc. xx. 12, ubi ex August. lib. xx. de Civ. Dei, cap 14, putat legendum, non tantum ut habetur vulgo, et "*liber alius apertus est, qui est liber vitæ*," sed "*liber alius apertus est, qui est liber vitæ uniuscujusque*," ut notetur vis quædam divina, cujus virtute in die judicii ita reducentur unicuique in memoriam præterita gesta sua, et ante oculos mentis ponentur, ut nulli tunc licitum futurum sit vel ignorare, vel dissimulare, vel abscondere peccata sua. Quintus et ultimus est *Liber vitæ æternæ*, beata scilicet et æterna Christi præsentia, apud quem est fons vitæ, Psal. xxxvi., et in cujus visione habebimus lumen vitæ, et assiduam, ut ita dicam, Libri vitæ lectionem. Ita ut quicquid in primo Prædestinationis libro sancitur, in secundo Scripturæ promittitur, in tertio Agni exercetur, in quarto Judicii determinatur, in hoc ultimo tandem certissime complendum sit et revelandum.

III. Quamvis autem non diffiteamur, quædam hic a Senensi apposite recenseri ad librorum divinorum evolutionem, sunt tamen non pauca, quæ merito hic desiderantur, dum vel sine necessitate quosdam multiplicat, vel sine ratione alios omittit. Quis enim ignorat Providentiæ librum amplissimum, cujus tamen nulla hic apud ipsum mentio? Quis non videt iterum, perperam distingui librum primum Prædestinationis, a libro ultimo gloriæ et felicitatis, qui titulo tantum, non reipsa differunt? Ut nihil jam dicam vel de subtili, sed parum solida libri Agni expositione, cujus nullum in Scriptura veram occurrit fundamentum, vel de libri vitæ præteritæ commento, quem sine ratione ex loco Apocal. exculpere conatur, contra omnium probatorum codicum fidem, qui legunt simpliciter βιβλιον αλλο ηνεωχθη ὁ εστι της ζωης, *qui est liber vitæ*, non vero της ζωης ἑκαστου, *liber vitæ uniuscujusque*, ut contendit.

IV. Ut ergo enucleatius rem totam persequamur, quædam in genere de libris Dei præmittenda sunt, ex quibus facilius ad cognitionem libri vitæ, de quo nunc agimus, pervenire poterimus. Librorum Dei sæpe Scriptura meminit, sed non semper eodem sensu. Nos, cæteris distinctionibus missis, in duos ordines eos tribuimus. Alii sunt *externi*, qui a Deo quidem sunt *originaliter*, sed non in Deo *subjective* continentur. Alii *interni*, qui et *a Deo* sunt, et *in Deo*, quorum ipse non tantum est efficiens et principium, sed etiam, ut ita dicam, subjectum. Externi rursus varii, sed potissimum triplices, pro triplici Dei scriptione: 1. Liber *Mundi* seu *Creaturarum*. 2. Liber *Scripturæ*. 3. Liber *Conscientiæ*. Primum scripsit in Mundo per opera; secundum scripsit in Ecclesia per Verbum; tertium exarat in corde per Spiritum.

Libri externi Dei varii.

1. Liber mundi.

V. Primus liber Dei est *liber mundi*, totius sc. hujus universi opificium, in quo velut in libro amplissimo, magnis quidem et crassis, sed speciosissimis tamen et magna arte incisis characteribus ita se ipsum descripsit Deus, ut aperire oculos nequeant homines, quin aspicere eum cogantur. Licet enim essentia ejus sit incomprehensibilis, et humanos sensus procul effugiat, tam illustres tamen, tamque claras gloriæ suæ singulis operibus suis notas insculpsit, ut sublata sit omnis quantumlibet rudibus et stupidis ignorantiæ excusatio. Quid enim est conspicuum hujus mundi theatrum, quam παιδευτηριον της θεογνωσιας, και ψυχων διδασκαλειον, ut magnifice exprimit *Basilius*. Eo respicit procul dubio Paulus, quum, Rom. i. 19, 20, dicit τα αορατα αυτου απο κτισεως κοσμου τοις ποιημασι νοουμενα καθορασθαι, "invisibilia ejus a creatione mundi operibus conspecta videri," scili. velut in libro, qui nobis legendus proponitur. Nec abludit Scriptura quum sub *libri* metaphora de creaturis, et in specie de cælo loquitur, Isa. xxxiv. 4, Apoc. vi. 14, sed inprimis,

Psal. xix., ubi non solum קֹל, seu vox et sonus, creaturis tribuitur, sed etiam קַו, seu *linea*, qualis nempe duci solet in libris scribendis, Isa. xxviii. 13. Unde dicuntur cœli מספרים *enarrantes* gloriam Dei, quia in seipsis velut in libro, qui ספר dicitur, laudum divinarum materiam nobis suppeditant, ut hic revera creaturæ sint instar librorum, quæ, utut mutæ videantur, in quibus nec loquela nec sermo sit, omnes tamen vocales sint reipsa, *quarum vox ubique audiatur*, Psal. xix. 3, nec sursum tantum cœli gloriam opificis prædicent, sed et deorsum terra, in qua magnificum ejus nomen conspicitur, imo præsentem clamat quælibet herba Deum.

2. Liber Scripturæ.

VI. Ita Deus in schola naturæ homines, non verbo, sed opere erudire voluit, et ut bene Tertull., "Præmisit naturam magistram, submissurus et Prophetiam, quo facilius credas Prophetiæ discipulus naturæ." Verum quia liber iste per peccatum mirum in modum obscuratus, et tantum non deletus fuit, ita ut ad salutem sufficere nequeat, addidit Deus *librum* alterum *Scripturæ*, in quo clare et distincte, non modo potentiæ et divinitatis lineamenta nobis expressit sed insuper voluntatis et gratiæ testimonia indubitata reliquit, unde passim liber Dei, liber Legis, liber fœderis, liber Domini vocatur, Exo. xxiv. 7, Heb. ix. 19, Isa. xxxiv. 16. Utrumque librum nobis aperit Psaltes, Psal. xix., ut ostendat, utraque via Deum se nobis patefecisse, et a creaturarum contemplatione ad verbi lectionem esse transeundum, ut cognitio Dei salutaris possit haberi. Fateor Scripturam et librum Dei singulari ratione vocari posse tabulas illas, in quibus propriis digitis Legem suam exarare voluit, quæ מעשה אלהים, *opus Dei*, et מכתב אלהים, *Scriptura Dei*, Exo. xxxii. 16, vocantur. Sed hoc non obstat, quominus verbum illud, quod speciali Dei jussu et inspiratione per viros θεοπνεύστους scriptis consignatum est, *liber Dei* verissime dicatur, quia ejus solus auctor est et causa principalis, licet usus sit hominum ministerio in eo promulgando.

3. Liber Conscientiæ.

VII. Tertius liber externus est *liber conscientiæ*, in quo Deus jam ab initio cognitionem sui et legem naturalem impressit, et quod sui juris est et nostri officii docuit; ita ut singuli, si eum audire et attente expendere velint, facile non tam hominem, quam Deum ipsum loquentem animadvertant. In *statu instituto naturæ*, liber iste integer fuit et nulla litura notatus. In *destituto peccati*, corruptus quidem fuit et miris modis fœdatus, sed mansit tamen ad hominis convictionem et ἀναπολογίαν, "Gentes enim ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente conscientia ipsorum, et cogitationibus vicissim accusantibus et excusantibus," Rom. ii. 15. In *restituto gratiæ* renovatur et reformatur in fidelibus per Spiritum, ad eorum sanctificationem, quippe qui Legem digito suo non in tabulis lapideis, ut olim, quæ confringi possint, sed carneis cordis inscribit, 2 Cor. iii. 3, juxta promissionem fœderi novo annexam, "Inscribam legem meam cordibus ipsorum, et ero Deus illorum, et illi erunt mihi in populum," Jer. xxxi. 33. In statu denique *præstituto gloriæ* liber iste perficietur in beatis, super quos *scripturus* dicitur Christus *nomen Dei sui*, ut sciant se esse ejus filios, *nomen civitatis Dei*, *Jerusalem cælestis*, ut norint se esse ejus incolas et cives; et *nomen suum novum*, ut agnoscantur ejus membra, Apoc. iii. 12.

VIII. Sic fuerunt *libri externi* Dei. Alii sunt *interni*, qui ita dicuntur, non proprie, quasi Deus, qui omnia uno intuitu in seipso disponit et videt, opus habeat libris ad instar hominum, vel ad memoriæ subsidium, vel ad rerum certitudinem confirmandam, sed ἀνθρωποπαθῶς et figurate ad denotandam rerum omnium, tum præfinitionem certissimam, tum infallibilem

præscientiam; quomodo libris utuntur homines, illisque acta aut agenda inscribunt, partim ad sublevandam memoriam, partim ad inviolatam et perpetuam rerum certitudinem. Ut hic mens Dei æterna sit instar libri, in quo per decretum quæcunque futura sunt, inscribit, et per præscientiam legit et cognoscit distinctissime, quasi in libro exarata. Licet autem unicum tantum sit decretum et unica Dei scientia, ut omnia in ipso sunt simplicissima, tamen ratione modi nostri concipiendi, et pro objectorum diversitate, multifariam distingui potest.

Liber internus Dei triplex.

IX. Hinc ut triplicem diximus concipi posse librum Dei externum, triplicem etiam facere possumus librum internum. Primus est *liber Providentiæ*; secundus *liber Judicii*; tertius *liber Vitæ* seu Prædestinationis. *Liber Providentiæ* est universalis et amplissimus, qui omnes omnino creaturas complectitur; *liber Judicii* contractior, qui ad creaturas tantum intelligentes et rationales pertinet; *liber Vitæ* strictissimus, qui solos electos et fideles respicit. Primus naturæ dispensationem; secundus legis œconomiam; tertius supernaturalem gratiæ ordinem nobis exhibet. In illo Deus notat, quid facere decreverit in mundo per potentiam; in isto quid hominibus reddere velit per justitiam; in hoc quid fidelibus dare ex misericordia constituerit.

1. Liber Providentiæ.

X. *Liber* primus *Providentiæ* dicitur, qui creaturarum omnium causas, actiones, cursus et effectus complectitur, in quo decreta de rebus extra Deum futuris continentur; ubi fixus et immotus assignatur unicuique vitæ terminus, quem nemini vel accelerando vel producendo refigere licet; qui a nonnullis *liber vitæ præsentis* seu *liber viventium* dicitur. Ibi principium ortus et interitus cujusque notatur, imperiorum incrementa et decrementa, totius orbis administratio, causarum secundarum ordinata series, imo rerum etiam minimarum eventus ita præscribuntur, ut ne passeris quidem vel capilli casus hanc Dei providentiam fugiat. De hoc libro, Psal. cxxxix. 16, agitur, ubi Psaltes, loquens de sui formatione in utero, *Informem massam meam*, inquit, *viderunt oculi tui*, id est cum nondum in utero matris bene formatus essem, et *in libro tuo*, nimirum providentiæ et præscientiæ, *omnia scripta erant.* Ita alibi, Psal. lvi. 8, profitetur *Deum numerare fugas suas*, et *lachrymas suas esse in registro ipsius*, id est, Deum accuratam earum notitiam et curam habere. Unde bene inferas, omnia infallibiliter et necessario evenire, quia ita præstituta sunt ab æterno; sed male tamen inde colligas, libertatem hominum vel rerum contingentiam de mundo tolli, ut Sociniani perperam argutantur; quia hæc Dei scriptio non tantum versatur circa res ipsas, sed et circa earum modos, ut, dum eventus certam futuritionem infert, nullam tamen rerum naturæ vim afferat, sed causas secundas ineffabili quidem et occulta, sed tamen verissima ratione juxta suos modos agere sinat.

2. Liber Judicii.

XI. Liber alter internus dictus nobis est *liber Judicii*, quia in eo scribuntur, quæ ad creaturarum rationalium gubernationem et judicium spectant, ubi adversa et prospera, bona et mala earum notantur, ex quibus judicandæ veniunt. Ut enim nihil in rerum natura contingere potest, quod a Deo non sit præstitutum, ita nec in hominum societate quicquam boni vel mali potest fieri, quod ab ejus decreto vel effectivo vel permissivo non pendeat, nihil quod ejus æternam præscientiam fugiat, et quod coram ipso scriptum non sit. Hinc ut peccatum dicitur scriptum stylo ferreo in corde peccatoris, Jer. xvii. 1, sic scriptum pariter perhibetur coram Deo, Isa. lxv. 6, "Hoc scriptum est

coram me," ait Dominus, ut significet se illud probe nosse, ejusque se perpetuo recordari. Non aliter de bonis operibus est statuendum, ea scilicet omnia ita scripta esse coram Deo ut eorum nunquam obliviscatur, sed memor sit futurus in judicio suo, ut rependat illis, si non *propter* ea, quia nullum est meritum, at *secundum* ea. Quo videtur respicere ספר זכרון *Liber memoriæ*, de quo, Malac. iii. 16, qui dicitur "conscriptus coram Deo pro timentibus ipsum," ut innuatur Deum recordaturum pietatis ipsorum suo tempore, et retributurum præmium fidei et perseverantiæ ipsorum. Ad hunc librum pertinet, quod Daniel. vii. 10, et Apoc. xx. 12, ubi de Judicio ultimo agitur, dicitur libros apertos fuisse: "Et vidi," inquit Joannes, "mortuos, parvos et magnos, stantes coram Deo, et libri aperti sunt, et apertus est liber alter, qui est liber vitæ, et judicati sunt mortui ex illis, quæ scripta sunt in libris secundum opera ipsorum." Sic notatur summa judicii istius æquitas ex humano foro, ubi juxta leges scriptas, et cum his congruentia facta et dicta, judex justam pronuntiat sententiam. Cur autem librorum, non unius libri, mentionem faciat, ratio facile reddi potest, quia præter librum istum internum Dei, in quo scripta sunt omnia hominum opera, libri alii duo illi respondentes aperientur. Primo *liber Scripturæ*, in quo juris Dei et officii nostri regulam præscribit Deus, ad quam se componere quisque tenetur, et ex qua judicandi sunt quotquot Scripturam ducem habuerunt. Secundo *liber conscientiæ*, quæ de factis testimonium præbet, et quæ instar mille testium homines vel accusabit vel excusabit; nam "Deus tunc illustraturus est res occultas tenebris, et manifesta faciet consilia cordium," 1 Cor. iv. 5, ut hic nihil absconditum et indiscussum manere queat, quod summi Judicis oculis non exponatur.

XII. Postremus est *liber vitæ*, æternum scil., et immutabile Dei consilium, per quod, ut quosdam ab æterno ex massa corrupta secrevit ex mera sua misericordia, et ad vitam æternam conscripsit, quos per Christum salvaret, cæteris omnibus in æquali miseria constitutis, ex summa et liberrima sua potestate præteritis, ita eosdem in libro isto arcanæ prædestinationis conscriptos novit et servat constantissime. Hujus sæpissime Scriptura meminit, modo simpliciter et κατ' ἐξοχὴν sub *libri* nomine, Dan. xii. 1, "Salvabitur omnis populus, qui inventus fuerit scriptus in libro," modo per scriptionem cœlestem, Luc. x. 20, "Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis," tum quia in cœlo electi, tum quia ad cœlum vocati; aliquando per *librum vitæ Agni*, ut Apoc. xiii. 8, et xvii. 8, "Mirabuntur omnes, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni," sic Apoc. xxi. 27, non tantum quia per ipsum non minus ac Patrem facta est electio, sed et quia in ipso fundatur, Eph. i. 4, non quidem antecedenter, ut in causa meritoria, sed consequentur, ut in medio primario executionis; aliquando denique per *librum vitæ* simpli., ut Phil. iv. 3, Apoc. xx. 15, et xxii. 19; ratione finis id. vitæ æternæ, quæ sola præ cæteris nomen vitæ meretur, tum a *priori* ratione prædestinationis, quia ab æterno conscriptus est ante jacta mundi fundamenta, tum a *posteriori* ratione glorificationis, quia in æternum manere debet post consummationem seculi. Ita liber iste duo præcipue designat, decretum Dei prædestinantis, quod est instar scriptionis, tum præscientiam ejusdem, quæ est instar lectionis, quæ scripta recognoscit et legit.

XIII. Atque hinc facile colligi potest, quo sensu liber iste Deo tribuatur, non proprie et literaliter, ut jam insinuavimus, quasi vel liber vel scriptio qualiscunque materialis in Deum cadere possit; sed mystice et figurate, tum ad connotandam divinæ prædestinationis certitudinem et im-

mutabilitatem, tum ad significandam præscientiæ ejus et cognitionis evidentiam et infallibilitatem. Nam ut voces et verba volant, sed litera scripta manet, ita decretum Dei non est inane verbum, quod irritum fiat et solvi possit, sed verbum potens et efficax, quod, in mente Dei scriptum, mansurum est in æternum, et certissime implendum. Rursus ut ea, quæ exarata sunt, clare et distincte possunt cognosci oculis subjecta fidelibus, at quæ in aurem tantum per verbum dilabuntur, facilius nobis possunt imponere, ut in iis percipiendis et recolendis fallamur, ita scientia hæc visionis, quæ rerum futuritionem in decreto præfinitam videt et legit, adeo certa est et distincta, ut nec falli nec fallere possit. Unde Paulus, 2 Tim. ii. 19, testatur, "Deum nosse qui sui sunt," et Christus, Joh. x. 27, "se cognoscere oves suas, et scire quos elegerit," Joh. xiii. 18.

Cur liber Deo tribuatur.

XIV. Si vero quæratur ulterius, cur hac phrasi Spiritus S. uti voluerit ad hoc mysterium designandum, rationes variæ reddi possunt. Quidam putant metaphoram ductam esse a *re militari*, et belli duce, qui milites delectos in libro consignat, unde phrasis *conscribendi militem;* rejectitios vero et male fidos vel exauctorat vel præterit. Ita Jehova exercituum, qui fideles suos ad sacram militiam vocat, ut sub vexillo Christi ducis sui bella Domini adversus Diabolum, mundum et carnem decertent, dicitur in libro conscribere, quos ad tam salutare opus destinat. Alii volunt alludi ad societatem civilem et *album amicorum,* quemadmodum enim solemus nomina eorum, quos præ cæteris diligimus in album nostrum referre, ut memoria eorum hæreat semper animis nostris. Ita Deus nomina electorum et fidelium, qui vere sunt amici Dei, ut de Abrahamo perhibet angelus, Gen. xxii., et de discipulis suis Christus, Joh. xiii. 18, in libro suo consignata habet, ne unquam animo ejus excidant, qua de causa alibi dicuntur in manibus Dei sculpti, Isa. xlix. 16.

XV. Sed commodius alii statuunt similitudinem peti ab *usu civili,* et iis qui civitate donantur, quorum nomina in civium catalogum et tabulas publicas referri solent, ut jura et privilegia civium usurpare possint, quod non in populo tantum Romano factitatum esse, sed et in Israëlitico notum est, ubi tabulæ genealogicæ omnium familiarum et tribuum, sed regum et sacerdotum inprimis accuratissime conscribebantur et asservabantur, ne peregrini et alienigenæ immiscerentur populo Dei. Quo pertinet recensio, quæ fieri debuit ex præscripto Dei, Exod. xxx. 12, et liber recensionis, de quo Neh. vii. 5, et inprimis βίβλος γενέσεως, *Liber generationis* Christi, qui refertur a Matthæo et Luca, ad verum genus Christi aperiendum. Nec alio videtur respicere Ezec. cap. xiii. 9, quum de pseudoprophetis loquens, et pœnas illis nomine Dei denuncians, "In consilio," inquit, "populi mei non erunt, et in descriptione (seu libro) domus Israël non conscribentur, nec in terram Israëlis venient." Ubi tres pœnæ gradus notat, *ejectionem ex consilio publico,* cui prophetæ interesse poterant, Jer. xxvi. 7; *ejectionem ex populo,* qui totus descriptus, et albo publico consignatus erat, ne censeantur amplius ejus membra, vel fruantur ejus privilegiis; *ejectionem ex terra ipsa,* ne quod peregrinis etiam concedebatur, in ea liceat ipsis ulterius pedem figere et morari. Ad hunc ergo morem Spiritus Sanctus alludens, electionem salvandorum per librum eleganti metaphora designat, ut notet eos hoc pacto fieri veros cives Hierosolymæ cœlestis, ad quos privilegia omnia, immunitates et beneficia beatorum pertineant, quorum idcirco nomina in hoc libro, velut in registro quodam publico, si ita fas loqui, consignentur, non in terra, sed in cœlo, non manu hominum et atramento, sed digito ipsius Dei, et decreto ejus æterno, non in charta aut membrana, sed in ejus

mente, non ut censeantur cives Israëlis secundum carnem, filii Abrahæ, et hæredes Cananitidis terrenæ, sed ut agnoscantur vere filii Dei, Israël secundum Spiritum, et hæredes Canaanis cælestis. Eo manifeste respicitur, Psal. lxxxvii. 5, 6, Apoc. xxii. 19, sed præcipue, Heb. xii. 23, ubi Ecclesia fidelium vocatur, "cœtus primogenitorum, quorum nomina scripta sunt in cœlis." Ut enim quæcunque ibidem referuntur, allusive dicuntur ad populi Israëlitici statum, mons monti opponitur, civitas civitati, Jerusalem terrena cælesti, sanguis victimarum, qui effundebatur in Veteri Testamento, sanguini ῥαντισμοῦ, qui effusus est a Christo, exercitus angelorum, quorum διαταγαῖς data est Lex, Gal. iii. 19, myriadibus eorum, qui ascendunt et descendunt super Filium hominis, Joh. i. 51, et qui sunt Spiritus ministratorii ad salutem fidelium, Heb. i. 14; ita "Primogeniti, quorum nomina scripta sunt in cœlis," manifeste relationem habent ad Israëlitarum primogenitos, quorum nomina tabulis genealogicis consignata erant. Nam ut fideles *primogenitorum* prærogativas vere possident, tum in *dominio*, quia facti sunt reges in Christo, qui regnare debent super terram, Apoc. v. 10, tum in *dupla portione*, promissionibus scil. vitæ præsentis et futuræ, 1 Tim. iv. 8, et gratia et gloria, Psal. lxxxiv., tum in *sacerdotio*, quum facti sunt sacerdotium regio in ipso, 1 Pet. ii. 5, 9, Apoc. i. 6, ita in libro genealogiæ cælestis vere conscribuntur, quum jus ad hæreditatem cælestem, et ad domum Patris æterni, ex quo omnis familia in cœlo et in terra nominatur, Eph. iii. 15, per electionem obtinent.

XVI. Hinc patet, quid per *librum vitæ* intelligendum sit, et quo sensu Deo tribuatur. Patet etiam decretum electionis non situm esse in generali et indifferente omnium ad salutum destinatione, si credant, ut vellent Sociniani et Remonstrantes; sed in peculiari et specifica eorum designatione, qui ex gratia Dei et credituri et salvandi sunt. Nam quisquis nomina eorum, de quibus aliquid decernit, in librum refert, cogitat de illis nominatim, seu de individuis signatis, non tantum de individuis vagis et in idea. Ut hic longe aliud sit qualitatem communem assignare, et decernere, sub qua homines queant vitam et salutem consequi, aliud vero nomina quorundam, cæteris seclusis, libro vitæ inscribere; hæc enim scriptio ad personas ipsas spectat, non simpliciter ad qualitates, sub quibus homines possunt salutem indefinite obtinere.

An aliquis ex libro vitæ deleri possit?

XVII. Sic fuit prima quæstio. Sequitur altera, quæ ut difficilior est, ita majorem ἀκρίβειαν postulat; *an scilicet quidam libro vitæ semel adscripti ex eo deleri possint?* Ratio dubitandi oritur ex variis Scripturæ locis, in quibus hoc exerte videtur asseri. 1. Ex *voto Mosis*, Exod. xxxii. 32, qui quum audiret Deum iratum populo Israëlitico velle eum penitus exscindere, tam intenso charitatis zelo commotus est, ut non solum intercedat pro ipso, sed et optet potius deleri e libro Dei, quam ut tota gens pereat, "Aut remitte peccatum ipsorum, aut si non vis, dele me, quæso, de libro tuo, quem scripsisti." Et ne votum tantum impossibile putetur, Dominus statim addit, "Qui peccaverit, eum delebo de libro meo." Ubi non modo rei possibilitas, sed etiam futuritio innuitur. 2. Ex *imprecatione Davidis*, qui, Psal. lxix. 28, de Ecclesiæ hostibus et suis loquens, petit, "ut deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur;" quod utique dicere non possit, nisi talis dari possit deletio. 3. Ex *comminatione prophetica*, Joh. Apoc. xxii. 19, "Si quis abstulerit ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ," &c. Quæ luce meridiana clarius videntur probare quosdam ex libro vitæ posse expungi. Sic Sociniani et Remonstrantes et cæteri, qui sanctorum apostasiam et

electionis mutabilitatem propugnant, his uti vulgo locis solent ad erroris sui fulcimentum.

Neminem posse ex libro vitæ deleri probatur,

1. a Decretorum Dei immutabilitate.

XVIII. Sed verissima tamen est contraria orthodoxorum sententia, quæ statuit librum hunc lituram nullam admittere, neminemque illi semel adscriptum ex eo deleri posse. Argumenta eam in rem afferri possunt varia, sed pauca tantum e multis delibamus. Primum petitur ex *decretorum divinorum immutabilitate.* Cum enim liber vitæ nihil aliud sit, ut jamjam diximus, quam decretum electionis, quo ab æterno quosdam salvare constituit, si tale decretum firmum sit et ἀμετάθετον, invariatam etiam et æternam esse necesse est talis libri Scripturam. Hanc autem esse conditionem decretorum divinorum in genere, et in specie decreti prædestinationis, et natura ipsa Dei, et Scriptura aperte clamant. Et natura quidem Dei, quia, ut immutabilis est et constans in se, penes quem nulla est παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, Jac. i. 17, ita immutabilis debet esse in voluntate et in consilio, quod semel positum nec rescindi nec revocari queat; alias vel mutaretur in melius, et sic non esset sapientissimus, vel in pejus, et sic non esset optimus. Scriptura etiam idem passim confirmat luculentissime. Nam sive decreta in genere considerentur, "Consilium meum stabit," inquit Dominus, Isa. xlvi. 10, "et implebo omne beneplacitum meum," et Paulus, Rom. ix. 19, "Voluntati ejus quis resistit?" sive in specie de electione agatur, quis nescit vocari στερεὸν θεμέλιον, *firmum fundamentum*, quod nulla arte vel robore Diaboli subrui possit, 2 Timot. ii. 19, ἀμετάθετον βουλὴν, *consilium immutabile*, quod Deus duabus rebus, in quibus impossibile est eum mentiri, verbo scilicet et juramento, sancivit, Heb. vi. 17, 18, et πρόθεσιν κατ' ἐκλογὴν "propositum secundum electionem, quod firmum manet," Rom. ix. 11. Ut varias alias phrases omittamus, quibus solet describi, eandem immutabilitatem confirmantes.

XIX. Neque hic audiendi sunt, qui vel *pœnitentiam* et *mutationem* Deo tribui sæpe in Scriptura causantur, vel qui *decreta* quædam *conditionata* illi affingunt. Nam præterquam quod electio et vocatio donis ἀμεταμελήτοις annumerandæ sunt ex Rom. xi. 29, notum est *Pœnitentiam* Deo proprie non competere, sed ἀνθρωποπαθῶς et *metonymice*, non affective, sed effective, prout *mutationem* non *consilii* in Deo, sed *operis* et *facti* extra Deum, eamque ex consilio Dei profectam denotat. *Mutationes* etiam rerum non inferunt statim *mutationem voluntatis*, quia mutationes illæ ab ipsa Dei volitione immutabili manente pendent. Quod ad *decreta conditionata*; non diffitemur *res ipsas volitas* et *decretas* aliquando esse *conditionatas*, quæ nonnisi hac vel illa posita conditione possunt impleri: sed volitionem ipsam seu *decretum* posse dari *conditionatum a priori* et *antecedenter* constanter negant orthodoxi, et sapientissime Synodi Gallicanæ non semel repudiarunt, ut sapientiæ, potentiæ, et bonitati divinæ injurium. Vult quidem et decernit Deus aliquid implendum sub hac vel illa conditione, sed ita ut ipsam conditionem pariter decernat vel efficere vel permittere. Verum ut idem velit aliquid et decernat sub conditione impossibili, et quam novit certissime nunquam futuram, quamque ipse constituit non dare, qui solus dare potest, longe videtur ab ejus sapientia et Potentia alienum.

2. a Fœderis gratiæ æternitate.

XX. 2. Argumentum suppeditat nobis *fœderis gratiæ æternitas.* Nam cum fœdus istud novum non debuerit abrogari ad instar prioris, quod tabulis lapideis incisum fuerat, sed æternum debeat esse et immutabile, ex promissione celebri, Jer. xxxii.

30, 40, Hos. ii. 19, 20, *liber* etiam *vitæ*, qui *fœderis* istius *liber* vere nuncupatur, quia fœdus in eo fundatum et consignatum est, non potest non æternus esse et indelebilis. Neque hic reponendum, constantiam promitti in fœdere a parte Dei, sed non statim a parte nostri; itaque, si Deus auxilium suum nobis pollicetur, si officium faciamus, non continuo sequi nos officium semper facturos, atque adeo fœdus nunquam irritum fore. Nam huic exceptioni viam omnem præcludit Dominus ipse, quum in promissione fœderis, non tantum meminit amoris sui, sed et timoris nostri. Nam ut pollicetur se non recessurum a nobis, ita testatur se effecturum, ut non recedamus ab ipso, "Pangam cum ipsis fœdus perpetuum, ut non avertam me a benefaciendo ipsis, et reverentiam indam animo ipsorum, ut non recedant a me." Sic implet et quod suarum et quod nostrarum est partium, ut nihil sit quod fœdus delere queat. Nam si irritum aliqua de causa fieri posset, id potissimum fieret, vel a parte Dei, per mutationem amoris, si Deus a nobis recederet, vel a parte nostri, per inconstantiam nostram, qua Deum desereremus. Sed adversus utrumque periculum tutos nos præstat misericors Deus. Nam quoad prius, testatur se nunquam recessurum esse a nobis; quoad posterius, affirmat se per timorem, quem nobis ingenerabit, effecturum ne unquam recedamus ab ipso. Ita non tantum pollicetur *finem*, sed et ipsa *media*, quæ ad eum *ducunt*, non tantum beneficium vitæ sub conditione offert, quod sub lege præstabat, sed ipsam etiam conditionem confert et implet. Ut frustra sint Remonstrantes, qui promissionem hic fingunt conditionatam. Nam ut non dicam promissionem conditionis non posse esse conditionatam, quia alias abiretur in infinitum, certum est nullam posse dari conditionem istius promissionis, quæ non coincidat cum re ipsa promissa, quod nemo non videt esse absurdissimum.

3. a gratiarum divinarum connexione.

XXI. 3. Ratio ducitur a *gratiarum divinarum*, quæ in isto libro continentur, *connexione* et *inseparabilitate*. Nam quod Ethnici de gratiis suis male ita dictis perhibebant, eas connexas semper esse, et vinculo quodam indissolubili inter se junctas, id longe potiori jure in gratiis divinis locum habere censendum est, ut nunquam a se invicem divelli queant, et qui semel unam habuerit, is necessario omnium tandem sit particeps futurus. Hoc vero non modo ex amoris divini æternitate colligitur, qui ab æterno in æternum extenditur, ab æterno ratione prædestinationis a priori, in æternum ratione glorificationis a posteriori, sed præcipue ex effectis istius amoris, quæ Deus fidelibus suis communicat, quæ Apostolus in admirabili illa et vere aurea salutis catena recenset, Rom. viii. 29, 30, ubi partes omnes salutis complectitur, *principia* in præcognitione et prædestinatione, *media* in vocatione et justificatione, *finem* denique in glorificatione. Isti enim quinque annuli ita connectuntur inter se, ut, qui unum habet, omnes habere debeat, et cui unus de est, omnes pariter in eo desiderentur; "Quos præcognovit eos prædestinavit, quos prædestinavit eos vocavit, quos vocavit eos justificavit, et quos justificavit glorificavit." Unde ut nemo potest glorificari, quin justificatus, vocatus, prædestinatus, et præcognitus fuerit; nemo pariter præcognosci potest et prædestinari, qui non sit certissime glorificandus. Sed si, quod pertendunt adversarii, quidam ex libro vitæ expungi possent, male ista beneficia ita connecteret Paulus, ut prædestinationem vocatio, vocationem justificatio, justificationem glorificatio necessario consequatur, quando fieret ut quidam prædestinati, vel non vocarentur, vel vocati non glorificarentur. Perperam etiam alibi Paulus principium cum fine conjungendo diceret, *Electionem assecutam esse*, id est, electos obtinuisse salutem, *Cæteros vero occalluisse*, Rom. xi. 7. Sic nec Deus propositum prædestina-

tionis assequeretur; nec sua constaret dicto Apostoli veritas; nec fideles in hoc beneficio gloriandi et exultandi materiam haberent, quod nec dici sine absurditate, nec sine impietate cogitari potest.

XXII. Sed ne diutius in electionis certitudine demonstranda immoremur, quod variis quidem fieri posset argumentis aliis, sed quæ longius nos a scopo abducerent; videamus paulo pressius, an ex Scriptura confirmatio æternitatis libri vitæ possit haberi. Hoc vero non una ratione colligi potest. Primo ex eo, quod Christus, Luc. x. 20, jubet discipulos *gaudere*, non quod dæmones ipsis subjiciantur, sed quod *nomina ipsorum scripta sint in cælis.* Cur autem non vult eos gaudere de donis illis extraordinariis, sed tantum de electione, nisi quia dona illa miraculosa et *temporaria* erant, quæ poterant auferri et cessare, et *ministerialia* tantum, quæ in reprobos etiam cadere poterant: sed *electionis beneficium*, quod per scriptionem istam denotatur, *æternum* est et *salutare*, quod nec in reprobum cadere nec a fideli potest auferri? At si, quod censent adversarii, potuissent deleri ex isto libro, frustra et sine ratione ad gaudium eos hortaretur. Quænam enim causa lætitiæ discipulis esse poterat, si in continuo discrimine versabantur beneficium istud amittendi? Quodnam gaudium percipere poterant, si illis constitisset firmitatem istius consilii ex tenui liberi arbitrii filo pendere, quo nihil labilius et inconstantius? Solidum illud demum est gaudium quod æternum est, quodque nemo nobis eripere queat, alias plus doloris sæpe ex jactura boni oritur, quam lætitiæ ex ejus brevi et momentanea possessione percipiebatur. Nec nodum solvit *Volkelius* tom. v. cap. 17, quum ait sufficiens esse gaudii argumentum, "certissimam salutis viam ingressum esse, et in eo versari statu, in quo possis constanter perseverare, et si perseveres, sempiternam felicitatem omnino sis consecuturus." Nam præterquam quod falso supponit scriptum nomen habere in cælo, importare tantum facultatem perseverandi si volueris, cum infallibilitatem perseverantiæ et salutis consequendæ certitudinem etiam inferat, nec rei tantum possibilitatem, sed et futuritionem dicat; perperam etiam contendit verum et solidum gaudium in mutabili et incerto bono collocari, quod singulis momentis vel tentationes Diaboli excutere valeant, vel propria infirmitate et inconstantia deperdere quis possit. Huc etiam facere potest, quod ut cœlum, et quæ ad illud pertinent, stabilia sunt et immota; terra vero et terrena omnia fluxa et caduca, unde regnum Christi, quod æternum est et *ασαλευτον*, Heb. xii. 28, vocatur *regnum cœlorum*; ita scriptio quæ fit in cœlis, non modo hæreditatis cælestis possessionem, sed et decreti divini constantiam et æternitatem notat. Ut reprobi dicuntur *scribi in terra*, Jer. xvii. 13, non modo quia portio eorum est in terra, non in cœlo, sed etiam ut eorum interitus et exitium notetur; ut facili negotio delentur, quæ in terra seu in pulvere scribuntur.

XXIII. Secundo, idem etiam non obscure colligitur ex Apoc. xxi. 27, ubi Joannes testatur neminem ingressurum in civitatem cœlestem, præter scriptos in libro vitæ, "Non ingredietur in ipsam quicquam immundum, et faciens abominationem, *ειμη ὁι γεγραμμενοι εν τῷ βιβλιῳ της ζωῆς*, sed tantum qui scripti sunt in libro vitæ," ubi particula *ειμη* non est *exceptiva*, quasi scripti in libro vitæ exciperentur ex numero immundorum, qui ingressuri non sunt, quod absurdissimum esse res ipsa clamat; sed est *adversativa*, quæ excludit non includit electos ab isto numero, quo sensu usurpari non raro in Scriptura clarum est, Luc. iv. 26, 27, Gal. i. 7, Marc. xiii. 32, unde lux inferri potest duobus locis vexatissimis, Joh. xvii. 12, Gal. ii. 16, quibus abutuntur adversarii, tum ad sanctorum apostasiam propugnandam, tum ad justificationem per opera cum fide adstruendam; ibi enim

particula ista non exceptive, sed adversative est intelligenda. Joh. xvii. 12, "Nemo periit nisi filius perditionis," id est, sed tantum. Gal. ii. 16, "Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi," id est, *sed tantum* per fidem. Hoc sensu Joannes dicit neminem ingressurum in civitatem, nisi scriptos in libro vitæ. Ubi duo ista necessario supponuntur, et *solos* scriptos in hoc libro eo ingredi, et *omnes* et singulos recipi, ut nemo ex non scriptis ingrediatur, et nemo ex scriptis excludatur. Hoc autem dici nequaquam posset, si quod pertendunt adversarii, quidam ex hoc libro deleri possent, et vita ac salute per consequens excidere.

XXIV. Confirmatur id ipsum tertio ex promissione, quam Christus dat victori, Apoc. iii. 5, "Se non deleturum nomen ejus ex libro vitæ." Nam cum omnes electi et fideles sint victores in Christo, Rom. viii. 37, et 1 Cor. xv. 57, ex eo satis constat, neminem ex hoc libro deletum iri. Dices, negationem istam deletionis non potuisse proponi, ut beneficium aliquod eximium et privilegium singulare, quod fit tamen a Christo, si impossibile foret aliter fieri. Sed facilis est responsio, Christum non ideo deletionem istam in aliis possibilem supponere, sed tantum æternitatem et constantiam istius beneficii velle designare; eodem modo quo ver. 12 ejusdem capitis pollicetur victori, quod futurus sit ut *columna in templo Dei, nec foras amplius sit egressurus*, non quod aliquis reipsa egredi possit, sed ut ex ea negatione perpetuitas gloriæ indicetur. Sic Christus ad solatium fidelium suorum, qui perseveraverint in fide et pietate, perseverantiam amoris et benevolentiæ divinæ pollicetur. Atque ita antithesim vult instituere inter statum Ecclesiæ militantis, in qua multi semper latent hypocritæ, qui ex canone charitatis videntur in libro vitæ scripti, et ultimo demum die detegendi sunt, et a sanctis secernendi; et statum Ecclesiæ triumphantis, quæ nullos nisi veros et genuinos cives, qui in æternum communione Dei fruentur, admissura est.

XXV. Denique si quis deleri posset ex libro vitæ, id fieret; vel quia Deus non potuit distinguere veros cives a falsis, vel quia non valeret conferre ipsis præordinatam gratiam. At neutrum dici potest, quia illud summæ Dei sapientiæ et constantiæ repugnat, quasi aliquid ei ex improviso eveniret, propter quod deberet a priori suo consilio resilire; vel quod illi semel placuit postea displiceret. Istud vero potentiæ ejus infinitæ derogat, ac si non posset perficere, quod semel constituit. Dicere hic *scriptionem* istam esse *conditionatam*, ut vult Volkelius, quia nemo in libro vitæ scriptus absque ulla conditione ac prorsus immutabiliter vitæ sit destinatus, quandiu adhuc vivit et nondum penitus ex omni parte vicit; est petere principium et supponere quod est in quæstione. Nam licet non negemus possessionem salutis, per inscriptionem istam nobis destinatam, esse conditionatam, quia non sine mediis ad finem perducimur, et qui destinat ad finem destinat etiam ad media eo ducentia, negamus tamen ipsam inscriptionem posse dici conditionatam, ita ut conditio quædam illi præcurrat, ex qua, ut dubia et potestativa suspendatur; non modo quia, uti antea diximus, decreta Dei a nulla conditione extra Deum suspendi possunt, sed et quia ipsa conditio, quæcunque tandem illa sit, debet in libro vitæ nobis destinari, nisi in castra Pelagii velimus transire. Ratum ergo maneat et fixum, quod antea probandum susceperamus, neminem e libro vitæ deleri posse: ut hic longe potiori jure Deo tribui possit, quod iniquissimus judex Pilatus de seipso dicebat, *Quod scripsi, scripsi.* Quo pertinent ista Augustini in Psal. lxviii., nobis lxix., in hæc verba, *Deleantur de libro viventium.* "Fratres, non sic accipere debemus, quod quemquam Deus scribat in libro vitæ et deleat illum. Si homo dixit,

quod scripsi, scripsi, Deus quemquam scribit et delet? Præscius est. Prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum Filio suo in vita æterna. Hos quos conscripsit continet liber vitæ," &c.

XXVI. Sed quia hanc salutis nostræ anchoram labefactare videntur loca jamjam allata, videamus paucis quid illis respondendum sit. Primus locus petitur ex Exod. xxxii. 32, ubi agitur de *voto Mosis*, qui quia cæteris difficilior, paulo accuratius de eo est agendum. Exercuit non parum interpretes hæc difficultas, quam ut tollerent varia varii commenti sunt, quæ, ut parum ad rem facientia, commemorare nihil attinet. Quidam, ut Solomo Jarchi inter Judæos, et ex Pontificiis Cajetanus per librum hunc non librum vitæ, sed *librum Legis*, vocationis, sive principatus intelligendum esse contendunt, ex quo nomen suum deleri petierit Moses, malens memoriam rerum a se gestarum perpetua tolli oblivione, quam totum perdi populum; ac si sensus esset, Si tu non vis parcere, o Deus, populo propter peccatum, quod in Legem tuam admisit, ego nolo amplius in hac Lege nominari, quasi ego hujus promulgationis auctor fuerim, vel saltem occasionem dederim, cur totus populus deleretur. Alii, ut Augustinus quæst. 147, in Exod. et Gregorius de Valentia, volunt, Mosem ex ingenti familiaritatis divinæ securitate tali Deum ratiocinatione interpellasse: "Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo. Sed non delebis me de libro tuo, in quo me indelebili charactere conscripsisti, dimitte igitur eis hanc noxam." Alii referunt ad *librum fœderis*, seu catalogum Sanctorum et Ecclesiæ in hunc sensum; "Expunge me potius ex albo populi tui, et ex eorum numero, quibus promissiones vitæ fecisti, quam ut videam totum istum populum exterminari." Sunt qui velint Mosem hoc turbatum dixisse, non ex ratione, "sed ex impetu humanæ affectionis, infirmitate et impatientia," ut Hugo de Sancto Victore. Sed neque ista omnia nodum possunt solvere, et dilutiora videntur, quam quæ tam flagranti charitati et heroïco affectui competant.

XXVII. Bifariam ergo commodius responderi posse censemus, 1. Ut verba Mosis non referantur ad librum vitæ æternæ, seu electionis decretum, quasi æterno exitio se devovere voluerit, sed ad *librum vitæ præsentis*, qui liber est Providentiæ, ut citius obire voluerit, quam totius populi interitum videre, vel ut hac morte sua suorum popularium salutem redimere voluerit, quasi diceret; "Satius est me mori, quam totum istum populum, in fœdus tuum adscriptum, et tot miraculis ex Ægypto liberatum, cum perpetua nominis tui ignominia in hoc deserto perire." Hæc fuit Hieronimi sententia Qu. 9, ad Algasiam, dum ait Mosem et Paulum ex charitate erga populum voluisse perire non in perpetuum, sed in præsentiarum, non in spiritu, sed in carne, hoc est per mortem corpoream. Ad quem accedit Euthymius, in Psal. lxviii., et Gregorius in l. 10, mora. cap. 7. Et confirmari potest 1. quia Moses loquitur in genere de *libro Dei*, non de libro vitæ. *Dele me*, inquit, *de libro tuo*. 2. Quia votum Mosis debet respondere comminationi Dei adversus populum, cum pœnam ipsi infligendam in se transferri cupiat. At comminatio et pœna non alia fuit, quam eorum interfectio et mors corporea; ut constat ex ver. 10, "Dimitte me ut irascatur furor meus, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam," ubi per deletionem, stragem ejus notari repentinam et universalem nemo negare potest; et ratio evincit, cum enim in populo non pauci essent electi, nemo dixerit Deum mortem æternam illis comminatum fuisse. Confirmatur ex ver. 24, ubi pœna ipsa inflicta populo proponitur. Unde Moses, de eodem genere mortis loquens, *dele me*, inquit, *de libro tuo*, 3. Huc facit inprimis, quod ipse Moses Num. xi. 15, in simili ferme occasione, et ad

eandem mentem ad concupiscientiæ sepulchra repetit, *si sic mecum agis, obsecro ut interficias me*, mortem corpoream optans, imo mortem immaturam et violentam, ex ardenti in populum charitate, ut ipsius exitium suo interitu redimeret.

XXVIII. Verum licet librum istum de libro vitæ intelligeremus, non continuo sequeretur, quod pertendunt adversarii, posse quemquam ex eo libro deleri. Quia in precibus et votis, non semper ea quæ fieri possunt, sed interdum etiam ἀδύνατα optantur, ut David dum optat mori pro Absalomo, 2 Sam. xviii., Christus transire calicem, Matth. xxvi., et Paulus fieri anathema pro fratribus, Rom. ix. 3. Nec tamen perperam et temere, quia hoc non fit absolute, sed hypothetice, sub aliqua vel tacita, vel expressa conditione voluntatis Dei et possibilitatis rei. Nec mirum videri debet, ita enim pro objectorum ratione varie solent affici sancti, et aliter loqui, quum salutem suam aut aliorum, Deive gloriam spectant; aliter vero quum Dei decretum et beneplacitum intuentur. Christus, quum attendit ad Judæorum incredulitatem et charitatem suam, lachrymatur, et eorum ruinam serio deplorat, Luc. xix. 41. "O utinam attenderes ad ea, quæ pacem tuam spectant." At idem, quum Patris decretum justissimum cogitat, in eo acquiescens exultat spiritu et gratias illi agit, Matth. xi. 25. Sic quum tempore passionis iræ divinæ sibi imminentis pondus gravissimum perpendit, et mortem dirissimam, quæ illi impendebat horrore quodam, sed naturali et ἀδιαβλήτῳ correptus, illam deprecatur; *Transeat a me calix iste.* At quum rursus oculos attollit ad Patris sapientissimum decretum, in eo submisse acquiescit, *sed non sicut ego volo, sed sicut tu vis, o Pater.* Ita quum Paulus ad Dei consilium æternum de electione et reprobatione hominum respicit, agnoscit ita esse immutabile, ut nec populum, quem præscivit et elegit, rejicere possit, nec quos rejecit vita donare; sed idem tamen, dum rejectionem fratrum suorum, et gravem illam πώρωσιν, quæ Israëli accidebat, attendit, non potest sibi temperare, quin intenso charitatis ardore optet fieri anathema pro fratribus, et ab ipso Christo quadantenus separari. Idem in Mose observamus. Sane non ignorabat Moses, irrevocabile esse Dei consilium, et fieri non posse ut vel electus periret, vel reprobus salvaretur; sciebat alienum esse ab ipsius justitia insontes cum sontibus perdere. Sed quia omnes ejus sensus devinctos quasi tenebat cura populi, cujus sciebat curam sibi esse demandatam, nihil aliud ipsi venit in mentem eo momento, quam ut salvus esset populus, et gloria Dei non obscuraretur in illius interitu; quæ vero tantæ sollicitudini repugnabant tunc non attendit. Nec mirum ita fuisse perplexum, putabat scilicet interitu electi populi aboleri Dei fidem, et gloriam ejus in hac rejectione mirum in modum periclitari; putabat fœdus cum ipso initum convelli, et grandem Ægyptiis blasphemandi adversus Deum occasionem dari. Quod tam ægre et impatienter fert, ut seipsum exitio potius devovere velit, quam ut talis blasphemandi ansa hostibus concedatur. Sed ita hæc sunt intelligenda, ut conditio tacita in tali voto et similibus semper sit includenda, nimirum si hoc fieri possit, et si ad gloriam Dei conducat; sit quo modo, citra culpam ullam, posset utile esse medium ad veniam populo obtinendam. Unde petitio non infert statim *facti possibilitatem*, sed *petentis* exprimit *zelum* et charitatem, et ardorem quendam heroïcum et extraordinarium, qui quovis periculo, imo proprio exitio, si fieri posset, redimere vellet Dei gloriam et fratrum salutem. Talia autem desideria et vota, licet sint per se inefficacia ad agendum, maximæ tamen solent esse virtutis ad impetrandum; solent enim amici similibus precibus vim quodammodo amicis facere, et quod volunt extorquere.

Ut si filius, patri præ cæteris charus, culpam fratri immorigeri a patre hoc modo deprecetur, et iram ejus placare tentet, *Vel ignosce illi, vel me occide, aut exhæreda*; scit enim parentem quidvis potius quam istud facturum.

XXIX. Quia vero non facile concipi potest, quomodo Moses et Paulus potuerint optare æternum suum exitium et separationem a summo bono, quod videtur pietati et charitati inprimis adversari; non incommode distinguunt hic nostri amicitiam Christi et ejus fructum, seu inter *sanctitatem* quæ in bono ethico, et *felicitatem*, quæ in physico versatur. Ut enim in Deo duo hæc præcipue attendimus, sanctitatem et felicitatem, quæ creaturæ, quam ad se vocat, pro modulo communicantur; ita in Dei amissione duo sunt, *carentia sanctitatis*, per quam Deo adhæremus, et *carentia felicitatis*, in qua ipso fruimur, quæ etsi in reprobis conjungantur, in aliis tamen possunt separari, ut sit privatio felicitatis, sine privatione sanctitatis; ut Christus derelictus dicitur a Deo quoad prius, nimirum gloriæ communicationem et gaudii influxum, licet nunquam ab eo separatus sit quoad sanctitatis participationem et virtutis influxum, quoad *affectionem commodi*, sed non *affectionem justitiæ*. Idem de Mose et Paulo dicere possumus, eos non optasse sanctitatis privationem, vel amicitiæ suæ cum Deo dissolutionem, quia hoc optare non tam Deo esset ingratum, quam petentibus impium; sed eos potius loqui de amicitiæ istius fructibus et felicitatis sensu, ut significent se libentius carituros Dei conspectu, gaudio ac suavitate, quæ inde oritur, quam ut totus populus periret. Non optant esse Dei osores, sed vindictæ objecta. Volunt perire, non ut Dei inimici, sed ut fratrum servatores, si modo id ex rei natura, et per Dei consilium fieri posset, cui se sancti in precibus et votis suis semper subjicere debent cum Christo. Ut hic similes enunciationes conditionate et hypothetice semper, non absolute, sint intelligendæ.

XXX. Sed hic regeret statim aliquis; Licet conditio in voto Mosis subintelligeretur, non tolli tamen difficultatem, quia Deus Mosi respondens absolute loquitur, et non tantum rem posse fieri, sed revera futuram denunciat, ver. 33, "Eum qui mihi peccaverit, delebo nomen ejus de libro quem scripsi." Resp. 1. Si de morte corporea locum intelligamus, sublata erit omnis difficultas, quia nemo negat multos sæpe e vivis tolli, et de numero viventium deleri justo Dei judicio. 2. Sed si de æterna loquimur, non magis astruitur rei possibilitas; quia ut Mosis votum fuerat conditionatum, si per impossibile id fieri posset, ita Deus respondet sub eadem tacita conditione, quod si fieri res posset, Moses tamen non foret delendus, repugnante non modo constantia, sed etiam justitia divina, quæ non pateretur eum deleri, qui foret extra noxam, sed postularet reum ipsum plecti. Loquitur ergo Deus de eo quod ex jure debuisset fieri, non vero de eo quod facturus esset reipsa, alias delendi fuissent quotquot peccaverant, tam reprobi quam electi, quod non factum tamen. Unde bene colligas, justitiam Dei requirere, ut nocens plectatur non insons, sed non statim rem erga singulos executioni mandari. Ita Dominus corrigit votum Mosis non irascendo ipsi pro talibus precibus, quas, utut præcipitantius paulo effusas, noverat tamen ex charitatis quodam excessu proficisci, sed benigne eum reprimit, et judicii sui æquitatem commendat, quod tamen non excludit misericordiæ veritatem, quam in venia populo concessa luculenter demonstravit.

XXXI. Quamvis ergo votum hoc Mosis impleri non potuerit, non putandum tamen inane fuisse, quia non tam attenditur rei eventus, quam demonstratio hyperboles seu excessus charitatis, qui solet ferri ad impossibilia, quia in iis quæ fieri possunt nihil satisfacit. Unde locutio hyperbolica

adhibetur, in qua non tam quod dicitur, quam quod intelligitur spectandum est; nec tam quod reipsa fieri potest, quam ut quæ sub eo sunt maxime ardua, sed possibilia tamen universa intelligantur. Ut ergo Moses ostendat nihil se posse gravius ac intolerabilius experiri calamitate populi sui, rem sibi durissimam adducit, quæ fieri non poterat, non ut illam, sed per illam quicquid in rerum natura dici vel cogitari poterat maxime horrendum designaret. Unde non magis vexandum est quod optat Moses, vel Paulus, quam quod Paulus ipse dicit de Galatis, cap. iv., "Eruissetis oculos vestros," non quasi putasset erui posse oculos, sed ut innuat tantum, nihil sibi esse adeo charum, cujus jacturam ultro non fecissent illius gratia. Sic Moses optat deleri nomen suum de libro vitæ, et Paulus anathema fieri a Christo, non quod hoc proprie vellent, quod fieri neutiquam posse non ignorabant, sed ut ostendant nihil se recusare, quo Deus placaretur populo suo, et nihil sibi magis esse in votis quam populi salutem. Cæterum si quæratur cur Moses hac locutione mentem suam expresserit, potius quam alia quapiam, responderi potest loquutum esse ex *occasione*, et pro re nata, respectu habito ad ea quæ præcesserant. Dominus dixerat Mosi, "Dimitte me, ut accensa ira consumam eos, et delebo nomen eorum sub cœlis," Deut. ix. 14. Ideo Moses ad ea verba alludendo respondet, et petit in populi salutem, non modo deleri nomen suum sub cœlis, sed etiam de libro quem in cœlis scripserat. Idem de Pauli voto dici potest. Dixerat sub finem cap. viii. nihil esse vel in cœlo, vel in terra, vel in inferis, quod ipsum ab amore Dei in Christo *separare* posset. Jam, ut excessum amoris sui erga Judæos fratres suos secundum carnem, et intimum dolorem, quo afficiebatur ob eorum exitium, testetur, profitetur se optare fieri anathema a Christo, id est, *separari* ab ipso, si tamen fieri posset, et ita se animatum esse, ut eorum salutem exitio suo redemptam vellet, et ne separarentur a Christo, se ab ipso separari.

XXXII. Secundus qui objicitur locus, petitur ex Psal. lxix. 28, ubi Psaltes inter alia, quæ hostibus Ecclesiæ et suis imprecatur, hoc etiam addit, *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur;* quod utique dicere non potuisset, nisi agnovisset quosdam ex tali libro deleri posse. Resp. Posset hoc quidem commode referri cum quibusdam ad exitium temporale et mortem corpoream, ut per librum viventium intelligatur liber vitæ præsentis, et per librum catalogus fidelium, qui, profitentes Dei nomen, censebantur ex canone charitatis mortui in gratia Dei. Verum licet hæc oratio ulterius extenderetur usque ad exitium æternum, ne sic quidem quicquam faceret pro adversariis. Duplex enim *deletio* distinguenda; alia *positiva* et *realis*, alia vero *negativa* tantum et *apparens*. Illa, qua reipsa expunguntur, qui antea scripti fuerant; ista, qua declaratur aliquem nunquam inscriptum fuisse, et qua habetur eo loco ac si deletus esset, quum patefit ipso eventu non esse inscriptum. Prior est absolute impossibilis, posterior sæpe datur respectu hypocritarum et πρoσκαίρων, quando Deus larvam illis detrahit, et e corpore externo Ecclesiæ abdicat; sic enim detrahendo illis signacula vocationis, et prærogativas fœderis externi, quibus gloriabantur, ostendit nunquam vere fuisse electos, nec ad Ecclesiæ corpus mysticum pertinere, etsi ad tempus locum inter fideles occupaverint, et tales vel secundum gloriationem suam, vel juxta opinionem aliorum habiti sint. Ita David hic spiritu prophetico actus, non tam preces concipit adversus Ecclesiæ hostes, quam oracula fundit de eorum interitu, dum vult ut tales, qui se jactabant Ecclesiæ membra, et videbantur albo fidelium inscripti, detracta larva, ex Ecclesia ejiciantur et resecentur, ut appareat eos, licet domesticis permixti fuerint, reipsa tamen

extraneos fuisse et nunquam fidelium albo vere inscriptos. Hanc autem esse mentem Psaltis probari potest, 1. Ex verbis sequentibus, quæ exegetice adduntur, *Et cum justis non scribantur;* nam ut in Psalmis passim occurrit, ut posterior pars versus sit prioris exegesis, et idem aliis terminis dicatur, idem hic observatur; quod figurate et tropice dixerat Psal. de deletione, jam propria locutione explicat, quum dicit, non scribantur, ut innuat deleri nihil aliud esse, quam *non scribi.* 2. Ex loco parallelo antea citato, Ezech. xiii. 9. Ubi eandem pœnam Pseudoprophetis denuncians, eam negative effert, "non scribantur in catalogo domus Israël," &c. 3. Ex oraculi istius complemento, quod in N. Testamento partim ad Judam proditorem, Act. i. 20, partim ad obstinatos Christi hostes refertur, Rom. xi. 8, 9, cum enim constet ex ipsius Christi declaratione, eos fuisse reprobos et filios perditionis jam olim æterno exitio devotos, ex eo facile patet non posse dici vere inscriptos unquam fuisse, nisi scribi ad damnationem, et scribi ad vitam, unum idemque esse dicere velimus, quod ἀσύστατον.

XXXIII. Sic exponit August. in h. l. *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur.* "Fratres, non sic accipere debemus, quod quemquam Deus scribat in libro vitæ et deleat illum. Si homo dixit, *quod scripsi, scripsi,* de titulo ubi scriptum erat rex Judæorum, Deus quemquam scribit et delet? Præscius est; prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum Filio suo in vita æterna; hos quos conscripsit, ipsos continet liber vitæ." Et paulo post, "Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est *deleantur de libro vitæ?* Ut ipsis constet non illos ibi esse, &c. Nam versus qui sequitur exponit quod dictum est, *et cum justis non scribantur.* Dixit ergo deleantur secundum spem ipsorum, secundum autem æquitatem tuam, quid dico? non scribantur," &c. Ex quibus constat deletionem ipsi nihil aliud esse, quam manifestationem non inscriptionis, seu negationem scriptionis. Si quæras, cur Scriptura hoc verbo delendi utatur, si nunquam scripti fuerunt? Resp. hoc ideo fieri, quia non semper ex rei veritate, sed ad hominem κατὰ δόξαν loquitur, juxta vanam hypocritarum præsumptionem, vel aliorum opinationem, quomodo Matth. ix. 12. Pharisæi vocantur *sani,* qui non egent medico, non quod tales essent, sed quod tales se jactarent, Luc. xviii. 9. Ita Matth. xiii. 12, "Illi qui nihil habet, etiam quod habet ab eo auferetur." Quomodo, si nihil habet? id est, interprete Luc. viii. 18, "Etiam quod videtur habere." Sic deleri dicuntur, quia vel sibi vel aliis inscripti videbantur. Atque hic observandum, quod ut Ecclesia distingui solet juxta duplicem σχέσιν, vel ut est *visibilis* vocatorum, vel *invisibilis* prædestinatorum; ita duplex potest dici liber, cui homines inscribuntur, *liber vocationis externæ,* in quo conscribuntur quotquot externe vocantur, et in Ecclesiam visibilem recipiuntur, et *liber prædestinationis æternæ,* in quo Deus inscribit qui sui sunt. Illius scriptio est *externa* et *apparens,* quæ fit coram hominibus quoad professionem externam et ex judicio charitatis; istius vero *interna* et *realis* in Dei decreto ex rei veritate. Huic duplici inscriptioni duplex opponitur deletio, alia vera et realis æternæ inscriptionis, alia externa tantum fucatæ et temporariæ. Ista potest dari et sæpe datur, illa vero nunquam; pari plane pacto, quo Christus, Joh. xv. 2, ait "omnem palmitem in se non ferentem fructus tollere," non quod vere unquam talis Christo insitus fuerit, sed quia ita videbatur. Nimirum ut duplex potest esse *insitio,* alia *externæ professionis,* qualis est hypocritarum et temporariorum, alia *internæ communionis,* qualis est verorum fidelium, ita duplex datur resecatio, alia ab interna communione corporis

mystici Christi, quæ est impossibilis, alia ab externa possessione, quæ quotidie fieri solet ab iis, qui vel sponte recedunt ab Ecclesia, et naufragium fidei faciunt, vel qui justo Dei judicio ex ea ejiciuntur.

XXXIV. Ex quibus facile colligitur quid respondendum sit ad tertium locum ductum ex comminatione prophetica, Apoc. xxii. 19, "Si quis aufert ex verbis hujus prophetiæ, Deus auferet partem ejus ex libro vitæ." Præterquam quod enim propositio est conditionalis, non absoluta, *si quis abstulerit*, conditio autem illa non cadat in scriptos per gratiam electionis, 1 Joh. iii. 9, certum est deletionem non esse intelligendam *positivam*, quæ supponit præcedentem inscriptionem, sed *negativam*, quæ negat omnem scriptionem, ut deleri sit notum facere quod nunquam scripti fuerint, nec ullam partem proinde sint habituri in ista vita; et hoc non obscure patet a pari, quum dicitur *pars auferenda ex sancta civitate*, non quam habuerant vel habituri erant, sed ne ullam habeant. Ita Deus, ut æquitatem judicii sui commendet, docet, quomodo pœna respondere debeat peccato, ut alibi non semel fieri solet. Nam falsariis et corruptoribus, qui librum hunc adulterare voluerint per *additionem*, Deus *addet* et superimponet plagas omnes istius libri. Aliis vero impostoribus, qui per *detractionem* librum hunc mutilaverint, *detrahet* partem e libro vitæ, "Si quis adjecerit ad verba prophetiæ hujus, imponet ei plagas omnes hujus libri, si quis vero abstulerit ex verbis libri hujus prophetiæ auferet Deus partem ejus ex libro vitæ," &c. Non quam reipsa habebat, sed quam putabat, vel gloriabatur se habere, et quam alii ex professione ejus externa judicio charitatis ad ipsum pertinere existimabant.

An et unde constare possit nos esse libro vitæ inscriptos?

XXXV. Superest tertia et postrema quæstio breviter expedienda, *an et unde nobis constet, nos libro vitæ esse inscriptos?* Ad quam, ut duo sunt ejus membra, distincte etiam respondendum est. Ad prius, ratio dubitandi ex eo oritur. Quod cum electio, quæ per librum vitæ designatur, penes Deum maneat abscondita instar libri septem sigillis obsignati, vel non possit nisi eventu ipso certo cognosci, non secus ac cætera Dei decreta; non videtur de ea cuiquam mortalium constare posse. Hinc Pontificii et alii, qui certitudinem gratiæ subjectivam non minus ac objectivam impugnant, negant quemquam sine speciali revelatione posse aut debere certum esse, certitudine fidei divinæ, cui non possit subesse falsum, sibi remissa esse peccata, et se esse in gratia Dei, et si quæ certitudo habetur, esse tantum moralem et conjecturalem, quæ non sit absque dubitatione et hæsitantia. Vide Bell. lib. iii. de *Justif.* c. 2.

XXXVI. Verum longe alia mens est orthodoxorum, qui Scripturam ducem hic sequuntur. Quamvis enim non diffiteantur librum hunc, septem sigillis obsignatum, a nemine vel angelorum vel hominum aperiri posse; sciunt tamen repertum esse Leonem de tribu Juda, Agnum Dei, qui vicit, ad aperiendum librum, Christum scilicet θεάνθρωπον, qui, ut plenissimam ejus notitiam habet, ita jus et munus obtinuit suis illum, quantum necesse est, revelandi, Apoc. v. 5. Licet etiam concedant cognitionem illam non semper haberi, vel eodem gradu et tenore in actum exire, agnoscunt tamen haberi posse citra specialem revelationem, ita ut fidelis possit aliquando, et debeat certo statuere, se ad vitam æternam esse electum et in gratia constitutum. Nec rationes variæ desunt, quibus hæc sententia confirmetur. 1. Quia ea est indoles gratiæ Dei, ut non tantum bona nobis largiri velit, sed et sensum et notitiam eorum nobis imprimere, alias nec de iis gratias agere, nec iis cum solatio frui possemus, quod utrumque tamen facere tenemur. Hinc Paulus, 1 Cor. ii. 12, testatur

"nos Spiritum a Deo accepisse, ut cognoscamus ea quæ nobis data sunt a Deo." 2. Quia fideles possunt scire se esse filios Dei, ergo et electos et libro vitæ adscriptos. Nemo adoptionem hanc obtinere potest nisi ex electione; "Idem Spiritus testatur cum spiritu nostro, nos esse filios Dei," Rom. viii. 16. 3. Quia possunt scire se habere vitam æternam, "Hæc scripsi vobis credentibus in nomen Filii Dei, ut sciatis vos habere vitam æternam, et ut credatis in nomen Filii Dei," inquit Joh. 1æ. c. v. ver. 13. Unde autem vita æterna nisi ex libro vitæ? 4. Quia possunt scire se credere, dum fides actu reflexo fertur in suam apprehensionem, "Novi cui crediderim," inquit Paulus, 2 Tim. i. 12. "Nos credidimus et novimus te esse Christum Filium Dei," inquiunt discipuli, Joh. vi. 69. Et Joh. cap. ii. 1æ. ver. 5, "γινωσκομεν ὁτι εγνωκαμεν αυτον, cognoscimus quod novimus ipsum." At fides est ex vocatione, vocatio ex prædestinatione, unde qui novit se credere, nosse etiam debet se esse electum.

XXXVII. 5. Huc facit inprimis *calculus* ille *albus*, quem se daturum Victori pollicetur Christus, in quo *nomen novum* inscribendum est, *quod nemo novit nisi qui accepit*, Apoc. ii. 17. Nam sive *calculus albus* respiciat ad judiciorum morem, in quibus calculo albo reus absolvebatur, atro vero et nigro condemnabatur, quo pertinent illa Ovid. Metamorphos. 15.

Mos erat antiquis, niveis, atrisque capillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa.

Unde mos notandi felices dies albo lapillo videtur manasse, et ita fidelium *absolutio* coram Deo designatur, de qua Christus, Joh. v. 24. Sive alludat ad *Comitia* veterum, in quibus, ut observat Erasmus, nomen ejus, cui favebatur, calculo inscribebatur, ut ita dignitas filiorum Dei indicetur, qui reges et sacerdotes Deo fiunt, Apoc. i. 5; sive denique ad *certamina* solemnia Græcorum respiciat, in quibus, si Arethæ credendum est, vincentibus calculus albus in signum victoriæ dabatur, ut hac ratione gloria et triumphus fidei victricis adumbretur, certum est quocunque modo sumatur *nomen* illud *novum*, quod isti calculo inscribendum dicitur, (quod non aliud potest esse, quam nomen gloriosum *filii Dei* et regni cœlorum hæredis, quod, Isa. lvi. 5, dicitur *nomen melius quam filiorum et filiarum*, de quo 1 Joh. iii. 1, Apoc. xxii. 4, 5, et iii. 12,) cognitum esse recipienti, licet alios lateat. Sed hoc perperam et falso diceretur, si nec adoptio nec electio cuiquam fidelium cognita esse posset. Quamvis enim non diffiteamur, perfectum istius promissionis complementum futuræ vitæ reservari, in qua absoluto cursu nostro et decertato bono certamine, absolvendi sumus a Christo, et regni cœlorum hæreditatem et coronam vitæ, ut victoriæ nostræ βραβειον, accepturi; non negandum tamen est in hac vita, in qua fideles per gratiam Dei non modo incipiunt vincere, sed etiam ὑπερνικῶσι, Rom. viii. 34, ad eorum solatium jam inchoari, quum intimatur in cordibus ipsorum sententia Christi absolutoria et adoptio in iis per Spiritum obsignatur, Rom. viii. 16, Gal. iv. 6.

XXXVIII. 6. Idem etiam evincunt πληροφορια, πεποιθησις, καυχησις, ειρηνη, χαρα ανεκλαλητος, et similia, quæ fidelibus passim tribuuntur. Quo pacto enim pacem habere possent apud Deum, vel gloriari in ipso, vel exultare gaudio ineffabili et glorioso; qua ratione fiducia illa et plena certioratio, per quam ad thronum gratiæ μετα παῤῥησιας accedunt, in ipsis daretur, si perpetuo metu et dubitatione agitarentur, nec nisi conjecturalem et incertam opinationem gratiæ Dei possent consequi? Ad specialem revelationem hic confugere, quasi persuasio illa paucorum quorundam et supra commu-

nem fidelium sortem evectorum privilegium fuerit, non vero omnium; est vim Spiritus et naturam veræ fidei ignorare, quæ eadem effecta in omnibus, licet in dispari gradu producere debet, Unde dotes illæ, non ut quibusdam propriæ, sed ut omnibus communes proponuntur, quarum fundamenta et principia communia sibi cum fidelibus aliis testatur Apostolus, Rom. viii. 31, 32, 33, 34, nimirum, Dei electionem, vocationem, et justificationem, Christi mortem, resurrectionem, et intercessionem, &c.

XXXIX. Quamvis autem certitudinem illam haberi posse credamus, non existimamus tamen eam semper et ubique in actum exire, vel exire eodem gradu. Principium quidem istius certitudinis in fideli esse semper non dubitamus, sed non pariter actum. Nam per incursus tentationum gravissime concussa fides hunc effectum edere nequit: Ita si in grave aliquod peccatum prolapsus sit fidelis, et in eo hæreat; tantum abest ut pro tunc hunc actum elicere queat, ut potius succedat actualis metus contrarii, et videatur nubes imo abyssus interjecta inter Deum et hominem, quæ irradiationem Spiritus intercipit, et sensum gratiæ tollit. Hinc tristes illæ fidelium querelæ, ut Pauli, "Miser ego, quis me liberabit ab hoc corpore mortis?" Rom. vii. 24, et Davidis qui queritur dextram Excelsi esse mutatam, Psal. lxxvii. 10. Id vero præsertim in gravioribus sceleribus contingit, dum enim in iis volutatur peccator, Spiritu auferente divinæ consolationis lumen, actualis ista persuasio videtur plane tolli, solatium omne spirituale intercludi, et divini vultus lumen abscondi; maxime si surgant altius tentationum fluctus, et conscientiam onere suo pressam etiam vulnerent ignita Diaboli tela; tunc enim non modo suavis hæc persuasio exulat; sed contraria prorsus videtur succedere, qua fideles turbati Deum ut iratum sibi apprehendunt, et ad ipsas Orci portas delati sibi videntur; hinc illa Davidis, Psal. xxxi. 22, "dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum," &c. Ut ergo persuasio illa in actum exire queat, necessario in fideli adesse debet sanctitatis studium, et usus mediorum omnium a Deo decretorum ad salutem consequendam; Quia in illa tantum via ambulantibus, et media instituta sequentibus, promissiones suas dedit; ibi sunt γνωρίσματα et argumenta indubitata electionis et justificationis. Unde Apostolus non modo pronunciat nullam esse condemnationem iis, qui sunt in Christo, sed ut verus eorum character designetur, addit, *qui non ambulant secundum carnem, sed secundum Spiritum*, quo pertinent etiam illa, 1 Joh. cap. ii. ver. 3, "Ex eo cognoscimus, quod ipsum novimus, si mandata ejus servamus." Hinc patet sine sanctificationis studio nullam dari posse actualem vel de gratia vel de gloria persuasionem: Tantum abest ut verus hujusce fiduciæ actus possit stare cum actuali et directo peccandi proposito, quod profani vellent, securitati et licentiæ vela temere laxando.

XL. Hinc etiam non obscure colligitur, Persuasionem istam non semper eodem gradu eodemque tenore in fidelibus omnibus, imo et in eodem fideli in actum exire; Nam cum sanctificationem semper comitem habeat, imo ex ea quodammodo oriatur et in ea fundetur, pro minore vel majore mensura sanctificationis, major vel minor esse debet, et vel crescere, vel minui. Hinc modo sentitur fortis et vivida, modo tenuis et languida, prout vel fides et pietas in nobis vel augentur vel debilitantur et languent, vel prout tentationum fluctus hanc fidei ancoram plus vel minus impetunt. Ut hic inprimis distinguendus veniat duplex fidelis status, Vel *Tentationis* et *luctæ*, Vel *Victoriæ* et *Triumphi*. Prior in quo pugnat et manus cum hoste conserit; Posterior quo eluctatur ex Tentatione, et de hoste victo triumphat; Nam in illo fidelis timet et percellitur, In isto

confidit et roboratur; In illo David mœstus exclamat: "Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti? et projectus sum a facie tua;" In isto Idem lætus et de exitu securus triumphat: "Posui Dominum ante oculos, Quia est a dextris meis ideo non movebor. Ideo cor gavisum est et gloria mea exultat," Psal. xvi. 8, 9. In illo Paulus queritur se carnalem et venundatum esse sub peccato; In isto se Victorem agnoscit, et Deo liberatori suo gratias agit, Rom. vii. 24, 25, 1 Cor. xv. 55, 57. Non ergo ii sumus, ut Adversarii perperam nobis affingunt, qui velimus persuasionem istam eum habere certitudinis gradum, qui omnem contrarii formidinem perpetuo excludat, sed qui eam tandem superet et vincat. Nam licet ad tempus actus iste possit in fidelibus intercipi, et sensus tum electionis præteritæ tum gloriæ futuræ sopiri, non potest tamen penitus vel amitti vel extingui, ita ut ad semper ab iis auferatur; Eluctatur enim tandem certo ex illa tentationum abysso anima fidelis ex Dei eligentis et erigentis gratia, et gaudium salutis amissum restitui sibi petit, et de restituto lætatur, ut exultent ossa ante contrita, Psal. li. 12, 14. Sic fidelis procellis et tempestate jactatus suavius in portu salutis quietem gustat et percipit, et confirmatior ac lætior a tentatione redit. Unde concludimus, etsi cognitio illa et persuasio non semper possit esse in omnibus, neminem tamen verum fidelem esse, qui illius sensu tandem, vel citius, vel tardius non perfundatur ad Dei gloriam et proprium solatium.

XLI. Hoc ergo semel posito, inquirendum superest, Unde cognitio illa haberi queat, Quod eo difficilius videtur, quod cum Liber iste vitæ penes Deum clausus maneat et obsignatus, 2 Tim. ii. 19, nec plene aperiendus sit ante ultimum diem, Apoc. xx. 12, non videtur facile dici posse, qua ratione in ejus cognitionem devenire possimus; Quid enim, an cœlos ipsos conscendere necesse erit, ut Librum istum evolvamus, et nomina nostra illi inscripta legamus? An scrutanda nobis erunt Dei arcana, quæ Deus sibi soli servavit, Deut. xxix., et quæ venerabundos submisse admirari decet, non curiosa et sacrilega temeritate rimari? An postulanda vel expectanda erit cœlitus extraordinaria quædam revelatio, quæ hoc mysterium nobis pandat, quæque de Electione nostra certos nos et securos reddat? Frustra sane essemus, si tale quid vel cogitare vellemus vel aggredi. "Quis enim novit mentem Domini, aut quis fuit ei a consiliis? nonne inscrutabilia sunt ejus judicia et impervestigabiles viæ?" Ut ad oram istius abyssi exclamare debeamus cum Paulo, *ὦ βάθος πλούτου της σοφίας καὶ της γνώσεως τοῦ Θεοῦ*, Rom. xi. 33, 34. Nota sunt illi ab ævo opera sua, Act. xv. 18, quia ea videt et legit in decreto, sed quis mortalium hanc sibi notitiam arrogare præsumat, quam soli sibi servavit? Novit ille qui sui sunt, 2 Tim. ii. 19, sed quis præter Deum, nisi ipso revelante, eo assurgere valeat?

XLII. Hoc tamen non obstat, quominus dicamus cognitionem illam haberi posse, non quidem *a priori* et *antecedenter* sed *a posteriori* et *consequentur*, Non in *causas* Electionis inquirendo, quod impium, sed in *effecta* et signa animadvertendo, quod concessum; Non in cœlum assurgendo, sed in nos descendendo; Non *Librum vitæ* evolvendo, qui omnes præter Deum solum latet, sed *Librum* Evangelii cum *Libro conscientiæ* legendo, qui cuivis fidelium serio attendenti patent; Non mentis divinæ sacrarium temerando; sed regenerationem cordis sedulo observando: Nimirum ut in negotio salutis diximus nolle Deum bona sua nobis esse ignota, ideo non vult præcipuum omnium bonorum fundamentum, a quo solatium omne nostrum pendet, electionem scilicet, nos latere. Hinc fit ut quemadmodum Pater vicem sustinet summi Judicis, pro tribunali sen-

tentiam absolutoriam de nobis ferentis; Filius, Vadis et Sponsoris, qui pro nobis satisfecit; Ita Spiritus Sanctus sit velut Cancellarius cœlestis, si fas ita loqui, qui in nobis Electionis et Justificationis apographum exscribit et insinuat; Adeo ut conscientia sit instar speculi vel cæli cujusdam, in quo exarata videmus et descripta legere possumus, quæcunque a Patre in nostri gratiam decreta sunt; Non secus ac in conscientia impiorum scribitur Legis sententia terribilis, quæ eos accusat et damnat. Sic optime libri isti duo sibi invicem respondent, *Liber vitæ*, et *Liber conscientiæ*. In illo sententia absolutoria scribitur per decretum; In isto eadem exscribitur per Spiritus Sancti impressionem.

XLIII. Si vero quæritur ulterius, Quomodo Spiritus Sanctus apographum illud in cordibus nostris exscribat? Resp. duplici scriptura uti, altera quæ *remissionem peccatorum* obsignet, altera quæ *renovationem* cordis imprimat: Cum enim fœdus gratiæ, quod ex libro vitæ pendet, duabus partibus absolvatur, promissione beneficii a parte Dei, et stipulatione officii a parte nostri, Ut Deus non recordetur peccatorum nostrorum amplius, et Legem inscribat in cordibus nostris, Jer. xxxi.; Ad utrumque duplici operatione Spiritus opus fuit, 1. *Consolatione*, 2. *Sanctificatione*, qua et promissionem gratiæ in nobis obsignaret, et Legem scribendo in nobis, fidelitatem obedientiæ nobis ingeneraret. Hinc vocatur *Spiritus gratiæ et precum*, Zach. xii. 10, *gratiæ* a parte Dei, quia eam obsignat, *precum* a parte nostri, quia ad eas nos excitat; et Rom viii. 15, 16, Idem Spiritus, qui *testatur nos esse filios Dei*, per promissionum divinarum applicationem in cor nostrum descendendo, *facit ut clamemus Abba Pater*, ascendendo ad Deum per gemitus ineffabiles: Sed eo præcipue respicit eximius locus Pauli 2 Tim. ii. 19, ubi dicit fundamentum Dei, quod electionem necessario includit, duplici veluti sigillo munitum et obsignatum esse, inde a parte Dei amore et custodia ejus, quia *Deus novit qui sui sunt*, hinc vero studio pietatis et sanctificationis a parte nostri, *Recedat ab iniquitate qui invocat nomen Christi.* Istis enim duobus argumentis et characteribus Spiritus Sanctus in nobis electionis nostræ certitudinem imprimit; Tum nos solando recordatione amoris et benevolentiæ Dei paternæ, quæ nunquam nos deserit; Tum nos sanctificando per recessum ab iniquitate et pietatis studium: Ubicunque enim adest, tum sensus amoris divini, et pax et gaudium inde efflorescens, tum bonorum operum studium; ibi indubitata electionis et justificationis occurrunt γνωρίσματα; Nihil enim tale in reprobo unquam esse potest. Atque eo respicit quod Apoc. xiii. 8, omnes incolæ terræ dicuntur adoraturi bestiam, præter inscriptos in libro vitæ, quod argumento est, tales non consensuros in hoc peccatum, et sancta hac apostasia, vitæque puræ et intaminatæ studio tanquam indubitato testimonio agnoscendos.

XLIV. Huc facit quod Petrus cap. i. 2ª, ver. 10, jubet fideles *Vocationem et Electionem suam firmare*, scilicet per bona opera, non respectu *sui* et a *parte rei*, siquidem utraque ἀμεταμέλητος est, et immutabilis; sed ratione *sensus* et a *parte nostri*. Mirum enim quantum bona opera ad id conferunt, sive ut *effecta*, quæ causam arguunt, sive ut *fructus*, qui arborem indicant, sive ut *sigilla* et characteres, qui imaginem Patris cœlestis, a quo vocamur exprimunt, sive ut *media*, quæ ad salutem, ad quam destinamur, infallibiliter nos ducunt. Quatuor enim hisce modis bona opera hanc certitudinem confirmare possunt, velut *Electionis effecta*, quia ab ea pendent et ordinantur, Act. xiii. 48, Rom. viii. 30, Eph. i. 4, 1 Pet. i. 2, vel ut *Vocationis sigilla*, quibus ea in nobis obsignatur, 2 Cor. i. 21, 22, 1 Pet. i. 15, et ii. 9, vel ut *fidei et Justificationis fructus*, qui ex ea oriuntur, Rom. v. 1, Gal. v. 6, Rom. vi. 1, 2, vel ut *salutis media*, quæ ad eam tendunt, Eph. ii. 10,

Matth. v. 8, Heb. xii. 14. Nam si effectum causam suam necessario prodit, et fructus arborem, si medium cum fine est connexum, et character prototypi sui refert imaginem, Quis dubitare queat, si hæc in seipso vere deprehendat fidelis, quin et se jam electum, vocatum et justificatum fuisse, et tandem certissime salvandum colligat?

XLV. Sed nullum certius et magis indubitatum potest esse istius veritatis argumentum et τεκμήριον, quam ipsa *conformitas* et similitudo, quæ nobis cum Deo intercedit. Nam cum Electio et Vocatio non alio tendant, quam ad nostri cum Deo communionem, et ex ea similitudinem et transformationem, 1 Joh. iii. 2, Col. iii. 4, 2 Cor. iii. 18, Psal. xvii. 15, non aliunde clarius utraque poterit demonstrari, quam si conformitatis istius radios et characteres in nobis deprehendere valeamus, ut id ipsum erga Deum præstemus, quod Deus erga nos. Si ergo scire cupis, An Deus te elegerit ab æterno? Respice An tu in tempore Deum serio eligas in Deum tuum, ut deinceps solus ille sit hæreditas, pars tua et summum bonum, quotquot enim eligit Deus in suos, illi vicissim Deum eligunt, et illi constanter adhærent. Vis nosse, An te vocaverit? Attende, an illum ex animo invoces; nam voci divinæ, quæ te ut filium vocat, vocem humanam respondere necesse est, quæ ad illum ut Patrem confugiat, Rom. viii. 15, Hos. ii. 20. Quæris, An Deus te præcognoverit et dilexerit in consilio? Vide an eum cognoscas et diligas in animo; Amor enim amorem parit, et flamma flammam accendit, 1 Joh. iv. 10, 11. Petis an misericordiam sis consecutus et remissionem peccatorum? Inquire an ipse misericordiæ visceribus sis indutus, et aliis condonare paratus sis, quicquid in te peccaverint; nam si characterem istius virtutis possides, et ipsum effectum consecutum te esse certo statuere debes, Col. iii. 10. Uno verbo si vis certe cognoscere, an nomen tuum in Libro vitæ scriptum sit; Expende an nomen Dei et Lex ejus in corde tuo sit insculpta ad eum colendum et amandum; hæc enim talia sunt, ut se necessario comitentur, nec a se invicem divelli unquam possint aut debeant.

XLVI. Tantum abest ergo, ut hæc certitudo securitatis sit mater, vel obstetrix licentiæ, quod falsissime nobis opponunt Adversarii; ut nullum fortius dari possit ad pietatem et sanctimoniam incentivum, quam sensus vividus amoris Dei, et eorum quæ nobis gratificatus est; Quando serio reputat anima fidelis, non esse divellenda, quæ Deus conjunxit, "promissa et præcepta, beneficia Dei et officia nostra, finem et usum mediorum" ad eum; nec ullum dari locum illis nisi cum istis. Quisquis itaque securitati vela laxat vel licentiæ, quia dividit conjungenda, et conjungit dividenda, in eo fiducia nulla vera gratiæ locum habere potest, sed sensus iræ et maledictionis, quæ manet impios et impœnitentes. Qui vero hanc spem et persuasionem habent, non possunt, si sunt vere quod præ se ferunt, non se ipsos sedulo purificare, 1 Joh. iii. 3, operari salutem suam cum timore et tremore, Phil. ii. 12, ambulare in via bonorum operum, Eph. ii. 10, vigilare, orare, pugnare et esse fideles usque ad mortem, Eph. vi., Apoc. ii. 10, ut qui sciant talia opera esse effecta electionis, et media salutis, sine quibus nec illa cognosci, nec ista unquam obtineri poterit.

XLVII. Cum ergo certum sit, *solis* et *omnibus* fidelibus hoc beneficium reservari, nec Agnum pro suis quemquam agniturum, quorum in librum suum nomina non retulerit, ut ex conscriptis neminem excludet, (nam ut nihil inquinatum intrabit in Civitatem, sed ii tantum qui scripti fuerint in Libro vitæ Agni, Apoc. xxi. 27, ita si quis non inventus fuerit scriptus, dejiciendus est in stagnum ignis, Apoc. xx. 15); Maxima nostra refert hunc Librum Agni sæpe consulere, ne, quos *conscriptos* putamus

ad sacram hanc militiam, *proscriptos* tandem magno nostro damno experiamur. Nam ut refert Nehemias cap. vii. 64, eos tantum ad sacerdotium admissos fuisse, qui genus et familiam in tabulis publicis demonstare potuerunt, Ita nulli ad vitam et regale sacerdotium admitti poterunt, quorum nomina non scripta fuerint in Catalogo Hierosolymæ cœlestis. Si vero semel in eum censum relati fuerint, fieri nequit ut inde moveantur, quicquid tandem adversus eos diabolus et mundus moliantur; Tales enim profitetur Deus ipse ex nomine novisse, et habere sub signaculo: Isti ut columnæ in domo Dei immoti perstant in ejus conspectu; Inter equos, tubas, phialas, tonitrua, et terræ motus nunquam statione dejiciuntur; Non datur ad vindictam accinctis terram vel mare lædere, priusquam isti ad certam salutem obsignentur, Apoc. vii. 3. Gaudeamus ergo et exultemus, quod nomina nostra scripta sunt in cœlis: Sed ne nos inani et ementitæ fidei professione decipiamus, Studeamus electionem et vocationem nostram in dies confirmare bonis operibus, ut ita magis magisque proficientes in fide et pietate, hoc signaculo gratiam Dei in nobis obsignemus, et tandem, quum Libri aperientur in ultimo illo et decretorio die, inveniamur scripti in Libro vitæ Agni, ut cum eo vitam quam proprio sanguine acquisivit, in æternum possideamus. Amen.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SCRIPTURÆ SACRÆ

AUTHORITATE ADVERSUS PONTIFICIOS.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SCRIPTURÆ SACRÆ

AUTHORITATE ADVERSUS PONTIFICIOS.

PARS PRIOR.

Respondente MICHAELE TURRETTINO, *Genevensi.*

I. Mirum equidem videri hoc debet, et merito dolendum, quod cum *ex Scripturis* olim disputaretur; jam eo res redierit ut *de Scripturis* ipsis, quarum tamen apud Christianos sacrosancta debuit esse Majestas, disputetur. Hic scilicet fuit Pontificiorum astus, qui dum in Scriptura satis præsidii non inveniunt, ad Exceptiones contra Scripturam sese receperunt, et ut plausibiliori cum prætextu ejus Tribunal declinarent, et ad Ecclesiam, hoc est Doctores suos ac Pontificem, provocarent, ipsique in causa sua Testes et Judices sederent, αὐθεντίαν ejus et dignitatem, si non penitus evertere, mirum in modum saltem concutere et labefactare sunt conati. Atque hinc factum, ut quamvis controversiæ de Scriptura non soleant inter *Primarias*, sed *Secundarias*, quæ nobis cum Pontificiis intercedunt, quia non inde primum disputari cœptum est, non minus tamen graves et momentosæ videri debeant; Imo eo magis necessariæ jam factæ sint; quod instar basis et fundamenti cæteris præstruendæ veniant. Cum enim Scriptura sit Principium et Regula fidei nostræ, nutabit semper ista et anceps hærebit, nisi illius *Authoritas* asserta semel fuerit et demonstrata.

Quæstio de Authoritate Scripturæ duplex.
1. Contra Atheos.
2. Contra Pontificios quæ hic tractatur.

II. Cum vero Quæstio de *Authoritate Scripturæ* duplex, adversus duo hominum genera possit institui. Primo, Adversus Atheos et Epicureos, qui a religione penitus alieni, nullam Verbi istius Authoritatem et Divinitatem agnoscunt. Secundo, contra Pontificios, qui licet eam credere se et amplecti profiteantur, ita tamen suspendunt ab Authoritate Ecclesiæ, ejusque Testimonio, ut absque eo si non esse in se, saltem quoad nos non possit innotescere. Nos priori missa nunc quidem, quæ alias commodius poterit tractari, posteriorem aggredimur, probandumque adeo suscipimus cum bono Deo, Scripturam S. ita per se αὐτόπιστον esse et Divinam, ut nec in se, nec quoad nos authoritatem obtineat ab Ecclesia.

III. Hic autem ne in limine impingamus, Primo aperienda est utriusque partis sententia, ut facilius deprehendi possit, in quo versetur vexatissimæ

istius Controversiæ Cardo. Et ad Orthodoxos quidem quod attinet, sic illi statuunt, Scripturam Sacram omnem suam Authoritatem a Deo, a quo profecta est, mutuari, et ita ex se ipsa esse Authenticam, ut a Testimonio qualiscunque Ecclesiæ, multo minus Sedis Romanæ suspendi ejus αὐθεντία nec possit nec debeat. Non quod suum non sit pondus veræ et purioris Ecclesiæ Testimonio, sed quod nec solum sit nec præcipuum, sed secundarium tantum et ministeriale, absque quo etiam sua constat huic Verbo Divino αὐτοπιστία, nisi Deo loquenti obloqui, et Testimonium Divina authoritate firmatum in dubium revocare volumus.

Trifariam spectatur: vel resp. Scripturæ, vel Spiritus, vel Ecclesiæ.

IV. Porro ad pleniorem sententiæ istius declarationem observandum est, Tria ad persuadendam nobis Scripturæ Divinitatem concurrere posse, *Scripturam* scilicet, vel Deum in Scriptura loquentem, *Spiritum* in corde testantem, et *Ecclesiam* Scripturam nobis tradentem: Ut enim triplex dari potest causa, quæ ad alicujus rei persuasionem concurrit, Vel *objectiva*, quæ complectitur argumentum seu motivum propter quod credo, Vel *efficiens principalis*, quæ principium notat cujus virtute credo, Vel *instrumentalis*, quæ medium et organum designat per quod credo; quomodo ad visionem corpoream tria requiruntur necessario, objectum visibile, facultas visiva, et medium diaphanum, quod species vel radios utrinque transmittit: Ita *Scriptura* se habet ad modum fundamenti et argumenti propter quod credo, *Spiritus Sanctus* ad modum principii et causæ efficientis, cujus vi et efficacia credo, et *Ecclesia* ad modum instrumenti per quod credo. Hinc si quæritur, Unde probetur, vel innotescat nobis Scripturæ Authoritas, pro triplici sensu Quæstionis trifariam etiam respondendum censemus. Vel enim quæritur; Quo argumento seu Cur et *propter quid* credatur, et tunc respondetur propter Scripturam solam et κριτήρια ipsi insita, non propter aliud quid extra se Scripturam cognosci et credi Divinam. Vel quæritur, quo instrumento et medio, seu *per quid* eam ut talem agnoscamus; Atque hic respondetur per Ecclesiæ ministerium ordinarie nos eam notitiam consequi, cui λόγια sua committere Deus voluit. Vel denique quæstio est, *A quo* principio, seu ex qua causa efficiente fides illa, quæ agnoscit Divinitatem Scripturæ, oriatur; Ad hoc vero respondetur, optime hoc fieri a Spiritu Sancto intus operante, solo salvificæ fidei authore.

Quale sit Scripturæ testimonium.

V. Quando loquimur autem de Testimonio ipsius Scripturæ, nolumus intelligi duntaxat *argumentum inartificiale*, quasi Scriptura simpliciter fidem sibi adhiberi vellet, quia se Divinam dicit; sed *artificiale* et *ratiocinativum*, quatenus Deus illi notas et criteria ejusmodi impressit, quæ in scriptum humanum cadere non possunt; qualia sunt Divina verbi Veritas, admiranda Mysteriorum sublimitas, Candor et παῤῥησία Scriptorum, Consensio partium invicem, Doctrinæ sanctitas et efficacia, et alia id genus, in quibus inimitabiles singularis tum majestatis tum sapientiæ characteres deprehenduntur, et talis gravitatis simul et simplicitatis contemperatio, quæ occulta quadam virtute in animum pii lectoris illabitur, eumque subigit et expugnat: Ex illorum quippe intuitu facile colligimus Scripturam Sacram non esse librum humana industria elaboratum, sed speciali Spiritus Sancti ductu concinnatum, adeoque vere divinum et αὐτόπιστον. Atque hic distinguendum putamus inter *Objectum* seu *Fundamentum* fidei, et ejusdem *Argumentum* seu *Motivum*. Nam fundamentum aliud non potest esse, quam divina Revelatio, seu Verbum Divinitus revelatum. Sed argumentum istius fidei nostræ suppeditant Notæ illæ, quas in divina hac revelatione

deprehendimus, et quæ veluti totidem radii divinitatis ejus splendorem arguunt. Ita ut *Verbum* seu divina Revelatio sit veluti *materiale*, quod fides amplectitur, et per quod respondetur ad quæstionem, *Quid credis. Nota* vero *formale* seu motivum, quo fides nostra nititur, et per quod respondetur ad quæstionem, *Propter quid credis*. Unde oritur *certitudo*, non mere *probabilis* et moralis, alias fides nostra non certior esset quolibet assensu historico, qui scriptis humanis adhibetur; sed *Theologica* et infallibilis, quæ hominem fidelem et Spiritu S. illustratum decipere non potest, quia non nititur verbo hominum, qui et falli et fallere possunt, sed Verbo Dei, qui et falli et fallere est nescius.

Quale sit Testimonium Ecclesiæ.

VI. Ad Testimonium Scripturæ quod κυρίον est et primarium, Accedit λειτουργικὸν et *ministeriale Ecclesiæ*, quod etiam alicujus momenti hic esse non diffitemur. Licet enim absolute non sit necessaria ullius hominis opera ad Scripturæ Divinitatem cognoscendam, siquidem Deus potest immediate Verbum suum quibus libuerit revelare: ut factum respectu sui testatur Apostolus, Gal. i. 12, quum profitetur, "se Evangelium ab homine non accepisse, nec edoctum fuisse, sed per revelationem Jesu Christi:" Tamen quia in via ordinaria providentiæ, Deo visum est uti hominum opera in hominibus ad fidem adducendis; Ideo Ecclesiæ suæ Oracula committere voluit ut fidelibus traderentur; unde non parum ponderis sæpe habet ad animos hominum commovendos, et ad Scripturæ reverentiam excitandos. Atque hinc multiplex Ecclesiæ circa Scripturam officium exurgit, Primo *Custodis*, qui Testamentum hoc divinum summa fide Tabellionis instar conservare debet, quo sensu Paulus toties hortatur Timotheum, ut *servet depositum*, 1 Tim. vi. 20, et 2ᵐ. i. 14. Secundo *Indicis*, qui indicare nobis debet libros sacros et ad illos manuducere, quomodo Joannes Judæis Christum indicabat, Joh. i. 29, *Ecce Agnus Dei*, et Samaritana indicat Messiam concivibus suis, Joh. iv. Tertio *Vindicis*, qui tuetur et vindicat libros genuinos ab adulterinis et supposititiis secernendo, ne verbum humanum pro divino obtrudatur, et æs pro auro supponatur; quo pertinet illustre encomium Pauli quum ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας illam vocat, 1 Tim. iii. 15. Quarto *Interpretis*, cujus est verum et genuinum sensum aperire, et Verbum ex analogia fidei et ipsa Scriptura ὀρθοτομεῖν, Rom. xii. 6, et Eph. iv. Quinto *Præconis* et *Nuncii*, qui proponit et promulgat Verbum istud tanquam Edictum et Legem summi Principis nomine, ut ad fidei obsequium homines adducat, quo sensu Ministri vocantur Legati, Præcones Nuncii, Rom. x. 15, 2 Cor. v. 19, 20, Isa. xl. 5, eorumque ministerium *Præconium*.

VII. Licet autem multiplex officium Ecclesiæ circa Scripturam competat, id omne tamen *ministerium* importat, non *magisterium*. Quemadmodum nec Custos, aut Vindex, nec Præco, aut Interpres authoritatem ullam conferunt rebus sibi commissis, sed tantum organice et ministerialiter circa eas occupantur: Ita quicquid agat Ecclesia circa Verbum, non ulterius extenditur, quam ad ministerium, ut *per eam* quidem credere dicamur, non vero *propter eam*, quomodo per Joannem credere debebant Judæi, Joh. i. 7, et per Samaritanam Concives ejus. Idem enim, quod mulier illa Concivibus suis, præstat nobis officium; ut enim illa deducebat ad Christum; et aditum præbebat Samaritanis ad eum cognoscendum quo cognito longe certius illum amplectebantur propter seipsum; "Jam non credimus," inquiunt, "propter sermonem tuum, ipsi enim audivimus, et scimus quod hic est vere Servator mundi," Joh. iv. 42: ita Ecclesia medium est ἐπαγωγικὸν, quia nos ad Scripturam ducit, eamque in manus tradit. Sed quandiu hic subsistimus, fides tantum humana est, non divina,

sive gradus ad fidem potius quam fides ipsa, donec ad Scripturam deveniamus, eamque propter se amplectamur. Unde non rejicimus Ecclesiæ Testimonium, sed in suo ordine collocamus; non negligimus ministerium, sed magisterium recusamus; respicimus eam ut instrumentum per quod, non ut argumentum propter quod credimus; ut manuductionem ad fidem, non ut primarium motivum quod eam suadet; ut Testimonium omni alio humano majus; sed Deo in Scriptura loquenti inferius, utpote a quo suam totam, quantaquanta est, mutuatur authoritatem.

VIII. Quia vero *Ecclesia* potest considerari, vel ut *collectiva* respectu fidelium, vel ut *repræsentativa* respectu Pastorum, de ista potissimum hic quæstio est, non de illa. Quæ rursus juxta varias temporis circumstantias potest Testimonium aliud alio certius reddere. Nam si de antiqua et Apostolica loquimur, ejus Testimonium æquiparandum est Testimonio Divino, cum Apostoli θεόπνευστοι adhuc in ea versarentur. Testimonium Ecclesiæ, quæ excepit tempora Apostolorum, minus fuit Testimonio Apostolico, quia non fuit infallibile; sed adhuc certius Testimonio hodierno, quia et proxime sequebatur ætatem Apostolorum, et variis miraculis et signis adhuc erat insigne. Sed Testimonium hodiernæ Ecclesiæ inferius est cæteris, adeoque longe minoris momenti, de quo tamen præcipue hic quæritur. Quinimo Pontificii non cujuslibet Ecclesiæ Testimonium audiri volunt, sed suæ, quam veram esse supponunt, non probant, quod tamen præcipue probatum oportuit, cum frustra veræ Ecclesiæ authoritas asseratur in thesi, nisi in hypothesi demonstretur Romanam talem esse.

Quale sit Testimonium Spiritus.

IX. Quamvis vero Scriptura et Ecclesia hic loquerentur, frustra tamen esset vox utriusque, nisi accederet tertio *Spiritus Sancti* intus agentis operatio. Unde diximus necessario requiri tertium hoc Testimonium ad plenam Divinitatis Scripturæ persuasionem habendam. Testimonium autem quum dicimus, non debemus hic fingere vocem aliquam Spiritus intus loquentis, et aliquid seorsim a Verbo nobis persuadentis, quod Enthusiastæ et Fanatici volunt, a quibus immane quantum distamus. Sed nihil aliud intelligimus, quam vim et efficaciam Spiritus intus agentis, et oculos mentis aperientis ad dignoscendos divinæ veritatis radios in verbo micantes, atque ita fidem animis nostris ingenerantis. Unde duplex venit distinguenda operatio Spiritus, alia in Verbo, quæ vocatur Testimonium externum, alia in Corde, quæ est Testimonium internum. Idem enim qui loquitur in Verbo ad doctrinæ cœlestis explicationem, loquitur etiam in corde ad ejusdem applicationem, et ut testatur in Verbo *objective* per modum *argumenti*, testatur etiam in Corde per modum *principii*, quo sensu Joh., cap. v. 1æ, Spiritum inter testes Veritatis Evangelii et Divinitatis Christi recenset, et ver. 6, "Spiritus testatur quod Spiritus est veritas," Spiritus in corde testatur, quod Spiritus in Verbo seu doctrina a Spiritu tradita, sit Veritas. Necessitatem autem Spiritus evincit, non modo mentium nostrarum cæcitas, quæ non capiunt ea quæ sunt Dei; sed et Mysteriorum cœlestium sublimitas, quæ humana ratiocinatione quantumvis recta, nunquam potuissent vel excogitari vel apprehendi. Et ut in visione non tantum requiritur lux in objecto videndo, sed etiam in subjecto vidente, nam frustra Sol cæco luceret: Ita Spiritus, qui luxit in Verbo ad veritatis revelationem, debet lucere in corde ad oculorum mentis illustrationem. Unde oritur assensus fidei, et firma illa cordis πληροφορία, quæ Scripturæ Divinitatem agnoscit et amplectitur.

X. Ne autem in ista Spiritus Sancti operatione dignoscenda aberremus,

Observandum, I. Quod Spiritus hic intus testans nunquam separetur a Verbo, quod in Scriptura continetur: nec alio tendat ejus operatio, quam ad obsignandam in animis nostris divinam istius veritatem. Verbum est instar seminis in terram projecti, Spiritus instar virtutis vivificæ, qua in nobis radicatur et germinat. Verbum est objectum, quod facultati proponitur, Spiritus est vis, quæ disponit facultatem ut illud amplectatur. Quo respiciunt illa, Isa. lix. 21, "Verbum, quod posui in ore tuo, et Spiritus qui est in te, non recedent," &c., et quod Christus ait, Joh. xvi. 14, "Accipiet de meo, et annuntiabit vobis." Unde patet alienissimum esse a Spiritu Anabaptistico, qui et Scripturam contemnit, et privatis ac extraordinariis revelationibus indulget. II. Testimonium hoc facit quidem ad propriam singulorum fidelium confirmationem, in quibus Spiritus habitat et operatur, sed non potest adhiberi ad aliorum convictionem, vel conversionem. Cum enim soli fideli cognitus sit et perspectus, Apoc. ii. 17, Testimonium ejus solum fidelem cui redditur, persuadere potest, nec aliis prodest, nisi ratione effectorum, quæ extrinsecus videntur, 2 Cor. iv. 13. Unde ludibrium merito deberem, si alteri persuadere vellem Scripturam esse divinam, quia Spiritus S. hoc in me testatur. III. Spiritus privatus potest dici ratione *subjecti*, quia est in unoquoque fideli, sed non ratione *principii*, et originaliter, quia communis est toti Ecclesiæ, 2 Cor. iv. 13, ut Sol totum mundum lustrans et unumquemque illustrans privata fax non est cuique accensa. Sic Spiritus, qui luce sua cor fidele permeat, privatus dici nequit, quia idem Spiritus, qui in Ecclesia semper spiravit, quique Verbum Prophetis et Apostolis inspiravit, mentem veri fidelis commovet et excitat, eandemque doctrinæ lucem quam in Sacrario Verbi accendit, in Sacrarium cordis infert. Unde patet quam injuste Pontificii *Privatum Spiritum* nobis objiciant, quem communem esse fidelibus omnibus statuimus. IV. Spiritus non testatur in omnibus Verbi Auditoribus, sed tantum in Electis, non tamen æquali claritatis vel certitudinis gradu. Non testari in omnibus liquet, non modo ex parabola de semine, Matth. xiii., sed ex eo quod Spiritus non sit omnium, Joh. xiv. 16, 17, ut nec fides, 2 Thess. iii. 2, Sed tantum Electorum, quibus Deus peculiari gratia revelare dignatur mysteria sua, Matth. xi. 25, 26, ut mirum non sit multos de Scripturarum veritate dubitare, imo et ab earum fide deficere, Joh. vi. 64, 66. Testari vero in omnibus fidelibus constat, quia in eum finem datur ipsis, ut testetur de iis quæ nobis data sunt, 1 Cor. ii. 12, et nisi quis habeat Spiritum Christi, non est ejus, Rom. viii. 9. Sed ut dispari mensura communicatur fidelibus, prout gradus sunt in sanctificatione, per quos fit ut alii aliis sint et in fide et in charitate provectiores, 1 Cor. ii. 6, Heb. v. 13, 14. Ita major est vel minor certitudo et perspicuitas testimonii quod in ipsis exhibet. Atque hinc factum ut non omnes libri Sacri ab omnibus ex æquo pro Canonicis semper sint habiti, sed quidam rejecti fuerint ab his, qui ab illis fuerant recepti. V. Ut Testimonium divinum Spiritus dignoscatur a contrario Spiritus fanatici Testimonio, nullum aliud κριτήριον certius potest adhiberi, quam Scriptura Sacra, ut examinetur juxta Sacræ Scripturæ normam, tum quia regula hæc nobis ponitur, Deut. xiii. 1, 2, 3, Isa. viii. 20, 1 Joh. iv. 1, 2, 3, 8, tum quia Spiritus est veritatis, sibi semper constans et conformis, nec aliter testatur in corde, quam testatus est in Verbo. Perperam tamen hinc Circulum nobis impingunt Pontificii, (cujus ipsi manifeste rei tenentur) cum Scriptura probet Spiritum *objective*, Spiritus vero probet Scripturam *efficienter*, quod peculiari disputatione de *Circulo* alibi est a nobis demonstrarum.

XI. Ex hisce vero ita positis, facile colligitur quænam sit in gravissima

hac quæstione Orthodoxorum sententia: Nimirum ad internam persuasionem Divinitatis Scripturæ necessariam absolute Spiritus Sancti in cordibus nostris esse operationem. Sed argumentum seu motivum, quo utitur ad ingenerandam istam fidem, non esse Testimonium Ecclesiæ, licet possit etiam hac in parte alicujus esse momenti: Sed solas notas in Verbo fulgentes, quæ tanto splendore radiant, ut Scripturæ propter seipsam, et non propter aliud credamus; Unde si resolutio fidei quæritur, statuunt bifariam posse eam spectari, Vel ratione *fundamenti*, sive *objecti externi*, et hanc fidem ultimo resolvi in solam divinam Revelationem in Scriptura expressam; Vel ratione *subjecti* seu *principii interni*, et tunc resolvi in Spiritum in corde testantem.

Sententia Pontificiorum.

XII. Sed Pontificii hic in alia plane abeunt, licet perplexe admodum loquantur, nec sibi semper constent. Primo certum est alios durius, alios mitius loquutos fuisse; Nam illi, qui primitus Patrum nostrorum memoria Papismum acerrime propugnarunt, remotis ambagibus, asserere non dubitabant, omnem authoritatem Scripturæ ab Ecclesia pendere nec majori fide dignam esse, seposito Ecclesiæ Testimonio, quam Alcoranum, Titum Livium, et Æsopi fabulas. Hinc blasphemæ illæ voces, quas nemo pius sine horrore legere potest, "Pio sensu dici posse Scripturas tantum valere, quantum Æsopi fabulas, si destituantur Ecclesiæ Authoritate," quod Hosius Cardinalis habet lib. iii. contra Brentium; et quod Baylius Jesuita Tract. 1. Catech. q. 12. aperte profitetur "se sine authoritate Ecclesiæ, non plus fidei adhibiturum Matthæo, quam Tito Livio." Quod Andradius lib. ii. defens. Concil. Trid., "Nihil inesse" ait "Divinitatis in iis libris, quibus sacra Mysteria conscripta sunt, nec inveniri in iis, quod nos religione cogat et constringat ad credendum, qua in illis continentur, Sed Ecclesiæ tantam esse vim et amplitudinem, ut nemo sine maxima impietatis nota repugnare illi possit," et alia plura ejusmodi, quæ apud Eckium in Enchir. cap. 1., Pighium lib. i. de Hierarchia Ecclesiæ cap. 2., Bellarminum lib. iv. de Verbo Dei, c. 4, et alios leguntur.

XIII. Quia vero hæc tanquam nimis crude et crasse dicta Recentiores animadverterunt; Ideo cautius loquuti sunt, ita mentem suam explicantes, ut Scripturam quidem *absolute* et *in se*, etiam absque Ecclesiæ Testimonio Divinam esse concedant; Sed *relate* et *quoad nos* velint istam Authoritatem non obtinere, nisi per Ecclesiæ Testimonium, cujus beneficio ut Divina nobis innotescat et a nobis suscipiatur. Ita Ecclesiam non facere quidem ut Scriptura vera sit, hoc enim habere a Deo Authore suo, sed tantum ut pro vera agnoscatur et credatur. Unde nata distinctio vulgata *Authoritatis quoad se*, et *quoad nos*, qua in hoc argumento utuntur, et queruntur sibi a Nostris injuriam fieri, et Quæstionis statum perverti, quum ita instituitur; An Authoritas Scripturæ pendeat ab Ecclesia, quasi Ecclesia faceret Scripturam Authenticam, et illi aliquam authoritatem, quam ex se non haberet, conciliaret; cum id tantum quoad nos intelligendum sit, quia nobis non innotesceret nisi propter Ecclesiæ Testimonium. Ut quæstio sit, non, An Scriptura S. vera sit, et unde illud habeat, hoc enim habere a Deo ejus Authore; Sed qua ratione et Unde nobis constet esse veram et Divinam, quod ab Ecclesia pendere censent: pari plane pacto, quo celebre Salomonis Judicium non fecit, ut infans de quo quærebatur, esset veræ matris filius, sed patefecit tantum cujus filius esset.

XIV. Sed quocunque modo hoc suum dogma incrustare conentur, si penitius rem expendimus, patebit ad fucum faciendum et declinandam invidiam potius, quam ad explicandam veritatem, distinctionem hanc

excogitatam fuisse, et mutata quidem fuisse verba, sed eandem mentem illis semper esse. Primo, quia nulla potest dari authoritas quoad se, quæ non sit etiam quoad nos, non modo quia est ἐκ τῶν πρός τι ex relatorum natura, quæ necessario respectum ad aliud includunt; sed etiam quia quod facit ut Scriptura sit Divina et authentica in se, debet etiam facere ut talis sit quoad nos; Quippe argumenta et criteria, quæ fundant ejus authoritatem in se, eandem quoque debent fundare respectu nostri, ut nihil possit dici fundamentum *simpliciter* quod non sit etiam *quoad nos*. Etenim si quid nos ad assentiendum principaliter movet aut movere potest, est fundamentum fidei simpliciter, nec quoad nos tantum, et si non movet nec movere potest ad assentiendum, nec est fundamentum *simpliciter*, nec *quoad nos*. Unde licet centies Ecclesia diceret Scripturam pro Divina esse habendam, non possem tamen nec deberem assentiri, si divina in se non esset; Et quamvis negaret Ecclesia recipiendam esse eam ut Divinam, recipienda tamen esset, eo ipso quo statuitur esse in se vera et Divina. Deinde quum Adversarii volunt quæri inter Nos, non Unde sit Scripturæ Authoritas; sed unde nobis innotescat; Vel intelligunt rationem et motivum propter quod ut talem novimus et credimus; Vel simpliciter medium et instrumentum, quo ad eam cognoscendam adducimur. Si posterius volunt, mutant quæstionis statum, nec nos habent dissentientes: Nec enim, ut antea dictum, negamus Ecclesiam concurrere ad indicandam nobis Scripturam. Sed si prius intelligatur, ut intelligere necesse est eos, si hypothesim tueri volunt, et sententiæ suæ consentanea loqui, frustra affertur distinctio ista; Nam si Ecclesiæ Testimonium est præcipua ratio, propter quam credo Scripturam esse Divinam, debebit etiam ipsi conciliare authoritatem in se, atque ita ab Ecclesia semper pendebit. Quod priores, qui magis rotunde loquebantur, volebant. Neque juvare eos potest judicium Salomonis, imo pro nobis facit; nam non fuit fundamentum seu ratio propter quam cognita fuit vera mater, sed tantum medium quo innotuit, siquidem hujus interventu viscerum maternorum facta est commotio, quæ propria fuit istius cognitionis causa. Ita quum Ecclesia nos adducit ad Scripturam, et radios Divinitatis in illa fulgentes ostendit, est quidem medium quo credimus esse Divinam, sed non ipsum fundamentum seu formalis ratio, propter quam credimus.

XV. Cæterum non dissimulandum Pontificios videri sanius et sentire et loqui, dum negant Ecclesiam esse fundamentum principale, seu formalem rationem propter quam fide Divina credimus Scripturam esse vere Verbum Dei, sed tantum, vel *conditionem* necessario requisitam ad illum actum fidei eliciendum, ut loquitur Valentia, Tom. iii. disp. 1. quæst. 1, et Gretserus in tractatu de agnoscendis Scripturis Canonicis c. 7; vel *causam acceptationis fidei*, ut Becanus de Circulo Calvinistico. Si vero quæratur, quo fundamento ergo nitatur fides Divina, qua creditur divina Scripturæ Authoritas, vel quæ sit formalis ratio propter quam fide divina credimus hoc Verbum Dei, Respondent esse *Revelationem Divinam*, seu se hoc credere propter Dei revelantis Authoritatem, ut iidem Gretserus et Becanus prolixe probant. Sed non difficile est larvam hanc detegere, qua simplicioribus imponere conantur, et ostendere, eos vel ἀσύστατα loqui, vel insigni prævaricatione quod una manu dare videntur, altera auferre. Nam revelationem quidem divinam esse fundamentum seu rationem formalem fidei vere ab illis asseritur; Sed si porro quæratur, ubi sit illa revelatio propter quam credimus Scripturam esse Verbum Dei, et quæ omnium sit prima et notissima, quæ per se et propter se a nobis recipi debet, non vero propter ullam aliam, hic aquam ipsis hærere necesse est;

Vel enim dicent esse Scripturam ipsam, atque ita ad nos accedent, qui nihil aliud volumus, quam Scripturæ propter Scripturam ipsam credi; Vel traditionem aliquam non scriptam, sed eadem quæstio movebitur de illa Traditione, Unde constet eam esse Divinam; Vel esse ipsius Ecclesiæ vocem, in qua et per quam Deus loquatur, quod tamen videri volebant negare.

XVI. Et sane hanc esse genuinam eorum mentem colligitur ex ipsorum verbis: Nam per Ecclesiæ testificationem ordinarie respondent ad quæstionem, "Cur credis hoc Verbum esse Dei Verbum;" Imo nullam aliam responsionem commode posse afferri censent. Bellarminus, lib. iii. de Verbo Dei, cap. 10, resp. ad argum. 13, "Certum est nos non certo scire quod Deus revelavit, nisi ex Ecclesiæ Testimonio, et lib. vi. de Lib. Arbitr. cap. 3, "Credunt Catholici id quod credunt, quia Deus revelavit, Deum autem revelasse credunt, quia Ecclesiam ita dicentem et declarantem audiunt." Stapleto. lib. i. de Authoritate Ecclesiæ contra Whitak. cap. 8, "Nunc ergo supremum externum Testimonium in terris est Ecclesiæ vox," et cap. 9, "Deus per Ecclesiam loquens non aliter loquitur, quam si immediate per visiones et somnia, aut quovis alio supernaturali revelandi modo nobis loqueretur," et cap. 14, S. 12, "Tota formalis ratio fidei nostræ est Deus per Ecclesiam revelans." Gretser. de agnos. Scrip. Canon. cap. 7, "Solum Testimonium Ecclesiæ apte redditur ad quæstionem, Unde scis Scripturam esse Divinitus revelatam." Ita non negant Scripturam esse Verbum Dei, sed pertendunt, non posse ut talem nobis innotescere, nisi propter aliam revelationem, quæ in Ecclesia demum quærenda sit, utpote per quam Deus loquatur hodie, tanquam per organum infallibile, ut olim loquutus est per Prophetas et Apostolos.

Status Quæstionis.

XVII. Ex quibus jam facile Controversiæ statum colligere possumus, Quisve consensus sit vel dissensus inter Nos et Adversarios. Primo, patet hic non quæri de *Principio*, vel de *Causa efficiente* fidei, per quam Scripturæ divinitatem credimus, An Spiritus Sanctus sit necessarius ad fidem istam ingenerandam; hoc enim non possunt diffiteri Adversarii, et sæpe professi sunt, se necessitatem istius principii agnoscere. Stapleto. adversus Whitak. non semel queritur, gravem sibi fieri injuriam, quum contrarium illis adscribitur: "Arcanum," inquit, "Divini Spiritus Testimonium prorsus necessarium est, ut quis Ecclesiæ Testimonio ac Judicio circa Scripturæ approbationem credat, neque absque hoc interno Spiritus Divini Testimonio, etiamsi millies Ecclesia attestetur, commendet, promulget et approbet Scripturas, fides consequetur, aut audienti populo persuadebitur;" Triplicat. ad Whitak. cap. 9. Sic Canus loco. Theol. lib. ii. cap. 8, Respond. ad 4, argument. et alii. Sed quæritur de *argumento* seu motivo præcipuo, quo Spiritus Sanctus utitur in persuadenda nobis ista veritate. An sit argumentum inartificiale Testimonii Ecclesiæ, quod volunt Pontificii; an vero artificiale petitum ex notis ipsius Scripturæ? Quod nos statuimus. Quæ duo eo accuratius distinguenda sunt, quod alias ingentes huic disputationi tenebras offundere possunt: Atque hinc factum, ut varii non satis feliciter versati videantur in hac contra Adversarios expedienda Controversia, quasi hoc tantum quæreretur; An ex interna potius persuasione Spiritus pendeat Scripturæ Authoritas, quam ex Ecclesiæ Testimonio. Nam ut modo diximus, non negant Pontificii necessitatem Spiritus ad persuadendam nobis hanc Authoritatem, Et si quæ hac in parte occurreret difficultas, ea ad quæstionem de Libero Arbitrio, non de Scriptura pertineret. Aliud enim est quærere, *Unde* aut *per quid*, et *quo instrumento* divina cognoscatur Scriptura; Aliud *Cur*, *propter quid*, et *quo argumento* talis credatur. Quoad prius enim hac-

tenus consensus est inter partes, fieri hoc per fidem mediante virtute Spiritus. Sed in posteriori gravis est disceptatio. Illi enim nos propter Ecclesiam credere Scripturæ dicunt; Nos vero Ecclesiam propter Scripturam audiendam esse. Illi credendum Scripturæ, quatenus ab Ecclesia Testimonium accipit; nos contra Ecclesiæ, quatenus Scripturæ consentanea loquitur.

XVIII. 2. Liquet etiam non disputari simpliciter de Testimonio Ecclesiæ, An ulla sit ejus ratio habenda; Sed de ejus pondere et Authoritate; An primarium sit et præcipuum quo utitur Spiritus Sanctus. Non negamus enim suas esse hac in parte Ecclesiæ partes, ut antea observavimus, dum fungitur officio Custodis, Præconis, Vindicis, et Interpretis; Sed quicquid hic faciat, concurrere dicimus tantum ministerialiter et organice, ut sit medium λειτουργικὸν et εἰσαγωγικὸν, quo utitur Spiritus Sanctus, non κύριον et principale; ut conservet quidem veritatem sed non fundat; proponat, sed non constituat; indicet et vindicet, sed no αὐτοκρατορικῶς judicet. Quemadmodum Edicta Principum et Magistratuum a Præconibus et Ministris Regiis authoritatem suam non mutuantur, licet per eos populo innotescant; Ut Aurifex statera aut lapide aurum a cupro aliisve metallis dijudicans, aurum non facit sed tantum verum esse indicat; et ut Interpres fidus nihil de suo comminisci et inferre debet, sed sensum latentem diligenti examine tantum efferre et elicere. Sed illi cum quibus agimus, non ministerium duntaxat volunt, sed magisterium; non ut per Ecclesiam tantum credamus, sed etiam propter eam. Imo censorium sibi jus in Deum ipsum arrogant, nec tantum fidem nostram ab arbitratu suo suspendunt, et suam a seipsis, sed et ipsius Dei vocem, priscum Senatus Romani fastum imitantes, apud quem "de humano arbitratu divinitas pensitabatur," ut loquitur Tertull. Apol. cap. 5, Idem quippe sibi jus arrogant in Scriptura Sacra. Unde blasphema Nicolai Papæ audacia, qui distinct. 19, Can. Si Rom. Pontif., statuere non erubuit, "Id tantum probandum, quod Romanorum Pontificum calculo probatum vel improbatum, et ideo demum Vetus et Novum Testamentum recipiendum, quia Innocentius Pontifex authoritate et sententia sua recipiendum esse sanxerit." 3. Non quæritur, An Testimonium publicum Ecclesiæ præferendum sit privato cujuslibet fidelis Testimonio, ut quidam perperam statum quæstionis formant: Nam præterquam quod falso supponitur, Spiritum in nobis testantem esse proprium, cum sit communis Ecclesiæ, ut antea visum; Spiritus in fideli testans non se habet ad modum objecti vel argumenti, sed ad modum principii; Atque ita non potest legitima institui oppositio inter Ecclesiæ et Spiritus Testimonium. Sed quæritur, An Testimonium Ecclesiæ præferendum sit Testimonio seu Notis ipsius Scripturæ, ut potius propter illud credamus Scripturæ, quam propter istas; Pontificii prius volunt, Nos Posterius.

XIX. 4. Non quæritur etiam, An sint notæ quædam et criteria in Scriptura, ex quibus Divinitas ejus ostendi possit et suaderi, hoc enim non diffitentur Pontificii, et Nobiscum ex iis Scripturæ Divinitatem probant; Imo agnoscunt non raro (tanta est vis Scripturæ, ut ab hostibus suis verum quandoque testimonium exprimat) "nihil esse notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui illi fidem neget habendam," ut loquitur Bellarm. lib. 1, de Verbo Dei c. ii. sic et Valentia lib. i. de Analysi fidei; Sed an notæ illæ per se sufficiant ad fundandum in animis nostris Divinitatis fidem? seu, An sit præcipuum illud motivum, propter quod adducimur ad credendum, et quo nititur fides; Quod statuimus: Illi vero negant, eripientes una manu, quod altera dederant.

XX. 5. Non quæritur, An Revelatio divina sit fidei nostræ ratio for-

malis simpliciter et absolute, seu id propter quod aliquid credimus fide divina; Hoc enim Adversarii nobiscum agnoscunt, vel se agnoscere saltem profitentur: Sed quænam sit illa Revelatio respectu nostri, prima et notissima, quæ per se et propter se, non vero propter aliam ullam a nobis credi debet; An sit in Scriptura quærenda, An vero in Ecclesia? Nos Scriptura Sacra contineri arbitramur, quæ prima est et perfectissima Regula, nec extra illam quæri posse vel debere; Pontificii vero in Ecclesiæ voce et testimonio seu cerebro Pontificis, in quem omnia tandem resolvuntur, quærendam esse. Hinc Quæstio tandem ad hos redigitur terminos, "Unde sive propter quid, quove argumento præcipuo Spiritus Sanctus utatur ad nobis probandam Scripturæ Authoritatem, An Testimonio Ecclesiæ, an vero ipsius Scripturæ, seu argumentis et criteriis ipsi insitis." Prius asserunt Pontificii, Nos vero posterius statuimus, et demonstrandum suscipimus.

Probatur Scripturæ authoritatem non pendere ab Ecclesia. 1. κατ' ἄρσιν.

XXI. Bifariam autem Sententiæ nostræ probationem instituere possumus, 1. κατ' ἄρσιν, ostendendo Authoritatem Scripturæ non pendere ab Ecclesia. 2. κατὰ θέσιν evincendo totam fundari in Scriptura ipsa. Et ad prius quidem quod attinet, satis superque vel ex hoc uno colligitur argumento: Ecclesiæ authoritas tota pendet a Scriptura, Ergo non potest ullam nec quoad se, nec quoad nos Scripturæ authoritatem conciliare. Ratio consequentiæ per se patet; Quia impossibile est idem respectu ejusdem habere rationem causæ et effectus principii et principiati, sic enim seipso esset prius et posterius, notius et ignotius. Antecedens vero multiplici ratione confirmatur. 1. Quia Ecclesia fundatur in Scriptura, et ab ea esse suum specificum obtinet; nulla enim Ecclesia sine vocatione, nulla vocatio nisi a Verbo, hinc dicitur superstrui fundamento Prophetarum et Apostolorum, Eph. ii. 20. Unde ut ne esse quidem potest ulla domus, nisi substrato prius fundamento, sic nec Ecclesia nisi posita Scriptura. 2. Quia nulla haberi potest certa Ecclesiæ cognitio nisi ex Verbo: Nam antequam Ecclesiæ vocem audiamus, necesse est ut primo nobis constet de Ecclesia, An sit? Quid sit? et ubi sit? Quæ cum nec sensu nec ratione percipi possint, sequitur ut omnis hæc notitia sit a Scriptura, quæ non modo docet aliquam esse Ecclesiam, sed et iis notis et characteribus eam describit, quæ eam nobis ignorare non sinunt. Si ergo ex Scriptura cognoscitur Ecclesia, jam notior erit ipsa, nec Authoritas illius quoad nos ab ista pendebit. 3. Quia fundamentum Authoritatis Ecclesiæ non aliunde peti potest, quam a Scriptura; Unde enim nobis constare poterit talem obtinere Authoritatem? Nunquid existimabimus id fieri Ecclesiæ ipsius Authoritate? At hoc ipsum est de quo quæritur. Non potest etiam esse κοινὴ quædam ἔννοια, quando de ea tam acriter disceptatur. Ergo sequitur ut id ex Verbo prospectum habeamus, atque ita prius obtinuit apud nos Verbum authoritatem. Nec id diffiteri possunt Adversarii; nam cum a Nostris urgentur; Unde cognoscant Ecclesiam hanc authoritatem habere in consignando Scripturæ Canone, Respondent statim hoc ideo fieri, quia regitur a Spiritu Sancto. Quod si ulterius instes, unde constet ita regi? Reponunt illico varia Scripturæ Testimonia, quibus evincere conantur Christum hoc illi promisisse, ut Matth. xviii. 20, et xxviii. 20, Joh. xv. 26, et xvi. 13, &c. Ita ex Scriptura suas omnes probationes eliciunt. Quomodo vero rite hoc fieret, nisi prius et Scriptura cognosceretur, et divina esse crederetur? Sic suo se gladio jugulant, Ecclesiæque dignitatem Scripturæ authoritate firmantes, suam deserunt, et nostram vel imprudentes vel inviti confirmant sententiam.

XXII. Ad hoc argumentum Excipiunt Neg. Conseq. Si Ecclesiæ Authoritas quoad nos ex Scripturæ Authoritate pendet, non pendere Scripturæ Authoritatem ab Ecclesia; Utrumque enim simul verum esse posse, Ecclesiam mutuari suam authoritatem e Scriptura, et Scripturam itidem suam ab Ecclesia: Et ne sine ratione videantur hoc asserere, exemplis id evincere conantur; Joannes Baptista, inquiunt, Christo Testimonium perhibuit, et Christus Joanni, Epistolæ Pauli ejus authoritatem magnifice commendant, quæ tamen ab Authore suo authoritatem accipiunt. Symbolum fidei non habemus ab ulla authoritate externa, nisi ab Ecclesia, in quo tamen ipsa Ecclesia credenda proponitur. Ita nihil esse absurdi, si et Ecclesia a Scriptura, et vicissim Scriptura ab Ecclesia pendeat. Atque eo certius hoc posse dici, quia eadem Scriptura, quæ authoritatem Ecclesiæ stabilire dicitur, affirmat expresse eam esse στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, 1 Tim. iii. 15, quod vere dici non posset, nisi Veritati in Scriptura contentæ Testimonio suo Authoritatem vicissim conciliaret; Unde Bell. lib. vi. de Eccl. c. 14, "Si Ecclesia est columna et firmamentum veritatis, E. veritas fidei quoad nos, nititur Ecclesiæ Authoritate, et verum est quicquid Ecclesia probat, falsum quicquid improbat."

XXIII. Sed frustra vim Argumenti conantur eludere; Primo gratis supponunt utrumque verum esse, Ecclesiam dare Authoritatem Scripturæ, et rursus eam sumere a Scriptura: Nam licet in diverso genere causæ possit locum aliquando id obtinere, ut causa probatur ab effectu a posteriori, quæ probat ipsum effectum a priori; tamen in eodem genere est ἀσύστατον, nisi velimus rem esse seipsa notiorem et ignotiorem, notiorem, quia assumitur ad alterius probationem, ignotiorem vero, quia ipsa per aliam probatur. Ita non negamus Ecclesiæ Testimonium posse probare Scripturam a posteriori, per modum instrumenti, vel medii, sed vim argumenti et motivi præcipui habere pernegamus. Secundo, In exemplis allatis peccatur fallacia parium. Aliud est *Testimonium perhibere Christo*; Aliud *Authoritatem illi conciliare*; prius de Joanne Baptista recte dicitur, sed posterius non item. Unde Christus ipse, Joh. v. 34, negat *se Testimonium accipere ab hominibus*, ut scilicet eo nitatur, sed *habere se Testimonium majus Testimonio Joannis*, scil. tum Opera sua, tum Patris vocem, tum Scripturas ipsas. Nihil obstat ergo, Testimonium esse perhibitum Christo a Joanne, et vicissim Christum testatum esse de Joanne, quia diversa fuit testandi ratio: Joannes ut minister de Domino testabatur; At Christus ut Dominus de Servo. Joannes, ut tanquam index ad Christum manuduceret, eum veluti digito ostendendo; Sed Christus ut tanquam Rex præconium servi sui authoritate sua confirmaret. Ut ergo per Joannem, sed non propter Joannem credebant Christo, "Venit" enim, "ut testaretur de luce, ut omnes crederent" δι' αὐτοῦ *per ipsam*, non δι' αὐτὸν propter ipsum; Ita per Ecclesiam, non propter eam Verbo credimus; Testatur de Verbo, quum illud indicat et proponit. Sed Verbum testatur de Ecclesia, quum eam fundat et instituit. Epistolæ Pauli majestatem Authoris commendant a posteriori, ut opus laudat opificem; sed Paulus ut vir Dei θεόπνευστος confert illis quicquid habent authoritatis a priori. 3. Perperam asseritur Symbolum nullam authoritatem habere nisi ab Ecclesia, cum totam habeat a Scriptura, a qui si non αὐτολεξεὶ et quoad voces, saltem quoad res ipsas desumptum est. Itaque si probat Ecclesiam, tota vis argumenti a Scriptura ipsa, in qua fundatur, pendet, nec Ecclesia ullam potuit Symbolo authoritatem dare, sed hoc tanquam Summam credendorum ex Scriptura petitam fidelibus tradidit.

XXIV. Ad locum vero, 1 Tim. iii. 15, quod attinet, ut vexatissimus est, et subinde tanquam Achilleum argumentum nobis objicitur, paulo

fusius de eo est dicendum. Scio nonnullis Viris doctis in mentem venisse, mutare loci hujus interpunctionem, ut *Ecclesia Dei vivi* periodum absolvat, *Columna* vero *et firmamentum veritatis*, non ad Ecclesiam, sed ad Mysterium pietatis, de quo sequenti commate, referatur, tum quia non soleat Paulus a particula καὶ sententiam suam ordiri; tum quia usitatissima sit hæc loquendi ratio apud Judæos, ut vocent præcipuos fidei suæ articulos, יסודות et עקרים *fundamenta, et radices*, nec non ראשי האמונה *capita fidei;* et quoties de doctrinis suis disserere aggrediuntur, יסוד יסודות *fundamentum fundamentorum*, vel יסוד החכמה *fundamentum Sapientiæ* in limine præscribant, quod ex Maimonide patet, qui librum suum de fundamento Legis ita orditur, יסוד היסודות ועמוד החכמות "Fundamentum fundamentorum, et columna Sapientiæ est cognoscere esse primum Ens." Verum quamvis ingeniosum sit commentum, quo difficultas omnis plane tolleretur, nescio an sit æque solidum; cum verba ipsa legenti pateat, nonnihil coacti esse in hac interpretatione, quæ dividenda conjungit, et conjuncta dividit: Unde versiones omnes, Syriaca, Arabica, Latina, receptam lectionem sequuntur, et ad Ecclesiam referunt, ad quas accedunt et Patres. Et sane quamvis nihil sollicitetur locus; non minus tamen sensus erit aptus, imo ratiocinatio Pauli optime inter se cohærebit. Duo enim argumenta proponit Apostolus, ut Timotheum ad majorem reverentiam et studium sanctitatis excitet. Primum petitum ab Ecclesiæ, cui ministrabat, dignitate, quæ talis est ut sanctum quendam horrorem incutere debeat omnibus ad sacram hanc λειτουργίαν se accingentibus, "Ut scias quomodo versandum sit in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis;" Alterum a Mysterii, cujus præconium illi demandatum erat, sublimitate et excellentia, quod est magnum pietatis Mysterium; unde addit, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, &c. Deinde longe aliud est *fundamentum Sapientiæ* Rabbinis, Aliud *firmamentum veritatis* Apostolo. Nam Maimonidi הלכות *Halacot*, et fundamentum Sapientiæ, sunt initia fidei et primaria Religionis capita, quæ teneri debent ab omnibus, et supponi reliquæ doctrinæ, qualis est Dei existentia, &c., quo sensu Apostolus, Heb. vi. 1, θεμέλιον vocat principia et rudimenta Religionis Christianæ: Verum hoc loco Paulus non agit de Elementis Christianismi, sed de Mysterio magno, quod capita difficiliora et sublimiora complectitur, quod alibi vocat *Sapientiam inter perfectos*, 1 Cor. ii. 6.

XXV. Quamvis vero retineatur lectio vulgata, ut eam retinendam censemus, nihil tamen inde accedet Pontificiorum sententiæ, vel decedet nostræ. 1. Quia si Ecclesia dicitur columna et firmamentum veritatis, hoc non potest absolute et *simpliciter* intelligi, sed tantum *secundum quid:* Nam absolute veritas est columna et fundamentum Ecclesiæ; qua ita firmatur et sustentatur, ut stante ea stet, et ruente vel remota cadat, nulla enim esset Ecclesia, si semel exularet veritas ab ea. Sed longe aliter se res habet respectu Ecclesiæ; Licet enim nulla foret Ecclesia in terris, non periret tamen Veritas, maneret semper in Deo, in Angelis, in Beatis, et in ipsa Scriptura. Ergo longe dispari sensu Ecclesia dicitur columna Veritatis, et Veritas columna Ecclesiæ; mutuam sibi præstant operam, sed diversimode. Veritas est columna Ecclesiæ *proprie* et *principaliter*, Ecclesia columna Veritatis, *ministerialiter* et *improprie;* Veritas columna Ecclesiæ, eam realiter fundans et efficaciter sustinens. Ecclesia columna Veritatis, eam prædicans et mundo exhibens. Veritas dat esse Ecclesiæ, sed Ecclesia veritatem custodit et tuetur adversus Satanæ et mundi calumnias. Veritas est columna Ecclesiæ *sensu architectonico*, uti loquuntur, sed Ecclesia columna Veritatis *sensu politico*. Atque

hinc Chrysost. in h. l. sententiam invertendo dicit, *Veritatem esse* στύλον τῆς Ἐκκλησίας; Irenæ. lib. iii. cap. 11, "Columna et firmamentum Ecclesiæ est Evangelium et Spiritus vitæ." Et eo referri potest quod Theodoretus non male columnam Veritatis sumi vult, non *active*, quia veritatem sustinet, sed *passive*, quia a veritate sustinetur, ut Veritas notet causam, Columna vero effectum. Quo sensu Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Euseb. lib. vi. hist. cap. 41, vocat Martyres "firmas et beatas columnas Domini," non quæ Dominum confirmarint; Absit, sed quæ a Christo ita firmatæ sint, ut constanter restiterint usque ad sanguinem, et vitam potius, quam fidem abjicere maluerint. Sic *fundamentum Dei*, 2 Tim. ii. 19, dicitur, non quo Deus fundatur, sed quod Deus fundavit et posuit. Ita πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, Eph. iii. 19, non quod Deum complet, sed quod a Deo completur. Unde Contarenus in h. l. "Non dicitur Columna, quod Ecclesia firmet et sustineat veritatem, sed quia firmatur a veritate.

XXVI. *Secundo*, Aliud est esse στύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, Aliud vero θεμέλιον seu *fundamentum*. Ecclesia quidem prius dicitur, sed non posterius, quia non sustentat veritatem, sed ipsa a Veritate tanquam fundamento sustentatur. Hinc Paulus, 1 Cor. iii. 11, "Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est *Christus Jesus;*" et alibi vocatur lapis vivus et angularis, cui Ecclesiæ membra velut totidem lapides vivi debent superstrui, 1 Pet. ii. 7, Eph. ii. 20. Unde Irenæ. lib. iii. chap. 1, "Scripta Apostolorum fundamentum et columnam fidei," vocat. Et Beda, lib. i. in Joh. chap. xii., "Fundamentum," inquit, "Ecclesiæ est in soliditate fidei Apostolorum et Prophetarum. Tertio, Elogium columnæ et firmamenti veritatis," non semper importat infallibilitatem vel authoritatem illius, cui tribuitur; sic apud Euseb. hist. lib. v. c. 1, Fideles Lugdunenses dicunt de Attalo Martyre, quod fuerit "columna et firmamentum Ecclesiarum;" sic Basilius in ep. 70, Primarios Episcopos orthodoxos, qui Arianam hæresim oppugnabant columnas et stabilimentum veritatis vocat; οἱ στύλοι καὶ τὸ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ἐν διασπορᾷ, et Gregorius Nazian. eodem nomine insignit Athanasium Basilium, et Eusebium, tom. i. p. 389. Nemo tamen dixerit eos talem authoritatem conciliasse veritati Evangelicæ, ut ab eorum testimonio pependerit; Sed hoc tantum voluerunt Scriptores prisci, eximios Dei servos fuisse, qui Evangelii doctrinam, non tantum ore, sed et sanguine ipso constanter prædicarunt. Nec alio sensu victori Christus pollicetur, Apoc. iii. 12, quod futurus sit στύλος in Domo Dei, cui inscribendum sit nomen Dei, Christi, et Civitatis Dei, ad immutabilitatem et constantiam felicitatis designandam, quæ sic respondeat constantiæ et fidelitati ipsorum. Ut enim ipsi firmæ fuerant columnæ in terra, ad tuendam veritatem contra omnia tentationum genera, ita columnæ futuræ sunt in cœlis stabiles et immotæ ad fruitionem felicitatis. Ita, Gal. ii. 9, Petrus et Jacobus vocantur στύλοι, quia primaria Ecclesiæ columina videbantur: Imo et apud τοὺς ἔξω eadem similitudo non raro occurrit; Sic in Republica integri et incorrupti Judices vocantur *columina* et *firmamenta* justitiæ, Viri pietate insignes, *columnæ* et *lux mundi* dicuntur, et apud Euripidem παῖδες ἄρσενες vocantur οἴκων στύλοι, *Columnæ familiarum*. Unde patet, licet Ecclesia dicatur columna et firmamentum Veritatis, non statim ex eo inferri, Veritatis authoritatem ab ea suspendi.

XXVII. *Quarto*, Ex eo etiam id clarissime evincitur, quod certum sit verba hæc ab Apostolo usurpari de Ecclesia particulari, nimirum Ephesina, in qua Timotheus tum versabatur; loquitur enim de Domo Dei, in

qua degebat. At nulli particulari Ecclesiæ privilegium infallibilitatis tribui posse agnoscunt ipsi Pontificii; Et hæc ipsa Ecclesia Ephesina jampridem erravit, imo interiit ex Christi ipsius interminatione, Apoc. ii. 4. *Quinto,* licet hoc referretur ad Ecclesiam Catholicam, non magis faveret Adversariis; Tum quia constat hoc intelligendum de Ecclesia collectiva seu fidelium congregatione, cui præesse debuit Timotheus; non de repræsentativa Præpositorum, cui hoc privilegium proprium esse volunt. Tum quia hoc elogium, ut pleraque alia, attribuitur Ecclesiæ, non promiscue ratione fidelium et hypocritarum, qui in externa ejus communione versantur; quo sensu Pontificii Ecclesiam intelligunt externam, ex bonis et malis pariter conflatam; sed tantum ratione piorum, qui proprie Ecclesiam constituunt, et quibus solis proprium est; Unde Hieron. in Job. cap. xxvi., "Ecclesia," inquit, "quæ est Sanctorum omnium congregatio, pro æterna sua in Domino stabilitate columna et firmamentum veritatis dicitur." At impii, qui sunt ἀστήρικτοι, nec veritatem firmiter amant et retinent, non pertinent ad hanc Columnam, ut nec ad Domum Dei, cujus hic fit mentio, utpote in quibus nec Deus habitat, nec veritas sedem fixam habet.

XXVIII. *Sexto,* Quicquid hic tribuatur Ecclesiæ pertinet ad munus illi demandatum, nec tam attenditur, quid Ecclesia semper faciat, quam quid facere teneatur ad conservandam et propugnandam veritatem, quomodo apud Mal. cap. ii. 7, *Labia Sacerdotis* dicuntur *custodire scientiam,* quia id facere tenetur ex officio, licet non semper præstet de facto, ut ostendit ver. 8. Nam Ecclesia Ephesina, de qua peculiariter hic agit Apostolus, ab eo declinavit, ut jam dictum; Itaque subjectum propositionis non sine aliqua limitatione accipiendum est, nimirum ut illa Ecclesia tantum dicatur columna et firmamentum veritatis, quatenus est Domus Dei vivi, et in ea habitat per Verbum et Spiritum, quatenus veritatem excolit et supra se extollit, quatenus retinet fundamentum Prophetarum et Apostolorum, cui superstrui debet, Eph. ii. 20. Alias si ab eo recedit, ut Cœtum externum ab eo nonnunquam recedere certum, non amplius columna et firmamentum veritatis, sed potius columna mendacii, et sedes erroris vocari debet; Sic enim perdit officium nomenque suum, nec proprie amplius Ecclesia, sed ὁμωνύμως, imo ψευδωνύμως, si loco Mysterii pietatis, μυστήριον ἀνομίας præ se fert, et in alia omnia eat, quam quo veritas aurigatur. Atque hinc solide demonstramus, Romanam Ecclesiam minus cæteris hoc elogium sibi vindicare posse, utpote quæ non amplius Domus Dei vivi censeri possit, sed sacellum Antichristi, nec veritas pura et intemerata illic amplius audiatur, sed putidissimum mendacium et innumeri errores periculosissimi, quo nomine jampridem *mater hæresium* et *Schola erroris* ab alumnis suis, ut Petrarcha, Mantuano, et aliis merito dicta est. Imo tantum abest, ut Pontificii quicquam præsidii in isto loco inveniant, ut contra invecte adversus ipsos, ex ipsorum hypothesi argumentemur. Nam eo ipso, quo verbis istis utuntur ad probandam Ecclesiæ authoritatem, satis ostendunt, nobis authenticam esse debere Scripturam ante omnem Ecclesiæ testificationem; alias nugatoria erit ipsorum argumentatio, et in circulum abibit, ex quo in æternum se extricare non poterunt.

XXIX. Atque ex his satis jam liquet, nisi fallor, Adversarios perperam magnum causæ suæ præsidium in hoc Apostoli Oraculo collocare. Sed quia nondum constat de genuino ejus sensu, Videamus paucis quid sibi voluerit Paulus, et quo præcipue alluserit. Ut autem figurata et metaphorica locutione hic utitur, ita indubium est, eum ad columnarum usum aliquem respexisse. Quia vero multiplex potest esse, vel *architectonicus,* ad ædificii sustentationem, vel *Politicus* ad Promulgationem et

custodiam Legum et Edictorum, quæ ibi appenduntur, Paulus ad primum non potuit respicere; non modo quia hoc sensu Veritas sustentat Ecclesiam, non firmatur ab ipsa; sed etiam quia jamjam eam vocaverat *Domum Dei*, quæ proinde egebat Veritate ut fundamento et columna, qua niteretur, nedum ut posset eam sustentare. Itaque ad alterum necessario alludere debuit, secundum quem frequentissime ad id inserviebant, ut ante Curias et Prætoria, Leges et Decreta Magistratus publica authoritate appenderentur, et Programmata sive Edicta affigerentur, ut omnibus innotescerent, de quo videndus Demosthenes oratione adversus Leptinem, et Plinius hist. natur. lib. vi. cap. 29. Ita Ecclesia commodissime dicitur columna et firmamentum veritatis, duplici de causa, tum ratione *Promulgationis et Præconii;* Quia Decreta Dei et Leges interiori consilio sancitas promulgare tenetur, qua de causa illi λόγια τοῦ Θεοῦ ἐπιστεύθησαν et cælestis Veritas illi veluti appensa hominibus innotescit; tum ratione *tutelæ et custodiæ*, quia eam non modo proponere debet, sed etiam vindicare et ab omni corruptela tutari; Qua de causa non modo στύλος, sed et ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας vocatur, quia est veritatis hospitium, et veluti thronus et sedes fixa cui insidet. Phavorinus ἑδραίωμα στήριγμα interpretatur, scil. aliquid cui aliud non minus quam columnæ innititur et insistit. Quod ipsum vocis etymon aperit, ἑδραίωμα enim ἀπὸ τοῦ ἑδραίου, quod firmum, et σταθηρὸν notat; ἑδραῖον vero ἀπὸ τῆς ἕδρας quæ *sedem, sellam* et *thronum* designat, in quo simulachra Deorum sedentia exhibebantur, τόπος ἐν ᾧ εἴδωλον ἵδρυται unde quia in columnis Imagines Deorum collocabantur, ut postea dicemus, conjunguntur sæpe κίονες et θρόνοι apud Pausaniam Corinthiacis et Eliacis. Imo κίονες θρόνοι sustinere dicuntur, ut hic Paulus sociat στύλον καὶ ἑδραίωμα. Quemadmodum vero neque Deorum imagines, neque Leges et Edicta suam mutuabantur authoritatem a Columnis, quibus appendebantur; utpote quorum dignitas tota ab Authore pendebat; Ita nec Veritas ab Ecclesia, licet columna et firmamentum ejus dicatur. Hæc fuit mens Hieronymi: "Ecclesia," inquit, "est columna et firmamentum veritatis, quia in ea solà stat veritas firmata, quæ sola sustinet ædificium Ecclesiæ," Sic Caieta. in h. l. "Veritas mysteriorum Divinorum velut excelse sustentatur in Ecclesia, dum super omnia asseritur et colitur, et in ipsa Ecclesia ita fundata est, ut extra eam non inveniatur."

XXX. Sed quia non videtur Apostolus ad generalem illum columnarum usum duntaxat respexisse; verum ad quid specialius allusisse, quum mentionem facit Domus Dei: videamus quodnam potuerit esse locutionis istius fundamentum; Et ut nihil dicamus de duabus columnis, altera lateritia, lapidea altera, quas homines ante diluvium erexerunt, ut in iis inscriberent inventa sua, de quibus Josephus, lib. i. Antiq. Jud. c. 3; nihil etiam de columna nubis et ignis, quam populo Israëlitico, ut ὁδηγὸν exhibitam refert Moses, et in qua Deus habitasse dicitur; Certum est in Templo Hierosolymitano, quod peculiari ratione Domus Dei vocabatur, varias columnas fuisse, ad quas digitum potuit Paulus intendere; ut Ecclesiam vocaverat *Domum Dei* ad Templum respiciens; ita potuit eandem Ecclesiam sub alia σχέσει vocare columnam, alludendo vel ad duas illas columnas æreas, quarum una יכין, altera בועז dicebatur, de quibus mentio fit 1 Reg. vii. 21, quæ apposite firmam Ecclesiæ constantiam, et robur invictum designabant; vel ad columnam illam æream memorabilem, quam excitasse dicitur Salomon in atrio Templi, de qua fit mentio 2 Reg. xi. 14, et 2 Chron. vi. 13, quæ modo עמוד, modo כיור נחשת; *basis ærea et suggestus* dicitur, quod non male respondet nostro ἑδραιώματι, quæ ita columnæ figuram habebat, ut esset etiam sug-

gestus et solium Regium, in quo sedere solebant Reges quoties vel inaugurabantur, ut de Joaso dicitur, cum Rex in locum Achaziæ cooptaretur, 2 Reg. xi. 14, vel fœdus cum Deo pangerent, et cultum Dei reformandum in melius curarent, ut de Josia narratur, 2 Reg. xxiii. 3, quod "stans ad columnam pepigerit fœdus cum Jehova," &c., vel quoties solenne aliquid præstarent, ut Salomon illi innixus dicitur in dedicatione Templi, 2 Chron. vi. 12, quæ ideo Regia Judæis columna dicebatur. Sic Apostolus eleganti allusione nobis exhibebit Veritatem instar Reginæ, Ecclesiæ tanquam columnæ et solio insistentem; Ut vero columna illa et suggestus Regem quidem sustinebat, et in altum tollebat, ut a populo conspiceretur; sed ipsi authoritatem non conciliabat, Ita Ecclesia veritatem proponit, conservat et ostentat, ut ab hominibus conspiciatur, sed nullam tamen illi vel authoritatem vel pondus affert. Atque eo referri potest, quod Chrysostomus et post eum Theophyl. volunt antithesim institui cum Ecclesia Judaïca, et cum umbris legalibus, ut iis opponatur Veritas Evangelica, quæ clarissime nunc ob oculos ponit mysteria, quæ obscurius sub umbris Mosaïcis proponebantur, quo sensu Veritas sumitur, Joh. i. 17. Atque ita sciat Timotheus, qualis sanctitas deceat hanc Domum Dei, non jam legalis et umbratica, sed vera et realis.

XXXI. Licet autem facile adducamur ad credendum, Apostolum eo respexisse, Quia tamen non est insolitum, Scriptores Sacros ad majorem argumenti quod tractant illustrationem ad varia sæpe alludere in eadem locutione, rejiciendam non putamus Virorum doctorum conjecturam, qui ad Gentilium Templa hic Paulum etiam allusisse volunt: Certum quippe ex Veterum monumentis, illa variis columnis passim exornata fuisse, quarum variæ species erant et multiplex usus, non modo ad ædificii fulcimentum, sed et ad majestatem et splendorem. Hinc sæpe in earum fastigiis Deorum Imagines vel effigies Principum imponebantur, ut observat Pausan. Corinth. pag. 59, et Eliac. pag. 174, ἐπείργασται ἐπὶ κίονος ἀγάλματα; Aliis arma, clypei, aliaque victoriæ trophæa appensa erant, Aliis quædam inscribebantur ut Elogia, fœdera, narrationes historicæ rerum gestarum, ut monumentum essent posteris, quod de aurea columna in Jovis Triphylii fano posita ab ipsomet Jove ex Euhemero narrat Lactantius, lib. i. cap. 11. Leges item et Decreta, morum præcepta imo et Oracula, teste Pausan. in Bœoti. Sic Athenæus, lib. iv. notat in Delubro Herculis, quod Cynosargis dicebatur, ad columnam quandam appensum fuisse ψήφισμα seu decretum quoddam Alcibiadis, et Demosthen. orat. in Neæram in antiquissimo Bacchi Templo, quod Limnis erat, prope aram, lapideam columnam fuisse observat, in qua Lex perscripta erat de uxore a Rege cive virgineque ducenda; Quod ipsum variis exemplis possemus comprobare si instituti nostri ratio id ferret: Verum ex his mens Apostoli non obscure colligi potest; Nimirum ut jam opposuerat Domum Dei non modo Templo Hierosolymitano, sed et Delubris profanis Ethnicorum: Ita aliam antithesim instituit inter cultum et ornatum utrorumque; Quia si in illis columnæ miro artificio elaboratæ visebantur; Nihil aliud erant quam columnæ mendacii et erroris, ubi nihil aliud quam meræ fabulæ, et μῦθοι ἄθεοι et falsorum Deorum imagines proponebantur: At in Templo isto mystico columnam ait esse longe diversissimam, non mendacii, sed veritatis, et in qua non exhibeantur falsorum Deorum simulachara, sed viva et expressissima veri Dei in Carne manifestati imago, qui ipse εἰκὼν του Θεοῦ ἀοράτου, Col. i. 15, non proponantur μῦθοι σεσοφισμένοι, quales prostabant in columnis Gentilium, sed σοφία ἐν μυστηρίῳ, imo magnum pietatis Mysterium, 1 Tim. iii. 16, 1

Cor. ii. 7, denique non legantur oracula flexiloqua Apollinis cujusdam λοξίου sed certissima veri et æterni Dei λόγια; Ecclesiam quippe nihil aliud præconio suo, quam Veritatem Dei sacrosanctam et Oracula ejus atque leges et fœdera, omnium oculis spectanda et sequenda ingerere, et ad posteros transmittere.

XXXII. Atque ex his, ne ulterius jam in loci istius enodatione versemur, constat quidem Apostolum dignitatem et officium Ecclesiæ commendare hic voluisse in proponenda et asserenda veritate: Sed nullis fidiculis poterunt exsculpere Adversarii, ejus Authoritatem et infallibilitatem hic confirmari. Neque audiendus hic Bellarminus, qui pertendit, si nihil aliud tribuitur Ecclesiæ quam custodia veritatis, idem dici posse de Librariorum officinis, et de capsis, vel thecis, quæ Scripturas custodiunt. Quis enim discrimen longe maximum non videat, inter materialem et localem Scripturæ asservationem, quæ fit in capsis et bibliothecis impiorum, et moralem et formalem veritatis custodiam, prædicationem, et propugnationem, quæ competit cuilibet Ecclesiæ, quandiu rite officio suo defungitur? Ita si Ecclesia dicitur Custos, non est mutus et ἄλογος sed vivus et rationalis, qui ita custodit, ut etiam prædicet et præconio suo commendet rem sibi commissam, quod de Bibliothecis nemo dixerit.

XXXIII. Frustra etiam addit Bellárm. Apostolum non meminisse Scripturarum, sed tantum Veritatis; Nam si ad Scripturam non respicit, quare ergo ver. præcedenti dicit se hæc scribere, ut Timotheus sciat, quomodo versari in Domo Dei debeat? Quare alibi testatur Scripturas posse ipsum σοφίσαι ad salutem? Imo eo ipso quo Veritatis meminit, meminit et Scripturarum, quandoquidem nuspiam Veritas ista de qua loquitur Apostolus (nimir. salutaris et Evangelica quæ κατ' ἐξοχὴν hoc nomine insignitur, quia omnium est perfectissima, ut vita æterna ἐξόχως vocatur vita) inveniri potest quam in Scripturis. Unde quum Verbi Dei studium nobis commendatur, non alio quam ad Scripturam amandamur, Isa. viii. 20, Joh. v. 39, et xvii. 17, 1 Joh. ii. 20, 2 Pet. i. 19, quia Scriptura sola est perfectissima Veritatis cœlestis norma, quam Ecclesia columnæ instar ministerio suo conservat; Et si quid Apostoli præconiaverunt verbo, id postea in Scripturas redegerunt, ut bene observat Irenæus, lib. iii. cap. 1. Atque hinc solvitur quod Stapl. excipit ad Eph. ii. 20, per *fundamentum Prophetarum et Apostolorum* intelligi Doctrinam prædicatam; Nam cum Verbum sive scriptum sive prædicatum idem sit οὐσιωδῶς, et differat tantum ratione modi revelationis; si Verbum prædicatum est fundamentum Ecclesiæ, idipsum de Scriptura necesse erit concedi; hinc Paulus, qui testatur se omne consilium Dei discipulis suis proposuisse, affirmat tamen se extra Mosem et Prophetas nihil docuisse, Act. xx. 27, et xxvi. 22. Et de his quidem hactenus. Cætera quæ huc pertinent proxima Disputatione σὺν Θεῷ expendentur.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SCRIPTURÆ SACRÆ

AUTHORITATE ADVERSUS PONTIFICIOS.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SCRIPTURÆ SACRÆ

AUTHORITATE ADVERSUS PONTIFICIOS,

PARS POSTERIOR.

Respondente JOANNE JEGER *Bernensi.*

I. Aggressi sumus novissime gravem et momentosam, quæ nobis cum Pontificiis intercedit *de Scripturæ Authoritate*, Controversiam, et vidimus quæ faciebant ad status Quæstionis illustrationem, ut clare constaret quis consensus vel dissensus esset inter partes: Nonnulla etiam jam proposuimus, et vindicavimus argumenta ad sententiæ Orthodoxæ confirmationem: Ad alia nunc transeundum est, quibus eadem veritas demonstretur, et Scripturæ αὐθεντία ab Ecclesia independens asseratur.

II. Argumen. quo probatur Scripturæ authoritatem non pendere ab Ecclesiæ Testimonio, quia est fallibile.

II. Sic ergo Scripturæ Authoritatem nec quoad se nec quoad nos ab Ecclesiæ Testimonio pendere iterum demonstramus. Si Testimonium humanum et fallibile fidem divinam et infallibilem fundare non potest, Ecclesiæ Testimonium non poterit ullam Scripturæ Authoritatem conciliare. At verum prius, Ergo et posterius. Minor per se patet; Cum enim nihil det quod non habet, quod humanum est et incertum, certitudinis divinæ non potest esse causa et fundamentum. Consequentia vero ex eo colligitur: quod qualecunque sit Ecclesiæ Testimonium; non aliud sit quam humanum, utpote hominum sive conjunctim, sive seorsim testantium, ideoque fallibile et dubium. Quod ulterius confirmatur ex eo, quod Christus agens de Testimonio Joannis, Joh. v. 34, profiteatur "Se non accipere testimonium ab homine," ut doceat, quamvis eo utatur ut se Judæis accommodet, qui Joannem tanquam Virum divinitus missum magno in pretio habebant, adeoque testimonium ejus respuere non audebant; non tamen illud captare vel quærere, quasi eo indigeat ad authoritatem sibi conciliandam; habere enim se longe majus Testimonium, quo certius innotescat, propria scilicet Opera, Patris ipsius Oraculum cœlitus auditum, tum Scripturis consignatum, ver. 36. Unde Chrysostomus in h. l. ἐγὼ μὲν οὐκ ἐδεόμην τῆς τούτου μαρτυρίας Θεὸς ὢν ἀνθρωπίνης. "Ego quidem Deus cum sim, non indigebam ejus testimonio quod humanum est," innuens scilicet absurdum esse, Deum humano egere tesimonio, quasi Dominus a servo, Creator a creatura,

Deus ab homine, et prima et infallibilis Veritas a verbo incerto et fallibili mortalium pendere possit: Cum vero Scriptura sit Verbum Christi, eadem debet esse utriusque ratio, et quod de Christi Persona dicitur, dici etiam debet de Doctrina. Quod tamen non eo animo dicitur, quasi Testimonium Ecclesiæ penitus, hinc remotum vellemus suas enim habere partes in hoc negotio antea evicimus; sed tantum ut ostendamus non esse absolute necessarium, nec posse ulterius nos deducere, quam ad fidem humanam, pro ratione principii a quo proficiscitur.

III. Scio regerere hic Adversarios falsum supponi, Testimonium scilicet Ecclesiæ esse mere humanum, et per consequens dubium et fallibile; Nec enim verbum Ecclesiæ, id est, Concilii vel Pontificis docentis ex Cathedra esse omnino verbum hominis, errori obnoxium, sed aliquomodo Verbum Dei, prolatum quippe assistente et gubernante Spiritu Sancto. Ita cum Deus per Ecclesiam loquatur, ab eo, non ab hominibus, certitudinem testimonii pendere. Atque ex eo clare id confirmari putant, quod Spiritus qui promittitur Ecclesiæ, eam deducere debeat in omnem veritatem, Joh. xvi. 14. Resp. Verum non difficile est hunc Adversariorum impetum retundere. 1. Κατὰ τὸ βιαῖον, cum Pontificii suam Ecclesiæ in-infallibilitatem non aliunde quam ex ipsa Scriptura arcessant, vel nugatoria erit et absurda eorum argumentatio, vel necesse est ut ipsis Scripturæ authoritas antecedenter ad omnem Ecclesiæ testificationem innotuerit et asserta sit. 2. Peccatur falsa hypothesi, quasi Deus per Ecclesiam loquens eam statim reddat infallibilem; Duplex enim *inspiratio* distinguenda venit, alia *specialis* et extraordinaria, quæ contigit Prophetis et Apostolis, quando φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος loquuti sunt, ut ait Pet. 2ª. i. 21, quæ revera αὐτοπιστίαν et ἀναμαρτησίαν ipsis conciliavit; alia *communis* et ordinaria, quæ Pastoribus et Doctoribus rite suo officio defungentibus promittitur, imo et singulis fidelibus, 1 Cor. ii. 12, quibus datur Spiritus sapientiæ et revelationis, quæ licet vera sit in suo ordine, non tamen constituit servos Dei extra omne erroris periculum; quia non ita perfundit mentes luminis sui splendore, quin reliquias ignorantiæ et erroris in illis relinquat, quæ obstant quominus Testimonium ipsorum divinum sit et infallibile; cum illud divinum tantum dicatur, quod a Deo ipso immediate pendet et ab iis quos θεοπνεύστους esse voluit, quod cum nemini post Prophetas et Apostolos concessum sit, frustra Ecclesia hodierna hoc sibi vindicaret.

IV. Neque hic reponendum, eandem esse Verbi Divini veritatem a quocunque pronuncietur: Nam præterquam quod supponitur, et non probatur Deum semper per Ecclesiam istam loqui, cum certum sit nimis sæpe propria commenta et visiones cordis sui homines loco vocis divinæ obtrudere; accedit etiam quod nullorum Doctorum authoritas comparari possit cum Scriptoribus Canonicis, utpote quorum verbum ad istorum trutinam semper sit expendendum, ut nihil admittatur, quod illis non sit consentaneum. Hinc Augustinus, lib. ii. contra Faustum Manichæum cap. 5. "In aliorum scriptis," inquit, "etiam si inveniatur eadem veritas, tamen impar est authoritas, quia non certo constat eandem semper esse veritatem." Sic ad Hieronymum, Ep. 19, "Ego solis," inquit, "iis Scriptoribus, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum errasse scribendo audeam credere."

V. Frustra vero hoc suum commentum ex loco Joannis probare satagunt, quia certum est primario et præcipue Apostolos hic respici, qui ut Ecclesiæ Fundatores et Architecti donum infallibilitatis necessario habere debuerunt, et revera obtinuerunt extraordinaria Spiritus Sancti effusione

in die Pentecostes, quod agnoverunt Toletus, Jansenius, et alii ex Pontificiis. Nec obstat quod Bellarminus hic affert ex Joh. xiv. 16, "Spiritum hunc dici mansurum in æternum cum ipsis," quod cum de Apostolis dici nequeat, qui perpetuo non vixerunt, necessario ad Successores ipsorum sit referendum. Nam nemo nescit, æternitatem non semper absolute sumi sed sæpe κατα τι, ut notetur duratio memorabilis, quæ ad totam vitam eorum, de quibus agitur, extendatur; Sic Spiritus dicitur mansurus cum Apostolis in æternum, quatenus nunquam erat eos derelicturus per totam vitam. Ita Lucas Brugensis, "In æternum," inquit, "id est, non ad tres quatuorve annos, sed quamdiu vixeritis in hoc seculo, non enim temporaria erit ejus consuetudo vobiscum, ut mea," ut Theophylactus notat. Sic, 1 Tim. vi. 14, Paulus monet Timotheum, ut servet mandatum usque ad illustrem adventum Domini Nostri, Jesu Christi; non quod Timotheus tam diu victurus esset, sed ut ejus observationi perpetuo incumberet, et ex hypothesi si vivere eousque possit, tantisper sibi mandatum servandum statueret. Licet vero non negemus, promissionem Christi posse analogice accomodari omnibus et singulis fidis Pastoribus; imo et singulis Fidelibus, et in iis secundario impleri, quatenus gubernantur a Spiritu, a quo ita in omnem veritatem salutarem deducuntur, ut nunquam finaliter vel totaliter excidant a fide: Nemo tamen dixerit donum hoc in eodem gradu cum Apostolis ipsis convenire, vel propterea infallibiles reddi, quomodo *Unctio* dicitur *docere omnia* fideles, 1 Joh. ii. 20, quamvis certum sit, nec fideles omnia omnino scire, sed tantum necessaria ad salutem, nec ita doceri, ut absolute non amplius errare possint: Ita promissio Christi intelligenda est cum hac limitatione, ut Spiritus deducturus sit Ecclesiam in omnem veritatem *mediate* per Scripturam sacram, quatenus deducturus erat ipsos ad Verbum Dei, quod perfectissima est omnis veritatis norma, quam dum sequuturi sunt, nunquam sint aberraturi; Et Christus ipse hoc satis innuit dum addit, "Spiritum hunc non a se ipso loquuturum, sed annunciaturum quicquid audivit," &c., ne quis putet nova dogmata ipsum propositurum, sed eandem quæ a Christo prædicata erat, doctrinam confirmaturum; atque ita non aliter deducturum in omnem veritatem, quam aperiendo mentes ad intelligendas Scripturas. Rursus licet concedamus Spiritum Sanctum semper adesse veræ Ecclesiæ, eamque regere et docere, ne a fide deficiat, ex eo tamen non potest inferri statim eos omnes, qui Ecclesiæ titulum sibi arrogant, et Spiritum hunc jactant, errare non posse, quia non alligatus est ad Episcoporum successionem, vel ad Pontificis Sedem, aut ad externum Ecclesiæ cujuscunque Ministerium, quod ut corrumpi, ita a vero sæpe potest aberrare; sed ad internam verorum fidelium institutionem respicit, per quam fit, ut nunquam penitus a veritate deficiant. Denique si ad Successores Apostolorum donum hoc pertinet, vel intelligendi erunt seorsim et distributive singuli, vel omnes in Concilio congregati: Sed neutrum dici potest; Non prius, quia ipso Bellarmino teste, lib. ii. de Conciliis, cap. 2, Spiritus non deducit Episcopos seorsim existentes in omnem veritatem, cum errare possint. Non posterius, nam si singuli errare possunt, quare simul omnes essent infallibiles? Superest ergo ut Apostolis quidem promittatur Spiritus, quoad dona extraordinaria, aliis vero quoad ordinaria.

2. Arg. contra Testimonium Ecclesiæ.

VI. Secundo, Si ab Ecclesia penderet quoad nos Scripturæ Authoritas, Vel id fieret ab Ecclesia collectiva, id est, Universitate fidelium, Vel a repræsentativa seu Rectoribus eorum, iisque vel singulis seorsim, vel simul in Concilio congregatis, Vel denique a singulari aliquo Pastore, penes quem posita sit

omnis potestas, qualem Pontificem suum esse volunt Adversarii. Sed nihil ex his omnibus dici potest. Nam ad prius quidem quod attinet, agnoscunt ipsi Pontificii Ecclesiam collectivam hoc juris non habere. Secundum non magis locum habere potest; nam cum Pastores, sive sigillatim considerentur, sive conjunctim, sint errori obnoxii, quo pacto tandem testimonium certum et indubitatum perhibere poterunt? Nec negare hoc possunt Pontificii, qui fatentur Concilia posse errare, non tantum particularia, sed etiam generalia et œcumenica, licet legitime congregata ab ipso Pontifice Romano, ut patet ex Bellarmino lib. i, de Conciliis cap. 6. et 7., et lib. ii. cap. 8 et 9. Adde, quod si agitur de Pastoribus in Concilio congregatis, quæstio recurrit qua authoritate congregentur; Vel enim id fiet proprio arbitratu, et peculiari aliquo Spiritus impulsu, Vel ex Authoritate scripta: At particulares ἐνθυσιασμοὺς nunquam probavit Ecclesia, et damnavit in Montanistis, aliisque hæreticis. Quod si ex Scriptura, ut necesse est eo tandem devolvi; Ergo sua illi constet authoritas oportet antequam congregentur. Deinde quæritur etiam, unde constet nobis, concilium in Testimonio suo non errasse? Vel enim id ab Ecclesiæ ipsius voce orietur; At ista Ecclesia est ipsum Concilium, de cujus authoritate disputatur, Vel a Scripturæ ipsius voce, sed qui fidem facere poterit, nisi authoritas ejus antecedenter sit cognita? Rursus cum Concilium, testibus ipsis Adversariis, non faciat, sed declaret tantum et pronunciet Scripturam esse divinam; Quæro quo fundamento nitatur ejus judicium, et quibus rationibus eo adduci potuerit, ut talem declararet? Vel enim id fecit proprio arbitrio et non alia ratione, quam quia ita libuit; sed quis hoc sibi persuaserit, ut hoc ἀλόγως fecerit, et sibi propter se ipsum credi postulet? Vel id fecit authoritate Conciliorum antecedentium, et juxta Ecclesiæ veteris testimonium: sed ne sic quidem sublata erit difficultas; nam ad primum tandem deveniendum erit, nisi in infinitum abire volumus; Vel id fecit Spiritus Sancti impulsu; sed præterquam quod non potest nobis constare de divinitate istius Spiritus nisi ex Scriptura, cum nunquam a Verbo separetur; si Concilium impulit ad declarandam Scripturæ Authoritatem, non alia id ratione fecit, quam radios divinitatis in verbo fulgentes demonstrando, ex quorum intuitu rite pronunciavit Concilium, verbum esse vere divinum; Jam vero si testimonium Concilii de verbo in ipso Verbo fundatur, quomodo illius authoritatem apud nos fundare poterit?

2. Argum.

VII. Sed libet adversarios adhuc pressius urgere: Nam si fides nostra de Divinitate Scripturæ resolvitur in authoritatem Concilii generalis, necesse est ut eadem fide divina credatur Concilii authoritas, qua creduntur alii fidei articuli propter authoritatem Concilii, et quia Concilium non habet authoritatem, nisi sit legitimum, necesse est ut fide pariter divina cognoscatur hoc aut illud Concilium esse legitimum. At id fieri nequit, quandoquidem humano testimonio tantum probari potest, imo ne probari quidem certo potest; ut enim sciam legitimum esse Concilium, perspectum mihi esse debet; an omnes quorum interest legitime fuerint vocati, et Concilio interfuerint? An legitimi fuerint Episcopi, et rite ordinati? An libera fuerint suffragia, et cætera id genus, quæ cum dubia sint et incerta, incertam etiam necesse est Concilii authoritatem esse. Rursus si Concilium authoritatem Scripturæ debet conciliare, prius illam quoad nos obtineat oportet: At quo tandem pacto poterit eam obtinere, si nondum definitum sit an Concilium sit supra Papam, an Papa supra Concilium, quamdiu enim nihil certi ea de re sancitum est, adhuc sub judice lis est, et neutra pars pro certa et indubitata haberi debet. Jam nemo nescit inter Pontificios, quæstionem hanc, et jam olim magno animorum æstu agitatam fuisse, et

etiamnum hodie agitari, et indecisam manere, ipso teste Bellarmino, lib. 2. de Conciliis, cap. xiii., aliis supra Pontificem Concilio, aliis Pontifici supra Concilium authoritatem hanc vindicantibus. Si ergo hactenus indefinitum manet, utri summa illa authoritas tribuenda sit, et si liberum est et integrum cuique dubitare, penes quem sit infallibile illud judicium, fides nostra anceps semper hærebit, si nullo alio tibicine nititur, et quicquid Concilium, vel Pontifex de Scriptura judicaverint, semper erit dubium, utpote a dubio et incerto principio pendens.

VIII. Verum demus etiam Pontificem id juris obtinere, quæ sententia est Jesuïtarum et Sedis Romanæ assentatorum, ut Testimonium Ecclesiæ non aliud sit quam Papæ Judicium; ne sic quidem rebus suis melius consulent, vel fidem nostram magis firmabunt. Primo, quia semper est incertum, quis verus ac genuinus sit Papa, nam cum ex adversariorum hypothesi, necessaria sit absolute intentio ministri ad Sacramentum conficiendum, absque qua nec baptismus, nec Ordinatio rite fieri possit, et nemo certus esse possit de alterius hominis intentione, quis non videt nemini constare posse, utrum hic vel ille Papa vere baptizatus fuerit, et rite ordinatus, atque adeo totam Religionem Pontificiam, quæ Pontificum authoritate nititur, incertam esse et dubiam? Accedit etiam quod quæstio eadem semper recurret, Unde nobis constet Pontificem jus hoc obtinere, et in judicio suo non errare; Vel enim id perspectum habebimus ex ipsa Scriptura, quæ hanc Pontifici datam esse a Christo potestatem pronunciavit; Sed quænam testimonii istius vis esse poterit, siquidem de Scriptura adhuc dubitamus? Vel a Traditione Veterum; Sed eadem recurret de veritate istius Traditionis difficultas; Vel a testimonio præsentis Ecclesiæ; Sed cum Ecclesia tota ex ipsorum mente ad unum tandem referatur Papam, sequitur de se ipso testimonium perhibere, atque adeo ipsi credendum esse simpliciter, quia αὐτὸς ἔφα, quod nemo non videt absurdissimum esse. Rursus cum sua debeat constare Pontifici judicii sui ratio, vel ea pendebit unice a mero hominis judicantis arbitrio, ut sit pro ratione voluntas, et sic credendum pronunciarit quia ita libet; sed si hoc foret, a quonam fidem impetrare poterit? et cur voluntas illius potius quam mea mihi credendi erit regula? Vel judicii fundamentum ab ipsa Scriptura petendum erit, ut divinam esse pronunciet, quia talem esse reipsa ex divinis ejus notis sedulo adhibito studio deprehendit; At sic Scriptura suam authoritatem semper apud ipsum habebit antecedenter ad ejus judicium, quod volumus.

IX. Atque hoc fortius ex eo confirmatur, quod cum una sit omnium fides, ut Scriptura diserte testatur, Eph. iv. 5, idem etiam debeat esse fidei principium et prima credendi ratio, tam in singulis fidelibus, quam in iis qui Præpositorum munere funguntur, et Ecclesiæ representativæ nomine veniunt. Cum ergo Ecclesia non possit ipsa sibi primum esse principium credendi, ut propter se ipsam credat Scripturæ, sed necessario aliquod extra se fundamentum fidei suæ in Scriptura habere debeat; non potest etiam nec debet obtrudi plebi Christianæ tanquam prima credendi ratio, ut ἀβασανίστως excipiat quicquid Ecclesia pronunciat, et fidem suam ultimate in illam refundat; sed quæ fuit ratio credendi Ecclesiæ, eadem debet esse singulis fidelibus, ut credant quidem per ejus ministerium, sed non propter ejus authoritatem, sed tantum propter Deum in Scriptura loquentem, quo Ecclesiæ judicium niti necesse est, et ad quem testimonio suo nos manuducit.

3. Argum. X. Tertio, Quæ fuit Verbi authoritas, antequam scripto traderetur, eadem debet esse postquam scripto consignatum est, quippe tantum abest ut scriptione minuatur Verbi authoritas, ut potius magis stabiliatur; unde Sermo Propheticus, qui non alius est a

Scriptura Veteris Testamenti, dicitur a Petro cap. i. 2ᵐ, ver. 19, λόγος βεβαιότερος, scilicet respectu nostri, non solum quolibet hominum in terra loquentium testimonio, sed etiam ipsius Dei cœlitus loquentis voce. At Verbum antequam scripto mandaretur, erat Authenticum per se iis ad quos perferebatur, nec ad aliud externum testimonium exigebatur; nullum emim erat Tribunal externum quod consulerent fideles, quibus Verbum prædicabatur, nulla revelationem illam commendabat Ecclesiæ authoritas, sed propria authoritate recipiebatur. Unde enim quæso veteres Patriarchæ Verbum sibi revelatum agnoverunt esse Dei Verbum? nunquid hic Ecclesiæ alicujus authoritas intercessit vel judicium? An Verbum a Prophetis traditum pro divino haberi non potuit a fidelibus, nisi ad supremum aliquod Ecclesiæ tribunal confugiendo, cum videamus, sæpe invitis ipsis Ecclesiæ Rectoribus, Verbum Domini populo exposuisse, quod Jeremias de se testatur, Jerem. viii. 8, et xxviii. et xxxvi. Ita si de Apostolis loquimur, Unde factum ut Evangelium ab ipsis prædicatum suam apud Auditores obtinuerit authoritatem? An aliquo Ecclesiæ Judaïcæ Testimonio; sed tantum abest ut calculo suo hoc approbaverit, ut contra omni ope illud supprimere conata sit, et ejus Præcones igne et ferro persecuta sit. An propriam hic authoritatem obtendunt Apostoli? Sed hoc quis non videt perridiculum futurum fuisse apud eos, quibus vel plane ignoti erant, ut apud Gentiles, vel quibus invisi et suspecti, ut apud Judæos, quibus quanto notiores erant, tanto erant despicatiores. Itaque superest, ut non aliunde quam a sublimitate, gravitate, et excellentia ipsius doctrinæ suam apud fideles authoritatem Verbum ipsorum obtinuerit. Et sane Thessalonicenses audito tantum Paulo, sine testimonio alicujus Ecclesiæ, doctrinam ejus amplexi sunt ut Dei Sermonem, 1 Thess. ii. 13; Galatæ ipsum receperunt ut Angelum Dei, imo ut Christum Jesum, Gal. iv. 14, nullius Ecclesiæ commendatione; Et Beroënses, Act. xvii. 11, verbum ejus non exigebant ad Ecclesiæ alicujus judicium, sed tantum ad unius Scripturæ amussim.

4. Argum. XI. Rursus, Si aliquod Ecclesiæ decretum seu testimonium intercedere debuit ad Scripturæ divinitatem demonstrandam, vel particulare fuit, vel universale. Prius absurdum est et inutile; quia agitur de omnium, qui ubique sunt, Christianorum fide; Posterius falsum est; nullum enim proferri potest, a quo Scripturæ suam quoad nos authoritatem habuerint. Nam concilium Hierosolymitanum quæstionem hanc ne attigit quidem: Et Vetus Testamentum jam suum Canonem habuit authenticum, non tantum apud Judæos, sed et apud Christianos, qui dictis Propheticis ab ipso statim initio fidem suam confirmabant. Post Concilium Hierosolymitanum nullum fuit Ecclesiæ judicium universale usque ad Nicænum, id est 325 post Christum annis. Scio afferri Concilium Laodicenum et Carthaginense tertium; sed præterquam quod fuerunt Provincialia tantum, adeoque particularia, non universalia et œcumenica; Certum est non constituere Canonem, sed factum jam supponere. Οὐ δεῖ, inquit Laodicenum Canon. 59, ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ οὐδὲ ἀκανόνιστα βίβλια, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης; "Non oportet Psalmos privatos in Ecclesiis dici, neque libros qui sunt extra Canonem legere, nisi solos Canonicos Veteris et Novi Testamenti." Sic Carthaginense tertium; *Quia a Patribus ista accepimus legenda.* Ergo jam tum constitutus erat Canon, et nullus potest ex Patribus proferri, qui non testetur jam ante sua tempora constitutum fuisse. Certe clare hoc colligitur ex ipso Concilio Nicæno, ubi Arius ex Scripturis non potuisset damnari, prout Athanasius apud Eusebium testatur factum, ἐξ ἐγγράφων μὲν εὐσεβείας ἐννοουμένων λέξεων *ex verbis Scripturæ pie intellectis,*

nisi jam Canon Scripturarum constitutus fuisset et agnitus. Sed quid opus multis, cum aurea Constantini Imperatoris ad Patres Concilii verba, quæ apud Theodoretum habentur, hist. 1, cap. 7, scrupulum omnem eximant. "Evangelici," inquit, "et Apostolici Libri, nec non antiquorum Prophetarum Oracula nos docent, quid de re divina sentiendum sit, proinde posita discordia sumamus ex verbis divinitus inspiratis solutionem quæstionis." Si ergo receptæ sunt a Patribus Scripturæ et pro Canonicis habitæ, sine ullo Ecclesiæ vel particularis vel universalis decreto; Quis non videt male suspendi earum authoritatem ab Ecclesiæ Testimonio?

5. Argum. XII. Et sane tam procul fuere Veteres a suspendenda authoritate Scripturarum ab Ecclesia; Ut contra censuerint ipsam Ecclesiam non alibi quam in Scripturis quærendam esse, et ex illis cognoscendam: Instar omnium nobis nunc sit unus Augustinus, qui passim hoc inculcat contra Donatistas, sed nuspiam clarius hoc testatur quam lib. de unitate Ecclesiæ, cap. 2. "Inter nos et Donatistas est quæstio ubi sit Ecclesia; Quid ergo facturi sumus; in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis Capitis sui? Puta quod in illius potius verbis eam quærere debeamus, qui Veritas est et optime novit Corpus suum." Sic cap. 3, "Non audiamus *hæc dico*, *hæc dicis*, sed audiamus *hæc dicit Dominus*," "sunt Libri Dominici, quorum authoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram." Et paulo post, "Auferantur illa, quæ adversus nos invicem non ex divinis Canonicis libris, sed aliunde recitamus, quia nolo ex humanis documentis, sed divinis Oraculis Sanctam Ecclesiam demonstrari." Et cap. 16, "utrum ipsi," scilicet Donatistæ, "Ecclesiam teneant, non nisi Divinarum Scripturarum Canonicis libris ostendant, quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Ecclesia Christi simus, quia ipsam quam tenemus Ecclesiam Optatus, vel Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ Communionis Episcopi tenuerunt, aut quia tanta fiunt in eo mirabilia; Quæcunque talia in Catholica Ecclesia fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt, non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt. Ipse Dominus Jesus cum resurrexisset a mortuis, et discipulorum oculis videndum manibusque tangendum corpus suum offerret, ne quid fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimonio Legis et Prophetarum confirmandos esse judicavit. Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc firmamenta," &c. Quæ verba luce meridiana clarius probant, Ecclesiam a Scriptura demonstrandam esse ex sententia Augustini.

XIII. Sed quia decantatus ex ejus libro "contra Epistolam Fundamenti," cap. 5, solet identidem nobis objici locus ubi ait; "Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Eclesiæ commoverat Authoritas," antequam ad alia transeamus, videamus paucis an alicujus sit momenti ad sententiam Adversariorum confirmandam; facile autem demonstrari potest, perperam locum hunc adversus nos adduci. Nam ut non dicamus, fidem nostram nec exemplo nec testimonio humano niti, adeoque qualiscunque fuerit mens Augustini, non posse urgeri adversus nos, qui Domino nostro tantum ejusque Oraculis stamus et cadimus; multa sunt quæ hic reponi possunt, ex quibus luculenter patet, sensum, quem verbis istis affingunt Adversarii, tum a veritate, tum a mente Augustini alienissimum esse. Primo multi ex Pontificiis non infimæ notæ docent, id intelligendum non de Ecclesia præsenti, pro cujus Authoritate hic pugnatur, sed vel de Ecclesia primitiva, quæ ut loquitur Gerson tractatu de vita Spirituali animæ, Lect. 2. "Est eorum fidelium congregatio, qui Christum viderunt, audierunt, et testes extiterunt." Atque

in ea sententia sunt Gerson, Driedo, Durandus; Vel volunt Augustinum non loqui de principali fundamento, propter quod creditur Scripturæ authoritas, sed de *medio per quod* homines infideles et in fide novitii primo perducuntur ad Sacræ Scripturæ cognitionem. Quæ mens est. Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, qui quæst. 1. in 1. Sententiam Art. 3, sic de Testimonio Augustini disserit. "Per Authoritatem Augustini," inquit, "non habetur quod ipse crediderit Evangelio per authoritatem Ecclesiæ tanquam per principium Theologicum, ex quo Evangelium Theologice probetur esse verum, sed solum tanquam ex causa movente ipsum ad fidem Evangelii, ac si ipse aut alius dixisset, Non crederem Evangelio nisi me Ecclesiæ Sanctitas aut Christi miracula commoverent. In quo dicto licet fidei Evangelii causa aliqua assignatur, non tamen aliquod principium prius, cujus fides causa sit ut Evangelio credatur." Sic et Canus lib ii. Loco. the. c. 8. "Non docet fundatam esse Ecclesiæ fidem in Ecclesiæ authoritate, sed simpliciter nullam esse certam viam, qua sive infideles, sive in fide novitii ad sacros libros ingrediantur, nisi Ecclesiæ Catholicæ unum et eundem consensum:" At utrumvis istorum sensuum sequamur, nihil inde accedet Pontificiorum sententiæ.

XIV. Secundo, certum est Augustinum hic de se loqui, non qualis erat tunc Catholicus, sed vel ut olim fuerat Manichæus, vel in persona Catechumeni; Licet ergo agnoscat se Ecclesiæ authoritate adductum fuisse ad credendum Evangelio; non inde sequitur fidem ab ejus Authoritate pendere, quia alia est ratio incipientium, alia proficientium seu perfectiorum. Ecclesia potest quidem respectu priorum esse manuductio ad fidem Scripturæ, ut antea diximus, sed non potest statim esse motivum κυριον et primarium respectu fidelium. Ne vero quis regerat, Augustinum videri de se loqui jam Catholico, ex eo quod in imperfecto dicit *commoveret*, *crederem*, non in plusquam perfecto *credidissem*, *commovisset;* proclive est respondere, phrasim hanc ipsi esse familiarem ex Africanorum more. Sic Tom. 1, de vita beata, "Sic exarsi," inquit, "ut omnes illas anchoras rumpere vellem, nisi me nonnullorum hominum existimatio commoveret;" hic *vellem* et *commoveret* ponitur pro *voluissem* et *commovisset.* Sic lib. 2, Confess. c. 8, "Si tunc amarem poma illa, quæ furatus sum, et frui cuperem, possem etiam solus," pro *amavissem*, *cupivissem*, *potuissem.* Ita Retract. lib. i. cap. 3, "Nec tamen nomine isto uteremur, si jam satis essemus literis Ecclesiasticis eruditi," pro *usi fuissemus* et *fuissemus.* Ita Optatus lib. i. "Pax si ut data erat, sic integra inviolataque permansisset, nec ab Authoribus Schismatis turbaretur;" pro *turbata fuisset.* Innumera istiusmodi afferri possent ad loquutionis istius frequentem usum apud Augustinum evincendum. Sed licet eo non deveniamus, optime sensus constabit, modo notemus Augustinum ibi alienam personam induere, hominis puta novitii et Catechumeni ad fidem adducendi. Patet ex scopo et verborum serie; Negotium illi erat cum Manichæis, qui absque controversia credi sibi volebant, quum veritatem se habere pollicerentur, non ostenderent; quia vero, ut Manichæo suo fidem adstruerent, Evangelium obtendebant, rogat quidnam facturi sint, si in hominem incidant, qui ne Evangelio quidem credat, ut in suam sententiam eum adducant; "Si invenires aliquem, qui Evangelio non crederet, quid faceres dicenti tibi, non credo;" statim ipse suscipiens non credentis personam, subjicit; *Ego vero Evangelio non crederem, &c.*, quasi dicat, Pone ob oculos aliquem, qui nondum credit, v. g. finge me non credere, Certe Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas. Confirmatur ex cap. 3, ubi priusquam ad rem accedat, statuit se personam Novitii agere: "Nemo nostrum dicat jam se invenisse

Veritatem, sic eam quæramus, quasi ab utrisque nesciatur, ita diligenter et concorditer quæri poterit, si nulla temeraria præsumptione inventa et cognita esse credatur. Aut si et hoc a vobis impetrare non possumus, saltem illud concedite, ut vos tanquam incognitos nunc primum audiam, nunc primum discutiam," &c. Nec obstat quod Staplet. reponit eum vocare Ecclesiam Catholicam, quod videtur facere non potuisse, si fuisset adhuc alienus ab ea. Quidni enim Catholicam potuit dicere διακριτικῶς, vel quia sic vulgo audiebat, quod tum temporis is usus invaluerat, ut hoc Catholicæ nomine distingueretur vera Ecclesia ab omnibus sectis, quæ sibi et Ecclesiæ et Christianæ nomen audebant arrogare; vel quia revera talis erat etiam tum, cum pro tali ab ipso non haberetur, et quæ pro tali nunc ab ipso cognoscebatur. Sic Confess. lib. iii. cap. 10, *Irridebam illos Sanctos Servos et Prophetas tuos.* Non quod agnosceret ut Prophetas, tunc cum irridebat, quomodo enim irrisisset? sed quia tales revera erant, et ab ipso quum scribebat habebantur.

XV. Tertio, Augustinus agit de *motivo externo* ad fidem, eoque ministeriali et humano, non de *infallibili credendi principio.* Licet enim fateatur Ecclesiæ authoritatem posse esse inter motiva ad fidem respectu incipientium, ut nondum credentes ad fidem Evangelii præparentur, quod ipse appellat *opportunum quærendi exordium*, lib. de utilit. cred. cap. 7; Agnoscit tamen non esse solum vel præcipuum; sed Veritatem ipsam Scripturis contentam longe illi præferendam; patet ex cap. 4. Postquam varia adduxit, quibus in Ecclesia Catholica tenebatur, addit, "Apud vos autem," scilicet Manichæos, "uti nihil eorum est quod me invitet et teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem, si tam perfecte monstratur, ut in dubium revocari non possit, præferenda est iis omnibus, quibus in Catholica teneor, si autem tantummodo promittitur, non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide, quæ animum meum tot et tantis nexibus Christianæ Religioni adstrinxit." Ita cap. 14, "Eos sequamur qui nos invitant prius credere quum nondum valemus intueri" (hic primus gradus est et introductio ad fidem) "ut ipsa fide valentiores facti, quod credimus intelligere mereamur," (id est obtineamus, ex usu illius seculi) "non jam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante et illuminante." Ex quibus cuivis colligere promptum est, non hanc sancto Viro fuisse mentem, ut fidem quam Scripturis habemus, ab arbitrio Ecclesiæ suspenderet, sed tantum ut indicaret, quod nos quoque verum fatemur, eos qui nondum sunt illuminati, Ecclesiæ reverentia ad docilitatem induci, ut Christi fidem ex Evangelio discere sustineant, atque hoc modo Ecclesiæ authoritatem esse velut isagogem, qua ad fidem Evangelii præparamur. Unde recte Vessellus Groningensis libro de potestate Ecclesiæ, dicit esse *Verbum originis de coredendo, non comparationis et præferentiæ.* Atque huc potest non incommode referri, quod Augustinus utitur voce *commovendi*, non *persuadendi*, vel alio quopiam vocabulo, ut innuat Ecclesiam concurrere ad fidem non principaliter et primario, sed initialiter et organice, et quidem tanquam causam adjuvantem, non ut causam essentialem et primariam.

XVI. Quarto *Authoritas*, de qua loquitur Augustinus, non est *juris* et *imperii*, qualem hic fingunt Adversarii, quasi credendum fuerit simpliciter, quia Ecclesia id dicebat, sed *Authoritas dignitatis*, quæ scilicet petebatur ex magnis et illustribus in Ecclesia Providentiæ divinæ documentis, in quibus Dei digitum agnoscebat, qualia erant miracula, populorum consensio, vetustas, successio, et id genus alia. Sic cap. 4, "Ut hanc omittam Sapientiam, quam in Ecclesia Catholica esse non creditis, multa sunt

alia, quæ in ejus gremio me justissime teneant, Tenet consensio populorum atque gentium, Tenet Authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata." Sic contra Faustum Manichæum lib. ii. cap. 2, explicans unde cognoscantur genuina Scripta Apostolorum, ait, "Vides hac in re quid Ecclesiæ Catholicæ valeat Authoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernam diem succedentium sibimet Episcoporum serie et tot populorum consensione firmatur." Hoc sensu non negamus Authoritatem istam Ecclesiæ posse fidem adjuvare in convertendis, eamque in conversis confirmare, sed nunquam eo pertinebit, ut ejus sit primarium fundamentum, quod extra veritatem ipsam Scriptura contentam quærendum non est.

Scripturam per seipsam probari ostenditur.

XVII. Atque ex his satis superque evicimus, Scripturam ab Ecclesia authoritatem suam non mutuari, nec quoad se nec quoad nos, quod primum fuit nostræ probationis caput: Ad secundum nunc pergimus, ut demonstremus non aliunde quam a se ipsa Scripturam probari, et propter se divinam credi. Hoc vero non una ratione demonstrari potest: Primo, *a natura summorum generum et primorum principiorum.* Nam si summa rerum genera, et prima principia in ordine rerum naturalium hoc habent peculiare, ut sint nota seipsis, nec aliunde demonstrari possint, alioqui res in infinitum abiret; Utique Scriptura, quæ primum est principium in ordine Revelationis supernaturalis, a quo cætera pendent, a se ipsa authoritatem habere debet, et non aliunde ascitam. Hoc autem esse de ratione primorum principiorum Philosophus 1. Topico. notat, ἀληθῆ μὲν καὶ πρῶτα τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν, οὐ δεῖ γὰρ ἐν ταῖς ἐπιστημονικαῖς ἀρχαῖς ἐπιζητεῖσθαι τὸ διότι, ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πιστήν, "Vera et prima illa sunt, quæ non ab aliis, sed a se ipsis fidem habent, non enim oportet in scientificis principiis quærere quare, sed unumquodque ipsum per se esse certum." Quo pertinent ista Basilii in Psal. cxv., ἀνάγκη ἑκάστης μαθήσεως ἀνεξετάστους εἶναι τὰς ἀρχὰς τοῖς μανθάνουσιν, "Necesse est singularum disciplinarum ejusmodi esse principia ut in ea non inquirant." Si ergo scientiarum aliarum principia authoritatem suam aliunde non mutuantur, sed ab iis qui naturali lumine pollent per se innotescunt: Quis dixerit Scripturam, quæ primum est fidei principium, adventitio quodam lumine indigere, ut innotescat iis, qui oculos mentis illustratos habent? hinc Lyranus Prologo in Biblia: "Sicut in Philosophia veritas cognoscitur per reductionem ad prima principia per se nota, ita et in Scripturis a Sanctis Doctoribus traditis veritas cognoscitur quantum ad ea, quæ sunt fide tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas." Nec hilum proficit Stapletonus, imo pro nobis facit, quum excipit, principia quidem in se non probari et esse indemonstrabilia in τῷ διότι, sed propter nostram tarditatem nobis interdum explicari quoad τὸ ὅτι, sic Scripturas demonstrari per Ecclesiam, non quid sint in se, sed quid sint quoad nos, ut a nobis acceptentur: Nunc enim non quærimus, quo medio nobis possit innotescere Scriptura quoad nos, sed quo argumento vel propter quid divina a nobis habeatur. Illud est τὸ ὅτι, hoc vero τὸ διότι. Si ergo Stapletonus concedit, Scripturam non posse aliunde probari quoad τὸ διότι, sed tantum quoad τὸ ὅτι, ad nos accedit et largitur ultro quod volumus, fatemur enim Scripturam a posteriori posse probari per notas suas, sed aliunde a priori negamus.

1. A natura primorum principiorum.

XVIII. Secundo, *a Comparatis*, Ut objecta sensuum a natura sunt ita comparata, ut a facultatibus suis bene dispositis statim ut iis applicata

sunt dijudicentur absque ullo alio argumento externo, utpote imbuta iis qualitatibus, quarum appulsu facile dignoscuntur, propter arcanam scilicet proportionem et consensionem facultatis ad objectum, ut materiæ ad formam. V. g. Sol propriis radiis et innato splendore videtur, cibus propria dulcedine cognoscitur, odor propria fragrantia percipitur: Ita ut nemine etiam testante, facile lucem Solis, cibi suavitatem, et odoris fragrantiam per se ipsas cognoscam et ab aliis discernam. Id ipsum in gratia et hoc præsertim in negotio occurrit. Scriptura Sacra, quæ proponitur nobis respectu novi hominis et sensuum ejus spiritualium, Heb. v. 14, modo sub imagine Solis et admirandæ lucis, Psalm. cxix. 105; 2 Pet. i. 19, modo cibi suavissimi et mellis dulcissimi, Psalm. xix. 10, et cxix. 102, 103; Isa. lv. 1, 2, 3; 1 Pet. ii. 2, modo odoris fragrantissimi, Cant. i. 3, modo vocis jucundissimæ, Joh. x. 27, 1 Joh. i. 1, modo gladii acuti et ignis penetrantissimi, Heb. iv. 12; Jer. xxiii. 29, per se ipsam a novi hominis sensibus facile dignoscitur, et propria luce, suavitate, fragrantia, et efficacia cognoscendam se præbet, nihil ut opus sit argumenta aliunde conquirere. Hinc Sol justitiæ non citius exoritur, et micantes in Verbo radios diffundit, quin fidelis divino fidei oculo illico eum intueatur, et ad ejus lucem exultet, Mal. iv. 2, Joh. v. 35, Vox amabilis Christi, non citius auribus nostris insonat, quin eam exaudiamus et internoscamus, ut oves ejus, Joh. x. 27; Cant. ii. 8. Panis vitæ, et mel divinarum consolationum non statim ipsi apponitur, quin confestim illum deglutiat, et gustet bonum hoc Dei Verbum, 1 Pet. ii. 3; Heb. vi. 5; Cant. ii. 3, et fructum palato suavem experiatur. Christi Satisfactio et Justitia εὐωδεστάτη, Eph. v. 2, non potest illi proponi, quin currat in odorem unguentorum ejus, Cant. i. iii., et instar Aquilæ cœlestis in divinum istud πτῶμα illico advolet, Matth. xxiv. 28, denique cœlestis Veritatis ignis et gladius non potest exeri et admoveri, quin illico animam inflammet, et ad intimos cordis recessus penetret, Luc. xxiv. 32, quin vivus et efficax iste Dei Sermo se acutiorem et penetrantiorem quovis gladio ancipiti exhibeat, et pertingat usque ad divisionem ossium et spiritus, compagumque et medullarum, dijudicetque cogitationes, et conceptiones cordis, Heb. iv. 12, Cum ergo Scriptura se Lucem, Cibum, Vocem, Odorem, Ignem et Gladium vocet, eo ipso insitam ingenitamque vim sibi esse testatur, quæ luculentum sui argumentum præbet iis omnibus, qui sensus exercitatos habent ad discretionem veri et falsi, boni et mali. Unde si quis roget, qua ratione persuadeamur a Deo fluxisse, nisi ad Ecclesiam confugiamus, perinde est ac si quis petat, Unde discamus lucem discernere a tenebris, album a nigro, dulce ab amaro: Non enim obscuriorem veritatis suæ sensum ultro Scriptura præ se fert, quam coloris sui res albæ et nigræ, et saporis dulces ac amaræ. Hinc optime Lactantius lib. 3, Insti. cap. 1, "Tanta est potentia veritatis, ut seipsam quamvis in rebus exiguis sua claritate defendat."

XIX. Hoc ipsum vero ulterius confirmari potest a simili. Nam si in rerum natura nullum est effectum, quod causæ suæ notas et characteres quosdam non referat, sive in naturalibus, sive in voluntariis; Si singula Dei opera admirabiles Opificis virtutes conspiciendas nobis præbent, eumque ita repræsentant, ut ex iis non obscure cognoscatur: Quis crediderit Scripturam, quæ magnum est Dei opus, nulla Authoris sui κριτήρια præ se ferre? Imo eo luculentius debuit se in illa nobis contemplandum exhibere, quod in eum finem eam tradere voluit, ut speculum esset splendidissimum Divinitatis, et fidei atque morum norma indeclinabilis; Alias dicendum erit, Deum vel non potuisse, vel noluisse se in illa exprimere. Quod utrumque non minus impium

quam absurdum est, et Bonitati, Sapientiæ et Potentiæ Dei ex æquo repugnat.

3. A Scripturæ natura.

XX. Tertio, id ipsum colligimus ex *Scripturæ ipsius natura.* Nam quæ ratio est Legis ad Subditos, Testamenti ad Custodem, cui commissum est; Regulæ et Normæ ad Artificem qui ea utitur; Ea debet esse Scripturæ ad Ecclesiam. Nam illa et Lex est summi Principis, et Testamentum Patris cœlestis, et Regula atque Canon fidei et morum certissimus. At neque Lex suam a Subditis, quibus fertur, vel Præconibus, quibus promulganda datur, mutuatur authoritatem, sed illam unice habet a Principe qui eam sancit; Neque Testamentum pondus suum obtinet quoad nos ab eo cui concreditum est, sed a voluntate Testatoris; Nec Gnomonis et Regulæ virtus ab artificis instrumenta illa tractantis ingenio et solertia pendet; sed ab interna et essentiali ejus proprietate, quam illi ordinis et veritatis author Deus dedit: Ita licet Ecclesia Legem istam æternam Regis Regum accipiat ut Subdita, et promulget ut Præco, licet Testamentum Patris cœlestis custodiat ut Tabellio, et Regulam hanc infallibilem applicet: normaque utatur instar periti artificis ad ædificium fidei; nemo tamen dixerit authoritatem Scripturæ conciliare, quando tota ab ipsius natura et essentiali proprietate, quæ ipsi a Patre Luminum ejus Authore indita est, pendet. Unde fidele quidem relinquitur Ecclesiæ ministerium, sed nulla authoritas; et si quid addat aut detrahat mandatis, quæ a Domino accepit, in idem crimen incurrit, in quod Notarius tabulas Testamenti corrumpens, aut Præco commentitium Edictum promulgans, et Regium Chirographum ementiens; Imo tanto atrocius est scelus, quanto Divina humanis, et æterna caducis præstant.

XXI. Neque hic omittendum, quod Pontificii ipsi Scripturas respectu Ecclesiæ volunt esse instar *Literarum Credentiæ* (sic eas vocabat Perronius Cardinalis) quæ fidem illi adstruant in ministerio suo; quamvis enim male inde elicere velit Cardinalis Scripturarum insufficientiam, ex eo quod in Literis credentialibus non omnia contineantur, quæ in mandatis data sunt Legato; Quia non sunt tantum Literæ credentiæ, sed etiam Edictum et Lex Principis, quæ omnia credenda et facienda sancit, ut vetitum sit quicquam illi addere vel detrahere; Nihilominus ad hominem eo possumus uti argumento, ad sententiæ quam tuemur confirmationem. Quemadmodum enim Literæ credentiæ suam non habent a Legato Principis, apud eos authoritatem, ad quos mittitur; sed duntaxat a seipsis et sigillo Principis apposito: Ita Scriptura licet per Legatos Dei ad nos deferatur, nunquam tamen ab ipsis pondus et authoritatem suam recipere potest, sed demum a se ipsa et characteribus ipsi insitis, qui sunt veluti totidem summi Principis sigillo, quibus ea divina et infallibilis per se certissime agnoscitur.

4. Ab authentia Scripturæ propria.

XXII. Denique ne plura congeramus argumenta. Si Scriptura est per se, et quoad se Authentica, ut videri volunt hoc fateri Adversarii, non potest non esse pariter authentica quoad nos. Quicquid enim Scripturæ authoritatem in se tribuit, et facit ut Divina sit et αὐτόπιστος, id ipsum etiam necessario eam conciliare debet illi respectu nostri. Cum enim Scripturæ authoritas nihil aliud sit, quam dignitas ejus et præstantia divina, per quam fit ut fidem et obsequium apud homines mereatur, Quid obstat quominus quod eam talem reddit in se, præstet etiam quoad nos? Et sane si Scriptura est in se Divina propter admirandam mysteriorum, quæ in ea traduntur, sublimitatem, propter perfectam partium omnium inter se consensionem, propter cœlestem ubique et nihil terrenum redo-

lentem doctrinam, propter summam tum dogmatum tum præceptorum sanctitatem et puritatem, propter maximam Verbi efficaciam, quæ in intimos cordis recessus quovis gladio ancipiti potentius penetrat, et propter alia istiusmodi illi insita κριτήρια; Quare eadem argumenta oculis mentis exposita fidem ejus in nobis non ingenerarent? Vel enim id fiet, quia non sunt per se sufficientia ad αὐθεντίαν ejus constituendam, Vel ad eandem nobis demonstrandam. Sed nec prius dici potest, quia, fatentibus ipsis Adversariis, Scriptura est in se authentica; nec posterius, quia ea est natura qualitatum, quibus subjectum aliquod ut tale constituitur, ut per easdem nobis innotescat, si modo ad eas animum appellere volumus, ut calor, quo ignis constituitur in esse calidi, est etiam apud nos ejus notificativus, sapor quo cibus constituitur in esse sapidi, subjectum suum declarat iis, qui gustu aliquo pollent, Character seu stylus libri alicujus nos ad cognitionem Authoris deducit, etiam sine ullo alio testimonio, ut qui exercitatus est in lectione Aristotelis, vel Ciceronis, facile ex stylo et dicendi charactere genuina scripta eorum a supposititiis discernere poterit, etsi nullus de illis testetur: Quidni etiam divini Scripturæ Characteres, qui ejus Majestatem et authoritatem constituunt, eandem etiam nobis declararent, si modo oculum fidei aperire volumus, ut eorum cognitioni incumbamus? Non diffiteor equidem posse operam Ecclesiæ intercedere, ut ejus interventu nobis innotescat; sed aliud est ministerium, per quod ad eam fidem adducimur, aliud fundamentum et motivum præcipuum, quo fides nostra nititur. Neque hoc diffiteri potest Bellarminus, cum eadem utatur methodo. Nam disputans contra Libertinos, Scripturæ Divinitatem probat ex Characteribus ipsi insitis, lib. 1, de Verbo Dei, c. 2. Vel E. solide probavit Scripturam ex notis suis; et sic Scriptura per Scripturam probari potest; Vel non, et sic in seipsum incurrit, quia ibidem aperte profitetur, "Sacris Scripturis, quæ Propheticis et Apostolicis literis continentur, nihil esse notius, nihil certius, ut stultissimum esse necesse sit, qui fidem illis habendam neget." In eadem etiam sunt sententia plurimi ex Pontificiis, qui vi veritatis victi ultro agnoverunt, Scripturam per seipsam probari, quorum testimonia nunc brevitatis studio omittimus; Videatur Canus, l. 2. lo. Theo. c. 8. Grego. de Valentia. li. 1, de Analysi fidei, c. 15, Petrus a Soto c. 47, Defens. Catho. Valdensis doctri. fid. l. 2, c, 20, et 21, Scotus q. 2, prologi in lib. sentent. &c. Atque ex his, ne ulterius progrediamur, Concludimus Scripturam ita per seipsam αὐτόπιστον esse, ut neque quoad se nec quoad nos ab Ecclesiæ testimonio ejus authoritas pendeat, quod demonstrandum fuit.

XXIII. Plures moventur hic objectiones ab Adversariis, sed quia variæ jam in præcedentibus sunt discussæ; unam hic tantum addimus, quæ identidem solet nobis opponi tanquam nodus insolubilis. Petitur a necessitate authoritatis alicujus infallibilis in Ecclesia loquentis et visibilis, ad persuadendam nobis Scripturæ authoritatem, et Articulorum fidei veritatem: Cum enim, ut pertendunt, via Scripturæ, seu Examinis ejus sit non modo difficilis, sed pene infinita et impossibilis, necessario ad viam authoritatis Ecclesiæ confugiendum esse, nisi velimus Deum hac in parte, quæ tanti est fidelibus momenti, defuisse. Viam autem istam examinis Scripturæ esse tot difficultatibus involutam, ut non modo fidelibus idiotis, et simplicioribus, sed et doctissimis quibusque sit inaccessa et impervia. Hic enim requiri primo, ut expendatur quæstio intricata de libris Canonicis, ut cognoscatur an locus, de quo agitur, sit vere authenticus. 2. An versio qua utimur sit conformis originali, ad quod cognitio

linguarum originalium requiritur. 3. Annon sint in locis allatis variæ lectiones, quæ argumenti robur infirment. 4. Ut serio expendatur sensus loci qui affertur, annon loca vel parallela, vel contraria occurrant, quæ cogant alium illi dare sensum, et alia id genus, quæ sine magno labore obtineri non possunt, nec sine erroris periculo. Unde concludunt aliam viam breviorem et tutiorem sequendam esse, nimir. viam Ecclesiæ authoritatis, in qua fideles facile et sine discrimine acquiescere possint, quod commentum non ita pridem renovatur a novitiis Ecclesiæ Romanæ defensoribus, Episcopo Meldensi, Arnaldo, Nicole, et aliis, qui in eo mire sibi plaudere solent, et Nostris tanquam Achilleum et invictum argumentum obtrudere.

XXIV. Verum non difficile est hunc impetum Adversariorum retundere. 1. Per retorsionem, quia quicquid contra Scripturam affertur, in Ecclesiam ipsam recidit; Cum enim authoritas Ecclesiæ infallibilis sit ex rebus quæ in controversiam maxime veniunt, non potest nec debet admitti, nisi prius probata fuerit. Unde vero probari poterit? Vel ex revelatione immediata, sed ea ex consensione Adversariorum non datur hodie. Vel ex Scriptura, sed neque hoc dici potest, tum quia supponitur pendere ex Ecclesiæ authoritate, tum quia via Scripturæ ex hypothesi Adversariorum longa est et mille obstaculis impedita. Vel ex Traditione; Sed eædem difficultates recurrunt, accurate enim hic distinguenda est vera Traditio a falsa, consulenda erunt originalia, et variæ lectiones expendendæ, et genuinus sensus inquirendus, et cætera quæ circa Scripturæ loca debent fieri, longe majori studio debent expendi, quo majus est corruptionis et seductionis periculum, quæ omnia cum non sint ex captu vulgi, impossibilem etiam hanc viam reddunt. Dicent forte hanc notitiam haberi posse ex characteribus divinitatis et infallibilitatis, qui deprehenduntur in Ecclesia. Sed neque hoc potest satisfacere, 1. Quia tales notæ et characteres maxima ex parte conveniunt falsis societatibus et Ecclesiis schismaticis, quæ non modo non sunt infallibiles, sed quæ actu in errore versantur. 2. Quia variæ ex istis notis vel falso et illusorie tribuuntur Ecclesiæ Romanæ, vel nihil minus concludunt quam quod intenditur. 3. Quia in Ecclesia Romana sunt characteres contrarii plures, ex quibus constat non modo eam esse fallibilem, sed reipsa errasse. Denique non minor labor in investiganda veritate istarum notarum respectu Ecclesiæ Romanæ requiritur. Uno verbo, via authoritatis, quæ hic obtenditur, supponit necessario examen aliquod præcedens, primo ut sciamus an detur talis quædam authoritas infallibilis in Ecclesia visibilis et loquens, de quo merito controvertitur, et constanter negatur a Reformatis. Secundo, ubinam sit illa authoritas, in qua Ecclesia, et in qua persona aut sede? 3. An habeat certas et evidentes notas et characteres, quibus cognoscatur; ex quibus colligitur in Ecclesiam recte retorqueri, quæcunque in Scripturam intorquentur ad ejus authoritatem elevandam.

XXV. Secundo, directe respondemus, gratis supponi viam Examinis postulare discussionem plenam et accuratam omnium quæstionum, quæ vel circa libros Canonicos, vel circa loci alicujus versionem vel sensum moveri possunt, quod linguarum peritiam et magnum eruditionis apparatum exigeret: Recte quippe observandum est, Scripturam posse esse fidei regulam duobus modis, vel ad producendam fidem in eo gradu perfectionis et plenitudinis, cujus homo capax esse potest in hac vita; Vel tantum in gradu simplicis sufficientiæ ad salutem. Priori respectu certum est requiri multum studii et laboris in expendendis omnibus iis, quæ in Scriptura continentur, in excutiendis terminis et stylo, in conferendis versionibus cum fontibus, in attendenda serie orationis, materia de qua

agitur, scopo loquentis, et aliis circumstantiis sigillatim pensitandis, quæ omnia in simplicem popellum et rusticos aut fœminas non cadunt. Sed posteriori, ubi agitur de gradu fidei quoad simplicem sufficientiam ad salutem, quæ oritur ex Doctrinis essentialibus, non opus est tali et tanta discussione, quia tales doctrinæ satis clare proponuntur in Scriptura, non in uno loco, sed in pluribus, et satis per seipsas a fidelibus gratia efficaci præditis ut divinæ agnoscuntur et veluti sentiuntur, ut nec varietas lectionum, nec versionum diversitas aut imperfectio, obstare queant, quominus ab iis apprehendi possint; licet nec quæstionem de libris Canonicis excusserint, nec linguas originales didicerint.

XXVI. Quod non ideo dicimus, quasi censeamus fideles sine ullo examine posse cognoscere Scripturæ divinitatem, vel genuinum loci alicujus sensum; Sic enim fides esset cæca et implicita, quod in Ecclesia Ro. damnamus, quæ vult sibi credi ἀνεξετάστως, quia se infallibilem jactat: Sed distinguendum est duplex *Examen:* Aliud *discussionis plenariæ* omnium difficultatum, quæ vel circa notas Scripturæ, vel circa loci alicujus sensum occurrere possunt: Aliud *discussionis partialis*, seu *attentionis* et *applicationis*, mentis ad veritatem credendam. Prius doctiorum esse tantum agnoscimus, ejusque viam et longam et difficilem esse non diffitemur, quæ magnum laborem et studium postulat, et amplam eruditionis mensuram requirit. Sed posterius ad simpliciores etiam pertinere contendimus, qui in eo cum fructu versari possunt, si modo cum recta ratione Spiritus Sancti lumine dirigantur, quo oculi mentis illustrati mysteria sensui et rationi alias impervia et inaccessa credunt et amplectuntur. Hoc est examen et judicium, ad quod Apostoli sæpe hortantur fideles, quum volunt ut explorent spiritus, ut judicent ipsi de illis quæ dicebant, quod Beroenses in praxim deducebant, dum conferebant verba Pauli cum Scriptura, cujus interventu fides Evangelii in nobis firmatur per appulsum veritatis, tanquam lucis supernaturalis, quæ a mente gratia efficaci imbuta recipitur, eodem modo, quo lux corporea ab oculo bene disposito recipitur per impressionem corporis lucidi.

XXVII. Atque hinc non obscure percipitur, quomodo gradum certitudinis sufficientem habere possit ad veram persuasionem animo ingenerandam: nimirum ut lux externa per seipsam sine ullo alio medio videndam se nobis certo præbet; Ut objecta sensuum per seipsa sensus nostros afficiunt, ut antea dictum, ut nulla alia opus sit causa ad id, ut persuadeamur nos vere videre lucem, vere gustare cibos, et alias id genus operationes sensitivas edere; Ita Veritas cœlestis, quæ per objecta sensuum solet in Scriptura designari, sensus nostros spirituales ita afficit immediate per propriam lucem vel suavitatem, ut non sinat se ignorari; sed *certitudinem* in ea ingeneret sufficientem ad πληροφορίαν πίστεως, non quidem *evidentiæ*, et scientificæ demonstrationis, sed *sensus* et *experientiæ*, quæ sufficit ad eximendos dubitationum scrupulos, et tranquillandam conscientiam, et spem salutis ingenerandam, quatenus talia objecta plene satisfacere possunt legitimis et naturalibus animæ desideriis ad perfectam felicitatem obtinendam, ita se animis nostris insinuando, ut tanquam divina et vera recipiantur ab omnibus tam infirmis et simplicibus, quam doctis et provectioribus. Unde sensus iste conscientiæ sufficit ad discernendum verum a malo, et doctrinas erroneas et exitiales rejiciendas, utpote quæ cum veritatibus essentialibus et fundamentalibus Religionis, quibus singuli fideles imbuti sunt, subsistere nequeant. Verbi gratia, Principium adorationis unius Dei quod primum est Religionis fundamentum, sufficit in simplicioribus ad rejiciendum Cultum Creaturarum, etsi quæstionem quæ circa hoc caput cum Eccle-

sia Romana nobis intercedit, nunquam viderint. Principium unici Sacrificii Christi, sufficit ad rejiciendas satisfactiones humanas, Purgatorium, et Indulgentias Papales. Principium veritatis humanæ Naturæ Christi, nobis in omnibus similis excepto peccato, sufficit ad rejiciendam præsentiam realem, Transubstantiationem, Sacrificium Missaticum, et Hostiæ adorationem, quod in aliis pariter locum habet.

XXVIII. Scio Adversarios hic regerere, ex sententia nostra de certitudine veritatis inventæ per examen prædictum sequi, privatos quoslibet a nobis constitui infallibiles: quia nemo potest certo persuaderi de inventa veritate per viam examinis, quin si infallibilem credat. Sed multa sunt, quæ huic figmento reponi possunt. 1. Gratis supponitur nullam veritatem posse inveniri per viam examinis sine infallibilitate, alias nihil certi in scientiis et artibus inveniri unquam posset, quia nullus est mortalium qui sit infallibilis. Ergo aliud est persuaderi, se esse absolute infallibilem et nunquam posse errare, aliud persuaderi, se non errasse in hoc vel illo capite. Licet nemo sit absolute infallibilis; Non sequitur neminem unquam dari posse, qui certus sit se non errasse. Quia dantur certæ veritates tam evidentes et sensibiles, tam in natura quam in gratia, ut certitudinem sui in animis imprimant, ut supra visum. Nec reponi debet, sic hæreticos posse etiam jactare certam persuasionem quam habeant de erroribus suis. Nam inanis et vana persuasio illorum quæ illusionibus et falsis præjudiciis nititur, non debet evanidam reddere veram certitudinem fidelium, quæ indubitatis fundamentis et criteriis nititur. Nec si characteres, qui falsas persuasiones a veris distinguunt, non facile agnoscere possumus, sequitur minus esse veros et reales. Ex quibus ita positis liquet, Deum non defuisse in rebus necessariis fidelibus, licet authoritatem infallibilem ac visibilem non reliquerit in Ecclesia ad componendas omnes controversias. Quia sola Scriptura tanquam norma infallibilis potest ipsis sufficere; si cum studio in ea meditanda ope Spiritus Sancti versentur. Nec ideo dicendum, Ecclesiam pejori loco constitutam, quam alias omnes societates, quia exponatur hæreticorum et schismaticorum factionibus. Quia Paulus docet necesse esse hæreses esse, 1 Cor. xi. 19, Et res ipsa hoc evincit. Nam si tale remedium infallibile a Christo institutum esset, cur ergo effectum suum non obtinuit, cur et temporibus Apostolorum, et in sequentibus seculis hæreses et schismata non sunt repressa? Cur Ecclesia Græca et Latina variis dissidiis laceratæ sunt et quotidie lacerantur? Remedium sane ineptum esse oportet, quod effectum, quem producere dicitur nunquam produxit. Et de his quidem hactenus.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE BONORUM OPERUM NECESSITATE.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE BONORUM OPERUM NECESSITATE.

Respondente DANIELE BARBALDO *Retensi.*

Necessitas Quæstionis.

I. Licet Quæstio de *Bonorum Operum Necessitate* minus necessaria videatur, in tanta præsertim Evangelii luce, quod nihil aliud magis sollicite quam Sanctificationis et bonorum Operum studium commendare solet; Necessariam tamen eam reddit, Tum Epicureorum et Libertinorum, quorum seculum hodiernum nimis ferax est, licentia, qui gratiam Dei in ἀσέλγειαν convertentes, putant se impune peccare posse, ut gratia abundet, Tum Antinomorum insania, qui negant Legis in fideles, postquam semel fuit abrogata, ullum esse jus, Tum denique Pontificiorum intemperies, qui Operum necessitatem ulterius quam par est protendentes, eam ad Justificationis et salutis meritum perperam referunt; Nobisque gravem propterea, sed falsissimam et injustissimam dicam scribunt, quasi eorum necessitatem absolute negaremus, doctrinaque nostra sub prætextu gratiæ pietatem extingueret, et habenas quibuslibet peccatis laxaret.

In ea peccatum est in Excessu et Defectus.

II. Ut ergo sciamus quid hac in parte Nobis tenendum sit, Observandum est ante omnia, peccatum jam olim hic fuisse, et peccari etiamnum hodie bifariam, et in *Excessu*, et in *Defectu*, duosque hic scopulos æque periculosos occurrere, Epicureïsmum et Pharisaïsmum: Alter est eorum, qui nullam Operum necessitatem agnoscunt: Alter vero eorum qui nimiam urgent: In 1um impegerunt olim Epicurei et Simoniani a Simone Mago dicti, qui bonorum Operum necessitatem prorsus negabant, docentes, fideles non debere attendere ad Legem Divinam, nec curare quæ ibi præcepta vel vetita fuerint, sed libere posse agere quæ vellent, et sic morum turpitudinem, et quidlibet agendi effrænem licentiam invehebant; ut observat Aug. de hæresibus ad hær. 1. et Theod. lib. 1. hær. de Simone. Quem errorem ab Orco revocarunt novissimis temporibus, licet alium in finem, Libertini et Antinomi, qui bona Opera non necessaria, sed ἀδιάφορα statuebant, et propositionem de necessitate bonorum Operum ignominiose exagitabant, ut refert Sleid. Hist. lib. 9. In alium vero scopulum incurrerunt post Pharisæos jam Apostolorum tempore Pseudapostoli, qui exitialem mixturam facere conantes, Mosis cum Christo, Legis cum Evangelio, et operum cum fide in negotio Justificationis, Legis et Circumcisionis imprimis observationem urgebant, adeoque necessaria pertendebant esse bona Opera ad salutem promerendam, ut refert Lucas, Actorum xv. 1. Quorum vestigia hodierno die premunt Pontificii, qui ut Opera meritoria faciunt, ita necessitatem eorum ad salutem promerendam, et ex merito conservandam urgent et exigunt. Ita Diabolus, quod in aliis pluribus doctrinæ Capitibus

facere solet, duplici via primarium hoc Salutis Caput corrumpere conatus est, conjungendo dividenda, et dividendo conjungenda; Nam in Justificationis negotio Fidem et Opera conjungere satagit, quæ Deus separavit, et in Sanctificatione Opera a Fide divellere molitur, quæ Deus conjunxit.

Orthodoxorum sententia.

III. Inter duo hæc Extrema medium tenent Orthodoxi, qui necessitatem quidem bonorum Operum urgent adversus Antinomos et Libertinos, sed meritum constanter negant adversus Pontificios; Contendunt necessaria esse ad salutem obtinendam, quia sine sanctitate nemo visurus est Deum, Heb. xii. 14, sed nolunt agnoscere necessaria esse ad eam acquirendam, quia salvamur gratia et non ex operibus, Eph. ii. 8. Fatentur, Opera multiplicem habere σχέσιν et relationem ad vitam, ut *medii* ad finem, *viæ* ad metam, *pugnæ* ad victoriam, *victoriæ* ad coronam, et *laboris* debiti ad mercedem gratuitam. Sed non possunt admittere cum Adversariis, habere relationem meriti, et causalitatis; quia statuunt cum Bernardo esse *viam regni*, non *causam regnandi.* Fatendum tamen etiam inter ipsos Evangelicos dari aliquod sententiarum divortium circa bonorum Operum necessitatem ad salutem, an scilicet *bona opera dici possint ad salutem necessaria.* Cum enim superiori seculo Pontificii in Germania viderent doctrinam de Justificatione per solam fidem non posse simul et semel everti, insidiose urgere cœperunt hanc propositionem, *Bona opera ad salutem esse necessaria,* in formula Interimistica (quam sub specie Conciliationis et Pacis Ecclesiasticæ obtrudere satagebant Protestantibus, sed reipsa ad puriorem Religionem corrumpendam, ut faciunt hodierni Syncretistæ,) et quidem præclaro sub hoc prætextu, ne Epicureïsmus introduceretur in Ecclesiam; revera autem ut Justificationis doctrina paulatim convelleretur; Quam fraudem cum multi non statim animadverterent, propositionem admiserunt, et inter eos etiam Melancthon, qui tamen phrasim illam postea rejecit, tanquam minus commodam, imo et periculosam, ut patet ex Actis Colloquii Wormatiensis habiti anno 1557. Mota postea fuit eadem lis inter Theologos Witembergenses et Jenenses, diuque et diversimode in utramque partem agitata, illis propositionem admittendam esse statuentibus, istis vero rejicientibus, donec tandem in libro Concordiæ composita est, Et in hoc conventum, *Novam obedientiam seu bona opera interna et externa credentibus et conversis ad Deum esse necessaria.* Inter Reformatos sunt qui simpliciter dici nolunt et sine aliqua cautione, bona Opera esse ad salutem necessaria, ne quis phrasim illam sensu Pontificio interpretetur; quasi scilicet bona opera dicerentur necessaria ad salutem efficiendam aut procurandam, ut Pareus in Bellarminum, lib. 4. de Justificatione, c. 1. Et Joannes Davenantius de Justificatione, cap. xxxi. Alii vero simpliciter propositionem retineri posse censent, nec in ea ullam dari materiam scandali, modo recte explicetur; multum vero periculi et offendiculi esse, si quis id neget aut dicere reformidet; ad quos etiam facile accedimus. Qualiscunque vero sit iste dissensus, in verbis potius et phrasi situm esse quam in reipsa, facile est colligere, apud utrosque enim hoc est in confesso, Opera ita esse nobis necessaria, ut nemo sine ipsis salvari possit, licet nihil conferant ad salutem vel efficiendam vel acquirendam, quod jam demonstrandum nobis est.

Status Quæstionis.

IV. Ut vero clarius Sententiæ Orthodoxæ veritas teneatur, Præmittendæ sunt distinctiones nonnullæ *Necessitatis,* quæ hic sedulo sunt attendendæ. Alia quippe est *Necessitas præsentiæ,* secundum quam bona Opera ita dicuntur necessaria, ut sine illis salus obtineri nequeat; Alia vero *Necessitas efficientiæ,* secundum quam

non tantum esse debent in fideli servando, sed et operari et efficere salutem; Alia est *Necessitas medii*, per quam bona opera statuuntur esse media necessaria ad possidendam salutem; Alia vero *Necessitas meriti*, per quam vis etiam meritoria illis tribuitur ad eam acquirendam; Alia *Necessitas connexionis* et dependentiæ, qua bona Opera dicuntur antecedere necessario, et connecti ac post se trahere vitam et salutem; Alia vero *Necessitas causalitatis*, juxta quam opera habent rationem causæ ad salutem, quæ eam vel promereantur vel producant. Statuimus contra Libertinos bona Opera necessaria esse priori sensu, sed negamus posteriori contra Pontificios. Et de priori nunc distincte agendum suscipimus.

Bona Opera sunt necessaria, Necessitate præcepti.

V. Cum vero *Necessitas* vulgo duplex statuatur, pro natura rerum quæ præstandæ sunt, Alia quæ dicitur *præcepti*, quæ voluntate præcipientis nititur, quomodo necessaria fuit observatio Cæremoniarum sub Veteri Testamento, et necessarius est usus Baptismi in Novo Testamento; Alia vero *medii*, quæ non pendet tantum a voluntate Legislatoris, sed quæ fundatur etiam in rerum ipsarum natura, et mutua inter se invicem relatione et connexione; quomodo fides dicitur esse necessaria ad salutem, non tantum quia ita Deus præcipit, sed etiam quia tam arcta est inter fidem et salutem connexio, ut salutem sine fide obtinere sit impossibile. Bona Opera utroque modo fidelibus omnibus ad salutem necessaria esse pertendimus: Tum necessitate præcepti, quia a Deo mandata sunt, et ab homine debentur; Tum necessitate medii, quia indivulso cum salute nexu cohærent. Et ut de *necessitate præcepti* dicamus primum, Scriptura passim illam adstruit, dum Bonorum Operum praxim et Sanctificationis studium fidelibus præcipit. "Hæc est voluntas Dei," inquit Paulus 1 ad Thess. c. iv. ver. 3, "sanctificatio nostra, ut quisque vas suum possideat in sanctitate et honore." Sic Christus, Matth. v. 16, "Luceat Lux vestra coram hominibus," et Joh. xiii. 34, "Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis," et 1 Joh. iii. 23, "Hoc est mandatum quod nobis dedit, ut credamus in nomen Filii sui, et diligamus invicem." Nec alio respiciunt tot Prophetarum et Apostolorum potentissimæ ad pietatem et sanctitatem hortationes, quam ut doceant non suo arbitratu vivendi licentiam cuique a Deo concedi, sed bonorum Operum exercitium ut justissimum et summe salutare præscribi. Quo pertinet etiam vox *Debiti*, quæ fidelibus tribuitur, quum *Debitores* vocantur, Rom. viii. 12, et xiii. 7, 8, Luc. xvii. 10. Nec enim Debitores possent dici, nisi quia obediendi necessitas ipsis ex Dei præscripto imposita est.

Debitum duplex, Legale et Evangelicum.

VI. Porro *Debitum* hic duplex distinguendum est, Aliud *Legale*, Aliud *Evangelicum; Legale* rursus duplex, Vel *perfectæ obedientiæ* in Lege requisitæ ad vitæ acquisitionem, quo sensu Paulus vocat *Legem Chirographum*, Col. ii. 14, quia in ea obedientia Deo debita, et propter quam obstricti sumus ipsi, sancitur; Ita debitor erat Adamus, et quotquot manent sub fœdere Operum; Gal. v. 3, "qui vult circumcidi, debitor est totius Legis servandæ;" Vel *Pœnæ*, ratione scilicet maledictionis, quam ferre debent Legis transgressores; hinc Peccatores, qui rei sunt coram Deo, vocantur ὀφειλέται, Matth. xviii. 34, et peccata *debita* dicuntur in Oratione Dominica, Matth. vi. Non quod ea debeamus Deo, nihil enim minus debemus; quæ ratio est cur peccata mortis vere sint meritoria, quia sunt plane indebita; sed ratione pœnæ consequentia, quia ad illam tenetur peccator ex ordine justitiæ, nec potest elabi, quin debitum illud serius ocius exsolverit. Ab utroque hoc debito liberati sunt fideles per Christum, qui Legem implendo pro ipsis, et quoad obedientiam, et quoad pœnam,

a reatu mortis illis impendente eos liberavit, et jus ad vitam ipsis acquisivit, Rom. viii. 1, 3, Gal. iii. 13. Sed præter hoc debitum legale, datur *Debitum Evangelicum*, a quo fideles nunquam possunt liberari; Debitum scilicet *novæ obedientiæ*, cui obstringuntur omnes renati ex Lege Christi, Rom. viii. 12.

Necessitate Medii.

VII. Verum non ea tantum de causa urgenda sunt bona Opera, quia Necessitatem habent præcepti, cum habeant etiam multiplicem *Necessitatem Medii*, et vinculum, quo illis homo obstringitur, adeo sit arctum, ut ubivis et semper ad ea obligetur, nec in ullo statu vel naturæ, vel peccati, vel gratiæ, ab eo exsolvi possit: Et sane si nullum aliud jus Deo in hominem competeret, quam *Creatoris* et *Conservatoris*, Quis non agnosceret justissimum et summe necessarium esse obsequium et cultum, quem Domino suo reddere tenetur: ut quemadmodum omnia habet a Deo, ita omnia ad ipsum referat; et, si dependet ab ipso in genere *Entis* necessario et indispensabiliter quoad productionem et conservationem vitæ, dependere etiam debeat ab ipso in genere *Moris* quoad obedientiam, et vitæ sanctitatem? Verum fortius multo adstringitur hoc vinculum, si *Redemptionis* σχέσιν spectemus; Ut enim per ipsam longe plura et majora beneficia est consequutus Fidelis; ita longe arctius Liberatori suo obstringitur, nisi in teterrimum ingratitudinis vitium incurrere velit.

Ratione Dei, proximi, et nostri.

VIII. Unde multiplex exurgit Operum necessitas; tum respectu *Dei* ad ejus gloriam illustrandum, Matth. v. 16; Tum respectu *Proximi* ad ejus ædificationem procurandam, 1 Pet. iii. 1, Phil. ii. 15, Tit. ii. 7; Tum respectu *Fidelis* ipsius, ad salutem suam procurandam, Phil. ii. 12, 13, et Vocationem et Electionem suam confirmandam, 2 Pet. i. 10. Ad hæc enim tria officia totam vitam Christianam refert Paulus Tit. ii. 12, ut vivamus σωφρόνως, δικαίως καὶ εὐσεβῶς, sobrie et temperanter respectu *Nostri*, juste respectu *Proximi*, et pie respectu *Dei*. Verum ut Necessitatis istius ratio distinctius percipiatur, expendendæ sunt variæ σχέσεις et relationes, sub quibus Fidelis spectari potest. Quocunque enim se convertat, innumera deprehendit ad Sanctitatem incentiva; Sive respiciat ad *Fœdus gratiæ*, in quod receptus est; Sive ad *Deum*, cui in Baptismo nomen dedit; Sive ad *Evangelium*, quod illi credendum proponitur; Sive ad *Fidem*, quam profitetur; Sive ad *Gratiam*, qua jam fruitur; Sive ad *Gloriam*, quam adhuc sperat; Nihil est quod ad bonorum operum necessitatem multis modis non inducat.

Fœdus gratiæ postulat bona opera.

IX. Primo, *Fœdus gratiæ* eam evincit clarissime; Notum enim duas illud partes necessario continere, *Promissionem* a parte Dei, et *Officii stipulationem* a parte hominis. Quippe ut in eo Deus pollicetur se fore Deum nostrum, Vult etiam vicissim ut simus ejus populus; Ut spondet favorem et protectionem omnimodam; ita omnimodum cultum et obsequium postulat; Ut se nihil nobis denegaturum, quod faciat ad salutem nostram, etiam juramento adhibito sancte declarat, sic exigit pariter ut nihil ipsi recusemus, sed totos nos ad ejus gloriam impendamus, in præceptis ejus ambulando. "Ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum," Levit. xxvi. 12, Jer. xxxi. 33. Fateor quidem tantam esse Dei benignitatem, ut non tantum exigat hæc a nobis officia tanquam debita; sed etiam promittat tanquam beneficia; Quod est privilegium novi Fœderis, in quo Deus non tantum agit quod suarum est partium, sed etiam nostrarum, et ita postulat fidem, ut eam etiam nobis indat, Phil. i. 29; Ita exigit timorem sui et reverentiam, ut illam etiam cordibus nostris ingeneret, ut nunquam recedamus ab ipso, Jer. xxxii. 40. Verum hoc non obstat,

quominus ad executionem officii debiti obstringatur Fidelis; imo tam arcte et indissolubili ista inter se conjuncta sunt vinculo, ut nihil promittatur a parte Dei, nisi homo conditionem propositam impleat a parte sui; nec quisquam nisi falso sibi polliceri unquam poterit gratiam Dei, qui fidem et pœnitentiam quam exigit, in se non deprehenderit. Licet ergo in Verbo et Sacramentis, Fœderis promissionem Deus nobis exhibeat, et verissime ac sincerissime demonstret quid sibi gratum sit, et quid penes se constitutum sit, nimirum dare gratiam Credentibus et resipiscentibus, Cum tamen promissio hæc semper sit conditionata, Utcunque indiscriminatim proponatur et offeratur hominibus, non alios tamen respicere censenda est ex Dei consilio, quam eos qui conditionem, sub qua proponitur, re ipsa habuerint, et quibus ipse eam dare constituit, qui solus dare potest, nimir. Electos et Fideles. Unde sequitur *Fœdus gratiæ* nullum locum habere posse erga hominem, nisi Deo vocanti pareat, et officium quod ab ipso Deus postulat, in bonorum Operum praxi, et pœnitentiæ exercitio implere satagat.

Tres Personæ Trinitatis.

X. Porro ut obedientia, quæ in Fœdere gratiæ exigitur, Deum Trinunum respicit, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; Ita hoc etiam respectu, Fidelis tenetur bonis Operibus incumbere; Nam ut singulæ Trinitatis Personæ peculiarem σχέσιν induunt in Oeconomia Salutis, Prima *Patris*, qui nos eligit ab æterno, et in familiam suam adsciscit, Secunda *Redemptoris*, qui nos redimit in tempore, et in populum peculiarem et membra Corporis sui mystici cooptat, Tertio *Paracleti*, qui nos sanctificat, et in Templa consecrat, Gratiam a Patre nobis destinatam, et a Filio acquisitam, applicando: Ita ad tres Personas Cultus noster terminari debet, ut *Patrem* veneremur et colamus ut *Filii*, 1 Pet. i. 15, 16, Eph. v. 1, Mal. i. 6, Ut vestigia Redemptoris sequamur, 1 Pet. ii. 24, et nos vere præstemus populum περιούσιον ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, Tit. ii. 14, Ut Paracletum in nobis habitantem sedulo colamus, nec unquam contristemur, Eph. iv. 30, vel Templum ejus ullis sordibus infici patiamur, 1 Cor. vi. 19; Uno verbo ut vivamus digne Filiis Dei, Fratribus et Membris Christi, et Templis Spiritus Sancti. Alias quomodo Deum Patrem inclamare poterimus, si nolumus filialem obedientiam illi præstare, Mal. i. 6? Vel Christi discipulos nos profiteri, si mandata ejus non observamus, et vitam Christi non degimus, Joh. xiv. 15, 1 Joh. ii. 3, Rom. viii. 9? Vel Spiritus S. Sacraria dici, si ut Spiritu vivimus, ita secundum Spiritum non ambulamus, Gal. v. 25? Hoc vero præsertim exigit *Communio*, quæ nobis intercedit cum *Christo* Capite nostro, quæ veritatem suam obtinere nequit, nisi per *conformitatem* nostri cum ipso, ad quam propterea prædestinati sumus, Rom. viii. 30. Ut non nomine tantum et professione, sed vita et moribus simus Christiani, ambulando sicut ipse ambulavit, 1 Joh. ii. 6, et ut Christus ipse in nobis vivat, Gal. ii. 20, triplicisque Muneris, ad quod nos Unctione sua cœlesti consecravit, similitudinem et effecta in nobis producat, *Prophetas* instituendo, qui nomen et virtutes ejus prædicent, 1 Pet. ii. 9; *Sacerdotes*, qui corpora sua in victimam viventem et sanctam illi offerant, Rom. xii. 1; et *Reges*, qui imperium exerceant in mundum et proprias cupiditates, Apoc. i. 6, et v. 10.

Evangelium.

XI. Tertio, hoc ipsum ex *Evangelii*, quod nobis proponitur, indole luculentius confirmatur. Cum enim *doctrina* sit non *Theoretica* tantum, quæ inani speculatione mentem pascat, sed *Practica*, quæ voluntatem corrigit, et ad praxim boni impellit, quæque ideo "Veritas secundum pietatem, et Mysterium pietatis" dicitur, 1 Tim.

iii. 16, Quis non videt neminem posse serio illud amplecti, qui non teneatur digne ipso ambulare? ut cum Fide Charitatem, cum Cognitione Cultum, et cum Sapientia quæ doctos nos reddit, Religionem quæ bonos et pios, indivulso nexu conjungamus, ut potentes simus λόγῳ καὶ ἔργῳ, nec tantum sciamus credenda, sed et impleamus facienda. "Si hæc scitis, Beati estis, si hæc facitis," Joh. xiii. 17. Quo pertinent aurea Lactantii verba, lib. i. cap. 1, qui scientiæ salutaris, quam Evangelium nobis exhibet, summam sic describit, "Ut neque Religio ulla sine sapientia suscipienda sit, nec ulla sine religione probanda sapientia." Et lib. vii. c. 4, "non potest nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni, quia idem Deus est, qui et intelligi debet quod est sapientiæ, et honorari quod est religionis." Quippe ut *Deus* in Christo, quod est objectum Evangelii, est *primum Verum* et *summum Bonum*, Ita debet per fidem apprehendi et cognosci ut primum Verum, et per Charitatem coli et diligi ut summum Bonum: Atque ea de causa *Evangelium* toties nomine *Legis* indigitatur, quoties "Lex fidei," Rom. iii. 27; "Lex Spiritus et vitæ," Rom. viii. 2; "Lex regia libertatis," Jac. i. 25; "Lex Christi," 1 Cor. ix. 21, dicitur; Non tantum per μίμησιν alludendo ad mentem Judæorum, quia Evangelium vere et perfecte præstat nobis, quod perperam et falso quærebant in Lege Judæi, puta justificationem et salutem, ut non insolitum est Spiritui Sancto, nomina rerum quibus efficaciam pretiumque magnum homines attribuunt falso, illis tribuere quæ vere efficaces sunt et pretiosæ: Sed etiam proprie, quia Evangelium suam etiam habet Legem, suaviorem quidem illam Lege rigida et inexorabili Mosis; Sed Legem tamen, quæ ad obsequium hominem obligat; Jugum Christi leve est, sed jugum tamen, quod suscipere tenemur, Matth. xi. 29. Hinc Paulus, Gal. ii. 19, "Per Legem Legi mortuus sum," per Legem Christi, Legi Mosis, et per Evangelium, Legi, et Rom. viii. 2, "Lex Spiritus vitæ" dicitur "nos liberare a Lege peccati et mortis," quia Evangelium, quod est ministerium Spiritus, et Verbum vitæ, nos liberat a Lege Mosis, quæ peccatum irritando et augendo, mortem peccatoribus intentat. Quamvis ergo a Lege liberati simus per Christum, nec amplius simus sub Lege, sed sub gratia; Non ideo exleges vivere debemus, sed subesse Legi Christi; "Ut liberi," inquit Petrus, 1ª, ii. 16, "sed ut servi Dei," quia liberati a peccato servi facti sumus justitiæ, Rom. vi. 18, ut servitus non sublata penitus, sed mutata tantum fuerit, servitus peccati in servitutem gratiæ, et jugum ferreum Diaboli in jugum suave Christi.

Fidei natura.

XII. Quarto, *Fidei* natura eandem Operum necessitatem post se trahit; Cum enim Spiritus Sanctus testetur eam indissolubili cum Charitate conjunctam esse vinculo, et non posse veram esse nisi per charitatem sit ἐνεργουμένη, Gal. v. 6, imo Jacobus eam mortuam esse sine Operibus expresse asserat; Quo tandem pacto de fide gloriari quis poterit, si illa bonis Operibus non sit stipata? Arbor est quæ fructibus carere non debet, et fons manalis qui rivos ex se non potest non fundere. Fateor quidem fidem et opera in *negotio Justificationis* ita sibi ex diametro opponi, ut sint plane ἀσύστατα; unde toties urgetur ab Apostolo fidei et Operum antithesis; Sed hoc non impedit, quominus in *Persona justificati* inter se conveniant, et ad promovendam et perficiendam sanctificationem suavissime conspirent? Ut temere et falso fidelem se prædicet, qui sola fidei professione contentus de operibus haudquaquam est sollicitus, quod faciebant Libertini Jacobi tempore, qui perperam intellectis verbis Pauli, qui solam fidem urgebat ad justificationem, Sanctimoniæ et bonorum Operum studium negligebant; quod non fecissent, si observassent

eandem fidem, quæ est *instrumentum* Justificationis, esse etiam *principium* et radicem Sanctificationis, qua corda purgari debent, Act. xv. 9.

Dei beneficia. XIII. Denique eo tendunt *omnia Dei beneficia*, sive præterita, quæ nobis jam collata sunt, sive futura, quæ sunt adhuc conferenda, sive gratia qua fruimur, sive gloria quam speramus. Quorsum enim nobis vel conferuntur, vel promittuntur, nisi ut Sanctificationis opus in nobis promoveant, et sint totidem motiva efficacissima obedientiæ nostræ erga Deum? Et sane ut geminam σχέσιν Opera nostra possunt induere, tum respectu *præteriti*, tum respectu *futuri;* priori sunt *sigilla* et *pignora* gratiæ antecedentis, Eph. iv. 30, 2 Tim. ii. 19; posteriori sunt *arrhabones* et *primitiæ* gloriæ consequentis, Eph. i. 14, Rom. viii. 23. Sunt *fructus Electionis*, quæ præcessit ab æterno, Eph. i. 4, quibus a posteriori innotescit et confirmatur in nobis, 2 Pet. i. 10; et *semina glorificationis*, quæ sequetur in æternum, Gal. vi. 7, 8. Et ut bene Bernar. de grat. et lib. arbi., "sunt Spei seminaria, Charitatis incentiva, occulta Prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, sed non causa regnandi." Nec obscurum hoc erit singula Dei beneficia perpendenti: Ad quid enim respicit æterna *Dei Electio*, qua a communi hominum peccatorum massa secreti, ad salutem destinati sumus ab ipso, nisi ad sanctificationem? "Elegit nos in Christo," inquit Paulus, Eph. i. 4, "ut simus sancti;" 2 Thess. ii. 13, "Elegit nos Deus ab initio in sanctificationem spiritus et fidem veritatis." Ad quid *Redemptio* Christi? Nisi ad hoc ipsum, ut "liberati ab inimicis nostris, colamus ipsum ἀφόβως in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ nostræ," Luc. i. 74, Et ut redempti pretio ipsum glorificemus et corpore et animo, 1 Cor. vi. 20. Ad quid *Vocatio?* Nisi ut simus sancti, ut qui vocat nos sanctus est, 1 Pet. i. 18, et virtutes illius prædicemus, qui a tenebris nos vocavit in admirabilem lucem suam, 1 Pet. ii. 9. Ad quid *Justificatio?* Nisi ut a reatu peccati liberati, illi in posterum nuntium penitus remittamus. "Apud te est venia ut colaris," Psal. cxxx. 3; "Loquetur pacem populo suo, ne redeat ad stultitiam suam," Psal. lxxxv. 9. Hinc duo ista beneficia ita sunt connexa, ut neutrum habeat, qui utrumque non servat, Nemoque justificetur, qui non continuo sanctificetur, ut *Christus* qui *justitia* nobis factus est, est etiam *sanctificatio*, 1 Cor. i. 30. "Venit cum sanguine et aqua," 1 Joh. v. 5; Cum sanguine ad expiandum, cum aqua ad purgandum, quæ duo sub Veteri Testamento erant propitiationis et purgationis media; Quo allusum fuit in Cruce, dum sanguis et aqua ex ipsius latere fluxerunt, Joh. xix. 14, ad designanda duo præcipua ejus beneficia, justificationem in sanguine, et sanctificationem in aqua. Ad quid denique tendit *Regeneratio?* Nisi ut Creaturæ novæ facti, in Christo novo homine, 2 Cor. v. 17. "Non amplius in vetustate literæ sed in novitate spiritus ambulemus," Rom. vii. 6, et Rom. vi. 14. Uno Verbo *Gratia*, quæ nobis apparuit, non in eum finem datur, ut ea abutamur in peccandi licentiam, et abundare faciamus peccatum, ut ipsa superabundet, sed ut "abnegata impietate et mundanis cupiditatibus, vivamus in hoc seculo sobrie, juste, et pie," Tit. ii. 14.

XIV. Id ipsum de *Gloria* et salute, quæ nobis in cœlis adhuc est reposita, non minus certo dicitur. Cum enim bona Opera ratione illius, sese habeant instar *Mediorum* ad Finem, Joh. iii. 5, Luc. xiii. 3, Matth. v. 8; *Viæ* ad Metam, Eph. ii. 10, Phil. iii. 14; *Pugnæ* ad Victoriam, 1 Tim. vi., 2 Tim. ii. 3, 5; *Laboris* ad mercedem, Matth. xx. 1, 2; *Sementis* ad Messem, Gal. vi. 7, 8, et *Primitiarum* ad Massam, Rom. viii. 22; Quomodo vel Finis obtineri posset sine Mediis, vel Meta attingi, si viam eo ducentem non sequimur; Vel Victoria et Corrona reportari, nisi

bonum certamen decertemus; vel merces gratuita recipi, nisi in agro et vinea Domini laboremus; Vel Messis colligi in cœlis, nisi sementem fecerimus in terris, vel massa possideri, si primitias non habuerimus? Hinc toties Scriptura bonorum operum necessitatem urget ad salutem, non quidem acquirendam de jure, quod solus Christus fecit, sed adeundam et possidendam de facto, quum sine sanctimonia neminem visurum deum declarat, Heb. xii. 14, nihilque immundum et inquinatum in sanctam civitatem ingredi posse, Apoc. xxi. 27; "Foras esse canes, idololatrias, et mendaces," Apoc. xxii. 15. Denique, cum sanctitas sit pars potissima felicitatis, quemadmodum in Deo τὸ ἅγιον και τό μακάριον conjunguntur strictissime; Et salus hic inchoari debeat per gratiam, antequam consummetur per gloriam; Imo gratia nihil aliud sit quam gloria inchoata, et gloria, gratia consummata; Quis non videt eas se invicem excipere; Neminemque adeo Salutis complementum et coronam posse obtinere in cœlo per glorificationem, qui ejus fundamentum non jecerit in terra per Sanctificationem, et Pietatis studium?

XV. Frustra vero hic Antinomi, ut bonorum Operum necessitatem elevent, Loca varia congerunt, quibus non amplius esse sub lege dicimur, sed sub gratia, Rom. vi. 14, et vii. 4. Aliud enim est non esse *sub Lege*, ut *sub Fœdere* ad vitam ex ea acquirendam, ut erat Adamus; Aliud vero esse sub *Lege*, ut sub *Vitæ regula* ad mores pie et sancte componendos. Aliud est esse sub Lege, quatenus opponitur Evangelio, quoad rigidam perfectæ obedientiæ exactionem, et terribilem quam intentat peccatoribus maledictionem; Aliud vero esse sub Lege, quatenus illi subordinatur, quoad suavem directionem. Priori sensu non sumus amplius sub lege, utpote a cujus imperio et jugo Christus nos liberavit, sed posteriori illi adhuc obstringimur; Eadem enim Lex, quæ officium et obedientiam præscribebat Adamo in veteri Fœdere, manet adhuc sub novo, nec potest unquam abrogari, licet diversus sit utriusque finis; In illo quippe hoc facere debebat homo, *ut viveret* ad Juris acquisitionem; In isto *quia vivit* ad ejus possessionem, et grati animi testimonium.

XVI. Nec alio spectant verba Pauli, 1 Tim. i. 9, quum ait, "Justo Legem non esse positam." Nec enim hoc simpliciter et absolute est intelligendum, quasi fidelis sub gratia esset penitus exlex, alias frustra Apostolus alibi Legem fidei et charitatis nobis præscriberet, et perperam hoc in loco finem mandati dixisset esse charitatem ex corde puro et bona conscientia et fide ἀνυποκρίτῳ, et ver. 8, "Legem bonam esse si ea bene utaris:" Sed hoc secundum quid dicitur ratione scilicet *rigoris*, *minarum* et *maledictionis*, quas intentat contumacibus et ἀνυποτάκτοις, qui cum nulla justi cura tangantur, coercentur saltem aliqua pœnarum formidine, dum terribiles ejus sanctiones audiunt: At fideles, qui Spiritum servitutis non habent amplius ad timorem sed Spiritum adoptionis et libertatis, quique ut populus voluntarius, Psal. cx. 3, virtutis amore et sponte ad officium feruntur, non formidine pœnæ; Non amplius subsunt duræ illi et inexorabili dominæ, sed Legem regiam libertatis sequuntur, vitamque suam juxta ejus regulam componunt.

XVII. Perperam etiam hic ad *Libertatem Christianam* provocatur, quasi ea excludat bonorum Operum necessitatem; Alia enim est *Libertas Spiritus*, Alia vero *Carnis Licentia*. Ista quidem cum bonis Operibus est ἀσύστατος; Sed illa nequaquam, cum vera libertas in praxi pietatis et cultu Dei posita sit, *servire enim Deo, regnare est.* Itaque solvit nos quidem Libertas Christi, a jugo Legis maledicentis, a Tyrannide Diaboli, a Servitute peccati; Sed non eximit a necessitate obedientiæ Deo præstandæ, Imo vinculum nostri obsequii eo fortius astringit, quo magis Deo obstricti

sumus; Ut libertas a peccato inferat necessario servitutem gratiæ, quomodo servitus peccati antea trahebat post se libertatem a gratia: "Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ," Rom. vi. 18. Unde alibi Paulus tam sollicite libertatem Christianam distinguere solet ab effræni carnis licentia, Gal. v. 13, "Vos in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carni," et Pet. 1ª cap. ii. 16, "Quasi liberi, sed non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.

XVIII. Ex quibus ita discussis sponte jam fluit quod probandum suscepimus, bona Opera fidelibus omnibus esse ad salutem necessaria. Verum quia Adversarii clamitare solent, Nos quod una manu damus, altera auferre, ea statuentes, quæ necessitatem istam elevent et evertant, diluenda est paucis ista calumnia, et crassissimum mendacium. Bellarminus varia calumniæ fundamenta congerere conatur lib. iv. de Justifi. c. 4, 5, 6. Primum petit a communi dogmate quod tuemur; Quod *omnia opera Justorum sint natura sua peccata mortalia*, Unde sic colligit, Si Opera Justorum sunt peccata mortalia, Ergo non sunt necessaria ad salutem, imo fugienda sunt ut prohibita. Verum facile solvitur sophisma distinctione adhibita inter *peccatum per se*, et *per accidens*. Fateor sane, si Opera Justorum essent peccata per se, et sua natura; fore a nobis fugienda, adeoque non modo non necessaria fore, sed etiam ut prohibita et noxia fore rejicienda. Sed aliud est longe, si dicuntur tantum peccata per accidens, et secundum quid, Non ratione actus vel substantiæ Operis, sed ratione imperfectionis illi adhærentis, ob carnis reliquias in nobis manentes. Sic enim corrigenda quidem sunt pro virili, et repurgandæ sordes illis adhærentes, sed non ideo sunt fugienda ut illicita, vel neganda eorum necessitas, quæ non pendet ab eorum perfectione, sed a Dei præcepto, quod irritum esse non potest, licet sint exiguæ vires nostræ. Hanc autem esse mentem nostram, quum peccata ea vocamus, ut non sint per se talia, sed tantum per accidens ratione vitiositatis adhærentis, nemo est qui nesciat; Et Spiritum Sanctum sequimur, qui ita loquitur non semel, Isa. lxiv. 6, 1 Cor. xiii. 12, 1 Joh. i. 8. Unde bene concludas, Opera non mereri salutem, nec ad eam sufficere; Sed perperam cum Adversariis ex hac hypothesi colligas, non exigi, et non necessaria esse.

XIX. Alterum calumniæ fundamentum est "Justificatio per solam fidem. Si sola," inquit, "fides sufficit ad salutem," E. "reliqua Opera sunt supervacanea:" solam autem sufficere ad salutem sine operibus, ex eo colligit secundum nos, quia sine Operibus ad justificationem sufficit: Id quippe quod ad justificationem sufficit, sufficere etiam ad salutem; cum semel justificatus damnari non possit. Sed non meliori jure hoc obtruditur præcedenti; perperam enim hic confunditur Justificatio cum integra salute, quasi quod sufficit ad Justificationem, sufficiat ad salutem. Atqui multo plura requiruntur ad salutem, quam ad Justificationem; Ut aliud est Jus ad vitam habere, aliud vero de facto illam possidere. Ita Opera effecta sunt, quæ sequuntur justificationem, sed media quæ salutem antecedunt. Deinde licet Opera non sint necessaria *in actu Justificationis*, quia per solam justitiam Christi fide apprehensam obtinetur; necessaria tamen sunt in eo *qui justificatur*, qui illis carere non potest sine salutis dispendio; *non præcedunt Justificandum, sed sequuntur Justificatum*, ut ait August. Tertio, quum *fides sola* dicitur justificare, hoc ita intelligendum, quod sola conferat ad actum Justificationis, quia sola inter cæteras virtutes potest cum gratia consistere, Rom. iv. 16, utpote quæ sola habet vim receptivam et applicativam justitiæ Christi, qua justificatio nostra nititur, Joh. i. 12, Rom. v. 17. Sed non propterea sola

censenda est, id est *solitaria* et separata ab aliis virtutibus; ut oculus solus videt, sed non solitarius, id est revulsus a cæteris membris; Nec enim *fides quæ justificat* est unquam sine Operibus, licet *qua justificat* nihil cum Ope ibus commune habeat. Fidem ergo comitantur Opera, non ut *coëfficiant* Justificationem; Sed ut *coëxistant* in Justificato, non ut salutem acquirant, ut merita, sed ut nos ad eam ducant ut media.

XX. Tertio hoc evincere satagunt, Ex *Gratiæ*, cui totam salutem nostram acceptam ferre solemus, consideratione; Quasi vel fræna laxaret peccato, quia ubi "abundat delictum, ibi superabundat Gratia," Rom. v. 20, Vel Operum necessitatem tolleret, quia ipsa operatur in nobis velle et perficere, Phil. ii. 13. Sed primum est quod nos ex eo solemur, quod eædem, quæ nobis impinguntur hodie calumniæ, affictæ jam olim fuerint Paulo ejusque doctrinæ, Rom. iii. 31, et vi. 1, 15, quod argumentum est certissimum, nos eandem cum Paulo doctrinam amplecti, utpote quæ iisdem absurdis urgetur. Ut vero Apostolus talem calumniam fortissime a se repellit; et falsissime doctrinæ suæ impingi ostendit: Ita et nos iisdem uti armis par est ad tela ista retundenda, "Permanebimusne in peccato, ut gratia abundet? Absit, Nos qui mortui sumus peccato, quomodo in eo adhuc vivemus?" Quippe licet Gratia utramque paginam faciat in opere regenerationis, nihilque absque ea vel cogitare vel exequi possimus; hoc non obstat tamen, quominus studium nostrum illi adjungere teneamur; imo ita arcte semper inter se connectuntur *Gratia Dei* et *Officium hominis*, ut nunquam divelli a se invicem possint aut debeant, "Quia creavit te sine te," inquit Aug. "non te servabit sine te." Fateor in primo conversionis momento, peccatorem mere passive se habere, et nihil aliud posse quam gratiæ vim vivificam recipere; sed in progressu ex mortuo vivens factus debet membra sua sistere arma justitiæ Deo, et ambulare in novitate vitæ, Rom. vi. Si Deus in eo operatur, debet cum eo et sub eo operari ut ejus συνεργος, 2 Cor. vi. 1, si trahitur a Spiritu, debet currere per obedientiam, Cant. i. 9, si vocatur per Verbum, respondere debet per fidem: Quod Paulus citato loco, Phil. ii. 13, clarissime demonstrat, Studium hominis cum efficacia Gratiæ conjungens, dum ita commendat necessitatem bonorum Operum adversus profanam Libertinorum securitatem, ut Gratiæ virtutem adversus sacrilegam Pharisæorum superbiam potenter asserat; Ne putarent Gratiam Dei eos pigros et otiosos reddere debere, jubet operari salutem suam cum timore et tremore; Sed ne studium suum aliquam gloriandi in seipsis materiam dare crederent, vult meminisse, nihil posse se sine ipso, Deum esse qui in ipsis operatur velle et perficere, ut si quid operantur, non sibi sed Deo in solidum acceptum ferant, et cum Paulo dicant, 1 Cor. xv. 10, "Non ego, sed gratia Dei quæ mecum est." Componi ergo ista debent ut subordinaria, non opponi ut contraria. Atque hinc fit ut quæ Sanctificationem nostram describunt locutiones, illæ et gratiam Dei et officium nostrum exprimant. *Opus* est quod debemus perficere, Phil. ii. 13. *Talentum* quod tenemur excolere, Matth. xxv. *Semen* quod fructificare debet, Gal. vi. *Vita* quæ se in operationibus exerere tenetur, Gal. v. 24, Rom. vi. *Curriculum* quod absolvendum est, Heb. xii. 1, et *Lumen* quod non extingui, sed accendi magis ac magis, et prælucere debet, Matth. v. 16.

XXI. Quarto affertur Doctrina de *Electionis immutabilitate*, et *Salutis certitudine*, quasi iter ad Epicureïsmum, et effrænem peccandi licentiam: Nam si immutabilis est Dei Electio, et certa fidelium salus, ut nunquam ab ea excidere queant; facile videntur induci posse homines ad laxandas habenas carni, et genio indulgendum, hac spe freti, nihil ipsos, quicquid

egerint, a gratia Dei separare posse, cum immutabilis sit Dei Electio. Sic Remonstrantes in Collat. Hagi. et in Actis et Scriptis Synodalibus Dordracenis conantur Orthodoxorum sententiam infamare, Pontificiorum hac in parte vestigia prementes. Sed non semel a Nostris responsum, falsissimam esse, quæ ex verissimo hoc dogmate elicitur consequentiam. Licet enim non diffiteamur, Profanos posse salutari ista doctrina impie abuti ad propriam suam perniciem; Negamus tamen veros fideles, quibus Mysterii istius natura perspecta est, in impiam istam cogitationem unquam devenire posse. Quippe sciunt diabolicum esse Sophisma, in quo opponuntur componenda, et perperam finis a mediis et media a fine divelluntur; Certitudo nimir. Salutis a Sanctificationis studio, quasi illa istud everteret vel relaxaret. Cum contra sit certissimum, *Finis infallibilitatem* et certitudinem, non tollere sed stabilire potius *Necessitatem et usum Mediorum*, Et Deum qui nos ad salutem elegit, ut ad finem, elegisse etiam ad fidem et sanctitatem, ut ad media, Eph. i. 4, 2 Thess. ii. 13, 1 Pet. i. 2. Ita ut qui media neglexerit, finem assequi non valeat: Unde iidem Sancti qui certissime sibi spondent et constantiam in via, et fruitionem in patria, simul norunt hoc non præstari sine intermediis sanctimoniæ officiis, et oppositorum fuga; Ideoque mediis illis non valedicunt, sed sedulo incumbunt. Quis Paulo certior unquam de salute fuit? Rom. viii. 37, 38, 2 Tim. i. 12, et iv. 7, 8. Quis tamen eo diligentius sanctificationi incubuit, currendo, pugnando, et corpus macerando, ne dum aliis prædicat, ipse ἀδόκιμος inveniatur, 1 Cor. ix. 27, Phil. iii. 14? Ita fidelis, qui novit salutem sibi paratam esse et promissam; novit etiam non sine pietatis et bonorum operum praxi esse promissam; Ideo non separat quæ Deus conjunxit, et media sollicite sequitur, quibus finem assequatur. Hic ergo distinguenda *securitas carnis*, quæ feriatur, et otio segni vitam amat fallere, et *fiducia Spiritus*, quæ studium pietatis nutrit et fovet; Ut in urbe, alia est securitas hominum stupidorum, qui somno et vino sepulti stertunt, et incauti capiuntur: Alia vigilantium et excitatorum, qui excubias agunt, ne ex improviso ab hoste expugnentur. Sic Spiritus certitudinem generat non otiosam, sed efficacem, quæ extra studium sanctitatis, et usum mediorum a Deo constitutorum non potest exire in actum. Unde qui *metum diffidentiæ* et *desperationis* passim prohibet, ne dubitemus de certitudine salutis promissæ, Luc. xii. 32, Isa. lxiii. 1, 2, Rom. viii. 15; Idem *timorem cautionis et sollicitudinis* serio commendat, ne negligamus media a Deo nobis præscripta, Phil. ii. 12, Rom. xi. 20, Prov. xxviii. 14.

XXII. Atque hic manum de tabula poneremus, nisi remoram nobis injiceret Author Tractatus Gallici, qui novissime in lucem emissus est Parisiis in 4° sub hoc Titulo, "Subversio Doctrinæ moralis Christi ab Erroribus Calvinistarum circa Justificationem;" Ubi quia eandem calumniam magno molimine renovare satagit; Non erit, ut opinor, ἀπροσδιόνυσον ad majorem veritatis elucidationem, paucis quæ huc pertinent examini subjicere. Scopus Authoris est Doctrinam nostram de *Perseverantia et inamissibilitate Justificationis* traducere, tanquam Pietati et Sanctificationi noxiam, et quæ quibuslibet peccatis et sceleribus viam aperiat; Eoque potissimum nomine quod statuamus maxima et turpissima scelera non obstare, quominus fideles, qui ea perpetrant, Filii Dei et Justi semper maneant; Et eum in finem varia corradit, et detorquet Nostrorum loca, quibus intentum probet. Longum esset singula persequi, nec nostri nunc est instituti; sed ea tantum attingere animus est, quæ faciunt ad argumentum nostrum, quæ habentur lib. ii. cap. 8 et 9. Ubi suscipit probandum, dogma hoc nostrum enervare penitus studium pietatis, et necessitatem bonorum Operum tollere.

XXIII. Hoc vero ut probet, duo assumit a nobis recepta Dogmata; Prius de inseparabili nexu Fidei et Charitatis ac bonorum Operum; Posterius de Perseverantia Fidei, Virtutumque Christianarum, cum gravissimis sceleribus. Unde putat ideam Virtutis et Vitii ita confundi, ut utriusque ratio nulla amplius habenda sit, et sic Vitium Virtutis, et Virtus Vitii nomen obtineat, Quod hac ratione conatur evincere pag. 187, "Fides vera," inquit, "secundum Calvinistas est inseparabilis a Virtutibus Christianis, et per consequens a Castitate, Patientia, &c. At non raro contingit, ut fideles in adulteria varia et homicidia incidant, non amissa tamen fide. Ergo non amittunt etiam castitatem et patientiam adulteria et homicidia patrando; Atque ita sunt casti adulteri, et patientes homicidæ." Quod ita horrendum ipsi videtur, ut vel propter hoc unum doctrina nostra ipsi, piisque omnibus merito detestanda videatur. Verum hæc omnia, quæ speciose, et magno verborum apparatu proponuntur, facile solvuntur, si sincere et remota calumnia Sententia Orthodoxa attenditur: Ex qua quippe constabit, verissime ex Scriptura utrumque dogma asseri; Nec tamen nisi falsissime, quam inde nectant consequentiam posse elici.

XXIV. Atque hic ante omnia observare licet, iniquissime Nobiscum ab Authore agi. Quamvis enim istæ, quas ex doctrina nostra elicit consequentiæ, aliqua cum veri specie possent ex ea colligi, ut ipse arbitratur; Cum tamen non ignoret eas a Nobis, non modo non agnosci, sed constantissime rejici tanquam impias et falsissimas, imo anathema illis denunciari, qui pestifera ejusmodi dogmata in Ecclesiam inducere sustinent: Cum etiam constet, nihil non a Nobis fieri ad commendandam modis omnibus Sanctificationem, Et in ipsa Praxi, non minus, imo longe majus deprehendatur Pietatis, et vitæ, prout fert humana fragilitas, inculpatæ studium in Ecclesiis nostris, quam apud eos, qui suam a libero Arbitrio suspendunt Perseverantiam, et continuæ trepidationi mentes subjiciunt; Quo tandem jure pertendit, Doctrinam nostram propterea tanquam erroneam et pietati noxiam traduci posse? Quis nescit eum, qui dogma aliquod tuetur, non statim adoptare consequentias omnes, quæ ex eo vel vere vel falso colligi possunt, nec nisi injuste posse illi tribui; maxime quum protestatur, se eas toto pectore aversari, et alienissimas esse a mente sua, sive ab ea quam profitetur fide? Ita si nihil aliud occurreret, ex hoc uno injustitia criminationis Adversarii jam satis pateret. Quod si liberet recriminari, Quam potiori jure possemus Adversario reponere Theologiam Moralem, quæ apud Pontificios obtinet, qua Pietatis et Sanctitatis studium, non per consequentias, sed per ipsa dogmata, non tam relaxatur quadantenus, quam penitus enervatur, et corrumpitur in variis Capitibus, et peccata etiam gravissima, non tam extenuantur, quam approbantur, et licita redduntur, quod nemo sine horrore legere potest apud Amadæum Guimenium, Apologiam Casuïstarum, et Theologiam Moralem Jesuïtarum, et alia id genus Scripta, quæ vel Ecclesiæ totius sententiam referunt, vel præcipuorum ejus Doctorum, qui non modo in ejus sinu vivunt et tolerantur, sed et publice et voce et scriptis, sub oculis ipsius Pontificis, eoque non improbante, pestifera ista dogmata docent et tuentur.

XXV. Verum longe clarius calumnia patebit, postquam visum fuerit, falsissimam esse, quam nectunt ex Sententia hac nostra consequentiam, quæ nullis fidiculis ex ea deduci possit. Credimus sane fidelem semel justificatum, et in filiorum Dei numerum receptum, gratiaque regenerationis donatum, nunquam posse vel totaliter vel finaliter excidere a gratia; ut fiat mancipium Diaboli, qui antea fuit filius Dei, et exhæredetur in æternum, qui semel hæres Dei, et cohæres Christi factus est: Et quidni

credamus, cum Scriptura tot invicta hujus Veritatis argumenta, et immota fidei fulcra suppeditet? Quid enim aliud clamant, Vel "Electionis immutabilitas," 2 Tim. ii. 19, Matth. xxiv. 24, Rom. ix. 7. Vel "Meriti et Intercessionis Christi virtus," Joh. xvii. 20, Luc. xxii. 31, Rom. viii. 34. Vel "Spiritus Sancti nos obsignantis efficacia," Eph. i. 13, et iv. 30, 2 Cor. i. 21. Vel "Fœderis gratiæ æternitas," Jer. xxxii. 42, Isa. lix. 21. Vel "Promissionum divinarum fidelitas," Joh. x. 28, 1 Cor. i. 8, 9, et x. 13. Vel "Donorum salutarium immutabilitas, quæ ut *ἀμεταμέλητα*," Rom. xi. 29, non possunt a nobis auferri? Unde modo per "semen incorruptibile," 1 Pet. i. 23, quod semper manet in nobis, 1 Joh. iii. 9, modo per "vitam æternam," quæ deficere non potest, 1 Joh. v. 13, modo "per Aquam salientem in vitam æternam," Joh. iv. 14, modo per "Arborem, quæ non marcescit," Psal. i. et xcii., Jer. xvii., modo per "Domum," quæ non dejicitur, Matth. vii. 25, aliisque istiusmodi similitudinibus adumbrantur, quæ perpetuitatem eorum designant.

XXVI. Licet autem Fides justificans, et Gratia regenerans, per quas Fideles ex statu reatus et mortis in adoptionis et salutis statum transferuntur, sint inamissibles; Non tamen statim *ἀναμαρτησίαν* secum trahunt, ut omni peccato carere debeant, qui eas sunt consequuti: Imo, cum Opus regenerationis semper hic sit imperfectum, et Carnem cum Spiritu colluctantem fideles perpetim sentiant; fit ut non modo in leviora peccata subreptionis, infirmitatis, et ignorantiæ quotidie incidant; sed in atrocia peccata quandoque etiam prolabantur, quibus indignationem Dei paternam possunt incurrere, Psal. lxxxix. 31, reatum mortis contrahere, Rom. viii. 13, et præsentem ad regnum cœlorum aptitudinem amittere, Apoc. xxi. 27. Nec tamen propterea continuo, vel Jus ad Regnum Cœlorum semel datum reipsa tollitur, vel Adoptio abrogatur, vel Semen regenerationis aufertur: Unde quamvis fidelis eo modo peccans, si consideretur in se et in sensu diviso *qua Peccator*, suo merito recte dicatur damnandus; tamen in sensu composito, et *qua Fidelis* et Electus, ex Dei Electione et propter Christi meritum est absolvendus: Ut verissime dici possit impossibile esse, verbi gratia, ut David electus pereat; et impossibile esse pariter, ut David adulter et homicida, quo sensu fuit *Vir mortis*, id est reus mortis, si illum mors oppresserit impœnitentem, salvetur et non pereat; Interim quæ inter se arietare videntur, facile sapientia Dei admirabili, et gratiosa ipsius misericordia conciliantur; dum saluti fidelium ita prospicit, ut nemo Electorum in eo statu moriatur, in quo a gloria cœlesti excludendus esset, sed per pœnitentiæ et fidei actum renovatum redintegretur, ut redeat prius in viam quam ad metam perducatur.

XXVII. Si vero quæras, Quomodo hæc inter se possint consistere; Ut justi reputentur coram Deo, qui in seipsis æternæ mortis reatum contraxerunt, Et membra Christi maneant, qui fiunt membra Scorti: Facile est respondere, hæc *κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο* optime de eodem dici posse; Nam quid obstat, quominus ille qui *in se* spectatus quoad *proprium demeritum*, reatum mortis peccando contraxit, et dignus est qui gratia Dei et salute privetur; Idem tamen *in Christo* consideratus et propter *meritum ejus* ipsi imputatum ex Dei consilio, justus reputetur apud Deum, et Jus ad vitam æternam semper obtineat? Reatus enim hujus vel illius peccati, non statim abrogat statum personæ Deo per Christum reconciliatæ; tantum facit eo loco esse, ut tolli possit, et nisi mature subveniatur, tollendus sit; potest quidem effectum, et sensum justificationis a fideli ad tempus auferre, ne pace fruatur apud Deum; Sed non potest justificationis statum dissolvere, vel actum æterni beneplaciti, quo nos in Christo gratos habuit, refigere, vel

Jus ad Regnum cœleste semel collatum revocare, et rescindere, Quia non actionibus nostris, sed gratuita Patris dilectione, et nostra cum Christo conjunctione nititur; quæ cum sit immutabilis, et æterna, æternum etiam et immotum necesse est illud esse. Sic peccare quidem possunt et graviter filii Dei, ut in indignationem paternam incurrant, minime tamen ita eos peccare patietur Dei providentia et misericordia, ut orbentur patria, et Patre cœlesti. Pater quoties filio prodigo irascitur, toties illum non expungit ex filiorum numero, nec quum incipit severe castigare, desinit tamen sincere amare, Psal. lxxxix. 31, Heb. xii. 6. Idem de nostra cum Christo unione dicere licet; Fideles quum peccant, seipsos quantum in se est abscindunt a Christo, et desinunt esse demeritorie membra Christi; Sed Christus tamen jus suum, quod tam magno pretio mercatus est, non amittit, vel vinculum spiritualis matrimonii patitur actu abrumpi. Possunt ergo jure ac proprietate manere membra Christi, qui ex abusu et tantum de facto fiunt membra meritricis.

XXVIII. Quod autem de Justificatione et Adoptione dicimus; Id ipsum etiam in Regeneratione locum habet, quæ non statim per quodlibet hominis etiam grave peccatum deletur. Quia idem Spiritus, qui semen regenerationis cordibus renatorum infundit, illud perpetuo fovet et custodit, illique vim cœlestem et incorruptibilem imprimit ne deficiat. Unde inter dona ἀμεταμέλητα reponitur, et semper manere dicitur in fideli, 1 Joh. iii. 8. Non nego quidem, posse semen hoc ad tempus in terra retineri, ne foras exeat, et folia fructusque producat, durante hyeme tentationis; sed vita semper latet in radice; Actus fidei poterit intermitti, sed non habitus ipse excuti, ut ignis sub cineribus latens, qui etsi flammam non emittat, calorem tamen intus servat. Et ut vitæ hujus animalis idem non semper est tenor et vigor; sed sua nonnunquam patitur deliquia, quibus licet vis et sensus vitæ ad tempus intercludatur, ipsa tamen non statim extinguitur: Ita vita spiritualis in gravibus Sanctorum lapsibus sua habet deliquia, in quibus languet et præfocari videtur, sed non plane suffocatur tamen, vel extinguitur; sed per actus subsequentes fidei et pœnitentiæ instauratur, quotiescunque peccator ex tentatione eluctatur. Atque hic accurate distinguenda sunt ista duo, *In Carne vivere*, et *secundum Carnem ambulare;* Peccare, et Peccatum facere, labi in peccatum, et in illud toto impetu se agere præcipitem; Ut aliud est labi in lutum, aliud, se in lutum projicere, et ibi cum voluptate volutari, quorum in altero consilium vitæ, in altero casus; In hoc dura per fragilitatem nostram peccandi necessitas, in illo certa et destinata voluntas est. Prius bene de fidelibus dicitur; sed non posterius: Si enim peccant, nunquam pleno consensu et deliberata voluntate ac delectatione peccant, ut voluntas tota nonnisi peccato addicta sit, ut fit in iis qui artem peccandi exercent, et qui cum voluptate totos se carni tradunt, et ביד רמה *elata manu* peccare dicuntur, qui in Scriptura ideo *peccatores* κατ' ἐξοχὴν vocantur; Sed semper reluctantia quædam et dolor vel præcedit, vel sequitur, ut vel non sine renisu committant lugenda, vel si tentationum æstu abrepti ad peccatum feruntur nimio cum impetu, lugeant postea commissa, et serio de illis dolore afficiantur.

XXIX. Atque hinc non difficulter colligitur; quo pacto Fides cum peccatis gravibus subsistere queat; scil. Quomodo *contraria* in eodem subjecto stare possunt, sed in *gradu remisso:* Licet enim actus peccaminosi, dum sese exerunt in nobis, tollant revera actus justitiæ et fidei oppositos et habitus etiam ipsos non parum debilitent, non possunt tamen eos penitus evertere; vel impedire quominus in momentis subsequentibus per Spiritus eum excitantis gratiam in actum exeant, quemadmodum in con-

tinua inter carnem et Spiritum pugna: dum Spiritus prævalet in peculiari aliquo actu; Non statim propterea Caro penitus destruitur: Sic dum Caro victrix manet in aliqua tentatione, non illico Spiritum ejusque dona extinguit vel excutit. Possunt ergo Fides et charitas manere in fidelibus etiam peccantibus; Sed quoad actum primum, non secundum; Quoad semen et radicem; non quoad fructum; Quoad habitum, non quoad operationes et exercitium. Nec propterea, quod Author falso pertendit, dici debet fidelis adulterium vel homicidium patrans castus adulter, vel mitis homicida; quia gemini isti effectus geminum supponunt a quo oriuntur principium, Spiritum a quo opera fidei et charitatis manant; Et Carnem a qua peccata; Unde si adulterium vel homicidium patrat, non hoc operatur, qua Spiritualis, sed qua Carnalis. Hoc tantum bene poterit inde colligi, donum castitatis et mansuetudinis, quod per regenerationem obtinuit fidelis, non ita perfectum esse, ut excludat penitus vitia opposita, atque adeo, eo non obstante, manere semper in eo cum carne fomitem concupiscentiæ, qui sese non raro variis in actibus exerit, tum quoad θυμικὸν, tum quoad ἐπιθυμητικὸν; licet nec penitus habitus et dona Spiritus extinguat, nec finaliter illa excutiat, quia tandem fidelis, per spiritum facta corporis paulatim mortificando, et de his et de aliis peccatis id genus plenam victoriam reportat et ὑπερνικᾷ, Rom. viii. 37. Plura possent addi ad veritatis istius confirmationem; Sed hæc hactenus sufficere possunt ad demonstrandum quod intendimus, In doctrina nostra nihil esse quod Operum necessitatem, et studium pietatis tollat vel relaxet; Nihil esse contra, quod illud efficacissime non commendet.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE TRIBUS TESTIBUS CŒLESTIBUS.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE TRIBUS TESTIBUS CŒLESTIBUS.

Ex 1 Joh. v. 7.

Respondente Benedicto Picteto *Genevensi.*

I. Cum *hæc sit fides Catholica*, teste Athanasio, *ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate veneremur*, et augustum hoc Mysterium rationi inaccessum, et multorum hæreticorum veterum et recentiorum blasphemiis impetitum, præcipuum Religionis Christianæ constituat fundamentum; In id potissimum mens pia debet incumbere ut de veritate ejus in verbo proposita magis ac magis persuadeatur; et si τὸ πῶς non potest assequi, quod Creaturis negatum est, τὸ ὅτι tamen firmiter et inconcusse teneat.

II. Cum vero ex omnibus, quæ hoc docent mysterium Scripturæ Oraculis, nullum luculentius sit et illustrius celebri Joannis loco, ubi tres Testes Cœlestes testantes inducit, quem propterea orthodoxi semper tanquam palmarium hæreticis opposuerunt, et in cujus detorsione etiam adversarii omnem suam industriam et ingenii acumen collocarunt, ut ejus vim quacunque tandem ratione eluderent: Non ingratam et inutilem veritatis studiosis nos facturos rem sumus arbitrati, si paulo accuratius hac Academica velitatione in ejus sensum inquiramus, et veritatem sacrosancti istius mysterii adversus impias impurorum hæreticorum strophas vindicemus.

III. Verba Joannis sunt, 1ª Ep. Cap. v. ver. 7, *τρεῖς γάρ εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ Πνεῦμα ἅγιον, καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσι* "Tres enim sunt qui testantur in Cœlo, Pater, Sermo, et Spiritus S. et hi tres unum sunt." Scopus Apostoli est confirmare fidem Evangelii *de Divinitate Christi, et officio ejus Mediatorio.* Cujus a principio Capitis salutares fructus et effectus notaverat, quales sunt 1. Spiritualis regeneratio, et Dei ac proximi dilectio, ver. 1, "Omnis qui credit quod Jesus est Christus, ex Deo genitus est, et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit etiam eum qui genitus est ab eo. 2. Mandatorum divinorum observatio, ver. 2, 3. 3. Victoria de mundo, ver. 4, 5, "Quoniam quicquid natum est ex Deo vincit mundum, et hæc est Victoria quæ vicit mundum, nempe fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Dei Filium?" Quia vero plurimum intererat ejus certitudinem

in animis nostris confirmare, ostendit fidem istam fulcrum habere immotum in multiplici testimonio, quod Deus illi perhiberi voluit, tum in Cœlo, tum inTerra, quod invicte persuadere nos debet, Christum Dominum esse verum et æternum Dei Filium a Patre genitum, Redemptorem nostrum. Hoc autem Testimonium ita tractat, ut primo in genere de eo agat, ver. 6, quum ait " Spiritum testari, quod Spiritus est veritas," id. Spiritum in cordibus nostris obsignare, quod *Spiritus*, id. doctrina Evangelii de Christo ejusque beneficiis, quæ nomine *Spiritus* venit, 2 Cor. iii. 6, sit verissima; Deinde in specie et distincte de utrisque loquatur, et primo de cœlestibus, ver. 7, postea de terrestribus, ver. 8, atque ita fidem nostram tutissime in Christo solo quiescere doceat, cui non duo tantum, ut in Lege requirebatur ad rei alicui fidem faciendam, sed longe plures omni exceptione majores, Tres puta in cœlo, et Tres in terra testimonium reddunt.

IV. Quia vero Adversarii, ut facilius se ab Argumento, quod hinc nectimus ad probationem Trinitatis, expediant, solent objicere, locum esse supposititium et adulterinum, qui a Nostris sit insertus, nequaquam vero a Joanne perscriptus; Unde Socinus Commen. in h. l. expresse innuit verba ista "adulterina esse et ab hominibus, qui suum dogma de Trino et Uno Deo quacunque ratione defendere ac propagare voluerunt, in hunc locum infarta:" Cui succinunt Eniedinus in explicatione locorum, Smalzius contra Schopperum de Trini., Volkel. et alii. Canonica Oraculi istius authoritas est primo asserenda; Eo vel magis quod nonnulli etiam ex Pontificiis ut Cajetanus, Erasmus, et alii de loco isto ut dubio et suspecto loquantur, idque quia in variis Græcis Codicibus non invenitur, et in quamplurimis Latinis desideratur; Nec habetur in Textu Syriaco, Arabico, Æthiopico, illiusque Patres varii, Augustinus, Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, Nazianzenus, quum maxime illis adversus Arianos usui esse poterat, non meminerunt. Verum multa sunt, quæ loci istius αὐθεντίαν evincunt.

V. Primo, *fides probatissimorum et antiquissimorum Exemplarium*, quæ hic pro nobis aperte militant. Hieronymus, qui ex testimonio Augustini fuit Vir doctissimus, et trium linguarum peritissimus, qui et omnia fere ante illum Scripta Ecclesiastica legit, in prologo in Epist. Cano. ad Eustochium, refert, Codices omnes Græcos suo tempore versum hunc habuisse, et *hunc de Unitate Trinitatis locum ab infidelibus Latinis Interpretibus omissum queritur*. Erasmus fatetur extare in Codice Britannico vetustissimo, qui tantæ fuit apud ipsum authoritatis, ut versiculum istum in prioribus Editionibus omissum, in posterioribus accuratissima cura, ut ipse scribit, recognitis, restitueret. Laudatissimæ Editiones, Complutensis, Regia Antuerpiensis, Ariæ Montani, Rob. Stephani, Eliæ Hutteri, Valtoni, quæ probatissimis et vetustissimis Codicibus usæ sunt, retinent. Unde si in quibusdam desideratur, hoc fraudi et dolo malo Arianorum adscribendum est, qui textum hunc eraserunt, quia punctim transfigebat eorum hæresim; ut Hieronymus testatur. Secundo, *Textus ipsius connexio*, nam nisi admittatur hic versus, nullus erit sensus verborum sequentium; Et *tres sunt qui testificantur in terra*, quæ manifeste supponunt, Tres alios Testes præcessisse, qui non erant ex Terra, quod confirmatur ex ver. 9, ubi divini et humani testimonii fit mentio, "Si testimonium hominum accipimus, Testimonium Dei majus est;" Annon vero hæc collatio supponit Dei testimonium æque ac hominum. Tertio *Patres* versum hunc retinent et laudant; Cyprianus lib. de Unit. Eccles. dicit, "Dominus, Ego et Pater unum sumus, et iterum de Patre et Filio et Spiritu S. scriptum est, Et hi tres unum sunt." Athana. Disputatione contra

Arium in Synodo Nicæna privatim habita, et lib. i. ad Theophil., Idacius adversus Varimandum, Fulgentius in responsione ad objecta Arianorum &c. Quarto, *fidei analogia* et locorum *parallelorum* collatio, quæ confirmant quod hic dicitur, tum de testimonio, tum de unitate trium istorum Testium, Joh. v. 36, 37, et viii. 17, 18, et x. 36, 37, et xv. 26, 27, et xvi. 13, 14, 15. Quinto, cum hic versus vel ab Arianis sublatus fuerit, vel ab Orthodoxis additus, prius illud multo probabilius est, sive enim *casui* hoc est adscribendum, proclivius fuit in describendo aliquid omittere, quam integram pericopen textui inserere, sive *dolo*, credibile est, hujus reos fuisse Arianos potius quam Orthodoxos, tum quia sæpius hac in parte patefacta est fraus hæreticorum, et Arianorum inprimis, qui alia Scripturæ loca mutilarunt, ut notat Ambrosius de fide v. 7, et de Spiritu Sancto iii. 11 ; tum quia e re ipsorum magis erat locum hunc eradere, quam Orthodoxis illum addere, quia si genuinus fuit, ex eo illorum hæresis prorsus evertebatur; si vero supposititius, non inde periclitabatur doctrina Orthodoxorum circa Trinitatem, quæ ex aliis Scripturæ locis luculenter probatur. Unde omnino verisimile est hoc ab Arianis factum ; ut Socrates observat histo. Eccles. lib. vii. c. 32, et Tripar. xii. veteres Interpretes significasse, quosdam fuisse, qui Epistolam hanc primam Joh. depravarunt, quo in Christo hominem a Deo separarent. Nec hoc difficile fuit Arianis, dum Imperatores erant Ariani, et Episcopi, pulsis Orthodoxis, totum pene orbem occupabant.

VI. Hic vero nec *Codicum varietas* opponi debet, quia longe plures et probatiores retinent, quam omittunt: Nec *Versionum* Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ *authoritas*, quia fontibus æquiparari non debent, et satis constat eas esse recentiores. Nec *prætermissa Veterum citatio*, quia hoc potest tantum innuere, in Codicibus Græcis et Latinis quibus usi sunt, locum defuisse ; sed nulla veritatis specie potest colligi esse ὑποβολιμαῖον, cum vel Librariorum negligentia omitti, vel Arianorum malitia eradi potuerit. Nec *Contextus ipsius series*, qui Testium quidem terrestrium, aquæ, sanguinis, et Spiritus, de quibus loquutus fuerat, ver. 6, descriptionem postulabat, non vero cœlestium qui huc non pertinebant ; Nam ex copula quæ ver. 8, additur, σχέσιν ad Testes cœlestes jam probavimus. Et cum ageretur de confirmatione primarii fundamenti Religionis Christianæ, imo totius Evangelii, potuit nec debuit omitti summum illud et irrefragabile Testimonium, quod singulæ Trinitatis Personæ ad fidei nostræ fulcimentum protulerunt.

VII. Asserta vero loci istius Authoritate Canonica, Verborum sensus jam venit enucleandus, ubi tria expendenda sunt, *Testium* istorum *Natura*, *Operatio*, et *Unitas*. *Natura* quinam sint ostendet, *Pater* scilicet, *Sermo* et *Spiritus S*. *Operatio* quid faciant docebit, nimir. quod *testentur* in cœlo. Et *Unitas* consensum et ὁμοουσίαν probabit, quod *sint unum*. Quoad prius, ut in Testimonio non tantum *quid* dicatur, sed etiam vel maxime *quis* dicat attendi solet et debet, Ita Joannes designat eos nomine *Patris*, *Sermonis*, et *Spiritus Sancti*, quibus Tres Personas Sacrosanctæ Trinitatis intelligendas esse omnes Orthodoxi unanimi consensu fatentur, quæ subsistendi quidem modis distinctæ, sed essentiæ ratione unus sint et æternus verus Deus. *Pater*, qui primam personam notat, non sumitur οὐσιωδῶς relate ad Creaturas, quó sensu ad totam Trinitatem pertinet, et sæpe usurpatur in Scriptura, quando Deus dicitur Pater omnium Creaturarem tum rationalium tum irrationalium, Job. xxxviii. 28, Mal. ii. 10. Sed ὑποστατικῶς pro prima Trinitatis Persona, quæ ex se Filium suum ab æterno ineffabili ratione genuit sibi coæternum et coëssentialem ; De qua, quia nulla lis nobis movetur ab

Adversariis, plura non addimus, ut de secunda Persona, quæ hic per Λόγον describitur, et de qua controvertitur inter nos et ipsos, dicamus.

Quare Filius dicitur Λόγος.

VIII. Vox Λόγος peculiari ratione a Joanne videtur selecta ad designandum Filium Dei; unde sæpius eam usurpat, potissimum in ipso Evangelii initio, c. i. 1, 2, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, *In principio erat Sermo*, &c. Et ver. 14. Et *Sermo caro factus est.* Sic c. 1, ver. 1, Epist. i, "Quod erat a principio, quod audivimus, quod vidimus περὶ τοῦ Λόγου τῆς ζωῆς de Verbo vitæ." Et Apoc. xix. 13, dicit nomen Filii Dei, qui ipsi apparuerat, esse ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, *Sermo Dei.* Nec apud Joannem solum vox ista occurrit, sed et apud alios quamvis rarius, eo enim omnino respicit Lucas, cap. i. 2, "quemadmodum tradiderunt nobis, qui a principio spectatores et ministri facti sunt τοῦ Λόγου." Paulus non obscure eo alludere videtur Act. xx. 32, quum commendat Pastores Ephesinos *Deo* et *Sermoni gratiæ ipsius*, quod de Evangelio minus commode diceretur; at de Dei Filio commodissime; Et Heb. iv. 12, ubi "vivum esse Sermonem Dei docet, et penetrantiorem quovis gladio ancipiti," &c., quamvis enim hoc vulgo nec male de Verbo Dei Externo intelligi possit; tamen quæ adduntur ver. 13, "nullam Creaturam esse, quæ conspicua non sit coram eo," ostendunt in Christo demum perfecte impleri, ad cujus descriptionem postea ver. seq. descendit. Nec in Novo Testamento demum hæc appellatio locum habuit; sed jam sub V. T. obtinuit, a quo Apostoli potuerunt illam haurire, hinc, Psal. xxxiii. 6, *Verbo Jehovæ Cœli* dicuntur *facti*, non tantum externo et προφορικῷ mandati, sed Verbo essentiali et personali, quo omnia condita esse Joannes testatur; et Hag. ii. 5, "Ego sum vobiscum, inquit Jehova, Verbum, quod pepigi vobiscum, et Spiritus meus stat in medio vestri, ne timeatis;" ubi tres Personæ notantur; Prima, quæ nomine Jehovæ designatur, Secunda, quæ per Verbum, per quod Deus fœdus cum populo pepigit, et alibi Angelus fœderis vocatur, Et Tertia per Spiritum, qui in ipsis habitabat. Atque hinc factum, ut Chaldæus Paraphrastes multis in locis, quæ de Messia loquuntur, pro Jehovæ nomine מימרא id. λόγον substituerit, ut observat Galatinus, lib iii. c. 4, et 5. Ut valde verisimile sit Joannem eo respexisse, et voluisse Filium Dei designare ab ipso initio Evangelii nomine Λόγου, respondente usitatæ illi voci Chaldaïcæ מימרא, qua Deus designabatur, ut jam eo ipso demonstraret contra Ebionem et Cerinthum verum esse et æternum cum Patre Deum.

IX. Si jam de ratione nominis istius quæratur, variæ sunt Doctorum sententiæ, quas persequi nostri non est instituti; convenientissima videatur ea, quæ petitur ex usu vocis λόγου; λόγος enim proprie *sermo* est seu oratio, quæ ore profertur, et vocari solet sermo προφορικὸς, et per metaphoram ad animum refertur, et modo *cogitationem* notat, quæ est tacita quasi mentis oratio, et dicitur λόγος ἐνδιάθετος; modo ipsam *rationem* seu cogitandi facultatem, quo sensu Aristoteles distinguit inter τὸν ἔξω et τὸν ἔσω λόγον. Ut vero in Deo Verbum duplex possumus distinguere, Aliud οὐσιώδη, seu *essentiale*, aliud ἐπουσιώδη, seu *accidentale*, quod concipitur ad modum qualitatis in Deo: De utroque significatio gemina τοῦ λόγου potest commode usurpari. Nam si de verbo accidentali loquimur, aliud est *internum mentis*, quod nihil aliud est quam ipsius *Decretum*[1] quod sæpe per λόγον exprimitur; aliud *externum oris*, quod est ipsius decreti seu voluntatis Divinæ declaratio in Verbo proposita. Sic *Verbum essentiale*, Filius Dei, duplici de causa potest dici Λόγος, 1. ratione *Personæ* et modi subsistendi, quia est Sapientia Patris æterna; 2. ratione *Officii*, quia est Internuncius Patris voluntatem ejus nobis declarans, quod utrumque Joannes

innuit. Prius, quando dicit Λόγον fuisse apud Deum, et fuisse Deum, ver. 1. Posterius, quum addit eum Deum nobis revelasse, ver. 18. Dico *Ratione Personæ*, Λόγος internus et mentalis est, qui genitus est ab æterno a Patre, et illi est similimus, ut ratio a mente emanat, et illam refert, quod Nazianz. Orat. 2, de Filio, quæ est 4. de Theol. observat: "Videtur mihi λόγος dici, quia se ita habet ad Patrem λόγος, ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis expertem, sed etiam propter conjunctionem et vim enuntiandi, quia est imago et character Patris qui genuit, qui totum in se ipso Patrem exhibet, ut sermo mentis cogitationem totam repræsentat," &c. Atque ita Filius κατὰ τὸ ἔσω dicitur λόγος, 1. *ratione principii*, propter Filii a Patre generationem, ut sermo a mente gignitur; 2. *ratione modi*, propter æternam sine passione et alteratione a Patre emanationem, ut sermo a mente natura emanante; 3. *ratione repræsentationis*, quia perfectissime exhibet nobis Patrem, ut sermo mentem; 4. *ratione conjunctionis*, quia ut mens non est sine verbo; Ita nec Pater sine Filio; Quamvis fatendum sit hæc longissime subsidere infra tanti mysterii Majestatem.

X. Secundo dicitur Λόγος κατα τὸ ἔξω, *ratione Officii et proprietatis personalis* in operando. Quia ut Pater operatur per modum consilii et decreti interni, Spiritus sanctus per modum Virtutis exequentis: Ita Filius per modum sapientiæ et verbi declarantis, tum in ordine naturæ per providentiam generalem, tum præcipue in ordine gratiæ ratione officii Mediatorii, in quo quemadmodum sermo mentem et cogitationem internam repræsentat; Ita Christus est Interpres voluntatis Patris, qui nobis Patrem declarat, Joh. i. 18, et per quem Pater nos alloquitur, Heb. i. 1. Atque ea de causa non ita proprie Λόγος redderetur per Rationem seu cogitationem simpliciter; Vel per Orationem tantum, quia in istis vocibus una tantum σχέσις exprimitur, sed longe commodius *per Verbum* seu per *sermonem*, (Nam verbum et sermonem hic non differre censemus, quicquid Bellarm. et alii sentiant) quia uterque respectus includitur, nam *verbum internum et mentale* refertur ad Personam, *Verbum* vero *externum* et *orale* ad Officium.

XI. Quamvis vero quæ istæ σχέσις in Λόγου nomenclatione concurrant, fatendum tamen secundariam tantum et minus præcipuam esse eam, quæ petitur *a Munere Christi*, primariam vero desumi ab ipsa Λόγου personalitate et generatione. Quod observandum contra Socinum ejusque asseclas impios, qui volunt Λόγον dici tantum ratione *muneris Prophetici*, quia Christus homo is fuit, per "quem primum Deus perfectissimam voluntatem suam nobis declaravit," ut habet Volkelius, lib. iii. cap. 3, et lib. v. cap. 10. Nam si Christus ideo tantum diceretur Λόγος, quia fuit voluntatis divinæ apud homines Interpres, posset idem nomen etiam Mosi, et aliis prophetis suo modo tribui, quorum opera Deus usus est ad voluntatem suam hominibus revelandam, quod tamen nusquam fieri videmus: Imo nomen hoc velut proprium et incommunicabile cæteris semper ipsi tribuitur. Deinde cum juxta Socinum munere hoc prophetico Christus non cœperit defungi nisi post nativitatem suam, imo et post baptismum; nomen hoc illi tantum tribuendum esset ab eo tempore; cum tamen Joannes jam ab ipso mundi principio Λόγον fuisse declaret, Joh. i. 1, "In principio erat Sermo." Nam quod hæreticus hoc ad principium Evangelii, et novam creationem referre vult, pluribus rationibus gravissimis refelli potest: 1. Quia vox *principii* absolute posita in Scriptura sine ulla limitatione, quoties de tempore agitur, initium temporis seu mundi notat, nisi sit aliquid quod indicet eam κατὰ τὶ intelligendam esse, quod hic non occurrit. 2. Creatio illa hic intelligitur, per quam omnia sine exceptione facta sunt, et ipse mundus, qui Christum non cognovit, ver. 3, et 10, quod de prima

tantum, non de secunda creatione dici potest. 3. Manifestum est Joannem hic alludere ad historiam creationis a Mose relatam, Gen. i. Itaque Sermo de quo loquitur, non alius est, quam ille ipse per quem Deus dicitur omnia condidisse; Alias si alium aliquem sermonem designare voluisset, Cur Sermonis voce uti voluit, et nihil addidit ad tollendam æquivocationem, quæ in errorem manifestum potuit inducere lectorem, ut crederet Hominem Jesum, qui dicitur Sermo, jam fuisse in principio mundi, et omnia condidisse? 4. Quoties Scriptura de nova creatione agit, toties aliquam restrictionem adhibet, ex qua facile colligitur, ut 2 Cor. v. 17, "Nova Creatura dicitur," et Eph. ii. 10, "Creari dicimur in Christo;" At hic nihil tale. 5. Si Joanni propositum fuisset agere de Christo Homine, debuisset statim ab initio referre ejus nativitatem, de qua agit tantum, ver. 14, quum ait "Sermonem hunc Carnem factum esse:" Sed clarum est scopum Joannis fuisse describere Personam Christi, partim ab eo quod per incarnationem factus est; Unde quod ad prius usurpat verbum substantivum ἦν *Erat*, quod existentiam præcedentem notat: At quoad posterius utitur verbo ἐγένετο. Quare vero Joannes quum de Sermone loquitur, verbum ἦν octies usurpavit, ἐγένετο nunquam; At quum de incarnatione loquitur, non dicit ἦν, sed ἐγένετο? Nimirum quia Caro est res facta, Sermo non item; Sermo est Deus, Lux, Vita, &c., natura sua et semper: At Caro factus est tantum in plenitudine temporum. Ex quibus ne plura jam addamus, quæ nos ab instituto longius abducerent, patet Christum Sermonem dici, non ratione muneris tantum prophetici, quod vellet Socinus, sed etiam et quidem præcipue ratione personæ et generationis æternæ.

3. Testis Spiritus Sanctus.

XII. Tertius Testis est *Spiritus Sanctus*, Tertia nimirum Sacrosanctæ Trinitatis Persona, Cui nomen *Spiritus* tribuitur non οὐσιωδῶς et absolute, quomodo Deus dicitur Spiritus, Joh. iv. quia est essentia spiritualis et incorporea; sed ὑποστατικῶς et relate ad Patrem et Filium, ratione *modi subsistendi*, quia a Patre et Filio per spirationem procedit; qui peculiari ratione, partem expressa, "Spiritus Dei," Gen. i. 1, 2, et "Spiritus Sanctus Dei," Psal. li. 11, Eph. iv. 30, partim suppressa, *Spiritus*, Joh. iii. 5, 6, et *Spiritus Sanctus* dicitur, Matth. i. 18, *Sanctus* non modo *in se* formaliter sanctissimus, sed et efficienter in nobis, quia omnis Sanctitatis est author, cui singulariter et per appropriationem opus *Sanctificationis* tribuitur in Oeconomia salutis, ut Patri Electio, et Filio Redemptio vindicatur. Fateor aliquando Spiritum pro donis ejus sumi; sed quia hic in eodem ordine cum Patre et Verbo locatur, non accidentaliter et qualitative, sed *personaliter* debet intelligi.

XIII. Ut vero Tres istæ Personæ triplicem obtinent in negotio salutis operationis modum; Ita peculiari ratione Triplex Testimonium illis assignatur, τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῷ, *Tres sunt qui testantur in Cœlo, Pater, Sermo, et Spiritus Sanctus.* Deus qui se nunquam ἀμάρτυρον reliquit in natura, Act. xiv. 17, multo minus in gratia ἀμάρτυρος esse voluit. Et licet Verbum ejus per se αὐτόπιστον nulla egeat in se confirmatione, ut tamen infirmitati nostræ et fragilitati se accommodaret, illi voluit fidem indubitatam facere Testimonio multiplici; ut si ex Lege in ore duorum vel trium Testium omne verbum confirmatur; De veritate Evangelii, cui tot Testes divini omni exceptione majores fidem faciunt, nullus dubitandi locus superesse possit aut debeat. Dicuntur *testari in Cœlo*, tum ut innuatur, eos non terrenos, sed cœlestes esse, tum ut indicetur cœlitus hoc testimonium ab ipsis perhiberi. Testimonium autem illud cœleste potest spectari, vel conjunctim, vel seorsim. Aliquando Pater, Sermo, et Spiritus S.

simul testantur; Ut in Christi Baptismo, ubi Pater de cœlo loquitur, Filius e Jordane ascendit baptizatus, et Spiritus S. de cœlo descendit, et super Filium quiescit, Pater auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus Sanctus cognoscitur in columba, quod testimonium tanti fecit Augustinus, ut negantes Trinitatem, ad Christi baptismum soleret ablegare, *Abi Ariane, ad Jordanem, et videbis Trinitatem.* Ita in Transfiguratione Tres isti Testes Christo testimonium perhibent, *Pater* voce cœlitus edita, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, hunc audite,* quam vocem cœlitus emissam fuisse a magnifica gloria testatur Petrus, cap. i. 2[dæ] ver. 17, *Filius* per transfigurationem, in qua divinam Majestatem exhibuit, cujus αὐτόπται fuerunt Apostoli, ibid. ver. 16. Et *Spiritus Sanctus* loquens in Mose et Elia de ejus morte. Eo etiam pertinet baptisma fidelium a Christo institutum, in quo Pater, Filius, et Spiritus Sanctus in quorum nomine baptizamur, eandem veritatem confirmant; Ideo enim Sacramentum hoc in Nomine S. Trinitatis administratur, ut mysteria Evangelica, et gratia salutaris in Christo nobis obsignentur.

XIV. Veritas autem Triplicis istius Testimonii pendet ex Triplicis operationis ad Redemptionem nostram necessitate, quæ tribus S. S. Trinitatis Personis competere distincte debuit. Nam ut salus primo debuit destinari, Secundo destinata acquiri, Tertio acquisita applicari: Ita *Destinatio ejus*, ut primus actus Redemptionis, *Patri*, qui prima est Persona, tribuitur; *Acquisitio*, qui secundus fuit, pertinuit ad *Christum* Mediatorem, qui secunda; et *Applicatio*, qui postremus est, ad tertiam Personam, *Spiritum* scili. sanctificantem. Pater *de nobis* statuendo, Filius *pro nobis* satisfaciendo, Et Spiritus *in nobis* operando. Hinc triplici illa operatione testantur tres illi Testes, Pater *missione Filii* in Mundum pro nobis, Filius *incarnatione* sua et passione moriendo pro nobis, et Spiritus Sanctus *vocatione efficaci* et *regeneratione* operando in nobis. Pater mittendo Filium testatur se illum dedisse in Redemptorem nostrum, qui peccata nostra deleret et nos sibi reconciliaret. Filius carnem nostram assumendo, testatur se esse Vadem et Caput nostrum, qui factus est nobis similis, ut esset גאל noster, et pacem per sanguinem faceret. Et Spiritus Sanctus gratiam Patris et meritum Filii nobis applicando, testatur de utriusque veritate et certitudine, ut dubitare non possimus, quin salus a tribus istis divinis Personis nobis dispensata, consummatissima sit et absoluta omnibus numeris. Hic porro trium istorum divinorum Testium concursus eo pertinet, ut sibi invicem respondeant, tum in testando, tum in operando, nec latior sit peripheria operationis unius præ alio in salutis negotio; sed idem objectum sibi proponant, et eundem scopum respiciant, ut nemini destinetur a Patre salus, cui non acquiratur a Filio, neminique acqniratur a Filio, cui non applicetur a Spiritu S. et vicissim quoscunque sanctificat Spiritus, ii et a Christo sint redempti, et a Patre electi.

Quid et Quomodo Pater testetur.

XV. Verum ut distincte de triplici isto testimonio dicamus, primo videndum *quid* testentur, Secundo *quomodo?* Et ad testimonii substantiam quod attinet, Joannes satis aperte eam designavit in versibus præcedentibus, 5 et 6, et clarius adhuc describit in sequentibus, ver. 10 et 11, quum illud refert, partim ad mysterium *divinitatis* Christi, ut credamus illum esse Filium Dei verum, et æternum cum Patre Deum, ver. 5, "Quis vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse Filium Dei?" partim ad mysterium *Redemptionis*, ut persuasum habeamus illum esse verum Messiam prædictum in V. T. qui debuit servare populum suum a peccatis suis; Utrumque enim ab hæreticis, quos hic oppugnat Joannes, negabatur. Ideo dicit, ver. 6, *Hunc esse qui venit*

per aquam et sanguinem, nim. ad plenam purgationem peccatorum faciendam, *per sanguinem* ad reatus ablationem, *per aquam* ad maculæ ablutionem, per meritum sanguinis ad justificationem, et per efficaciam Spiritus ad sanctificationem. Nec alio respicit quod addit, ver. 11, "Hoc esse testimonium Dei, quod Deus dederit nobis vitam, et quod hæc vita sit in Filio ejus." Nimirum ut doceat Dei charitatem erga nos in eo patefactam esse, quod nobis, electis scil. et fidelibus, (nec enim aliis vitam largitur,) vitam dare voluerit, et non alibi quam in Christo vitam istam locaverit, ut sic reipsa agnoscatur unicus et perfectus Ecclesiæ Redemptor, extra quem nulla vel sperari, vel haberi potest salus. Hæc est summa Evangelii, quæ nobis credenda proponitur, et cui, ad plene firmandam fidem nostram, ne ulla dubitandi causa supersit, tam irrefragabile testimonium perhiberi voluit et in cœlo et in terra. Quomodo autem testimonium istud Christo a testibus istis cœlestibus sit redditum, si quæritur, Non difficile est respondere, factum id bifariam, et *verbo* et *opere*. Et ad Patrem quidem quod spectat, non semel inducitur testans de Christo; Joh. v. 37, "Qui misit me Pater, ipse de me testimonium perhibuit," et Joh. viii. 18, "Testimonium perhibet de me qui misit me Pater," quod fecit, Tum *Verbo*, partim immediate, voce cœlitus audita non semel, Matth. iii. 17, et xvii. 5, Joh. xii. 28, partim *mediate* per oracula Prophetarum, et V. T. scripta quæ de Christo testabantur, Joh. v. 46, Act. x. 43, et per Joh. Baptistæ testimonium, Joh. i. 6, 7, "Fuit homo missus a Deo, cui nomen Johannes, Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine," &c.; Tum *Opere* per opera illa varia, quæ in gratiam Christi fecit, imo quæ per Christum ipsum et in Christo præstitit, Joh. xiv. 10. "Pater in me manens ipse facit opera;" Cur enim virtutem suam et gloriam Christo dedisset ad patranda tot tantaque miracula, nisi ut divinitatem vocationis ejus confirmaret, et quodam veluti sigillo apposito obsignaret, Joh. vi. 27? Sed magnum et admirabile opus Patris, quo de Christo et ejus Evangelio testatus est, fuit procul dubio missio ejus in mundum quæ nobis luculenter summam ejus erga nos charitatem, et divinam salutis dispensationem exhibuit.

Quomodo Λόγος et testitur.

XVI. Secundus *testis* Λόγος est, qui non semel hoc nomine designatur in V. T. Isa. lv. 4, "En testem nationum constituo eum," et in Novo tum hic, tum Joh. iii. 11, et Apoc. iii. 14, "Testis fidelis et verax, qui in id genitus est et venit in mundum, ut testimonium redderet veritati," ut profitetur coram Pilato, Joh. xviii. 37. Testatus est autem Christus λόγῳ καὶ ἔργῳ dictis et factis; Et *dictis* primo, quando evangelium suum ex sinu æterni Patris nobis attulit, et voluntatis ejus fuit interpres, per quem Pater nos est alloquutus, Joh. i. 18, Heb. i. 2. Hinc ipse testatur, se quod vidit et audivit testari, Joh. iii. 11, 31, et Pater ipsum audiendum esse cœlitus denunciat, Matth. xvii. 5, *Hunc audite*. Testatus est secundo *verbo*, quum toties se Dei Filium, Christum Domini, a Patre missum et sanctificatum ad opus redemptionis significat, Lucem mundi, Panem vitæ, Messiam, qui expectabatur, viam, veritatem et vitam, &c., Joh. iii. et iv. et v. et viii. et x. 30, 35, 36, et xiv. 5, 6. Neque hic opponendum, testimonium hoc Christi esse de se ipso, atque adeo non admittendum, ut ipse fatetur, Joh. v. 31, "Si testor de me ipso, testimonium meum verum non est;" hoc enim non absolute et simplicitur, sed κατα τι tantum intelligendum esse, docet locus alter Joh. viii. 14, "Etsi testor de meipso, testimonium meum verum est," cum quo aperte pugnaret, si præcise et ad literam urgeretur. Itaque ad hominem argumentatur Christus, et per

concessionem, juxta mentem eorum cum quibus agebat, qui eum ψιλὸν ἄνθρωπον existimabant, Si testor, inquit, de me ipso, eo quo creditis modo, quasi homo merus, proprio arbitrio, et sine mandato Patris; fateor testimonium meum non fore verum. Sed Joh. viii. loquitur ex rei veritate, dicitque testimonium suum fide dignum esse, quia ipse verax sit, nec a se ipso venerit, sed a Patre qui secum testetur. Hoc vero Christi testimonium de se ipso tantæ fuit evidentiæ et certitudinis, ut nulla sophistica eludi potuerit. Nam si Christus non fuisset verus Dei Filius, qualem se profitebatur, omnium qui vixerunt, absit blasphemia, Impostor maximus, et Deo contumeliosissimus fuisset, qui toties ea de Deo, de se, de nobis quæ falsissima sunt assereret. At in confesso est, fatentibus ipsis Judæis, Ethnicis, Mahumetanis, summam vitæ puritatem conjunctam cum constanti animi integritate in eo refulsisse, quæ arcent omnem ejusmodi suspicionem. Si Christi testimonium non fuisset verum et αὐτόπιστον, An credibile est Deum, qui gloriæ suæ vindex est acerrimus, tam impudenti mendacio calculum suum appositurum fuisse, et virtutem suam et authoritatem gloriæ suæ raptori et usurpatori commodaturum fuisse? Annon potius vel per prophetas olim prædixisset, vel prophetis excitatis coarguisset, vel in tantum scelus gravissimo aliquo supplicio animadvertisset; ut olim angelum de affectata Dei æqualitate tam graviter punivit? Cum contra pateat seculorum decursu doctrinam ejus crevisse, et totum terrarum orbem replevisse, ut e fonte prosiliens aqua rivis confluentibus, quæ ad talos pertingebat, ad genua, pectus, et caput ipsum attollitur. Si Jesus non fuisset a Deo, quomodo nomen ejus et dignitas emergere potuisset inter tot reges et principes, qui perdere ipsum enitebantur? Quomodo suffocata non fuisset et extincta ejus doctrina ingenti persecutionum æstu? At fides ut aurum igne excoquitur, et non consumitur, in gravissimarum tentationum fornace constituta permansit, et evasit victrix et triumphatrix; Toties cribrata et excocta, tot experimentis probata,

Ceu duris ilex tonsa bipennibus,
Ab ipso duxit opes animumque ferro.

Quæ omnia luculenter evincunt, Testimonium Christi, quod per verbum suum nobis reddidit, indubitatum esse et divinum. Huic porro orali testimonio, addi possunt variæ Christi apparitiones, quibus se videndum et audiendum præbuit ad confirmationem evangelii sui, ut quum visus est Stephano Protomartyri, Act. vii., Paulo quum eum convertit, Act. ix. 1 Cor. xv., et Joanni Theologo sæpius in insula Pathmos, Apoc. i. 2.

XVII. Sed Christus non tantum verbo, sed *opere* potissimum testatus est, "Opera quæ facio testantur de me, quod Pater me miserit," Joh. v. 36, "Si non vultis credere mihi, credite operibus," Joh. x. 37, 38, "Credite quod Ego sum in Patre et Pater in me, sin minus, credite operibus," Joh. xiv. 11. Ut enim sanguis Abelis clamat, Heb. xii. 24, et opera Dei gloriam Creatoris enarrant, Psal. xix. 1, Ita opera divina Christi luculentum illi perhibent testimonium, Imo disertiora sunt quavis concione. Hinc factum ut Christus hoc unum testimonium de se ipso tanquam argumentum certissimum Joannis Baptistæ proposuerit Matth. xi., quum discipulos a Joanne missos, ut inquirerent an esset Messias, an alius quis expectandus esset, cum hoc responso remittit, "Renunciate Joanni quæ videtis, et auditis, cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui suscitantur et evangelium annunciatur pauperibus." Cum enim prophetica oracula Messiam hisce notis et characteri-

bus, ut θαυματουργὸν non semel descripsissent, Isa. xxxv. et lxi., Christus non potuit certiori argumento se Messiam esse comprobare, quam talia opera præstando, quæ in ipso compleri oracula illa, demonstrabant clarissime. Nam qui tot, tantaque miracula præstat, Ille vel potentia summa præditus est supra naturam omnem, vel potentia divina utitur libere: Qui αὐτόθεος est opere, Idem debet esse αὐτόπιστος verbo. Qui facit quicquid vult, Idem quicquid dicit, verum esse reipsa et actu probat; nec enim summam potentiam, mendacium docet. Cum ergo Christus tot taliaque miracula præstiterit suo nomine et authoritate, Deusque suam operam et virtutem ad eorum productionem impenderit, quis dubitandi locus superesse potest? Quid enim cum aliqua veri specie opponi posset; An mirabilia fuisse, non vera miracula? Sed quid verum miraculum, nisi quod totius naturæ creatæ vires superat, ut cæco nato visum, et mortuo vitam restituere, et omne genus morborum sanare? An præstigias fuisse? Sed cur non detegebant Judæi præstigiatorem? Cur tot exorcistæ, qui eo tempore vivebant, fraudem non ostendebant? Præstigiatores ergo et discipuli, qui eo mortuo pergunt ejus nomine, sed quo fine, et cui bono? ut morti tradantur, ut ipsi, fame, laqueo, gladio, et cruce pereant. At præstigiatores pecuniam, gloriolam, et famam spectant, nihil verum efficiunt, sed oculis fucum faciunt; An tale quid in Christo vel Apostolis visum? An virtute magica hæc omnia peracta esse? Sed cur legis mucronem in eum non exerebant? Cur in ejus accusatione de hoc crimine silent? Cur non deglutiuntur a virga Mosaïca, sed supersunt hæc adhuc hodie ac vigent? Deinde, an tam insanus vetus ille draco, ut suum laniet pectus, ipse volens et lubens, et imperium destruat, Matth. xii? An Diabolus et pietatis et sanctitatis magister, An fiduciam in Deum, et obedientiam commendat? Totus Christus in eo est, ut fides, spes et amor in Deum recumberet, et regnum ejus stabiliretur. Hoccine vero Dæmon quærere potuit et suadere? Denique Quodnam hoc magiæ genus, quod fugit latebras et in apertum prodire gestit, nil secretum nisi hominum conscientias petens, quas convincit et adigit ad confessionem, nedum ut fugiat; et κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης quærat.

XVIII. Inter omnia autem Christi opera, quibus sibi testimonium perhibuit, nullum illustrius et luculentius occurrit ipsa Christi *Resurrectione*, quæ invictum fuit et divinitatis ejus, et mediationis argumentum, per quam et Filius Dei agnitus est ab hostibus, Matth. xxvii., et creditus a fidelibus, et approbatus a Deo, hostes potentiam senserunt victricem, fideles veritatem promissionum experti sunt, et Deus justitiæ ac satisfactionis perfectionem declaravit. Nisi enim a Deo missus fuisset Christus, nisi vere fuisset Dei Filius, qualem se profitebatur, sed impostor et usurpator, quo tandem pacto Deus in eo suscitando potentiam suam adeo gloriose exeruisset? An credibile est Deum passurum fuisse, ut fides ejus resurrectionis late extenderetur, et tot tamque admirabiles in mundo convertendo effectus ederet? Hinc Paulus, Rom. i. 4, dicit eum, qui ex semine Davidis fuit secundum carnem, ὁρισθέντα declaratum fuisse solenni veluti decreto, "Filium Dei secundum Spiritum sanctificationis per resurrectionem a mortuis," et alibi, 1 Tim. iii. 16, *Justificatum Spiritu* adversus omnes calumnias adversariorum per gloriosam Resurrectionem, quæ per Spiritum eundem æternum, per quem se obtulerat, Heb. ix. 14, id est, divinitatem contigit. Et Christus non aliud signum illustrius, et argumentum certius divinitatis, et vocationis suæ cœlestis affert, quam resurrectionem, *Solvite templum hoc*, inquit, Joh. ii. 19. Judæis quærentibus, quodnam signum faceret, ut crederent, et *tertio die erigam ipsum*, et Matth. xii. 39, "Natio ista adultera signum quærit, sed signum aliud non dabitur ipsi, nisi signum Jonæ," &c., quia

nisi Christo resurgenti credidissent, nullum aliud argumentum fuit, quod ad fidem potuit eos compellere.

Spiritus quomodo testetur?

XIX. Testimonium Λόγου excipit testimonium *Spiritus*, qui hic etiam bifariam, et *verbis*, et *factis* de Christo testatus est. Sic enim Christus ipse hoc innuit, Joh. xv. 26, ‘Cum venerit Paracletus, testabitur de me," et, c. xvi. 13, "Non loquetur a semet ipso, sed quæcunque audierit, loquetur, et quæ ventura sunt annunciabit, Ille me glorificabit," &c. Hinc Paulus, Rom. viii. 16, dicit, "Spiritum συμμαρτυρεῖν cum Spiritu nostro, Quod simus filii Dei." Testatus est autem, non modo mediate per Apostolorum præconium, qui a Spiritu Sancto acti, ut et cæteri viri Dei loquuti sunt: Sed et immediate per *visibilem sui super Apostolos effusionem:* Quum enim in solenni Pentecostes die, specie visibili, mirabili ratione in Apostolos descendit, tunc publicum innocentiæ, veritati, et exaltationi Christi testimonium est perhibitum: *Innocentiæ*, quia patuit injuste condemnatum esse eum, in cujus nomine Pater cœleste hoc donum effundebat; *Veritati*, quia sic Christus implendo promissiones sæpius datas de Spiritus missione, veracem se esse facto ipso demonstravit, et toti doctrinæ suæ divinam authoritatem conciliavit;. *Exaltationi*, quia nisi Christus post passiones et mortem resurrexisset, et ad dextram Dei exaltatus fuisset, non potuisset Spiritum mittere, "Nisi abivero, Paracletus non veniet, sed si abivero mittam illum vobis," Joh. xvi. 7; unde Petrus Spiritus missionem tanquam effectum exaltationis notat, Act. ii. 33. Secundo testatus est *per efficacem Apostolorum immutationem*, Quum enim adeo potenter mentes, et corda ipsorum affecit, ut qui prius rudes erant et idiotæ, plena mysteriorum cœlestium notitia essent instructi, qui timidi et meticulosi ad minimam ancillæ vocem trepidabant, animosi et imperterriti coram Regibus et Principibus sint redditi, qui elingues, disertissimi, qui nihil nisi terrenum sapiebant, jam magnalia Dei loquantur; Quis non agnoscat luculentum Christo, a quo mittebatur, perhibitum fuisse a Spiritu testimonium?

XX. Tertio testatus est per *miraculorum in Apostolis et per Apostolos patrationem;* Nam dum ad vocem Apostolorum videbantur dæmones e corporibus egredi, ægri sanari, cæci illuminari, mortui suscitari; Quando ad eorum præconium idola ceciderunt, oracula obmutuerunt, eloquentia oratorum, subtilitas philosophorum, majestas regum et principum dejecta fuit et confusa, quis præsentissimum Dei digitum hic non animadvertat? Quo spectant verba Pauli, Heb. ii. 3, 4, dum ait, "Deum testimonium perhibuisse verbo suo, signis et prodigiis, et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus." Quarto denique testatur *per piorum conversionem, et impiorum convictionem;* Nam ut pios intus persuadet de salute per Christum acquisita; Ita impios convincit de veritate evangelii quod oppugnant, et de divinitate Christi, quem in membris suis persequuntur, ut volentes nolentes Christo cedere cogantur, et sic in conscientiis reddantur ἀναπολόγητοι: Quo pertinet illustris locus, Joh. xvi. 8, 9, ubi de testimonio Spiritus loquens ait, "Spiritus ἐλέγξει arguet mundum peccati, justitiæ, et judicii," id est, clarissime demonstrabit fidelibus, quo sensu fides dicitur ἔλεγχος, Heb. xi. 1, et potenter convincet impios de hisce tribus. Tria autem ista sunt, in quibus præcipue versatur Spiritus Testimonium, tum erga Pios ut illos convincendo persuadeat tum, erga Impios, ut illos convincendo damnet: *Peccatum, Justitia, et Judicium; Peccatum* admissum, *Justitia* amplectenda, *Judicium* fugiendum; *Peccatum mundi*, cujus omnes sunt rei, *Justitia Christi*, qua omnes sunt destituti, *Judicium Dei*, quod omnibus certissime imminet, cujus et exemplum in Diabolo habent. Peccati gravitatem ostendit in incredulitate;

Justitiæ plenitudinem et certitudinem in Christi ascensione, qui justitiam seculorum adduxit; Judicii veritatem et infallibilitatem in pœna Diaboli, qui morte Christi vinci et confundi debuit, Col. ii. 15, Heb. ii. 14.

Unitas Testium qualis.

XXI. Sic exposito testium istorum testimonio, Jam *Unitas* est expendenda; *καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσι* inquit Joannes, *hi tres unum sunt.* Nam quia de pluribus agit, ut eorum pondus et authoritas major sit, consensum eorum innuit, et ut consensum perfectum doceat, ad unitatem essentiæ ascendit, quæ unitatis voluntatis sit fundamentum. Reclamat hic *Socinus*, qui ut eludat vim argumenti, quod hinc petimus pro *ὁμοουσίᾳ* personarum, pertendit hanc unitatem referendam esse ad *unitatem* tantum *consensus* et testimonii, et hoc evincere satagit, tum ex scopo Joannis, qui est unitatem testimonii probare, tum ex variis Scripturæ locis parallelis, in quibus eadem vox non alio sensu sumi potest, tum ex nonnullorum Orthodoxorum sententia, qui unitatem consensus hic respiciendam esse censent. Nos vero, non negamus quidem Apostolum unitatem consensus et testimonii attendere, sed quod agat tantum de ea, exclusa unitate essentiæ, pernegamus. Imo contendimus unitatem essentiæ hic statui, tanquam fundamentum unitatis voluntatis. Rationes quibus adducimur ad hoc credendum sunt gravissimæ: 1. loquendi modus, qui usurpatur a Joanne in describenda testium Cœlestium et terrestrium unitate; Nam de terrestribus quidem dicit esse *εἰς τὸ ἕν*, esse *in unum*, vel *ad unum;* sed de cœlestibus dicit simpliciter *esse unum*, *τὸ ἕν εἰσί.* Jam vero si eadem utrobique unitas intelligenda esset, nimirum unitas consensus, quænam posset esse diversæ locutionis ratio, quare non prævertit gravissimum, quod ex isto sermone fidelibus immiuebat, periculum, ne in errorem inducerentur, unitatem essentiæ in testibus istis fingendo, quæ nulla tamen erat? quare non dicit de utrisque, vel *τὸ ἕν*, vel *εἰς τὸ ἕν εἰσί?* Sane nulla potest discriminis istius ratio genuina afferri, nisi unitatis diversitatem aliquam agnoscamus, ut testes quidem terrestres unitatem consensus habere dicantur, quia in unum conspirant. Sed testes cœlestes præter unitatem testimonii, etiam unitatem essentiæ. Nec opponi debet ab hæretico Editio Complutensis, quæ de testibus cœlestibus dicit esse *εἰς τὸ ἕν*: Nam unius Codicis authoritas non potest abrogare fidem reliquorum omnium probatissimorum, quos Rob. Stephanus, et alii magna cura collegerunt, qui constanter lectionem nostram retinent.

XXII. Secundo, scopus Apostoli hoc evincit. Nam ut ipsi propositum est demonstrare indubitatam fidem evangelii ex unitate testium, qui illi testimonium perhibent: Ita non potuit certius istam unitatem et identitatem consensus probare, quam ex unitate et identitate essentiæ: Nam ubi est perfecta *ὁμοβουλία*, ibi debet etiam esse perfecta *ὁμοουσία*. Tertio hoc ipsum docet *testium istorum appellatio.* Cum enim vocentur *testes in cœlo*, non modo voluit Joannes indicare, eos cœlestes esse, et cœlitus testimonium Christo perhibere; alias non tres tantum, sed longe plures possent dici, siquidem et Angeli hac ratione Testes in cœlo etiam possent vocari; Sed et *natura divinos*, quomodo cœlum in Scriptura sæpe pro Deo usurpatur, unde v. 9, vocat hoc testimonium Dei, quod opponit testimonio hominum. Jam si tres isti testes sunt divini, debent esse unum essentiæ unitate, quia unus tantum est numero Deus, et nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus. Confirmatur *Quarto* id ipsum *ex Testium istorum conjunctione:* Nam qui testes simul conjunguntur, et eodem modo unum dicuntur, eorum etiam in unitate similis est ratio. At Pater, Verbum et Spiritus conjunguntur, et eodem modo unum dicuntur, Ergo eorum in unitate similis debet esse ratio: Jam Pater et Spiritus Sanctus ex mente Adver-

sariorum unum sunt, non tantum consensu, sed et essentia. Ergo Pater et Verbum cum Spiritu erunt unum essentialiter. Quinto, Eadem unitas debet intelligi, quam Christus alibi sibi et Patri tribuit, Joh. x. 30, "Ego et Pater unum sumus," At non est unitas tantum consensus, sed etiam unitas essentiæ: 1. Quia Judæi hoc ita intelligunt, quando eum blasphemiæ propterea arcessunt, eo quod, homo cum esset, se faceret Deum ver. 33. 2. Christus hoc non negat, sed confirmat ex identitate operum suorum et Patris, ver. 37, "Si non facio opera Patris mei, non credite mihi, sed si facio credite operibus; ut cognoscatis et credatis Patrem esse in me, et me in Patre." At si falso hoc impingitur ipsi a Judæis; Cur vanitatem criminationis non repellit, ostendendo eos perperam mentem suam interpretari, cum non de unitate essentiæ, prout illi arbitrabantur, sed de unitate tantum voluntatis et consensus loquutus esset? Cum E. nihil tale præstet, Imo confirmet ulterius quod dixerat, patet hanc revera ejus mentem fuisse, quæ a Judæis illi adscribitur.

XXIII. Non dissimulandum tamen varia hic excipere Hæreticos ad vim istius argumenti eludendam. Primo non posse magis unitatem essentiæ colligi, quando tres testes unum esse dicuntur, quam quum "Paulus et Apollos dicuntur esse unum," 1 Cor. iii. 8, quum Christus orat, Joh. xvii. 21, ut "Credentes unum sint, sicut Pater in ipso, et ipse in Patre, ut et ipsi in illis unum sint," quod ad unitatem essentiæ referendum esse nemo dixerit, vel quum Paulus, 1 Cor. vi. 17, "eum qui adhæret Domino, unum Spiritum esse" dicit. Resp. Sed quis non videt, hic hæreticos pro more peccare fallacia parium, et longe dissimilia conferre? Quamvis enim eadem verba usurpentur, non sequitur tamen statim eodem sensu sumenda esse; verba enim debent intelligi pro subjecta materia. Paulus et Apollos bene *unum* dicuntur, tum resp. *officii*, quia idem munus sustinent, tum resp. *infirmitatis*, quia nihil sunt per se, et nihil possunt absque Christo; sed patet non posse dici unum *natura*, quia distinctæ sunt personæ, quæ distinctam numero essentiam habent. At in divinis aliter se res habet, ubi distinctæ Personæ eandem numero essentiam participant, et hoc ideo fit, quod cum in humanis tres personæ faciant tres homines, quia persona quælibet humana habet peculiarem essentiam ab aliis numero distinctam; in divinis tamen tres personæ non facient tres Deos, quia personarum divinarum unica est et individua essentia. 2. Eadem ratione solvitur locus alter ex Joh. xvii. 21 petitus, quia male argumentum ducitur "ab unitate spirituali et mystica," quæ in communione Spiritus consistit, ad "unitatem ineffabilem" personarum Trinitatis. Nec particula καθὼς hoc potest evincere, notum enim eam non semper æqualitatem, vel identitatem, sed sæpissime aliqualem tantum similitudinem indicare, ut quum jubet nos Deus "ut simus sancti sicut ipse sanctus est," Lev. xi. 44, et Christus "ut simus perfecti et misericordes, sicut Pater cœlestis est perfectus et misericors," Matth. v. 48, et Luc. vi. 36, et Paulus "ut ambulemus in charitate sicut Christus nos dilexit," Eph. v. 2, clarum est hic aliquam tantum analogiam connotari, non plenam et absolutam æqualitatem. 3. Quod additur ex 1 Cor. vi. 17, non magis urget: Nam Paulus non dicit fideles esse unum cum Deo, sed esse *unum Spiritum*, id est, esse *unum Spiritu*, quia unum eundemque Spiritum participant, qui a Capite diffunditur in omnia membra, idemque in membris operatur, quod operatus est in Capite, puta vitam, lucem, sanctitatem, gaudium, et gloriam.

XXIV. Addunt hæretici, doctores nostros primarios, Calvinum, Bezam non aliter exposuisse, quam de unitate consensus, Perperam ergo nos alio

velle referre. Resp. 1. Licet Calvinus et Beza ita locum istum exposuissent, non teneremur in eorum verba jurare, quia fides nostra non hominibus, sed Deo solo ejusque Verbo nititur. 2. Si verba ipsorum expendimus, facile patebit eos non absolute et simpliciter negasse agi de unitate essentiæ, sed tantum comparate, ut potius consensus innuatur, quam essentia, sic enim Calvinus ad hunc locum, "Quod dicit Tres esse unum, ad essentiam non refertur, sed ad consensum potius, ac si diceret Patrem, et æternum ejus Sermonem, ac Spiritum Sanctum symphonia quadam Christum pariter approbare," &c. Quis non agnoscit eum non disjuncte simpliciter, sed comparate loqui, et hanc ejus esse mentem, Patrem, Verbum et Spiritum esse quidem unum essentia, trinum personis Deum, unde paulo ante dixerat, *fidem in una Deitatis essentia tres Personas agnoscere*, sed hic produci proprie et primario non ut testem unum essentia, sed ut testes tres personis distinctos, unum tamen idemque testificantes de Christo? ut habet glossa interlinearis, *Hi tres unum sunt, id est unus Deus de eadem re testantes.* Nec si addit utrosque testes unum dici eodem sensu, hoc intelligit absolute et simpliciter; sed relate ad institutum Joannis quod est harmoniam testium cœlestium et terrenorum de Messia exhibito ostendere. Unde patet quam præpostere et mala fide, summus ille vir Dei traducatur a nonnullis, quasi Arianis favens: Nam licet humani aliquid esset passus, nec satis assecutus esset mentem Spiritus Sancti in uno vel altero loco, non ideo sequitur eum tanti mysterii fidem, quod alibi solidissime et tot invictis argumentis, et in hoc ipso loco confirmat, subruere voluisse. Non alia mens Bezæ, qui ita unitatem consensus asseri vult a Joanne, ut unitatem essentiæ non neget, sed supponat potius, "Unum sunt," inquit, "id est prorsus consentiunt, ac si unus testis essent, et revera unum sunt, si οὐσίαν spectes, sed de ea, ut mihi quidem videtur, non agitur hoc loco:" Quid hic est, quod hæreticis faveat, quid non potius eorum pestilentissimum errorem jugulat?

XXV. Ex his ita discussis sponte fluunt varia, quæ ex hoc oraculo ad augusti mysterii, de quo agimus, confirmationem pertinent argumenta. Hinc enim 1. Patet *Trinitatis* vocem non esse plane ἄγραφον, prout veteres Antitrinitarii et recentiores clamitant, licet enim αὐτολεξεὶ vel in abstracto non legatur, extare tamen in concreto, et æquivalenter, locus hic noster clarissime evincit. Quid enim est Trinitas, quam Trium istorum unitas? 2. *Personarum Trinitas* luculenter colligitur, Cum enim nec plures nec pauciores in cœlo testes, quam tres Apostolus numeret, qui non tantum consensu et voluntate, sed etiam natura sint unum, tot etiam et non plures personas divinas necesse est esse. Unde impurissimi et pestilentissimi Serveti blasphemia retunditur, qui unam tantum personam vult esse, quæ tribus nominibus designetur, et propter diversos testificandi modos tres testes dicatur. Quis enim de uno eodemque homine, qui de aliqua re testificatur, et suum testimonium scripto et sigillis confirmat, bene diceret tres esse testes, propter triplicem testificandi modum? Ergo præter Patrem, duo alii in cœlo testes statuendi sunt, tanquam distinctæ personæ, quæ pro parte sua testificentur. Neque hic reponendum, testis officium statim personalitatem non dicere, cum statuantur tres in terra testes, qui tamen non distinguuntur personaliter: Nam licet ex testimonio testium terrestrium personalis eorum subsistentia inferri nequeat, sed realis tantum distinctio; Non sequitur pariter se rem habere, quam de testibus cœlestibus mentio sit; quia hic vox ista non improprie, sed proprie accipienda est, quo pacto personæ tantum competit. Nam quomodo accipitur nomen testis, quando Patri et Filio adscribitur, eodem etiam

modo debet accipi, quando tribus in cœlo testibus hic vindicatur. At Patri et Filio tribui proprie non negant adversarii, et clarissimum est ex Joh. v. 32, et viii. 16. Ergo etiam proprie accipitur, quando tribus in cœlo testibus tribuitur: Quod confirmari posset, tum ex baptismo Christi, tum ex baptismo nostro, ubi trium distinctarum personarum, in quarum nomine baptismus administratur, mentio injicitur, si id nunc ageremus.

XXVI. Ut vero personarum Trinitas ex hoc loco elicitur evidenter, Ita non minus clare confirmatur *illarum Personarum* ὁμοουσία, cum non tantum testes cœlestes vocentur, qui testimonium Dei nobis perhibent, sed *unum* esse dicantur, quod non ad unitatem consensus et voluntatis, sed essentiæ et naturæ pertinere supra demonstravimus: Nec mysterio caret, quod *Unum* dicantur, non *Unus*, istud enim personam notaret, illud vero Naturam; nam in Trinitate est quidem ἄλλος καὶ ἄλλος, sed non ἄλλο καὶ ἄλλο, alia Persona, non vero alia Natura: Ut ex opposito in Incarnatione est ἄλλο καὶ ἄλλο, sed non ἄλλος καὶ ἄλλος, quia duæ sunt naturæ, sed una persona. Hinc Grego. Nazianz. homilia de baptismo unitatem istam Trinitatis, et Trinitatem unitatis apposite designabat admirabundus, οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶν περιλάμπομαι, οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι.

XXVII. Quarto *Spiritus Sancti personalitas* invicte probatur, quia duobus in cœlo testibus, Patri et Verbo, tanquam tertius testis adjungitur: ut ergo Pater et Verbum Personæ sunt distinctæ, quæ testimonium personale Christo perhibent, Ita necesse est Spiritum, qui in eodem ordine locatur, quoque personam esse non rem tantum quæ testimonium reale reddat. Huc accedit, quod cum per Spiritum hic, nec donum Spiritus possit intelligi, quod pertinet ad classem testium terrestrium, nec virtus et potentia Patris, quia sic non posset ab eo tanquam tertius testis distingui; cum essentiæ et virtutis sit una eademque testificatio; necessario tertia quædam Persona a Patre et Verbo distincta, et cum iisdem testans intelligenda veniat, cui non possent tot actiones personales *testandi*, *consolandi*, *mittendi*, *scrutandi*, &c. tribui, nisi vera et proprie dicta esset Persona.

XXVIII. Denique *necessitas fidei* istius mysterii ad salutem non obscure evincitur. Cum enim tres istæ personæ testantes inducantur de Christo; nemo potest in Christum credere, qui earum testimonium non recipiat, atque adeo eas non confiteatur. Et sane cum fides Deum, qualem se in verbo nobis patefecit, colere teneatur; Nec Patrem habere possit, qui Filium negat 1 Joh. ii. 23, Nemo non videt Articulum hunc vere fundamentalem esse, quem licet "scrutari" sit "temeritatis, credere" tamen "pietatis est, et nosse vita æterna," ut scite olim Bernardus. Unde quamvis longe clarius sub Novo Testamento mysterium hoc patefactum sit; in Veteri tamen non ignotum fuisse, sed sufficienter ad piorum solatium revelatum, dubitare non licet. Quid superest ergo, nisi ut tanti mysterii fidem constanter semper retineamus, et cum tres istæ personæ irrefragabile perhibeant Christo testimonium; Caveamus ne illud incredulitate nostra unquam respuamus: Imo plena fidei πληροφορίᾳ in illo acquiescentes, credamus Jesum esse Christum Filium Dei, ut credentes vitam habeamus in nomine ejus, Joh. xx. 31. Amen.

DISPUTATIO TEXTUALIS,

DE SPIRITU, AQUA, ET SANGUINE,

IN TERRA TESTANTIBUS.

DISPUTATIO TEXTUALIS,

DE SPIRITU, AQUA, ET SANGUINE,

IN TERRA TESTANTIBUS,

Ex 1 Joh. v. 8.

Respondente Joanne Sarraceno *Lugdunensi.*

I. Inchoata fuit non ita pridem a nobis dissertatio de senario testium numero, quem Joannes in medium affert ad demonstrationem veritatis evangelicæ de Jesu Christo Filio Dei, Redemptore nostro; Et vidimus hactenus quæ pertinebant ad cognitionem testium cœlestium, tum quoad *Naturam*, tum quoad *Officium*, tum quoad *Unitatem* ipsorum, quæ tria commemorantur a Joanne; Sequitur ut de testibus in terra testantibus agamus, et eodem ordine ac methodo utentes expendamus, Quinam sint natura, Quales officio, et quomodo inter se conjuncti sint consensu.

II. Verba Joannis sunt ver. 8, cap. 5, "*καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, και τὸ Αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσὶ*, Et Tres sunt qui testantur in terra, Spiritus, Aqua, et Sanguis, et hi Tres in unum sunt." In quibus particula copulativa *καὶ*, quæ occurrit in principio, ostendit ista pendere a præcedentibus; et satis, si nulla alia ratio suppeteret, demonstrare posset versum septimum de testibus cœlestibus non esse adulterinum et supposititium, ut Sociniani argutantur, sed verum et genuinum; alias hiatus quidam foret in oratione Joannis; nec satis apposite mentionem faceret testium terrestrium, nisi ante de cœlestibus loquutus fuisset, quod copula utrumque versum connectens evincit; Sed hæc ipsa conjunctio aliud quid *μυστικώτερον* videtur insinuare, unionem scilicet et *συμφωνίαν* mirabilem cœli et terræ in testimonio Christo perhibendo; Ut enim Christus mediatione sua terram cœlo conciliavit, quæ antea per peccatum hominis erant sibi invicem aversa; Ita cœlum et terra nunc amicabili consensu concurrunt ad veritatis istius in cordibus nostris confirmationem, cœlum respondet terræ, et terra respondet cœlo.

III. Unde patet non sine gravibus causis duos istos testium ordines a Joanne proponi. Licet enim testes cœlestes omni exceptione essent majores, voluit tamen Spiritus Sanctus infirmitatis nostræ rationem habere; Illi quippe, ut gloriosa majestate sunt conspicui, poterant ita oculos nostros perstringere, ut minus dispositi essemus ad eorum testimonium recipiendum; Ideo alios addere voluit, qui ut nobis propiores, et conjunctiores, facilius

sese in animos nostros insinuare poterant, et in rei veritatem nos deducere. Deinde cum in testimonio dicendo ratio habeatur numeri testium, ut in ore duorum vel trium testium ratum sit omne verbum; Consentaneum fuit utrinque tres testes producere, qui eo fortius mysterium hoc confirmarent. Rursus cum in omni testimonio spectetur vulgo vel testis authoritas, vel rei ipsius evidentia, ne quid testimonio huic divino deesset, utrumque conjungi placuit: nam priorum trium testium tanta est authoritas, quanta potest esse maxima, puta Naturæ Divinæ, quæ per se αὐτόπιστος: Et posteriorum tanta est evidentia in fidelium cordibus et intimo conscientiæ sensu, ut nihil ad fidem faciendam luculentius esse possit. Denique ut jam olim propheta commotum iri cœlum et terram adventu Christi prædixerat, Aggæ. 2, Ita Christus undiquaque sibi testimonium perhiberi voluit, ne ulli dubitationi locus superesse posset, ut sive in cœlum sive in terram oculos conjiceremus, ubique luculenta et expressa deprehenderemus istius veritatis argumenta, atque ita nihil excusationis habere possint, qui Christum respuunt, cum satis firmis et luculentis testimoniis se illum esse probaverit, qui olim promissus fuerat.

IV. Ut ergo ad examen testium istorum descendamus, non opus est ut anxie quæramus, Cur tres numero recenseantur, et quare numerum ternarium, potius quam binarium aut quaternarium Joannes selegerit; quamvis enim superfluum fere videatur rationem illius quærere, quod a mero Spiritus Sancti pendet arbitrio, in quo acquiescere tuto possumus; non abs re tamen numerus iste præ cæteris ab Apostolo selectus videtur, non tantum quia perfectio quædam isto numero vulgo solet designari; sed potissimum quia respondet ternario testium cœlestium numero, et quia convenit apprime, et rebus ipsis de quibus agitur, et veritati, quæ probanda proponitur, ut jam sumus explicaturi.

V. Quia autem mira est in testibus istis explicandis sententiarum diversitas, ut facilius certiorem deprehendere possimus, primo κατ' ἄρσιν removebimus eas, quæ veritati parum consentaneæ videbuntur; deinde κατὰ θέσιν aperiemus et confirmabimus eam, quæ præ cæteris nobis probatur. Quidam conjiciunt tres testes cœlestes adductos fuisse a Joanne ad Deitatis Christi confirmationem, nunc vero totidem adduci humanitatis illius testes, nempe Spiritum humanum, quem Christus moriens in manus Patris tradidit, Luc. xxiii. 46, et Aquam et Sanguinem, quæ ex mortui latere profluxerant, tanquam certa humanæ Naturæ Christi argumenta. Verum si scopum Joannis expendimus, patebit non alium esse, quam probare Jesum esse Christum Filium Dei Redemptorem nostrum; unde supervacanea omnino videtur, illa quæ proponitur humanitatis demonstratio: Atque eo vel maxime, quod de ea neutiquam controvertebatur; agnoscebant enim adversarii Christum fuisse verum hominem, neque hoc diffiteri poterant, qui vitam ejus et mortem viderant, sed negabant tantum esse Dei Filium et verum Messiam, quod adversus ipsos probandum fuit, non illud vero quod ἐξαγώνιον erat et in confesso.

VI. Alii per tres testes designari volunt tria oraculorum genera de Christo, quæ Jesus dum adhuc esset in terris, ostendit in se completa, ut *Aqua* Evangelium, *Sanguis* Mortem, et *Spiritus* vim Spiritus et miracula denotet; Christum quippe juxta oracula vetera venisse, 1°, ut prophetam per Aquam; id est per doctrinam evangelii, quæ aquæ non raro confertur, Isa. xi. 9, et Ezech. xxxvi., quam Christus attulit, et per mundum sparsit, 2°, ut Sacerdotem per Sanguinem, quo sacrificium pro nobis obtulit, 3°, ut Regem per Spiritum, talia edendo miracula, quibus et populum suum liberavit, et de hostibus triumphavit, quæ nomine Spiritus etiam exprimuntur,

1 Tim. iii. 16, 1 Pet. iii. 18. Verum neque ista expositio absolute admitti potest; nam præterquam quod minus commode per Aquam denotatur evangelium, quæcunque hic referuntur pertinent potius ad testimonium cœleste Verbi et Spiritus, de quo dictum est ver. præced., quam ad testimonium terrestre.

VII. Nonnulli per *Aquam* et *Sanguinem* intelligi volunt legales ablutiones, et sacrificia expiatoria, quibus Deus in Veteri testamento testatus est Christum venturum cum aqua et sanguine, id est ad expianda et purganda peccata nostra; Cui testimonio desumpto a Veteri Testamento adjungatur aliud, quod est Novum Testamentum, nimirum evangelium, quod vocetur *Spiritus*. Verum quamvis suus locus possit esse huic sententiæ, ut postea videbimus, Non videtur tamen Joannes id directe intendisse, quia agit, non de tempore præterito, in quo Christus sub variis figuris adumbratus fuit, sed de præsenti, in quo venisse dicitur per aquam et sanguinem. Alii per *Aquam* intelligunt Joannis Baptistæ testimonium, qui apud aquam testificatus est Jesum esse Agnum Dei, per *Sanguinem* testimonium Centurionis, qui ex latere Christi vidit profluere sanguinem et aquam, et per *Spiritum* testimonium Apostolorum qui in die Pentecostes loquebantur variis linguis; Sed hæc alienora sunt a mente Joannis, quam ut recipi debeant.

VIII. Sunt qui propius accedentes ad rei veritatem, per *Spiritum* dona ejus tum extraordinaria, tum ordinaria, per *Aquam* vitæ puritatem et innocentiam, per *Sanguinem* Apostolorum et fidelium pro Christo cædem, quæ martyrium propterea dicitur, innui pertendunt. Communior tamen sententia est eorum, qui per Spiritum evangelium intelligunt, per Aquam, et Sanguinem duo ordinaria Novi Testimenti Sacramenta, Baptismum a signo, Cœnam vero a re significata, quia ut evangelium testatur Jesum esse Filium Dei, Joh. xx. 31, sic etiam Sacramenta, tanquam Evangelii sigilla, idem in terris nobis perpetuo testantur. Quid vero sentiendum sit in hac opinionum varietate non facile est colligere, si tamen verum fateri volumus, nulla ex istis omnibus videtur plene satisfacere: vel enim alieniores sunt a scopo Joannis, vel angustæ nimis, quam ut rem de qua quæritur, plene et accurate possint explicare.

IX. Ut ergo mentem nostram aperiamus, salvo doctiorum judicio, arbitramur hæc non ita sibi invicem opponi, quin facile conciliari possint, si pleræque ex istis sententiis non seorsim, sed conjunctim considerentur: Cum enim ea sit vis Scripturæ Sacræ, ut plures res contineat, quam verba, et sæpe sub uno eodemque vocabulo varia mysteria sibi invicem subordinata designet; mirum videri non debet, si variæ σχέσεις in ejus explicatione subinde conjungendæ veniant, ut integer habeatur sensus a Spiritu Sancto intentus; Hinc quia testimonium istud potest sub gemina σχέσει spectari, vel prout externe proponitur in Ecclesia ad *convictionem* hominum, vel prout interne obsignatur in corde ad *consolationem* fidelium, juxta duplicem hunc respectum bifariam etiam posse spectari censemus tres istos testes, vel ut externe, vel ut interne testantes: Ita per *Spiritum* designari arbitramur Spiritus Sancti vim et efficaciam, tum extrinsecus se exerentem in verbe, tum intrinsecus operantem in corde; Per *Aquam* sacramentum baptismi, qui administratur in Ecclesia sub aquæ symbolo, et ejusdem veritatem, quæ per regenerationis beneficium obtinetur in corde; Per *Sanguinem* Sacramentum Eucharistiæ, quæ est communio Sanguinis Christi, 1 Cor. x. 16, et beneficium Justificationis, seu remissionis peccatorum in Sanguine Christi, quæ hoc Sacramento obsignatur. Atque ita sex veluti partes istius testimonii notari possunt, non quæ toto genere differant, sed quæ sibi invicem respondeant et subordinentur; nam externæ sunt symbola inter-

narum, et internæ sunt veritas et res significata, quæ per externas repræsentatur.

X. Non incommode autem hæc ita distribui patebit ex peculiari testium istorum examine, sive illi conjunctim, sive seorsim considerentur: Nam si conjunctim spectentur, mirabilis hic relatio deprehenditur ad varia mysteria: 1. ad personas SS. Trinitatis, 2. ad officia Christi, 3. ad remedia peccati, 4. ad media salutis, 5. denique ad figuras Veteris Testamenti. Et Primo, ad personas Divinas; Ut enim tres illas testantes immediate in cœlo induxerat; Ita consentaneum erat ut triplex istud testimonium, quod in terra Christo perhibetur a Spiritu, Aqua, et Sanguine, triplici testimonio cœlesti responderet, et singulis Personis appropriaretur, quatenus per operationes peculiares concurrunt ad confirmationem fidei nostræ: hinc Gratia quæ Patri tribuitur, per Aquam designabitur, Redemptio, quæ Filio propria est, per Sanguinem, et Illuminatio ac Conversio, quæ a Spiritu Sancto pendet, per Spiritum: Vel ut alii, Spiritus referetur ad Patrem, qui per evangelium nos ad se vocat; Sanguis ad Filium, qui per sanguinem nos justificat; et Aqua ad Spiritum Sanctum, qui per aquam nos sanctificat. Quo pertinent illa Augustini, lib. iii. cont. Maximi. cap. 22, "Si vero ea quæ his significata sunt," nimirum Spiritu, Aqua et Sanguine, de quibus loquebatur, "velimus inquirere, non absurde occurrit ipsa Trinitas, quæ unus, solus, verus, summus est Deus, Pater, et Filius, et Spiritus S. De quibus verissime dici potuit, Tres sunt testes et tres unum sunt, ut nomine Spiritus significatum accipiamus Deum Patrem, de ipso quippe adorando loquebatur Dominus ubi ait, Spiritus est Deus; nomine autem sanguinis Filium, quia Verbum caro factum est; et nomine Aquæ Spiritum Sanctum, cum enim de aqua loqueretur Jesus, quam daturus erat sitientibus, ait Evangelista, Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes."

XI. Secundo, Tria *officia* Christi non obscure hoc triplici testimonio designantur, *Propheticum* in *Spiritu*, cujus impulsu, ut cæteri Prophetæ loqui debuerunt, 2 Pet. i. 21, ita Christus Princeps Prophetarum docuit, 1 Pet. iii. 18, 19, unde dicitur *Doctor veritatis*, Joh. xvi.; *Sacerdotale* in *sanguine* quem Christus ut Sacerdos et Victima fundere pro nobis debuit ad expiationem peccatorum, Heb. i. 3; *Regium* in *aqua*, quæ virtute sua nos regenerando vitam et salutem nobis reipsa confert, Joh. iii. 5. Spiritus dat lumen doctrinæ, Sanguis pretium mortis, Aqua efficaciam vitæ.

XII. Tertio, tres isti testes triplex remedium nobis suppeditant triplici malo curando, quod per peccatum invectum est, *Ignorantiæ* scilicet, *Corruptioni*, et *Reatui*. Ignorantia quippe tollitur per lumen fidei, quod Spiritus per verbum evangelii in nobis accendit; corruptio per sanctitatem sanatur, quam aqua externa baptismi obsignat, et intus operatur aqua spiritualis et mystica gratiæ; reatus per aspersionem sanguinis Christi meliora loquentis sanguine Abelis, cujus symbolum in Eucharistia proponitur, et veritas in corde per ῥαντισμὸν internum fidei, quo remissio peccatorum nobis intimatur, et perficitur. Spiritus illuminat, Aqua purificat, Sanguis redimit. Hoc voluit Ambros. lib. iii. de Spiritu S. c. 21. "Tres sunt testes, Spiritus, Aqua, et Sanguis, et hi tres unum sunt in Christo Jesu: Audi quomodo testes: Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad pretium; Spiritus enim nos per adoptionem Filios Dei fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit; Alterum igitur invisibile, alterum visibile testimonium Sacramento consequimur spirituali, quia Spiritus testimonium reddit spiritui nostro," &c.

XIII. Quarto, *media salutis* hic etiam continentur; Cum enim tria præcipue ad salutem requirantur ut fiamus ejus compotes, *Revelatio*, *Acquisitio*,

et *Applicatio*; frustra enim quæreretur salus nisi revelaretur, frustra revelaretur, nisi acquisita esset, et frustra acquisita esset, nisi applicaretur; tria hæc in tribus istis testibus nanciscimur; Spiritus eam revelat in evangelio, Sanguis acquirit in cruce, et Aqua applicat in corde: Rursus cum *media* quibus nos Deus ad salutis communionem vocat, vel sint *externa*, vel *interna*, et tria utrobique occurrant, *Externa*, verbum scilicet cum duobus sacramentis, baptismo et S. cœna, *Interna*, Vocatio, Justificatio, et Sanctificatio, seu Fides, Spes, Charitas; Utraque locum hic obtinent: Nam Spiritus verbum evangelii, et fidem, quæ effectus est Vocationis efficacis, designat; Aqua regenerationis beneficium cum Sacramento Baptismi bene connotat, qui ideo *lavacrum regenerationis* vocatur, Tit. iii. 5; et Sanguis Justificationem et remissionem peccatorum nobis in cœna obsignatam cum spe vitæ æternæ includit: Ut enim sanguis qui nobis bibendus proponitur in cœna, effusus est in remissionem peccatorum; Ita commemoratio mortis Christi jubetur fieri in spem vitæ æternæ, donec veniat Dominus salutem nostram consummaturus. Huc videtur respexisse Tertull. lib. de Baptis. cap. 16; "Venerat Christus per aquam et sanguinem, ut aqua tingeretur et sanguine glorificaretur, proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quia qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur, qui aqua se lavissent, etiam sanguinem potarent." Nec aliter Beda in hunc locum; "Venit per aquam et sanguinem, aquam videlicet lavacri, et sanguinem passionis suæ; Non solum baptizari propter nostram ablutionem dignatus est, ut nobis Baptismi Sacramentum consecraret et traderet, verum etiam sanguinem suum dedit pro nobis, sua nos passione redimens, cujus sacramentis semper refecti nutriremur ad salutem," quod Glossa interlin. repetit.

XIV. Denique hic etiam relatio occurrit ad *figuras* V. T. Tria enim præ cæteris sub lege memorabilia fuere, quibus absolvebantur, quæcunque ad cæremonias pertinebant: 1°, Spiritus Prophetiæ quo agebantur viri Dei ad revelanda salutis mysteria. 2°, Aqua, qua ablutiones omnes et lustrationes cæremoniales peragebantur. 3°, Sanguis victimarum, quo peccata expiabantur. Jam ne quid in N. T. desideretur, tria voluit Deus fidelibus, sed longe excellentiora, dare: 1°, Spiritum veritatis doctorem, qui effundi debuit non in paucos, sed indiscriminatim in omnem carnem, quo prophetaturi erant fideles, et visiones visuri, Joel. ii. 28, id est ampla et luculenta Dei notitia fruituri, sic enim mysteria evangelica terminis legalibus non raro solent exprimi; 2°, Aquam, quæ in baptismi sacro fonte nobis affunditur ad sordium nostrarum ablutionem; et 3°, Sanguinem, non ἄλογον et mortuum brutorum, sed vivum et λογικὸν illius, qui per Spiritum æternum se inculpatum Deo obtulit, Heb. ix. 14.

XV. Quibus ita prælibatis de testibus istis simul sumptis, distincte jam de singulis agendum, et eorum testimonio. Primus occurrit Spiritus, qui hic non οὐσιωδῶς, vel ὑποστατικῶς pro Natura Divina, vel pro persona Spiritus S. intelligendus est, quæ jam in numero testium cœlestium reposita fuerat; sed ἐνεργητικῶς et effective respectu donorum, non quidem quoad dona miraculosa et extraordinaria, per hæc enim Spiritum testatum fuisse cœlitus diximus, Sed quoad dona ordinaria singulis fidelibus communia, quæ tum extrinsecus patent in evangelii verbo, tum intrinsecus latent in dono fidei, et illuminationis gratia. Hoc enim testimonium designari verba sequentia ver. 10, docent, "Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso," et ver. 11, "Hoc est testimonium, quod vitam æternam dedit nobis Deus, et vita hæc est in Filio." Ex quibus constat testimonium hoc consistere partim in verbo evangelii, quo docemur vitam æternam a Deo nobis pro-

mitti et dari in Filio, partim in corde, quod per fidem veritatem istam apprehendit et amplectitur.

XVI. Nec novum videri debet, quod vox *Spiritus* eo sensu usurpetur, cum non semel hæc significatio occurrat: nam quoad evangelium, notum est doctrinam istam salutarem sæpe eo nomine venire, quia Spiritus efficacitatem ex vi novi Fœderis comitem habet, unde vocatur *Spiritus*, 2 Cor. iii. 6, per antithesin ad Legem, quæ *litera* dicitur, *litera occidit, Spiritus autem vivificat;* Per *literam* enim Legem intelligi res ipsa et scopu Apostoli evincit, non modo quia in tabulis lapideis scripta est, sed præcipue quia instar literæ nihil aliud potest quam proponere nobis officium nostrum, nullis additis ad illud exequendum viribus, *Spiritus* vero notat Evangelii doctrinam, quæ non tantum agit objective et imperative instar Legis, sed efficaciter et operative, cum præceptione officii vires etiam largiendo ad ejus impletionem. Ratio utriusque pendet ex discrimine fœderis Legalis et Evangelici; Nam legale, quod hominis obedientia nitebatur, bene *litera* dicitur, quia Deus in eo officium quidem ab homine postulabat, sed ulterius non progrediebatur ad flectendum cor hominis ad obedientiam, unde Lex facta fuit infirma in carne, Rom. viii. 3. Sed fœdus Evangelicum, quia totum a gratia pendet et non imperat tantum, sed operatur, Legem in tabulis cordis carneis inscribendo vivifica Spiritus S. virtute, et nos ad obsequium flectendo, optime *Spiritus*, vel ministerium Spiritus vocatur. Sed ne longius abeamus, hanc Spiritus notionem Joannes satis aperte connotat ver. 6, dum ait "Christum venisse cum aqua et sanguine, et Spiritum testari, quod Spiritus est veritas," ita enim videtur insinuare Spiritum S. in corde loquentem id singulis fidelibus persuadere, quod Spiritus sit veritas, nimirum quod doctrina illa de Christi adventu in aqua et sanguine in verbo proposita, sit verissima et indubitatæ fidei; unde patet evangelium apposite nomine Spiritus designari, quia est efficacissimum instrumentum, quo in cordibus operatur.

XVII. Sed non minus certum est Spiritum etiam sæpissime sumi pro donis internis Spiritus, quæ conferuntur fidelibus in fœdere gratiæ, maxime pro Spiritu Adoptionis et dono fidei, quo in vocatione efficaci donamur, unde vocatur "Spiritus fidei," 2 Cor. iv. 13, et "Spiritus Sapientiæ et Revelationis," Eph. i. 17, qui proponitur ut peculiare donum N. T., Joel. ii. et Joh. xiv. 16, quia majori copia debebat effundi quam antea, adeo ut minimus in regno cœlorum major deberet esse Joanne Baptista, qui et ipse maximus erat inter natos mulierum, scilicet quoad mysteriorum cognitionem; hinc, Luc. xii. 12, Christus vetat discipulos sollicitos esse de illis, quæ dicturi essent coram Magistratibus et Synedriis, quia Spiritus docturus esset tunc temporis quid dicendum haberent, et Paulus, 1 Thess. i. 5, dicit, "Verbum Evangelii non fuisse apud ipsos tantum in sermone, sed in virtute et Spiritu Sancto et magna certitudine," &c. quia frustra pulsarentur aures corporis, nisi Deus cor aperiret, et frustra semen jaceretur, nisi Spiritus illud in mentibus radicaret.

XVIII. Hunc autem Spiritum, tum in Verbo, tum in corde operantem de Christo testari palam est. Nam ad evangelium quod attinet, nemo ignorat eum in finem potissimum nobis proponi, ut testimonium reddat Christo, tum quoad personam et naturas, tum quoad officia et beneficia, Joh. xx. 31, "Hæc scripta sunt ut credatis Christum esse Filium Dei, et ut credentes vitam habeatis in ejus nomine," unde passim vocatur testimonium Christi, 2 Tim. i. 8, "Ne te pudeat testimonii Christi," et Apoc. i. 2, 9, Verbum Dei et Testimonium Jesu Christi conjunguntur tanquam ἰσοδύναμα, quia Verbum testimonium Christo perhibet, et Apostoli vocantur

testes, qui veniunt ad testandum, Joh. i. 7, 8; xix. 35, "Discipulus qui vidit testatur, et testimonium ejus est fide dignum," &c. xxi. 24. Hic est "Discipulus qui testatur de istis; et scimus testimonium ejus esse fide dignum;" Si vero Spiritum agentem in corde respicimus, non minus testari dicitur, non sane per modum *objecti*, quasi testimonium aliquod seorsim a verbo per Enthusiasmos et per arcanas inspirationes nobis suggerat, prout vellent Fanatici, quia Spiritus nunquam sejungendus est a verbo, Isa. lix. 21, sed per modum *principii*, quia fidem ingenerando in animis nostris de veritate evangelii nos persuadet: Hinc Christus pollicetur Spiritum testaturum de se, Joh. xv. 26, 27, "Spiritus est qui testabitur de me, et vos etiam testabimini;" Quomodo vero testabitur? quia "capiet de meo et annunciabit vobis," Joh. xvi. 14, id est Doctrinam meam in cordibus vestris imprimet. Sic Paulus, Rom. viii. 16, ait, Spiritum Dei testari cum Spiritu nostro quod simus filii Dei: quia Spiritus adoptionis, qui nobis confertur, argumentum est certissimum filiationis nostræ, tum consequenter et a posteriori, quia adoptionem nostram apud Deum factam confirmat, tum a priori et antecedenter, quia nos ad imaginem Dei renovat, et filios Dei facit per regenerationem. Ita, Act. v. 31, Spiritus dicitur testari de Christo, "Hunc Jesum," aiunt Apostoli, "Principem et Salvatorem dextra sua Deus exaltavit ad dandam pœnitentiam Israëli et remissionem peccatorum, et nos testes sumus horum verborum, et Spiritus Sanctus quem Deus dedit obedientibus ipsi.

Quid per Aquam et Sanguinem notetur.

XIX. Ex quibus liquet quid per Spiritum, quem primo loco proponit Joannes, intelligere voluerit. Videndum jam quid per *Aquam* et *Sanguinem*, quæ in secundo et tertio ordine recensentur, significaverit. Hoc vero et jam ante insinuavimus, et luculentius constare poterit ex verbis præcedentibus, ver. 6, quum ait, "Christum venisse cum Aqua et Sanguine," eo enim jam Apostolum respicere vix dubitari potest; Ergo si semel intelligamus, quid sibi velint ista Joannis verba, facile percipiemus quid per Aquam et Sanguinem testantes innuat. Quid vero Joannes per Aquam et Sanguinem, in quibus Christus dicitur venisse, sibi voluerit, non una est omnium sententia. Alii per *Aquam* designari volunt *Christi baptismum*, per *Sanguinem* vero *mortem*, quia in utroque luculenta testimonia data sunt, quibus declaratum est eum esse Filium Dei; Sed hoc alienius videtur a verbis et scopo Joannis. Alii referunt ad *Aquam* et *Sanguinem*, quæ ex Christi latere perfosso effluxerunt. Verum quamvis non dubitemus Joannem eo respexisse; non putamus tamen in eo sistere voluisse, sed sublimius aliquod mysterium hic designasse. Tutius ergo et verius loqui existimamus eos, qui duo præcipua Christi beneficia connotari hic pertendunt, quæ duobus N. T. Sacramentis obsignantur; *Expiationem* scilicet peccati et *Justificationem*, quæ fit in Sanguine Christi, et *Regenerationem*, quæ fit per Spiritum: Nimirum ut duo mala peccatum post se trahit, reatum et maculam, duo etiam remedia a Christo utrique malo curando adhibenda fuerunt, *Justificatio*, quæ reatum tolleret coram Deo vi sanguinis seu satisfactionis a Christo præstitæ, et *Sanctificatio*, quæ labem et maculam in nobis purgaret per efficaciam Spiritus, qui sæpissime sub nomine aquæ venit in Scriptura: ita bene dicitur Christus venisse per Aquam et Sanguinem, quia duplex beneficium nobis attulit adventu suo; Justificationem in Sanguine, et Sanctificationem in Aqua, dum factus est nobis et Justitia et Sanctificatio, 1 Cor. i. 30. Venit ergo in sanguine expiationis, in aqua purgationis; in sanguine, qui liberet a reatu, in aqua, quæ purget a sordibus; in sanguine qui redimat pretio infinito justitiæ, in aqua, quæ sanctificet per efficaciam gratiæ.

XX. Hoc vero sub Veteri Testamento jam adumbratum fuerat clarissime duobus symbolis, quibus pleræque cæremoniæ constabant, et quibus absolvebatur hominum καθαρισμὸς, Aqua scilicet et Sanguine; licet enim plures essent earum species, tamen sub his duabus tota sanctitatis et justitiæ ratio continebatur; aqua abluebantur sordes, ut nonnisi puri et mundi homines ad Deum accederent; in sanguine vero erat expiatio et reconciliationis cum Deo pignus. Præcipue vero Paulus docet pactionem Veteris Fœderis fuisse in sanguine et aqua, Heb. ix. 19, "Moses accepit sanguinem vitulorum et hœdorum cum aqua;" licet enim apud Mosem in solemni illa fœderis pactione ad quam Apostolus respicit, quæ describitur, Exod. xxiv. 7, 8, nulla facta sit mentio expressa aquæ, potuit tamen Paulus illud habere, vel ex traditione, quam Spiritus Sanctus indendo illius animo sanctificavit et extra dubium collocavit, vel colligere ex analogia, quia alibi sanguis cum aqua conjungebatur, ut in curatione leprosi sanguis avis mactatæ cum aqua miscebatur, Levit. xiv. 6, 51. Ut ergo vetus fœdus pactum fuit sanguine et aqua; voluit pariter novum, quod est antitypus et veritas veteris, sanguine et aqua dedicari, ut ita constaret in Christo solo veritatem et complementum omnium figurarum legalium et ipsius veteris fœderis deprehendi: Atque ideo verum esse Messiam promissum patribus et expectatum a fidelibus, qui plenitudinem habet gratiæ et virtutis ad salutem hominum, et qui solide, et vere præstitit, quæ ad justificationem et Sanctificationem nostram pertinebant, et quæ externis symbolis absolutionum et expiationum legalium tantum erant adumbrata.

XXI. Atque eo procul dubio respexisse arbitramur memorabilem illam passionis Christi circumstantiam, in qua refert Joannes ex latere Christi perfosso effluxisse sanguinem et aquam, Joh. xix. 34; licet enim non insolitum plane et præter naturæ ordinem videri hoc debeat, cum constet in membrana præcordiis vicina seu pericardio aquam contineri, qua ingens cordis æstus refrigeretur, quæ cum sanguine ex corde confosso exire potuit; tamen mysterium sapuit potius hoc effluvium, quam naturam, et si præternaturale quid in eo non fuisset et miraculosum, vix credibile est evangelistam triplicatam illam asseverationem de veritate rei adhibere voluisse, et *qui vidit testatur:* liquor enim ille pericardii nec colore, qui flavus est; nec sapore qui amarus, aquam refert; Hoc vero ita contigisse ad comprobandam Christi mortem dubium esse non potest, nisi enim hoc accidisset, potuissent pertinaces Judæi veritatem resurrectionis in dubium vocare, quasi semivivus adhuc ex cruce detractus fuisset; Verum post hunc casum nulla talis cavillandi ansa potuit superesse, siquidem certum est læso vel aperto pericardio mortem necessario sequi.

XXII. Verum μυστικώτερον quid adumbratum fuisse dubitare non poterit qui Joannem ipsum in hac Epistola audiverit ad ista verba alludentem, *Iste est,* inquit, *qui venit cum aqua et sanguine,* ubi clarum est divinum Theologum ad casum hunc respicere, et hoc tanquam singulare aliquod beneficium et certum veritatis Evangelicæ argumentum proponere. Quid vero hoc facto significatum fuerit, non una est apud Patres sententia. Quidam putant voluisse latus suum aperiri, ut sic fidelibus suis panderet ostium vitæ, et aditum pararet usque ad cordis Divini sacrarium. Alii volunt hic impletum fuisse typum Adami et Evæ; Quemadmodum enim ex latere Adami dormientis exempta fuit costa, ex qua ædificata est illi Sponsa, quam Adam expergefactus sic alloquitur, *hæc est caro de carne mea, et os de ossibus meis;* Ita dum Christus secundus Adamus obdormivit in cruce, ex ipsius latere profluxerunt aqua et sanguis, principia regenerationis Ecclesiæ quæ est ejus sponsa mystica. August. Tr. 120, in Joh. et lib. iii. de C.D.,

c. 26, observat sic significata fuisse duo Novi Testamenti sacramenta, per aquam baptismum, qui est lavacrum regenerationis, et per sanguinem sacram cœnam, quia remissio peccatorum per sanguinem Christi in ea nobis exhibetur: licet vero hæc non sine fructu afferri possint, præcipue tamen videntur sub hisce duobus duo primaria connotari Christi beneficia, justificatio et sanctificatio, quæ sub aqua et sanguine legali adumbrata jam fuerant. Quo respiciunt illa Ambrosii, lib. v. de sacramentis, cap. 1, "Quare aqua, Quare sanguis? Aqua, ut emundaret, Sanguis ut redimeret. Quare de latere? quia unde culpa, inde gratia, culpa per fœminam ex latere Adæ formatam, gratia vero per Dominum Jesum Christum," et in c. xxiii. Luc., "Ex Christi corpore defuncto omnium vita manavit, aqua enim et sanguis exivit, illa quæ diluat, iste qui redimat, bibamus ergo pretium nostrum, ut bibendo redimamur." Aug. tr. 120, in Joannem, "O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid isto vulnere salubrius?

XXIII. Ne vero mirum videatur et insolitum, quod duo ista beneficia Christi, aquæ et sanguinis voce significari diximus, facile ostendi potest non Joannem solum, sed Prophetas ipsos et Apostolos, adeoque Christum ipsum non raro iisdem phrasibus usus fuisse: Et ad Prophetas quidem quod attinet, nihil frequentius occurrit, quam gratiæ Dei salutaris descriptio sub symbolo aquarum, quia instar aquæ nos mundat a sordibus nostris, nos recreat et refrigerat in æstu conscientiæ, ignem iræ Divinæ extinguit, sitim animæ nostræ sedat, et fœcundos nos reddit in bonis operibus. Ita jam loquutus fuerat David, Psal. xlii. 1, et lxiii. 1, 2, et passim Prophetæ, Isa. xii. 3, et xliv. 3, Ezec. xxxvi. et xlvii., Zach. xiii. 1, ubi gratia Dei aquis confertur. Nec aliter loquuti sunt de altero Christi beneficio, quando mortem Christi, et oblationem ejus in sacrificium pro peccato prædixerunt; sanguinem enim effundendum esse necessario supponebant, ut Isa. liii. 6, 7, 8, 10, Psal. xvi. 10, et xxii. 16, imo expressa fit mentio *sanguinis fœderis*, quo educti erant captivi ex fovea, ubi non est aqua, apud Zach. ix. 11, id est non modo liberati fuerant Judæi ex captivitate Babylonica, sed et liberandi fuerunt fideles ex inferno. Ita Apostoli subinde sanguinis Christi meminerunt ad Redemptionem, et lavacri aquæ ad sanctificationem, Paulus Eph. v. 26, Heb. ix. 11, 12, 1 Cor. vi. 11, et x. 16, et xi. 24, 25, 1 Pet. i. 2. Sed Christus ipse non raro hoc duplici symbolo usus legitur, tum aqua, Joh. iii. 5, et iv. 14, et vii. 38, tum sanguine, Luc. xxii. 20, hinc mirum videri non debet, si Joannes, stylum Christi et Prophetarum ac Apostolorum imitatus, dicat Christum venisse cum aqua et sanguine, ut duplex beneficium ex Christi adventu ad nos dimanans designet.

XXIV. Sed ulterius videndum superest, cur Joannes addat, *non venisse tanquam in aqua, sed in aqua et sanguine;* hoc vero addidisse videtur duabus potissimum de causis: 1, ut ostenderet Beneficia ista esse inseparabilia et indivulso nexu inter se conjuncta, 2, ut doceret, licet separari non debeant, non debere tamen confundi, sed tanquam distincta semper spectari. Et conjunctio quidem insinuari debuit, ne quis alterutrum ex istis beneficiis sufficere posse ad salutem arbitraretur. Nam ut frustra satisfactio justitiæ Dei esset exhibita ad remissionem peccati et justificationem peccatoris, nisi continuo eam exciperet sanctificatio ad purgandas peccati sordes, et renovandum peccatorem; Ita renovatio fieri non posset nisi supposita prius satisfactione: Nimirum ut duo obstacula erant, quæ nos a communione cum Deo, in qua felicitas nostra sita est, arcebant; *In Deo justitia*, quæ non patiebatur gratiam ullam peccatori communicari, nisi prius satisfactum esset pro peccato; *In nobis* vero *injustitia* et labes, per quam fiebat, ut ab

ejus communione procul arceremur: quandoquidem nulla potest esse sanctitatis perfectissimæ cum impuritate communio; Ita duo remedia adhibenda fuerunt duplici isti obstaculo removendo: primum quod justitiam Dei placaret, alterum, quod injustitiam nostram purgaret; primum occurrit in Christi sanguine qui expiationem peccati fecit; alterum in aqua, quæ nos abluit ab ejus sordibus. Unde necessarius et indissolubilis nexus duorum istorum beneficiorum patet; qui porro confirmari posset ulterius variis argumentis: Tum ab *Electione*, quæ tendit ad vocationem et justificationem, Rom. viii. 30, ad sanctificationem Spiritus, et obedientiam fidei, et aspersionem sanguinis Christi, 1 Pet. i. 2; Tum a *promissionibus* fœderis gratiæ, quæ inscriptionem Legis in cordibus cum remissione peccatorum conjungunt, Jer. xxxi. 33, 34. Tum a *Christo* ipso, qui ut nobis datus est in vadem et caput; Ita sit nobis justitia et sanctificatio, 1 Cor. i. 30, non solum ut redimat nos ab omni iniquitate, sed etiam ut purificet sibi ipsi in populum peculiarem studiosum bonorum operum, Tit. ii. 14; Tum a *Spiritu*, qui Spiritus sanctitatis et consolationis dicitur; Tum ab *evangelio*, quod fidem et charitatem præcipit; Tum a *sacramentis*, quæ remissionem peccatorum cum sanctificatione nobis obsignant. Nam ut baptizamur in remissionem peccatorum, ita baptismus est lavacrum regenerationis, Tit. iii. 5, et communionis cum Christo symbolum, Rom. vi. 3, 4; Et in Cœna sanguis nobis exhibetur ut effusus in remissionem peccatorum, Matt. xxvi. 28, et ut alimentum vitæ spiritualis, quæ in sanctificatione consistit.

XXV. Ut vero conjunctio istorum beneficiorum in verbis Joannis indicatur; Ita et eorum *distinctio*. Nam frustra dixisset venisse Christum in aqua et sanguine, si unicum tantum beneficium insinuare voluisset, ut Pontificii perperam confundunt justificationem cum sanctificatione; cum tamen distinctissima esse bona, non modo Scriptura clarissime doceat, 1 Cor. i. 30, et vi. 11, sed res ipsa necessario evincat: Nam justificatio est actus forensis, qui fit coram Deo, sanctificatio actus moralis, qui in nobis; Illa nos a reatu liberat, Hæc a macula; Illa in imputatione justitiæ alienæ consistit, Hæc in infusione inhærentis; Illa unico actu peragitur, Hæc vero successive: Optime ergo Joannes aquam a sanguine distinxit, ut sanctificationem a justificatione distinguendum semper et non confundendam ostenderet.

XXVI. Porro quia gemini istius beneficii symbolum et sigillum dare voluit in duobus Novi Testamenti sacramentis, baptismo et s. cœna; hinc factum est, ut utrumque etiam sub aqua et sanguine secundario intelligeretur. Et de *baptismo* quidem non obscurum est illum per aquam designari, cum et hoc voluerit esse ejus signum Christus, et sæpe Scriptura hac notione illum exprimat, Eph. v. 26, Tit. iii. 5. De *cœna* etiam licet rarius occurrat, facile tamen colligitur, cum enim sit communio corporis et sanguinis Christi, 1 Cor. x. 16, quæ instituitur in commemorationem mortis Christi, non abs re sub nomine sanguinis designatur phrasi sacramentali et metonymica, qua nomen signati datur signo, et nomen signi vicissim signato: quomodo *Calix* dicitur esse *Novum Testamentum in Sanguine Christi*, Matt. xxvi.

XXVII. Quibus ita positis proclive est intelligere, quomodo duo isti testes aqua et sanguis concurrant ad testimonium Christo perhibendum: Nam sive illos referamus ad sacramenta, quis non videt ista, utpote Novi Fœderis sigilla, non alium in finem esse instituta, quam ad confirmandas et obsignandas in Ecclesia promissiones gratiæ, et verbum evangelii de Jesu Christo Filio Dei Redemptore nostro? Sive ad beneficia sacramentis illis obsignata, clarum est eidem veritati luculentum testimonium perhi-

beri; Cum enim ad plenam peccatorum remissionem obtinendam justitia et Λύτρον pretii infiniti requireretur, utique Christum verum fuisse Deum Redemptorem nostrum oportuit qui eam nobis attulit, et sanguine suo acquisivit, quam nec sacra omnia Gentilium, nec victimæ omnes legales conferre potuerunt, quia impossibile fuit sanguinem taurorum et hircorum tollere peccatum. Rursus cum ad hominem corruptum renovandum et sanctificandum virtus quædam plane divina necessaria esset, quæ eum in peccatis mortuum suscitaret et novam creaturam faceret, Quis diffiteri potest Christum, qui gratia sua efficaci tale ac tantum opus exequitur, esse vere Dei Filium et Messiam promissum; Quis enim nisi Deus efficere potuit, ut homo, qui natura sua ad amorem sui propensissimus est, sibi ipsi renunciet et rebus quibusque vitæ carissimis posthabitis doctrinam rationi et affectibus plane adversam, quæ nihil nisi crucem et miserias omnigenas denunciat, amplexetur cum gaudio? Quis nisi Deus hominem cæcum illuminare, lapideum emollire, mortuum suscitare, et mira quadam metamorphosi in novam creaturam transformare potuit? Cum ergo gratia Christi hoc subinde in fidelibus operetur miraculum, satis superque divina ejus virtus exinde asseritur et testata fit.

XXVIII. Cæterum quia diximus per sanguinem a nonnullis intelligi constantiam et fidem martyrum, qui moriendo Christo testimonium perhibuerunt, quo pertinet ispa *martyris* et *martyrii* nomenclatio, Videndum annon hæc etiam σχέσις a Joanne indicari potuerit. Hoc autem non difficile est colligere ex prima sanguinis significatione; Nam si per sanguinem innuitur beneficium justificationis, quod consequimur in sanguine Christi, nihil absurdi est si dicamus sanguinem istum Christi, quo expiantur peccata, non modo testari in conscientia cujusque fidelis per sensum remissionis peccatorum et reconciliationis nostræ cum Deo; sed vel inprimis in constantia mirabili martyrum in mediis tormentis, quæ non aliunde oritur, quam ex efficacia sanguinis Christi, quo persuasi de expiatione peccatorum suorum, tormenta quævis non modo patienter, sed et cum gaudio sustinent: ut sic sanguine suo Christi doctrinam obsignent. Ita tria designabuntur, quibus officium Christiani absolvitur, et quibus veluti totidem argumentis veritas Christiana comprobatur, *credere*, *facere*, et *pati*, seu fides, spes, charitas, veritas fidei, quæ per Spiritum, innocentia vitæ, et charitas quæ per aquam, et spes seu constantia in afflictionibus et morte ipsa ex sensu remissionis peccatorum in sanguine Christi, quæ per sanguinem adumbratur.

XXIX. Porro isti testes dicuntur testari ἐπὶ τῆς γῆς *in terra*, per antithesim ad cœlestes, qui dicti fuerant testari in Cœlo; quia licet vis eorum non terrestris sit, sed cœlestis et divina, tamen nec videntur nec audiuntur ant sentiuntur in sublimi, ut superiores, sed se exerunt in Ecclesia, et in animis hominum potissimum qui in terris versantur; Nam sive per Spiritum intelligamus doctrinam evangelii in Ecclesia resonantem, aut donum fidei in corde fidelis impressum, sive aquam et sanguinem referamus ad duo sacramenta Novi Testamenti, sive ad duo Christi beneficia, quæ illis obsignantur; certum est ista omnia in terris vim suam exerere et Christo testimonium dicere, ut non opus sit operosa eorum inquisitione, cum expositi sint in Ecclesia, et in singulis fidelibus operentur.

XXX. Sic vidimus quinam sint tres isti testes, et quale ipsorum testimonium; Superest ut aliquid addamus de eorum *unitate* et *consensu*, quem Joannes innuit, qnum addit εἰς τὸ ἕν εἰσί. Licet autem Complutensis Editio hæc non habeat, retinenda tamen esse non modo probatiores codices evincunt, sed et rei ipsius natura, ut sciremus testes istos omnes in idem prorsus consentire, et ad unum eundemque scopum tendere.

Hic autem ante omnia observandum discrimen unitatis testium cœlestium et terrestrium; nam de illis dixerat Joannes ἕν εἰσι *unum sunt*, sed de istis εἰς τὸ ἕν εἰσὶ *ad unum* vel *in unum sunt*, quod sane non alia de causa factum putandum est, nisi ut significetur diversitas quædam memorabilis, quæ inter testes istos occurrit, ne idem de utrisque censeretur, sed in illis quidem *unitas essentiæ* agnosceretur, in istis vero *unitas* tantum *consensus*, quæ inter res longe diversas potest occurere: cum enim testes isti quomodocunque spectentur, vel externe vel interne, diversæ sint naturæ, quæ aliter coalescere non possunt, quam consensione ad unum idemque testimonium de Christo perhibendum, dicuntur εἰς τὸ ἕν εἰσι in unum veluti tendere, et eo simul concurrere, ut idem de Christo testificentur. Hoc autem memorandum fuit, ne ob naturæ discrepantiam res illæ alio spectare et in diversas partes animos hominum trahere putarentur: quippe non est semper de testibus, qui ad aliquid confirmandum adhibentur, eadem testimonii dictio, sed sæpenumero diversa, imo contraria proferunt, prout majori vel minori rei, de qua testantur, notitia sunt instructi, vel contrariis affectibus ducuntur: Ne ergo tale quid de istis existimaremus, quod dubiam et incertam plane reddidisset fidem nostram, Joannes dicit in unum esse, id est plane inter se concordare et in idem consentire.

XXXI. Quomodo autem in idem consentiant non difficile est ad intelligendum. Nam quomodocunque spectentur, certum est omnes collimare ad demonstrationem Divinitatis Christi et Redemptionis ab ipso factæ; evangelium certe non alio tendit, quam ut "credamus Jesum esse Filium Dei, et ut credentes vitam habeamus per ipsum," Joh. xx. 31. Nec alius Sacramentorum finis, quæ sunt fœderis sigilla, quam ut easdem promissiones in cordibus fidelium obsignent: non alio respiciunt dona interna, quæ in testibus istis includi diximus; Quorsum enim Spiritus fidem in animis nostris ingeneraret, nisi ut credamus Evangelio Dei de Jesu Christo Redemptore nostro? Quorsum vel remissio peccatorum et justificatio in ejus sanguine nobis applicatur, vel regenerationis opus in nobis inchoatur et promovetur in dies per efficaciam gratiæ, nisi ut agnoscamus divinam virtutem Christi in nobis operantis, et salutem inchoatam in dies perficientis?

XXXII. Fundamentum autem istius unitatis, non aliunde petendum est, quam ab indissolubili gratiarum divinarum et beneficiorum Christi inter se nexu: quemadmodum enim arctissime inter se colligata sunt, ut uno posito, cætera necessario sequantur, quod Apostolus in aurea salutis catena, Rom. viii. 29, 30, clarissime demonstravit; Ita in testimonio dicendo non possunt non amice conspirare, et in unum consentire: Nec conveniunt tantum in eo, quod unum idemque objectum respiciant, cui testimonium perhibent, verum etiam in eo quod sibi mutuam præstent operam, et alter alterum confirmet: Nam ut testes cœlestes mutuo sibi testimonium dicunt, Pater testatur de Filii merito, Filius testatur de gratia Patris, et Spiritus Sanctus applicat nobis et obsignat gratiam Patris, et meritum Filii: Ita in testibus istis res se habet; ut enim evangelium sacramenta illustrat, sic sacramenta evangelium confirmant; ut fides probatur per sanctitatem et bona opera, ita sanctitas pendet a fide, et eam semper comitatur, et per consolationem et pacem conscientiæ magis ac magis in nobis confirmatur.

XXXIII. Ut vero ista a Deo in opere salutis conjuncta sunt; Ita a nobis nunquam sunt divellenda; quod Deus conjunxit, homo non separet. Unde patet nec verbum a sacramentis, nec sacramenta a verbo esse separanda, si fructum utrorumque percipere volumus; Nec fidem a

charitate divelli debere, Nec justificationem sine sanctificatione obtineri posse; Talis enim est ac tanta beneficiorum istorum omnium simul ad salutem necessitas, ut qui alterutrum tantum retinere vult, utrumque perdat, et qui utrumque non habet, neutrum possideat; Quid juvaret enim fides sine charitate? vel justificatio sine sanctificatione? vel quomodo persuadere nos possent de veritate evangelica, et certitudine salutis nostræ, nisi partes omnes salutis post se traherent?

XXXIV. His vero ita discussis, superest ut quibusdam scrupulis satisfaciamus, qui ex dictis oriri possunt. Primo quæritur cur Joannes præmittat aquam sanguini, si per aquam regeneratio, per sanguinem justificatio est intelligenda; cum certum sit justificationem præcedere sanctificationem, et neminem a Deo per Spiritum regenerari posse, nisi prius Deus erga ipsum sanguine Filii placatus peccatorum remissionem concesserit. Verum facile respondetur hoc ita recenseri a Joanne, non modo ratione mediorum externorum baptismi puta et S. Cœnæ, in quibus constat baptismum tanquam sacramentum aquæ cœlestis, id est initiationis et regenerationis nostræ præcedere, cœnam vero, quæ est sacramentum mortis et sanguinis Christi, adeoque nostræ per ipsum nutritionis, sequi; Sed etiam ratione mediorum internorum seu beneficiorum Christi quatenus spectantur, non *in se* et a *parte Dei*, sed *quoad sensum* et *a parte nostri;* Nam in se et a parte Dei præcedit sanguis aquam, quia prius placatur nobis Deus, antequam nos regeneret; sed a parte nostri, et quoad sensum præcedit aqua sanguinem, quia non posset esse cognita nostra justificatio, nisi posita regeneratione; Nec *consolatio* quæ per *sanguinem* designatur, posset percipi, nisi posita *renovatione* quæ per *aquam*, ut renovationi locus in nobis non esset, nisi data *illuminatione* et dono fidei, quæ per *Spiritum* innuitur.

XXXV. Secundo quæritur, An ex eo quod per sanguinem s. cœnam intelligimus, sequatur præsentia realis et substantialis sanguinis Christi in cœna, ut pertendunt nonnulli ex Lutheranis, et inter eos Gerhardus, qui inter alia porismata vult inde colligi, realem, veram, et substantialem sanguinis Christi in cœna præsentiam, hoc argumento; Si voce sanguinis cœna intelligitur, necesse est sanguinem esse sub vel cum visibilibus elementis reipsa præsentem in cœna, quemadmodum aqua quæ conjungitur in baptismo, At verum prius, Ergo et posterius; nec enim posset eo nomine designari, nisi sanguis ibi præsens esset. Sed quis non videt consequentiam vacillare? Nec enim si voce sanguinis significatur cœna, sequitur sanguinem debere esse præsentem substantialiter sub elementis, quia sic appellatur non proprie, sed figurate per metonymiam sacramentalem, quia est signum et sigillum sanguinis Christi, ut liquet ex phraseologia sacramentali, per quam ut sæpe nomen signi datur signato; ita nomen signati signo; Eadem phrasi *panis* dicitur *Corpus Christi, et calix Novum Testamentum in sanguine Christi;* non proprie, quia disparatum de disparato proprie prædicari non potest, sed tantum tropice; quicquid hic Pontificii pro ῥητῷ adstruendo moliantur. Nec ratio petita ab aqua, quæ sanguini conjungitur, et quæ in baptismo videtur, hoc evincit: Nam si baptismus per eam designatur, patet denominationem istam sumi a signo et elemento, quod præsens debet esse localiter, non a re significata, quæ talem præsentiam non potest admittere.

XXXVI. Atque hinc colligitur quænam præsentia sanguinis et corporis Christi in cœna sit intelligenda; non *localis* per indistantiam, quasi sanguis semel in cruce effusus quærendus adhuc esset in terris, et in os ingerendus, et in venas transfundendus, hæc enim et veritati corporis Christi, et ascensioni ejus locali in cœlum, et sacramenti istius naturæ,

quod institutum est in memoriam Christi absentis, aperte repugnat; Sed partim *sacramentalis* et *symbolica* in signis quæ illa repræsentant, et ex ordine Dei obsignant, partim *spiritualis* et *mystica* fidei digne participantium, quatenus vera fide amplectendo Christum pro se mortuum, fiunt participes carnis et sanguinis ejus, id est perfectissimi meriti et virtutis vivificæ mortis ejus, atque ita in unum corpus cum ipso coalescunt. Unde *Unio* nostra cum Christo *substantialis* sequitur ratione *personarum*, et *communio realis*, sed mystica ratione *beneficiorum*.

XXXVII. Tertio quæritur, An, quia Spiritus dicitur testari in nobis, faveat hoc enthusiastarum delirio, qui Spiritum privatum jactant, et arcanas ejus revelationes? Resp. Neg. quia, ut visum antea, Spiritus iste testans in corde, nunquam divellendus est ab eodem in Verbo testante, nec testimonium perhibere censendus est *objective*, per privatas revelationes seorsim a verbo, sed *efficienter* per demonstrationem et applicationem veritatis in verbo propositæ, atque ita duo ista non opponenda sunt, sed componenda, ut nec Verbum sine Spiritu operetur, nec Spiritus sine verbo. Quod alienissimum est a mente fanaticorum, qui sub prætextu privatarum revelationum, Scripturam tanquam literam mortuam et occidentem susquedeque habent. Nec talis Spiritus potest dici privatus, licet enim possit utcunque eo nomine designari *subjective*, quia est in singulis fidelibus, non potest tamen talis censeri *originaliter*, quia idem est Spiritus in omnibus qui omnia operatur, 1 Cor. xii. 4.

XXXVIII. Porro ex triplici isto testimonio tum cœlesti tum terrestri invicta formatur veritatis evangelicæ demonstratio; Nam quod divinis testimoniis et in cœlo et in terra παναρμονικῶς inter se consentientibus evidentissime confirmatur, tanquam extra omnem dubitationis aleam positum, citra ἐποχὴν firmissime credendum est, nisi Deum volumus facere mendacem, quod omnium criminum longe teterrimum. Jam Jesum Nazarenum esse æternum Dei Filium, qui in carne venit, verum Messiam et Redemptorem nostrum in cujus solius nomine vita æterna credentibus offertur et confertur, quæ summa est et compendium evangelii, unanimi cœli et terræ consensu comprobatur, nec aliud clamant, vel Personæ divinæ in cœlis, vel earum beneficia in terris: E. hoc tanquam certissimum et æternæ veritatis oraculum, fidei nostræ fulcrum ἀσάλευτον, et religionis Christianæ immotum fundamentum retineri semper debet, ut plane sit ἀναπολόγητος, qui tam admirabilium testium nubi incredulitate sua adhuc refragari audet.

XXXIX. Ut vero in eo summam et ineffabilem Dei erga nos bonitatem mirari decet, qui certitudini fidei nostræ hoc modo prospectum voluit; Ita æquum est nos huic divino testimonio sic acquiescere, ut ad testimonium humanum in confirmanda verbi divini authoritate, et cœlestium mysteriorum veritate, confugere non liceat: quod Pontificii perperam vellent, Scripturæ authoritatem ab Ecclesiæ testimonio suspendentes, quasi Deus ab homine, et æterna atque infallibilis Creatoris veritas, a fallibili et incerta Creaturarum voce penderet. Absit vero ut tanti criminis reatum in nos accersamus, Quin potius devota mente, Dei de seipso testimonium irrefragabile suspicientes, æternæ veritatis et αὐτοπιστίας laudem illi tribuamus. Et si testes istos divinos utrobique testantes audimus, et verbo et opere, illis etiam pro virili respondere satagamus; si Spiritus clamat, fide credamus; si sacramentis dominicis initiati et confirmati sumus, caveamus ne impietate nostra vim eorum irritam reddamus, et sigilla tanti fœderis perfide abrumpamus: Imo aqua semel loti, et sanguine tincti, justificationis beneficium et regenerationis gratiam, per fidem et sanctitatis studium, ita in animis nostris confirmemus, ut nulla

in posterum de his dubitandi detur occasio; donec ad unitatem fidei et consummationem felicitatis omnes perveniamus, ubi in rem præsentem deducti, et ab omni peccati labe et reatu immunes, nullis amplius testibus, vel symbolis externis opus habebimus, quia non amplius visuri sumus δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, sed πρόσωπον πρὸς πρόσωπον: et ipse Deus futurus est πάντα ἐν πᾶσι. Amen.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE BAPTISMO NUBIS ET MARIS.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE BAPTISMO NUBIS ET MARIS.

Ex 1 Cor. x. 1, 2.

Respondente Joanne Sartorio *Genevensi.*

I. Inter varia miracula, quæ Deus olim in gratiam populi Israëlitici edidit, nullum videtur illustrius, nullum certe μυστικώτερον fuit, insigni illa *columna nubis*, qua illum texit, et mirabili *per mare rubrum transitu.* Ideo Spiritus Sanctus non semel ad utrumque respicit, non modo ut in rei admirabilitate providentiam Dei paternam erga populum suspiceremus, sed etiam ut mysteria ibidem latentia attente scrutaremur. Quod cum Paulus eximie et divine more suo exequatur in celebri, quem ventilandum suscipimus, loco, fructu non carituram operam nostram sumus arbitrati, si paulo penitius in ejus genuinum sensum inquiramus.

II. Extat ille primæ ad Cor. x. 1, 2, ubi Paulus agens de variis beneficiis populo Dei olim collatis, quæ sacramentis nostris analogice respondent, sic ait, "οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὅτι πάντες οἱ πατέρες ἡμῶν ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, καὶ πάντες διὰ της θαλασσης διῆλθον, καὶ πάντες εἰς τον Μωσῆν ἐβαπτίσαντο, καὶ ἐν τῇ νεφέλῃ, καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ: Nolo vos ignorare, fratres, quod Patres omnes nostri fuerunt sub nube, et per mare transiverunt, Et omnes in Mosem baptizati sunt, in nube, et in mari." Ubi duo expendenda veniunt: 1. miraculum ipsum historice et in litera, 2. mysterium sub historia et litera latens. Prius innuitur ab Apostolo versu primo, quando ait, *Patres fuisse sub nube, et transivisse per mare,* Posterius describitur secundo, quum addit, *Baptizatos fuisse in Mosem, in nube et in mari.*

III. Scopus Apostoli est dehortari Corinthios ab idololatria, scortatione, et similibus peccatis, quæ justa Dei judicia in ipsos certissime accersitura erant, exemplo petito ab Israëlitis in deserto, qui talibus peccatis impliciti, gravissimas pœnas effugere non potuerunt, quod persequitur, ver. 7, 8, 9, 10. Ne vero exciperent Corinthii, aliam esse rationem Christianorum, qui majoribus beneficiis donati sunt, et qui gaudent inprimis baptismi et s. cœnæ sacramentis, quam Israëlitarum, qui illis destituebantur: Paulus ostendit non disparem esse hac in parte utrorumque conditionem, quia ejusdem fœderis nobiscum participes, suum etiam Baptismum in

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE BAPTISMO NUBIS ET MARIS.

Ex 1 Cor. x. 1, 2.

Respondente Joanne Sartorio *Genevensi.*

I. Inter varia miracula, quæ Deus olim in gratiam populi Israëlitici edidit, nullum videtur illustrius, nullum certe *μυστικώτερον* fuit, insigni illa *columna nubis*, qua illum texit, et mirabili *per mare rubrum transitu.* Ideo Spiritus Sanctus non semel ad utrumque respicit, non modo ut in rei admirabilitate providentiam Dei paternam erga populum suspiceremus, sed etiam ut mysteria ibidem latentia attente scrutaremur. Quod cum Paulus eximie et divine more suo exequatur in celebri, quem ventilandum suscipimus, loco, fructu non carituram operam nostram sumus arbitrati, si paulo penitius in ejus genuinum sensum inquiramus.

II. Extat ille primæ ad Cor. x. 1, 2, ubi Paulus agens de variis beneficiis populo Dei olim collatis, quæ sacramentis nostris analogice respondent, sic ait, "*οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, ὅτι πάντες οἱ πατέρες ἡμῶν ὑπὸ τὴν νεφέλην ἦσαν, καὶ πάντες διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον, καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο, καὶ ἐν τῇ νεφέλῃ, καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ*: Nolo vos ignorare, fratres, quod Patres omnes nostri fuerunt sub nube, et per mare transiverunt, Et omnes in Mosem baptizati sunt, in nube, et in mari." Ubi duo expendenda veniunt: 1. miraculum ipsum historice et in litera, 2. mysterium sub historia et litera latens. Prius innuitur ab Apostolo versu primo, quando ait, *Patres fuisse sub nube, et transivisse per mare*, Posterius describitur secundo, quum addit, *Baptizatos fuisse in Mosem, in nube et in mari.*

III. Scopus Apostoli est dehortari Corinthios ab idololatria, scortatione, et similibus peccatis, quæ justa Dei judicia in ipsos certissime accersitura erant, exemplo petito ab Israëlitis in deserto, qui talibus peccatis impliciti, gravissimas pœnas effugere non potuerunt, quod persequitur, ver. 7, 8, 9, 10. Ne vero exciperent Corinthii, aliam esse rationem Christianorum, qui majoribus beneficiis donati sunt, et qui gaudent inprimis baptismi et s. cœnæ sacramentis, quam Israëlitarum, qui illis destituebantur: Paulus ostendit non disparem esse hac in parte utrorumque conditionem, quia ejusdem fœderis nobiscum participes, suum etiam Baptismum in

nube et mari, et suam eucharistiam in manna et in petra, obtinuerunt. Unde colligit, Deum non parciturum Christianis peccantibus, licet eximia beneficia a Deo acceperint, quemadmodum non pepercit Judæis idololatris et scortatoribus, licet sub eodem fœdere similibus privilegiis donati fuerint : *Nolo vos ignorare, fratres*, &c.

IV. Ut ergo ad primum miraculum, *columnam* scilicet *nubis*, accedamus, Historia ejus refertur a Mose, Exod. xiii., dum ait, postquam Israëlitæ profecti sunt e Succoth, ut iter suum persequerentur, "Dominum præcessisse eos ad ostendendam viam per diem, in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore, nunquam defuisse columnam nubis per diem, et columnam ignis per noctem coram populo." Sic capite 14, notat Historicus sacer, Angelum, qui præcedebat castra Israëlitarum, abiisse post eos, et cum eo pariter columnam nubis, et stetisse inter castra Israëlis et Ægyptiorum, et istis quidem fuisse nubem tenebrosam, illis vero lucidam. Nolumus multis inquirere, vel in materiam, vel in figuram, vel in motum istius nubis. Nam quoad *materiam*, certum est fuisse corpus quoddam aëreum in similitudine nubis, sed quod miraculose et extra ordinem a Deo formatum erat ad usum peculiarem populi; quippe materia nubium talis non est, quæ possit tandiu durare, et vices illas constantes habere. *Figura* colligitur ex eo, quod dicitur fuisse in speciem *columnæ*, sed ita in altum evecta erat, ut a toto populo facile conspici posset, et noctu quidem debuit assurgere in figuram pyramidalem igneam, interdiu vero paulo latius expandi ad modum nubis, alias non potuisset populum ab æstu Solis tueri, eumque obumbrare. *Motus* etiam non fuit ordinarius, sed plane extraordinarius ad impulsum angeli, qui, quoties movenda erant castra, movebat nubem, ut viam populo præmonstraret, quoties vero castra metanda erant, nubem immotam firmabat: quomodo vero tam constans fuisset motus et quies istius nubis sine peculiari angeli impulsu, cum nubes aliæ et figuram subinde mutent, et ventis huc illuc propellantur?

V. Si quæratur porro, An columna nubis et ignis una eademque fuerit, an diversæ? Sunt qui duplicem statuunt, unam *nubis*, *ignis* alteram, ut "Procopius, ἡμέρας μὲν ἐν στύλῳ νεφέλης, την δὲ νύκτα ἐν στύλῳ πυρὸς, δι'ἀμφοτέρα δὲ ἐνυποῦτο Χριστὸς." Satius tamen est cum *Justino* unam et eandem nubis et ignis columnam statuere, cujus duplex φάσις esset et duplex usus, quæ pro diversis vicibus nunc nubis, quæ interdiu magis esset conspicua, et umbraculi loco esse poterat, nunc vero ignis qui noctu colluceret, quo exercitus totus collustraretur, speciem referret. Quo respiciunt illa Salviani de Provid. l. i. c. 29, "Victrix ingreditur eremum sine bello gens Hebræorum, agit iter sine itinere, viatrix sine via, prævio Deo sequens mobilem columnam, nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diversitates pro tempore sumentem, scilicet ut diei lumen lutea obscuritate distingueret, et caliginem noctis flammeo splendore claritatis irradiaret." Moses non obscure hoc innuere videtur, Exod. xiv. 20, quando ait, columnam unam eandemque caliginis instar habuisse ex altera parte, qua Ægyptios respiciebat, ex altera vero qua Hebræos spectabat, lucem claram præbuisse, et mox "Deum e columna nubis atque ignis," utpote quæ una eademque fuerit, *prospectasse*, ver. 24.

VI. Quorsum autem Deus columnam illam in populo erexerit, rationes variæ reddi possunt, quæ totidem usus ejus designant: 1. Ut esset *Præsentiæ divinæ symbolum*, hoc enim signo testabatur Deus se adesse populo suo, et quem semel ex hostium manibus eripuerat, nolle deserere; licet vero potuisset invisibili sua providentia illum comitari, voluit tamen symbolum externum adhibere, ut ruditati populi sese accommodaret, qui cum

rebus spiritualibus et invisibilibus minus esset assuetus, opus habuit signo aliquo externo, ne se omni numine destitutum putaret, sed ut fide Dei ductoris et protectoris aleretur. *Nubem* autem non sine causa selegit ad id ipsum, tum quia conveniens erat modus iste revelationis humanæ imbecillitati, tum temporis illius dispensationi. Nam cum Deus sit lux inaccessa et ignis consumens, nemo splendorem gloriæ ejus ferre posset, nisi radii isti quadantenus temperarentur, adeoque per miram συγκατάβασιν se nobis accommodaret, et ignem illum devorantem nubis umbraculo mitigaret. Accedit etiam temporum illorum ratio, cum enim obscurior esset adhuc revelatio præ Novi Testamenti luce, ideo in nube et caligine exhiberi voluit, quæ doceret tempus fuisse infantiæ et obscuritatis, præ splendore Evangelii, in quo non amplius Deus in caligine et nube obscura se nobis videndum præbet, sed retecta facie in speculo evangelii clare contemplandum sistit, 2 Cor. iii. 18.

VII. 2. *Directionis medium*, ut populum suum dirigeret in itinere suscepto, tum *viam commonstrando*, per vastas illas et invias solitudines, ubi nulla viarum apparebant vestigia, quem in finem viatores etiamnum hodie uti coguntur instrumentis quibusdam, quasi pixidibus nauticis ad indicandas mundi plagas, et dirigendas profectiones; Tum *tenebras noctis discutiendo*, quæ iter alioqui cognitum remorari potuissent, unde, Psal. lxxviii. 14, "Deduxerat eos nube interdiu, et tota nocte lucente igne." 3. *Protectionis organum*, tum adversus hostium insultus, quia intercedens columna ista separabat Israëlitas ab Ægyptiis, nec patiebatur istos ad illos accedere, tum adversus Solis æstum, qui in locis illis calidioribus solet esse intensissimus, unde Psal. cv. 39, "Expandit nubem in protectionem eorum." 4. *Vindictæ divinæ adversus Ægyptios argumentum;* Nam quæ nubes lucida erat a parte Israëlitarum, tenebrosa erat Ægyptiis, quæ caliginem ipsis inducebat, non modo ut eos disterminaret ab Israëlitis, sed etiam ut horrorem itineris in transitu maris tollendo, facilius Israëlitas insequerentur, et undis maris obruerentur. Quum ergo Paulus dicit, *Patres fuisse sub nube*, non obscurum est voluisse notare Dei erga ipsos beneficium. Sane sub cœlo omnes sumus, et nubibus tegimur, et si nihil aliud voluisset Apostolus, hoc tanquam peculiarem Dei gratiam prædicare non potuisset; Sed nubem illam intelligit singularem, quæ præsentiæ, directionis, et protectionis fuit symbolum, ut corda fidelium eveheret ad extraordinarii istius miraculi contemplationem.

VIII. Sed non minoris est momenti alterum quod additur, *Transitus* scilicet *per mare*, cujus historia narratur, Exod. xiv., cum enim Ægyptii persequerentur Israëlitas, Deo indurante cor Pharaonis, ut in ejus exitio potentiam suam et justitiam demonstraret, Rom. ix. 17, et Israëlitæ constricti undiquaque essent, a tergo, Pharaonis exercitu, a fronte, maris gurgitibus, a latere vero montibus inaccessis, et ita omnis salutis via prærepta videretur, Moses jussu Dei mare virga sua scindit, et viam aperit Israëlitis, qui per medium sicco pede transeuntes, aquis hinc inde instar murorum in aggerem congestis, in littus oppositum salvi et incolumes evadunt; Ægyptii vero cæco impetu eos persequentes, aquis absorpti misere omnes pereunt, quod versibus optime expressit Sedulius:

Pervia divisi patuerunt cærula ponti
In geminum revoluta latus, nudataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis Pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas metuerunt marmora plantas,
Mutavit natura viam, &c.

Quod opus tam admirabile visum est et tanti momenti ad institutionem fidelium Scriptoribus sacris, ut sæpissime ejus mentionem facere et eo respicere voluerint, ut Psal. lxxviii. 13, et cxiv. 3, 5, et cxxxvi. 13, Isa. xliii. 2, 16, et alibi non semel.

IX. Non nos latet equidem, atheos et libertinos cavillis suis fidem isti miraculo quocunque modo conari detrahere; Hinc quidam ex schola Porphyrii ut miraculum elevarent, confinxerunt Mosem peritissimum naturæ observasse æstum Erythræi maris, et refluente illo suos traduxisse, Pharaonem autem et Ægyptios id ignorantes, cum ipsum sequi conarentur, fluctu maris obrutos periisse; Alii ventum vehementem potuisse sine miraculo scissuram hanc facere; Alii denique, magiæ Mosem insimulant, qui præstigiis, mendacibus prodigiis populo imposuerit, ut viderentur sibi transire sicco pede mare rubrum, quod non fecerint tamen, vel manna pasci, et aquis ex rupe potari, cum tamen nihil reipsa tale contigerit. Verum vanitas talium figmentorum facile dignosci potest; Nam quoad prius, quid absurdius quam tribuere æstui maris, vel vento naturali scissionem istam, qua aquæ hinc inde instar muri constiterint, ut in medio via pateret? fateor quidem æstum in recessu facere, ut littus maris aliquando aquis destituatur, et ventum posse ad quædam momenta cursum alicujus fluvii sistere, ut visum non ita pridem in Rhodano nostro. Verum ubi unquam visus est scindere ipsum mare latitudine quatuor circiter leucarum, prout hic scissum dicitur, ut media parte siccum apparuerit, hinc vero et inde aquæ consisterent, non ad momenta, sed ad plures horas? Deinde si Moses talem æstum observasset, an versimile est Ægyptios, qui ad mare habitabant, hoc ignorasse, et præsentissimo periculo se exponere voluisse? Ad alterum vero de impostura Mosis, mendacium est mendacissimum, quod circumstantiæ omnes arguunt: Nam si impostor fuit Moses, qui Israëlitas decipere voluerit, id factum procul dubio, quia speravit se id Israëlitis persuasurum; Sed quo tandem pacto potuit hoc in animum inducere suum, cum ad eos scriberet, qui vel auriti vel oculati testes rerum gestarum fuerunt, cum de iis scriberet, non quæ ante multa sæcula gesta erant, sed hoc ipso tempore, non clam et in angulo, vel noctu et coram paucis testibus, qui facile corrumpi potuissent, sed palam et sub oculis sexcentorum millium hominum, qui poterant ejus mendacia arguere? An potuit sperare nullum repertum iri in populo, qui de istis dubitaret, vel qui ab Ægyptiis rerum gestarum veritatem non requireret? Rursus quomodo fascinare potuit oculos tantæ multitudinis, ut crederent se transire sicco pede mare rubrum, quod non fecerint tamen, vel manna sustentari, quod non gustaverint, vel aquis potari, quas non viderint? Denique si impostorem egit Moses, Cur hoc illi nunquam exprobrant Israëlitæ? qui sæpius murmurantes adversus ipsum, non reticuissent omnino, si quid tale de ipso credidissent?

X. Non inutile autem est quærere, An recta Israëlitæ transierint per mare rubrum ex littore Ægypti usque in littus Arabicum illi oppositum; An vero via semicirculari in medio mare facta, ex Ægypti littore profecti in idem littus reversi fuerint? Certum quidem in ista esse sententia plures ex Judæis, qui volunt populum ideo tantum mare ingressum, ut suffocarentur Ægyptii, adeoque aliquo usque progressum per modum semicirculi rediisse ad idem littus; quæ videtur firmari, tum ex eo quod Israëlitæ viderunt cadavera Ægyptiorum in littore, scilicet Ægyptiaco, quod erat propinquius, non Arabico, tum ex eo quod, Num. xxxiii. 8, dicuntur iter fecisse per desertum Ethan, quod situm est ad littus maris occidentale desertum spectans, ubi ante ingressum jam erant: Accedit etiam

maris latitudo, quæ cum fit juxta Ptolemæum quindecim circiter milliarium Germanicorum, non sit verisimile populum tam numerosum per integrum triduum iter fecisse per mare, vel unius noctis spatio hoc emetiri potuisse. Longe tamen verius est, Hebræos ab uno littore ad aliud oppositum profectos totam illam maris latitudinem, quæ eo loci quatuor circiter leucarum erat, pertransiisse; hoc enim non modo facit ad magnitudinem miraculi extollendam, sed verbis Scripturæ apprime convenit, quæ transitus expresse meminit passim, διῆλθον διὰ τῆς θαλάσσης, et Heb. xi. 29, "Per fidem transierunt mare rubrum." Sic Nehem. ix. 11, "Mare divisisti ante eos, transiverunt per medium maris in sicco, persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas," quod dici non posset, si fuisset tantum circuitus; Josephus hoc confirmat lib. ii. Antiquit. dum ait, Hebræos in adversum littus transivisse. Nec obstat quod viderint Ægyptios in littore, quia poterunt Ægyptii submergi in vicinia littoris Arabici, non Ægyptiaci, nimirum furenter persequentes Israëlitas, potuerunt pervenire ad littoris adversi, quo lli jam emerserant, viciniam, ibique divina accedente operatione per subitam tempestatem aquis recurrentibus et Israëlitis videntibus submergi, ut sequenti statim die cadavera mortuorum fluitantia efferrentur ad illud littus, in quo Israëlitæ substiterant, non tantum ad majorem ipsorum exultationem, sed etiam ut hostibus devictis spolia detraherent, iisque se ditare et armare possent ad sequentia bella. Quod additur de *deserto Ethan* non magis stringit, quia desertum fuit vastissimum, et tota illa regio usque ad montem Sina tam intra quam extra extremitates maris rubri hoc nomine intelligitur, ut non mirum sit, si ante et post transitum in eodem deserto fuerunt. Denique quoad maris latitudinem, licet in medio possit esse quindecim leucarum, cum tamen longe strictius sit in extremitate, seu parte superiori, ubi transierunt Israëlitæ, ut observant Geographi, latitudo ejus non potuit extendi ultra quatuor leucas, ut Hebræi in suo transitu impendere potuerint quinque vel sex horas, id est a media nocte ad auroram. Interim certum, tot hominum et animalium myriades non transivisse pure naturaliter, sed et miraculose, Deo iter istud insolitum maturante et accelerante.

XI. Quia vero Paulus, Heb. xi. 29, Transitum istum fidei Israëlitarum tribuit, *per fidem*, inquit, *transierunt mare rubrum*, videndum quid hic fides contulerit. Certum equidem hoc opus fuisse proprie omnipotentiæ Dei, cui ut nihil est impossibile et impervium, "quia facit quicquid lubet in cœlo et in terra," Psal. cxv. 3, non modo cum mediis et juxta consuetum naturæ ordinem, sed et sine mediis, et supra media, et contra naturæ ipsius leges ordinarias, Ita facile potuit et mare ipsum scindere et viam populo suo aperire. Nec si Moses virga sua utitur ad hoc exequendum, propterea laus illius operis ipsi debetur, fuit enim tantum instrumentum morale, ad cujus præsentiam Deus ipse operabatur: Quia tamen fides conditio fuit necessaria a parte populi ad beneficii istius consecutionem, hinc fit ut fidei ipsi miraculum tribuatur, non proprie et in se, ratione virtutis ejus, sed relate ad objectum quod amplectebatur, puta promissionem Dei et omnipotentiam ejus, quomodo Paulus tribuit fidei ibidem expugnationem murorum Jericuntinorum, extinctionem ignis, &c., et alibi justificatio nostra et salus fidei adscribitur non meritorie vel dispositive, sed organice tantum et objective. Et sane ut Christus miracula nolebat præstare propter incredulitatem hominum, Matt. xiii. 58, Ita nec Deus voluisset hoc opus exequi in gratiam Israëlitarum, nisi per fidem illud sibi persuasissent; Nec obstat quod multi increduli fuerint in populo, Dominus enim paucorum fidei hoc concedit, ut sicco pede tota

multitudo per mare transiret, ut fides Rahabæ cognationem liberavit, et fides Noachi familiam servavit.

XII. Cæterum fidei hoc optime acceptum fertur, quia sola fides potuit Israëlitis persuadere hoc miraculum, cum rationi et sensui contraria omnia viderentur. Quis enim si naturam consuluisset, potuisset in animum suum inducere, elementum hoc fluidum ita firmari posse, ut ad modum muri hinc inde consisteret, et transitum facilem in medio sinu suo et per aridam concederet? hoc sane sola fides, quæ omnipotenti Dei Verbo nititur et supra rationem assurgit, credere potuit. Quod luculentum est fidei virtutis argumentum, cui omnia sunt possibilia, Marc. ix. 23. Illa viam in locis inviis invenit, omnia illi cedunt, abyssus, montes, valles. Illa Jonæ aperit ventrem ceti, Paulo et Petro portas carceris, Danieli claudit ora leonum. Illa Solem sistit, ignem reprimit, panem ex nubibus, aquas ex petra elicit. Unde maximum fideli oritur solatium; in quocunque enim discrimine versetur, licet ad incitas videatur redactus, ut nulla salutis et liberationis pateat via, fides desperare eum vetat, imo sub spe contra spem credere jubet, Rom. iv. 18, sub spe divina contra spem humanam, sub spe gratiæ contra spem naturæ, quum in memoriam illi revocat eum, qui in mari viam invenit, et qui per abyssos horribiles populum tuto deduxit, felicem ex gravissimis quibusque angustiis exitum facile largiri posse, quo pertinent illa, Isa. xliii. 16.

XIII. Rursus præter Omnipotentiæ divinæ testimonium, occurrit etiam hic duplex memorabile Providentiæ ejus optimæ et justissimæ argumentum. Primo in eo quod in isto opere justitiam et misericordiam exerere voluerit, Istam quidem erga populum suum, cujus saluti in transitu isto prospexit, Illam vero in Ægyptios, quos hac ipsa ratione perdere voluit; Nam ubi alii transitum, alii sepulchrum inveniunt, eadem media quæ illis salutem, istis exitium afferunt, transeunt Israëlitæ, absorbentur Ægyptii. Sic aquæ diluvii, quæ sustinent et extollunt Arcam et Noachum servant, perdunt et inundant superba regum palatia, et impios misere suffocant. Ita afflictiones, quæ salutares sunt piis, impiis sunt exitiales, mors quæ fideli transitus est ad vitam, infideli est ultima linea, et gurges, quo absorbetur sine ulla spe salutis. Secundo hinc etiam patet, impiorum pœnam justissimo Dei judicio sæpe respondere peccatis, et quod ait Sapiens, c. xi. 17, "per quæ quis peccat, per eadem cruciari;" Ægyptii barbarie nefanda masculos Israëlitarum aquis fluvii mergentes, sub aquis maris merguntur. Ita Adonibezec, qui amputaverat summitates manuum et pedum 70 Regibus, talia et ipse patitur, Judic. i. 7, "sicut feci, ita mihi reddidit Deus," inquit. Eo pertinet qoud Deus fusionem sanguinis fusione sanguinis vult plecti, Gen. ix. 6. "qui sanguinem fuderit, sanguis ejus fundetur," et Christus, Matth. xxvi. 52, "qui gladium acceperit, gladio peribit," Isa. xxxiii. 1, "Væ tibi qui prædaris, annon prædam patieris? cum consummaveris devastationem devastaberis."

XIV. Quæri vero hic potest, Cur Deus, qui poterat eos longe breviori via in Canaan per terram Philistæorum deducere, in qua nec montes superandi, nec mare transeundum erat, voluerit eos per viam deserti circumducere, longe asperiorem et laboriosiorem, in qua hærendum illis fuit per quadraginta annos? Resp. Hoc non sine gravibus causis a sapientia Dei sic dispensatum fuisse; 1. Ne scilicet in ipso peregrinationis initio, hostibus ferocibus et bellicosis, quales erant Philistæi, expositi, et periculoso impliciti bello, de reditu in Ægyptum cogitarent, quod Moses notat, Exod. xiii. 17, 18, "Non eos duxit per viam terræ Philistæorum quæ vicina est, nam Deus dixit ne forte pœniteat eum, si viderit prælium, et revertatur in Ægyptum." 2. Noluit eos statim ab initio ducere

in terram promissam, quia voluit eos probare in deserto per plures annos, atque ita dare symbolum dispensationis, qua utitur erga fideles; ex quo enim redempti sunt a Christo, non vult statim eos recipere in cœlum, sed per desertum mundi eos circumducit, et peregrinationem Canaanem cœlestem versus vult instituere, ut fides eorum et constantia exploretur. 3. Voluit hac ratione expectare donec Cananæorum mensura impleretur. 4. Denique sic voluit locum dari illustri miraculo, quo pertinaciam et indurationem Pharaonis et Ægyptiorum gloriose erat ulturus, et populum mirabili et inexpectata ratione liberaturus.

XV. His ita præstructis ad historicam miraculorum istorum cognitionem, Jam mysterium sub illo cortice latens scrutandum est penitius. Hæc enim omnia alio respexisse, si non doceret Apostolus, satis tamen ipsa rei natura demonstraret. Cum enim hæc fuerint beneficia fœderis gratuiti, quibus Deus se illorum Deum testabatur, eoque tanquam peculium et λαὸν περιούσιον sibi consecrabat; dubium non est, Deum, qui non tam corpora quam animas, nec tam terrenam et temporalem liberationem, quam æternam et cœlestem salutem respicit, altius mentes ipsorum evehere voluisse, ut hæc omnia non tantum essent liberationis corporeæ organa et media, sed potissimum pignora et symbola gratiæ et redemptionis spiritualis in Christo, et beneficiorum spiritualium postea exhibendorum typi. Et sane ut liberatio populi typus fuit Redemptionis nostræ, Pharao Diaboli, Ægyptus mundi, Agnus Paschalis Christi, Canaan Cœli, et iter per desertum peregrinationis nostræ in terra; Ita dubium non est, quin et columna nubis et transitus per mare aliquid μυστηριῶδες habuerint, ut præter σχέσιν historicam in illis, σχέσις σημαντικὴ, et σφραγιστικὴ seu esse sacramentale et mysticum sit necessario attendendum. Scio quidem ad hoc probandum a variis laudari verba Apostoli, ver. 6, istius capitis, quum ait, Ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν *ista typi nobis fuerunt*, et ver. 11, in eundum sensum, Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις,, "Hæc omnia contingebant ipsis in exemplum." Verum, si accurate verba ejus et seriem orationis attendimus, minus recte; Nam ταῦτα πάντα de quibus ver. 6, et 11, non ad nubem, mare, escam, et aquam referuntur; Sed ad judicia et supplicia ante commemorata respiciunt, quæ iis ipsis, qui beneficiorum illorum participes extiterant in deserto, divinitus fuerant inflicta; quod Apostolus diserte docet, quum verbis proximis subjungit, ver. 6, "εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐπιθυμητὰς κακῶν, ne simus concupiscentes malorum." Si enim quaratur, quinam isti sint typi, aut quo fine nobis ob oculos propositi? respondet, "at ne rerum malarum concupiscentes simus," quod ad symbolica ista neutiquam pertinet; quod confirmat, ver. 11, quum ait, "talia scripta esse ad nostri admonitionem," ut scilicet edoceremur de officio nostro. Itaque τύπος hic non sumitur, ut alibi, ad designandum σύμβολον ἱερὸν καὶ μυστηριῶδές τι, aut etiam ut ὑπογραμμὸν καὶ σκιαγραφικόν τι, sed pro *exemplo* et monimento, quod rei alicujus utilis documento esse possit, quomodo usurpatur Phil. iii. 17, 1 Thess. i. 7, Tit. ii. 7, verum hic non est *exemplum imitationis*, sed *commonitionis*, vel *cautionis*, ut Gellius, lib. vi. cap. 14, παράδειγμα usurpat pro "punitione in exemplum adhibita," unde Latinis *exemplum* sæpe pro *supplicio* sumitur, quod aliis documento sit, "exemplum in aliquem statuere," est eum punire: Sensu ergo Pauli est; Talia judicia inflicta fuisse Israëlitis, quæ exemplo et documento nobis esse debeant, ne pariter peccantes pariter plectamur.

XVI. Sed Paulus clavem mysterii istius nobis tradit in verbis, quæ præ manibus habemus; nec enim potuisset dicere, "baptizatos fuisse Patres in Mosem, in nube, et mari," nisi columna nubis et transitus per mare habuissent aliquid symbolicum, quod responderet Sacramento nos-

tro baptismi, et beneficia spiritualia isto obsignata adumbraret; quod Isa. c. iv, jam docuerat, quum loquens de protectione et benedictione per Christum Ecclesiæ exhibenda ait, ver. v. 5, "Creabit Deus super omnem locum montis Sion nubem per diem, et splendorem ignis per noctem, et protectio erit super omnem gloriam," &c. Ut vero rem totam possimus distinctius percipere, et cur Apostolus baptismi nomen columnæ et transitui maris det; Observandum Paulo in more positum esse, Christianis Judaïca, et Judæis Christiana sacramenta attribuere; Si habebant illi circumcisionem, ita et nos, "Nos sumus circumcisio," Phil. iii. 3, id est circumcisi, "circumcisi circumcisione non manu facta, circumcisione scilicet Christi, cui in baptismo sumus consepulti," Col. ii. 11, 12. Si habebant illi Pascha suum, et nos nostrum habemus, 1 Cor. v. 7, "Pascha nostrum pro nobis immolatum est." Ita vicissim nostra sacramenta illis tribuit; Si habemus epulum mysticum, in quo pane spirituali et potu spirituali pascimur et potamur; habebant et illi βρῶμα et πόμα πνευματικὸν "escam et potum spiritualem," id est manna cœlitus demissum, et aquam e petra profluentem. Si habemus baptismum; habebant et illi, "nam in nube et mari baptizati sunt." Ideo autem Paulus commutationem istam instituit, non ut communionem specificam signorum inter nos et veteres inducat, quasi eadem nobis cum illis, et illis nobiscum signa et sacramenta data fuerint; discrimen enim inter ea nemo non videt; sed duplici de causa potissimum, tum ad denotandam correspondentiam et similitudinem signorum inter se, quia fuerunt symbola et signa similia ejusdem gratiæ, tum ad designandam communionem eorundem beneficiorum spiritualium; quia enim habemus veritatem circumcisionis et paschatis in mysterio, ideo dicimur habere circumcisionem et pascha, et quia illi habuerunt veritatem baptismi nostri et Eucharistiæ ideo dicuntur baptizari et cibari nobiscum.

XVII. Hoc vero ut certius teneamus, refellenda est Bellarmini sententia, qui lib. i. de Sacra., c. 9, et lib. ii. c. 4 et 17, vult ista omnia non tam "sacramenta quam sacramentorum figuras fuisse," Nec potest negari, ex priscis non deesse, qui ejusmodi aliquid insinuare videantur: Sic Cyprian. Ep. lxxvi., "mare illud sacramentum baptismi fuisse declarat Paulus." Chrysost. Tom. v. Ora. 51, ἡ διάβασις ἐκείνη τοῦ μέλλοντος βαπτισμοῦ ἦν τύπος. Sic *Ambrosius* in Apolog. David. c. 8, et de Sacra. l. i. c. 6, August. in Jo. Tracta. 11. Verum notum est Patres in istis liberius quandoque rhetoricatos, et baptismi Christiani dum præconia celebrant, multa congerere, ut ejusdem typos et figuras, quæ ad eum revera nihil faciunt. Deinde constat, eos Sacramentis sæpe tribuere, deque eis prædicare, quæ revera non sunt signi ritusve externi, sed rei spiritualis sive cœlestis, quæ signo illo designatur, quomodo et ipsi apostoli de baptismo sæpe ea enunciant, quæ ad baptismum internum Spiritus pertinent, non ad externum aquæ, ut quæ Paulus habet, Rom. vi. 3, 4, Gal. iii. 27, 28, Col. ii. 11, 12, Tit. iii. 5, et Petrus primæ c. iii. 21. Nam quod pertendit Bellarm. non fuisse tam sacramenta, quam sacramentorum figuras, absurdum est; siquidem sacramentum, cum sit res externa, et quidem quæ figura est rei cujusdam internæ et spiritualis, non opus habet ulla alia figura qua repræsentetur: possunt quidem dari duæ figuræ similes et sibi correspondentes unius ejusdemque veritatis, et hactenus sacramenta vetera fuerunt ἀντίτυπα nostrorum, id est figuræ analogæ et correspondentes, quomodo Arca cum aquis diluvii dicitur ἀντίτυπον baptismi nostri, 1 Pet. iii. 21, sed una figura non debet ab alia figura adumbrari, sed utraque ad unius veritatis repræsentationem adhibetur. Ita circumcisio, non baptismum, sed gratiam regenerationis quæ

pariter baptismo obsignatur, adumbravit, agnus paschalis, non cœnam, sed Christum ipsum in cœna exhibitum repræsentavit; et baptismus iste veterum in nube et mari, sacramentum fuit non baptismi nostri sed rei per baptismum significatæ, quomodo petra et aqua ex ea profluens, non cœnam, sed Christum ipsum significavit, ut Paulus in sequentibus exponit.

XVIII. Dices, miracula ista beneficia tantum temporalia contulisse populo; Non posse ergo signa esse et sigilla remissionis peccatorum, et gratiæ spiritualis, quæ in sacramentis nostris adumbratur. Deinde non adfuisse hic verbum cum elemento, ut fieri debet in sacramentis. Postremo nullo argumento posse colligi patres hoc intellexisse. Resp. Ad primum, fatemur quidem ista beneficia esse corporea, sed quæ nucleum spiritualium beneficiorum continebant, et quæ manuducebant ad Christum promissionum omnium fundamentum, 2 Cor. i. 20, ut liberatio a servitute Ægyptiaca typus fuit redemptionis spiritualis; imo quia sunt corporea bona, optime adhibentur ad significanda bona spiritualia; nam ista non possunt adumbrari nisi rebus externis et sensibilibus. Ad secundum, verbum hic non defuit, tum in mandato de scindendo mari, tum in promissione addita salutis hoc medio conferendæ, "State et videte salutem, quam Jehova facturus est nobis hodie," quod Paulus bene ad mysterium Redemptionis refert, quia noverat omnes liberationes temporales in ea fundari, et ejus esse figuras. Ad tertium, damus quidem multos ex populo, qui terrenis istis bonis inhærebant, non intellexisse ista mysteria; sed veri fideles Spiritu Dei illustrati potuerunt eo penetrare, et sufficit nobis Paulum id nobis pandere, ut credamus rem a Deo fuisse ita dispensatam.

XIX. Ut vero clarius mysterii istius sensum assequamur, tria, quæ hic ab Apostolo notantur, distincte sunt pensitanda, quod dicit "Patres baptizatos fuisse in Mosem, in nube, et in mari." Primo quod ait, "baptizatos esse in Mosem," varie exponitur. Quidam εἰς τον Μωσῆν dictum volunt, quasi ἅμα συν Μωσῇ una cnm Mose, sive, "αὐτου ἡγεμονευοντος ipso duce et auspice," quæ sententia est Græcorum, Chrysostomi, Theophylacti. Oecumenii, ὥσπερ πρωτοστάτης γέγονε Μωσης, ᾧ και συνεσκιάζοντο και συνεπέζευον διαιρεθείσης της θαλάσσης, "Quasi antesignanus eis Moses fuit, quum et nube pariter obumbrabantur, et per mare divisum pedites transierunt;" quam sententiam sequuntur Junius et Grotius, a qua non longe recedit Heinsii mens, qui εἰς Μωσῆν pro eo quod est ἕως Μωσέως *usque ad Mosem* παντες εἰς τον Μωσῆν *omnes cum Mose*, id est ne excepto quidem Mose, ut verba ita disponantur, non παντες ἐβαπτισαντο, sed παντες εἰς Μωσῆν. Verum coactior videtur hæc expositio, et non facile assensum obtinere potest. Melius alii qui εἰς pro ἐν positum esse volunt, ut nihil aliud significetur, quam hoc factum auspiciis et ministerio Mosis, ut εἰς respondeat ב Hebræorum, quod Syrus et Arabs reddunt "ביד משא per manum Mosis," id est ejus ministerio, quod August. confirmat Tract. 26, *in Joa. per Mosem baptizati sunt.* Sed non usquequaque videtur congruere; Nam præterquam quod præpositio εἰς raro admodum ad ministerium alicujus significandum adhibetur; Accedit quod frigidiuscula videtur locutio, in Ecclesia quippe quotidie ministerio Pastorum baptizantur infantes, imo et si occasio ferat, adulti, nemo tamen dixerit infantes aut adultos baptizari in eos, quorum ministerio baptizantur. Putamus ergo longe convenientius loqui eos, qui censent, *Mosem* hic metonymice designare "doctrinam et dispensationem Mosaïcam," quomodo fieri sæpe solet in Scriptura, Luc. xvi. 29, "habent Mosem et Prophetas," et Act. xv. 21, "Moses habet qui prædicent ipsum," et Joh. v. 45, "Moses ipse vos accusabit;" ut Christus

non raro pro doctrina Christi sumitur, Eph. iv. 21. Ita "baptizari in Mosem," nihil aliud erit, quam baptizari in doctrinam et legem Mosis, initiari in fœdus ab illo traditum, in pædagogiæ Mosaïcæ sive cultus et religionis per Mosem traditæ professionem tingendi ritu solemni consecrari. Ut enim Deus symbolis illis gratiam suam et benevolentiam testabatur populo; Ita populum magis magisque sibi devinciebat et consecrabat. Sic Act. xix. 3, 4, "baptizari in baptisma Joannis," est baptismo Joannis consecrari in fidem doctrinæ, quam Joannes prædicabat; ut enim Sacramenta sunt sigilla Verbi, ita sunt tesseræ et symbola fidei nostræ.

XX. Atque hinc solvitur exceptio Socini, qua conatur eludere vim argumenti, quo utimur ad probandam divinitatem Christi, ex eo quod dicamur "baptizari in Christi nomine," Matth. xxviii. 19, quia Israëlitæ dicuntur baptizari in Mosem, qui fuit ψιλὸς ἄνθρωπος. Nam quis non videt diversissimam esse duarum istarum phrasium rationem, "In Mosem baptizari, et In nomine Filii?" Illud de creatura dici potest, hoc non item, unde Paulus posterius negat de se dici posse, 1 Cor. i. 13, "An in nomen Pauli baptizati estis?" qui prius affirmat de Mose. 2. In nomine alicujus baptizari duo importat, quæ de creatura dici nequeunt, Primo ejus authoritate et mandato baptizari; At solus Deus est sacramentorum author, qui et verbi. Deinde in ejus fidem et cultum obstringi; Ut enim Deus suam hic gratiam pollicetur, nos recipiendo in communionem fœderis, Ita vicissim eadem ratione fidem et obsequium a fœderatis debitum postulat. 3. Eodem modo baptizamur in nomine Filii, quo in nomine Patris; At baptizamur in nomine Patris ut veri Dei, non ut creatura. E. id ipsum in Filio locum habere debet. Eodem sensu dicuntur Apostoli baptizasse "εις το ὄνομα Χριστου in nomen Christi," Act. viii. 16, non quod diversa sit formula ista reipsa a præcedenti, nam ut bene observat Basili. de Spiritu Sancto, "baptismus in nomen Christi includit tres personas, ἡ του Χριστοῦ προσηγορια του παντος εστιν ὁμολογία, δηλοῖ γαρ τον χρισαντα Θεον, και χρισθεντα ὑιον, και το χρισμα το πνεῦμα." Denique *baptizari in Mosem* refertur ad doctrinam, non ad personam; Sed baptizari in nomine Christi personam notat primario, et non simpliciter doctrinam. Fateor aliquando fideles dici baptizatos, Rom. vi. 3, *in mortem Christi*, id est in obsignationem beneficiorum morte Christi nobis partorum. Sed hoc nihil ad Mosis baptismum pertinet. Eodem sensu dicuntur "credidisse Israëlitæ Mosi," Exod. xiv., non ratione personæ, nam "maledictus vir qui fiduciam habet in homine," Jer. xvii. 5, sed ratione doctrinæ, ut exponitur Psal. cvi. 12, "crediderunt verbis ejus."

XXI. Licet vero ex dictis utcunque constet, quomodo baptizati dicantur Israëlitæ in Mosem, nondum tamen liquido patet, in quo positus sit ille Baptismus. Certum equidem Judæos de *baptismo Mosis* sæpe loqui, et velle ab ipso toti populo administratum esse in sacramentum initiationis, et confirmationem fœderis prius initi, quum ante receptam legem jussit populum *sanctificari*, et *lavare vestimenta sua*, Exod. xix. 14. "Per tria," inquit Maimoni. Issure Biah. c. 13, "In fœdus missus est Israel, per circumcisionem, baptismum, et sacrificium. Circumcisio fuit in Ægyptio, sicut dicitur, Nullus non circumcisus comedet de Paschate; baptismus fuit in deserto ante datam Legem, sicut dicitur, Sanctificabis eos hodie et cras, et lavent vestimenta sua." Quo pertinet mos solemnis usitatus apud ipsos a proselytis, ut reciperentur in religionem Judaicam, tria exigendi, *circumcisionem, baptismum et oblationem*, quibus veluti initiabantur, de quo idem eximius juris Judaïci interpres loco citato, "Quandocunque quis Ethnicus ad

fœdus Israëliticum se vult recipere ac sociari, et sub alis divinæ Majestatis se recipere, jugumque Legis in se suscipere, circumcisio, baptismus atque oblatio voluntaria requiruntur." Unde tritum axioma אין גר עד שימול ויטבל "Non est quis proselytus usquedum circumcidatur, et baptizetur." Quod rationem luculentam nobis suppeditat, quare et Joannes et Christus baptismi sacramentum instituerint, et cur nemini mirum hoc visum sit ex Judæis, quia nihil notius et usitatius erat inter ipsos: Posset ergo non sine aliqua veri specie dici, populum baptizatum fuisse in Mosem, quia solemni ritu Moses ante promulgatam Legem illum baptizarit.

XXII. Verum licet non diffitear, Judæos de baptismo isto Mosis sæpe mentionem injicere; non fit verisimile tamen hoc loco Paulum eo respexisse; tum quia dicendum fuisset baptizatos fuisse *per Mosem*, non *in Mosem*, tum quia manifestum est, ipsum ad columnam nubis et transitum per mare digitum intendere, non vero ad sanctificationem populi ante promulgationem Legis, ut in sequentibus de manna et de petra duobus aliis miraculis eucharistiæ correspondentibus loquitur. Accedit quod cum Apostolus ista tria de uno baptismo efferat, non de pluribus, dum ait *baptizatos esse in Mosem, in nube et in mari*, ut innuat tunc vere baptizatos fuisse in Mosem, id est initiatos in ejus doctrinam, quando fuerunt sub nube et in mari; ostendi facile non possit, quomodo baptismus ille sive lustratio Mosaïca dicatur facta in nube et in mari; quod non obscurum est de mora sub nube, et transitu per mare. Nimirum ut in baptismate nostro tria occurrunt, Gratia cœlestis, Verbum, Aqua; *Gratia*, in quam initiamur, *Verbum* quo instituimur, *Aqua*, qua tingimur; Ita tria in baptismo Mosaïco occurrunt, *Nubes*, *Moses*, et *Mare; Nubes* symbolum fuit gratiæ et protectionis cœlestis in quam initiabantur, *Moses* repræsentabat doctrinam legalem, et promissiones gratuitas Verbi, quarum confirmatio Sacramento obsignabatur, *Mare* refert aquam baptismi qua abluimur; quo tendunt ista Theodoreti in Exo. quæst. 20, "Typum habuit baptisterii mare, Spiritus nubes, Christi Servatoris Moses, Crucis baculus, Diaboli Pharao, Dæmonum Ægyptii, Manna pabuli divini, petræ Aqua sanguinis salutiferi.

XXIII. Videndum ergo superest, Quomodo mora illa sub nube, et transitus per mare baptismi nomine designentur, cum nec maris undis immersi, nec nubis aspergine vel levissima attacti legantur. Quidam volunt Israëlitas dici baptizatos in nube et mari, non quod mari vel nube essent abluti, quod fit in nostro baptismo, sed quia Corinthii de baptismo gloriabantur, ideo nomen baptismi Apostolum indidisse iis rebus, de quibus æque licuisset Israëlitis gloriari, ac Corinthiis de baptismo. Verum leviuscula videtur hæc nomenclationis ratio, nec satis mentem Pauli assequitur, qui de industria videtur selegisse ista miracula, propter analogiam, quæ ipsis intercedebat cum Sacramentis nostris. Unde hac de causa circumcisionis non meminit, quod tamen sacramentum fuit ordinarium V. T. quia non tam aperta videbatur cum aqua baptismi similitudo. Si quæratur jam in quo analogia illa sita sit, plura afferri possunt, sive materiam, sive finem et effecta utriusque miraculi attendamus. Nam quoad nubem, ut paululum distat ab aqua, ita dum sub aquosa nube fuerunt, quidni aqua ex illa decidente aspersi dici possunt? vel quæ guttatim deflueret, vel per pluviam etiam copiosam, quæ potuit a Deo immitti ad populi refrigerium et refectionem, quod videtur insinuari, Psal. lxviii. 7, 8, 9, ubi Psaltes iter illud describens mentionem facit pluviæ largissimæ, "O Deus, cum procederes coram populo tuo, cum per eremum gradereris, terra movebatur, cœli etiam distillabant a facie Dei, Sinaï a facie Dei, pluviam largissimam stillabas Deus, qua hæreditatem tuam defessam restaurabas." Sed hoc luculentius patet

ex usu et fine istius columnæ, qui apprime respondet baptismi nostri finibus. Nam ut baptismus est consecratio et initiatio in disciplinam Christi, Ita nubes et mare fuerunt consecratio populi in dispensationem Mosaïcam. Ut populus liberatus a servitute Ægyptiaca sanguine agni, per nubem et transitum maris initiatus est Deo, ut populus esset ejus peculiaris: Ita fideles, qui sanguine Agni immaculati a tyrannide Diaboli et servitute peccati liberati sunt, per baptismum consecrantur Domino. Ut nubes quæ continebat Israëlitas sub sinu suo, separabat eos ab Ægyptiis: Ita baptismus, qui symbolum est nostræ cum Christo communionis, est etiam separationis nostræ a mundo tessera, et symbolum gratiæ Dei, quæ sola separat Ecclesiam a mundo, *Quis te discernit?* 1 Cor. iv. 7. Ut nubes symbolum fuit favoris et protectionis divinæ, tum adversus æstum, tum contra Ægyptios: Ita baptismus, quo Deo consecramur, est gratiæ et protectionis divinæ sacramentum, in quo Deus testatur se in familiam suam nos recipere, ut sit Deus noster, id est Doctor, Ductor, et Custos, qui gratia sua adversus iræ suæ æstum nos tueatur, et virtute sua contra hostes nos protegat. Ut nubes viam præmonstrabat Israëlitis, ut iter facere tuto possent nec ad avia declinarent: Ita *verbum* gratiæ, quod in baptismo obsignatur, *Lampas est pedibus, et lux semitis nostris*, Psal. cxix. 105, quod nos dirigit in cursu vocationis nostræ, et iter facientibus in deserto hujus mundi, et nocte hujus seculi ad Canaanem cœlestem tendentibus viam ostendit, ne ad avia deflectamus, quæ perniciem certam nobis afferrent, sed ut motum columnæ istius mysticæ, in qua se nobis ductorem exhibet, semper sequamur. Unde baptismus Veteribus dictus φωτισμὸς, *illuminatio*. Rursus ut nubes, quæ lucida erat Israëlitis, fuit Ægyptiis caliginosa: Sic gratia et Verbum Christi, quod aliis est sapientia et potentia, et odor vitæ ad vitam, aliis est scandalum et stultitia, et odor mortis ad mortem, 1 Cor. i. 23, et 2 Cor. ii. 16. Idem evangelium quod fideles illuminat, impios excœcat, Joh. xii. 40, et 2 Cor. iv. 4, idem Christus est lapis fundamenti et scandali, 1 Pet. ii. 4, qui positus est in resurrectionem et casum multorum, Luc. ii. 34. Ut eadem columna nubila fuit et ignea, quæ umbraculi loco interdiu, noctu vero facis et luminis vicem præstare potuit: Ita gratia salutaris Christi, quæ in baptismo nobis obsignatur, umbraculum nobis præbet et refrigerium adversus æstum iræ divinæ et ardores conscientiæ, et lucem gratam exhibet ad discutiendas tenebras hujus seculi, et præmonstrandam ad cœlum viam. Hinc Scriptura sub hoc duplici symbolo, plenam et absolutam omnibus numeris felicitatem solet designare, quæ in liberatione ab omnibus malis, et in bonorum omnium fruitione consistit, quæ per Christum nobis obtingit. Unde Deus nobis dicitur esse *Sol* et *Clypeus*, Psal. lxxxiv. 11, *Lux* et *Vita*, Psal. xxxvi. 9, et Christus *Sol Justitiæ*, Mal. iv. 2, *Et umbra nostra*, Psal. cxxi. 5; Sol qui illuminat in tenebris, Clypeus qui protegit in bello, Umbraculum quod tegit et recreat in æstu. Denique ut in Ægypto nulla apparuit columna, In Canaan vero desiit populum comitari: Ita dum in Ægypto mundi versamur, salutarem Verbi columnam, quæ in Ecclesia demum erigitur, habere non possumus, In Cœlis desinit, quia in patria constituti, procul ab omni periculo et caligine Deum facie ad faciem contemplantes, non ambulantes amplius per fidem, 2 Cor. v. 7, Verbi luce non amplius indigebimus; sed in deserto tantum hujus seculi et peregrinatione nostra nos comitatur, donec ad Canaanem cœlestem pervenerimus.

XXIV. Non absimili ratione *Transitus per mare* mirifice cum baptismo nostro convenit, et gratiam ejus adumbrat. Nam ut in baptismo, prout olim peragebatur per immersionem et emersionem, in aquas descendendo, et

ex illis rursus exeundo, dabatur descensus et ascensus, cujus exemplum extat in eunucho, Act. viii. 38, 39. Quinimo ut per illum ritum, quum immergerentur aquis obruti et quasi sepulti, et Christo ipsi quodammodo consepulti, rursusque quum emergerent, e sepulchro excitari videbantur, et cum Christo resurgere dicebantur, Rom. vi. 4, 5, Col. ii. 12; Ita in baptismo Mosaïco habemus immersionem et emersionem, illam, dum in maris profundum descendebant, istam vero, dum egrederentur et ad littus oppositum evaderent; illa mortis, hæc resurrectionis fuit imago; transeuntes enim per maris fundum, quid aberant a morte, evadentes vero in littus oppositum, nonne erant quasi ex mortuis redivivi? Rursus ut in transitu maris Israëlitæ salvantur, Ægyptii vero pereunt; idem mare, quod liberationis fuit medium illis, istis fit mortis et exitii causa. Hoc ipsum in baptismo observare libet; idem baptismus qui nos salvat, veterem hominem, quasi alterum Pharaonem cum toto vitiorum exercitu in mari rubro Sanguinis Christi extinguit et mortificat, "vetus noster homo cum Christo crucifixus est," Rom. vi. 3, 6. Dum in mortem Christi baptizamur, Idem sanguis qui nos redimit, et viam ad cœlum nobis aperit, Heb. x. 19, 20, Diabolum et peccatum perdit, "per mortem destruxit eum qui habebat imperium mortis," Heb. ii. 14, et in cruce triumphavit de Principatibus et Potestatibus, Col. ii. 15. Unde Chrysost. apposite in 1 Cor. x. tom. 5, serm. 51, "Transitus ille Judæorum futuri baptismi typus erat, nam ibi aqua et hic aqua, Lavacrum hic, et ibi pelagus, omnes hic in aquam ingrediuntur, et ibi omnes. Ibi quidem liberati sunt ex Ægypto, hic autem ab Idololatria, ibi quidem Pharao submersus, hic autem Diabolus, ibi Ægyptii interierunt, hic autem vetus homo cum peccatis defoditur." Nec aliter Ambrosius de iis qui initiantur mysteriis, cap. 3, "Advertis quod in illo Hebræorum transitu tunc sacri Baptismatis figura præcesserit, in quo Ægyptius periit, et Hebræus evasit, quid enim aliud quotidie in hoc Sacramento docemur, nisi quod culpa mergitur, et error aboletur, pietas autem et innocentia tota permansit." Ut nulla alia via Israëlitis tunc suppetebat elabendi ex manibus hostium nisi per mare; Ita baptismus nos salvat, 1 Pet. iii. 21, et sola janua est, per quam in Ecclesiam ingredimur, et in communionem Sanctorum recipimur.

XXV. Rursus ut Israël nihil contulit ad sui liberationem, sed fuit tantum spectator et testis miraculi, "State et videte," inquit Moses, "salutem quam Deus hodie vobis daturus est, nam ipse pugnabit pro vobis," &c. Exod. xv. 13. Ita Redemptio, quam in Christo consequimur, opus est mere divinum, ad quod nihil viribus nostris contulimus, sed quoad totum virtuti et gratiæ Christi acceptum ferendum est: Cum enim undiquaque mortis præsentissima facies appareret, nec ulla salutis in nobis spes esset, Ille solus in abditis Sapientiæ thesauris viam invenit per mare istud, quod nobis erat impervium. Porro ut *triplex transitus* ad plenam salutem fideli necessarius est, primus a *reatu* et condemnatione ad *Justitiam;* Alter a *servitute* peccati ad *libertatem* gratiæ; Tertius a *miseria* et *morte* ad *felicitatem* et *vitam:* Ille qui fit per justificationem, in qua Deus transire facit peccatum nostrum a nobis, Mic. vii. 18, ut a statu reatus transeamus ad statum gratiæ, Iste per regenerationem, in qua transeamus a servitute ad libertatem filiorum Dei, Rom. vi. 17, 18, Hic vero in morte per glorificationem, in qua transitum facimus de morte ad vitam. Ita triplex iste transitus in baptismo nostro obsignatur, qui sigillum est remissionis peccatorum, et sanctificationis sanguine Christi, et pignus æternæ glorificationis, ut in eo bene transire dicamur a reatu ad justitiam, a servitute ad libertatem, a morte ad vitam, unde Joh. v. 24,

"qui credit in me," inquit Christus, "transivit a morte ad vitam," Hæc vero omnia beneficia per transitum maris apposite adumbrantur, quia non alio modo nobis conferuntur quam per mare rubrum Sanguinis Christi, qui ut justificationis nostræ est fundamentum, quia "remissionem peccatorum habemus in ejus sanguine," Eph. i. 7, et sanctificationis principium, dum "purgat nos ab operibus nostris, ut serviamus Deo vero et vivo," Heb. ix. 14; Ita viam nobis aperit ad gloriam, redemptionem æternam nobis acquirens, et cœlum, quod erat antea ἄβατον nobis reserans, qui propterea ὁδὸς πρόσφατος και ζῶσα vocatur a Paulo, Heb. x. 19. Denique ut Israëlitæ postquam mare feliciter transiverunt, et hostes submersos viderunt, Carmen Eucharisticum Liberatori suo alta voce cecinerunt, Exod. xv, Ita æquissimum est, ut eluctati ex peccati et mortis gurgite, devictis et submersis in æternum Diabolo, Mundo et Carne, quando "mors erit absorpta in victoriam," 1 Cor. xv. 54, Redemptori et Sospitatori nostro Carmen hoc triumphale canamus, "Ubi, O mors, victoria tua, ubi, O sepulchrum, aculeus! Gratia Deo, qui nobis victoriam dedit per Jesum Christum Dominum nostrum." Amen.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE MANNA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE MANNA,

Ex 1 Cor. x. 3.

Respondente Petro Francisco Oliverio *Helvetio-Sarratensi.*

I. "Cum quæcunque ante scripta sunt, ad nostram institutionem scripta sint, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus," ut divinus gentium doctor sancte monet, Rom. xv. 4, nihil studio suo dignius esse, nihil ad salutem fidelium conducibilius Scriptores θεόπνευστοι Novi Testamenti existimarunt, quam si instar peritorum Scribarum, edoctorum in regno cœlorum, "educerent ex Thesauro suo vetera et nova," Matth. xiii. 52, ut Vetus Testamentum subinde cum Novo, typos cum veritare, et oracula cum complemento conferentes, utriusque divinitatem fortius asserent; et ad Ecclesiam Israëliticam sæpe oculos reflectendo, et exempla præterita, cum promissis et minis Patribus factis recolenda, in illa, tanquam in speculo, Christianæ imaginem nobis exhiberent, sive quoad *Dei, beneficia et officia nostra,* sive *quoad præmia,* et *pœnas* bonis et malis repositas.

II. Hoc vero Paulus ipse præ cæteris non semel præstitisse legitur ad fidelium institutionem in Epistolis suis; sed præcipue id executus est initio capitis decimi primæ ad Corinthios, ubi avocaturus ipsos a variis peccatis gravibus, quibus implicabantur, maxime in idolothytorum esu, ad populi Israëlitici in deserto peregrinantis considerationem eos revocat, et recensione facta variorum ipsis collatorum bonorum, non absimilium gratiis, quibus gloriabantur Christiani, tum peccatorum ab ipsis admissorum, et pœnarum propterea ipsis a Deo inflictarum, eos serio a similibus peccatis dehortatur, ne in similes pœnas incidant. Tria vero potissimum insignia præ cæteris Dei beneficia commemorat, quæ sacramentorum extraordinariorum ipsis loco fuerunt, "baptismum nubis et maris, cibum spiritualem seu manna, et aquam ex petra," quorum prius Baptismo nostro, duo posteriora eucharistiæ Christianorum apprime respondent. Et de illo quidem præcedenti Disputatione jam actum est; De duobus aliis jam σὺν Θεῷ agendum est, et primo de Manna, quod ab Apostolo priori loco recensetur.

III. Verba ejus extant ver. 3, cap. x, Καὶ πάντες αὐτὸ τὸ βρῶμα πνευματικὸν ἔφαγον, et *omnes eundem cibum spiritualem manducarunt.* Scopus Apostoli, ut jam insinuatum, est avertere Corinthios a profanis

gulæ illecebris, et idolorum epulis, ad quæ ab Ethnicis alliciebantur; argumento ducto a Veterum Israëlitarum exemplo, qui istorum peccatorum rei, Judicium Divinum effugere non potuerant. Quia vero in exemplis discrimen si quod occurrit, vim comparationis evertit, Corinthii autem poterant excipere, longe potiorem esse suam conditionem præ statu Israëlitarum, se baptizatos esse, et sacræ cœnæ factos esse participes, aliasque plures prærogativas in Novo Testamento consecutos esse, quæ Veteribus haudquaquam concessæ fuerint; unde non statim ab illis ad se argumentum posse legitime duci: Paulus ut inanem illam gloriationem ipsis auferret, qua putabant se meliori loco esse apud Deum, quam Veteres, ostendit paritatem status Israëlitarum cum Christianis: Apud illos fuisse Dei fœdus et Ecclesiam, non minus ac apud istos, iisdem beneficiis affectos fuisse, et eadem Sacramenta habuisse, quæ testimonia illis forent gratiæ Dei. Unde si pœnas effugere non potuerant bonis suis abutendo, nec Christianos illas declinaturos, si eorundem peccatorum cum illis rei fuerint. Istam vero paritatem probat inprimis ex identitate Sacramentorum, quæ utrobique obtinuerunt, si non ratione signorum, saltem ratione significationis: Jam respectu Cœnæ demonstrat, et quidem quoad utrumque symbolum, tam quoad cibum, quam quoad potum.

IV. Et de *cibo* quidem, de quo præsens instituitur Disputatio, dicit *Omnes*, scilicet Israëlitas, *manducasse eundem cibum spiritualem*, respiciendo ad *Manna*, quo Deus eos cibare voluit olim in deserto; de quo duo jam expendenda veniunt, 1. *Historia*, 2. *Mysterium;* sub gemina enim ista σχέσει spectari potest et debet, ratione *usus communis*, quatenus fuit cibus materialis et corporeus, qui faciebat ad nutritionem populi, et ratione *usus sacri*, qua fuit spiritualis et mysticus, qui Christum significabat et obsignabat.

V. Historia refertur, cap. xvi. Exodi, Cum jam farina subacta, quam ex Ægypto tulerant, deficeret, et ob annonæ penuriam murmuraret populus adversus Mosem, eo usque ut mortem etiam expeterent inflictam manu Jehovæ, *Utinam*, inquiunt, *mortui essemus per manum Jehovæ in terra Ægypti!* Deus licet ingratum populum posset plectere, mira tamen bonitate prospicit ejus necessitati, sed modo plane extraordinario, mittendo cœlitus quotidie Man, quod sufficeret tantæ cibandæ multitudini; atque ita per totos quadraginta annos, dum populus in deserto versatus est, eum sustentarit, donec perveniret in Canaan, quo tempore cessasse dicitur Man versu 35. Hunc vero cibum, 1. *colligere* debuerunt Israëlitæ mane ante exortum solis, Exo. xvi. 21, idque pro ratione cibi sui ver. 16, 18, in singulos dies tantum ver. 4, quia nihil ex eo reliquum in crastinum faciendum erat ver. 19, 20, excepto die sexto, quo colligendum fuit in biduum, quia die septimo, id est Sabbatho non cadebat, ver. 23, 26; 2. collectum *distribuere*, ut unicuique unum Homer, quod erat decima pars Ephæ, et juxta Waserum ad novem libras Romanas ascendebat, quod illi assignatum erat, suppeteret, nec plus nec minus cuiquam habere licuerit, ver. 16, 17, 18; 3. *præparare* in cibum; quod fiebat, tum molitura, tum coctione, tum elixatione: nam man molebant vel terebant, et postea coquebant vel elixabant, et conficiebant ex eo placentas subcinericias, ver. 23. Num. xi. 8. Describitur autem Man quoad *substantiam*, quod fuerit exiguum et tenuissimum, sicut pruina super terram ver. 21, quoad *figuram*, rotundum quasi semen coriandri, ver. 31, quoad *colorem*, album, ver. 3, ut color bdellii Arabici, quod est pellucidum Num. xi. 7, quoad *saporem*, dulcissimum et suavissimum, veluti sapor similæ cum melle, vel ut sapor liquoris præstantissimi ex oleo, Num. xi. 8, adeoque cibus præstantissimus et saluberrimus. Non tamen propterea facile ad-

miserimus, quod author libri Sapientiæ, cap. 16, 20, de Manna loquens, fuisse cibum πρὸς πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύοντα, καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμονίον γεῦσιν "omni pollentem voluptate et unicuique gustui accommodatum," licet hoc avide a quibusdam Patribus, qui allegoriis delectantur, arreptum sit; Nam præterquam quod Moses specialem ejus saporem expresse memorat: Si cujuslibet gustui se accommodabat, cur ergo illud recusassent in deserto? *nihil oculi nostri vident præter man*, et cur carnes et cibos Ægyptiacos adhuc desiderassent.

VI. Miraculi autem istius historia variarum quæstionum occasionem præbere potest, quas paucis tantum attingimus. 1. Cur Deus hac ratione prospicere voluerit populi necessitati? Resp. Licet sola voluntas Dei nobis instar summæ rationis esse debeat, dubium tamen non est, quin singulare hoc illi dare voluerit paternæ Providentiæ testimonium, ut doceret se piis laborantibus nunquam deesse, sed illis tempestive semper prospicere, et media etiam extraordinaria adhibere, ubi ordinaria deficiunt: atque ita hominem non ex solo pane vivere, sed ex eo omni quod prodit ex ore Dei, quod Moses insinuat, Deut. viii. 3, "Deus te afflixit et fecit ut esurires, sed te cibavit etiam manna, quod nec tu, nec majores tui cognoverant, ut notum faceret tibi, non ex solo pane vivere hominem, sed ex eo omni quod procedit ex ore Dei." Et ut constaret Dei favorem dimidiatum et perfectum non esse, per totos quadraginta annos, quibus in deserto versati sunt, hoc pane eos cibavit, supplendo per cœli favorem, quod soli sterilitas negabat, donec venerunt in Canaan, ibique ex fructibus terræ comedere cœperunt, Exod. xvi. 35, Jos. v. 12, quia ubi media ordinaria suppetunt, extraordinaria miraculosa expeti non debent vel expectari; "Cessant extraordinaria," aiunt J. C., "ubi ordinariis locus est;" Tum etiam ne cœleste donum fastidio esset ingratis hominibus, quod ne in ipsa quidem necessitate satis grato animo habebant. Atque in eum finem voluit portionem unam mannæ in urna aurea juxta arcam per omnes ætates asservari, Exod. xvi. 32, 33, ut esset illustrissimum tum omnipotentiæ, tum bonitatis erga Israëlitas testimonium, quod a posteris celebraretur.

VII. Secundo, quoad *nomen* quæritur, cur cibus iste *man* dictus sit, ita enim ab Israëlitis quumprimum e cœlo fuit delapsus, et ab iis visus, vocatum fuisse Moses testatur Exod. xvi. 15, "Et videntes illud filii Israël dixerunt quisque ad fratrem suum מן הוא *man* est, quia nesciverunt quid esset," et versu 31, "Et vocarunt filii Israel ejus nomen *man*." Duæ sunt circa nominis istius rationem doctorum sententiæ. Primo eorum, qui verba ver. 18, interrogative interpretantur, et volunt idem esse מָן, quod Hebraïce מה *quid*, quasi Divinum istum panem videntes, et rei insolentia perculsi Israëlitæ, et admiratione moti in hæc verba eruperint, Quid hoc est? et postea nomen hoc manserit, et in appellativum transierit. Sic LXX. reddunt, τὶ ἐστι τοῦτο, Sic Chaldæus Paraphrastes, Vetus Versio, Josephus Antiquit. lib. iii. cap. 1. "καλοῦσι δὲ Ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τοῦτο μάννα τὸ γὰρ μᾶν ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, Hebræi cibum istum vocant manna, nam *man* est interrogativum secundum nostram dialectum," *quid hoc est* significans, Ita Hieronymus, et plures ex veteribus. Quæ sententia videtur firmari ex responsione Mosis, qui ad interrogationem populi respondens dixit illis, "Hic est panis ille, quem dat vobis Jehova ad comedendum." Tum etiam ex eo quod in lingua Ægyptiaca מָן idem est quod מה in lingua Hebræorum, ut observat Drusins ex R. Hiskuni. Nec mirum videri deberet, si Israelitæ, qui tot annos triverant in Ægypto, usi fuissent particula hujus linguæ.

VIII. Secunda sententia eorum est, qui verba illa sumunt *indicative*, ut designetur proprium nomen quod derivetur a radice מנה quæ significat, *ordinare*, *constituere*, *præparare*, ut מן resecta ultima radicali idem sit quod מנה, *pars*, *portio*, *donum* scilicet a Deo datum, vel cibus a Deo ordinatus et dispositus ac paratus sine ipsorum labore, in cujus usum Israëlitæ nec serere deberent nec metere. Sic sentiunt hodierni Hebræi Rabbi Salomo כן *præparatio cibi est a verbo* מנה, quia nesciverunt quid esset, id est "nesciverunt nominare nomine suo," Sic Aben Esra "*man* derivatur a verbo מנה," unde Dan. 1. "מנה, constituit ordinarie escam vestram," idem sentit R. D. K. R. Bechai, et alii. Licet vero non multum referat utramvis sententiam sequamur, quæ suis rationibus non destituitur, posterior tamen ad rei veritatem propius videtur accedere.

IX. Tertio quæri potest, an istud manna fuerit naturale, an vero miraculosum? Certum est dari manna naturale, quod inter meteora aquea a philosophis reponitur, quod gignitur ex rore temperatissimi loci et cœli, qui in arborum et fruticum folia decidit, illisque adhærescit donec colligatur. Quod fit præcipue in tribus regionibus, Syria, Germania, et Italia, unde ex regionum differentia, Syriacum, Germanicum, et Calabricum appellatur, quod postremum præ cæteris commendatur in medicina, ad lenem sine flatibus bilis et pituitæ purgationem, de quo Medicorum filii consulendi. Hoc tantum de Calabrico memorandum referre non pigebit ex Jonstono in Thaumatogr. cap. 10, cum locum quemdam Oenotriæ, in quem singulis æstatibus descendebat, et ab omnibus excerpebatur, reges Neapolitani olim occlusissent, ne quis sine vectigali assumeret, occluso loco desiisse nec descendisse, eo vero recluso, et vectigali remoto, iterum descendere cœpisse, quod cum semel iterumque contigisset, reges postea locum liberum reliquisse, et omnibus colligere permisisse: Idem scribit Cælius Rhodiginus, l. ix. cap. 12, de Tragaseo sale in Epiro, cui cum vectigal imposuisset Lysimachus, evanuit, mox dempto succrevit. Datur etiam Manna Polonicum non ita pridem repertum, de quo Keckermannus, libro vi. System. Physici, capite 10, et Cornelius a Lapide in Exod. xvi., quod mense Junio et Julio nocte depluit, et herbis instar roris incumbit, quod butyro saccaroque modico decoctum cum Italorum delicatissimis ferculis dicitur certare posse. An vero manna Israëliticum ejusdem fuerit naturæ cum manna naturali, non sine ratione disquiritur. Affirmant alii, ut Conimbricenses in libro Meteor. Aristot. tom. vii. cap. 11, et Fr. Vallesius de philosophia sacra, cap. 57, quod ex colore, sapore, et aliis circumstantiis conantur demonstrare. Alii vero negant; et volunt rem fuisse prorsus novam, a Deo pro certo tempore creatam, suoque tempore prorsus ablatam, quam sententiam plerique Hebræorum sequuntur, ut Aben Esra et Abarbanel, qui variis rationibus eam confirmare nititur.

X. Quamvis vero nostram litem hanc nolimus facere, quæ propius spectat physicos et Hippocratis filios, paucis tamen observamus, veriorem eorum sententiam nobis videri, qui licet magnam affinitatem esse censeant inter utrumque manna quoad formam, colorem, et saporem, non putant tamen posse dici ejusdem generis; Sed manna Israëliticum miraculosum fuisse et extraordinarium. Primo, quia si fuisset naturale, non potuisset dici plane ignotum Israëlitis, cum tamen testetur Moses, "neque eos, neque Patres ipsorum hoc cognovisse," Deut. viii. 3. Secundo, nihil opus fuisset illud reponi in urnam auream juxta Arcam ad miraculi monumentum, si res naturalis fuit. Tertio, manna medicinale non cadit per totum annum, sed tantum in maxima aëris et cœli temperie, puta tempore verno, mense Martio et Aprili. At manna hoc cadebat æqualiter omnibus

anni mensibus, nec ulla aëris mutatio obstare potuit, quominus per totos quadraginta annos æqualiter stillaret. Quarto, illud semper eodem modo et tempore cadit; Sed divinum die septimo omnino non cadebat; et die sexto duplicabatur ejus copia, ut alterum homer in cibum sabbathi reponerent. Quinto, manna medicinale per se non est alimentum quod habet vim nutriendi, sed pharmacum seu medicamentum, quod habet vim purgativam. Sed manna Divinum fuit cibus suavissimus et temperatissimus, qui facilis fuit digestionis, nec ut alii cibi corpus gravabat; sed non medicamentum, alias fieri non potuisset, ut illo vescerentur, quin luxatis et solutis corporibus periissent, nisi quis dicat cum Vallesio, potuisse cibum hunc vim habere purgamenti, ad expurgandam cacochymiam, quam contraxerant in Ægypto usu peponum, cucumerum, et porrorum, sed postea ipsis in gratum cibum per consuetudinem abiisse. Sexto, manna naturale noctu non putrescit, nec vermes producit, non liquescit ad solem, nec est durum, ut contundi debeat, ut ex eo placentæ confici possint, sicut fuit Divinum. Septimo, manna divinum cadebat ubicunque castrametabantur, et quocunque profecti sunt comitata est eos hæc Dei benedictio; cum vicinæ gentes frumento vescerentur, et tantum in castris Israëlitarum *man* esset cognitum, quod statim atque ingressi sunt terram fructuosam et frumenti feracem, cessavit. Ita sive proprietates cœlestis istius doni attendamus, sive locum in quo dabatur, sive tempus, sive quantitatem sive continuationem, non obscure liquet extraordinarium fuisse Dei beneficium, populo Israëlitico ad tempus per miraculum concessum.

XI. Plura de mannæ quantitate, forma, colore, et sapore quæri possent, ut et circa ejus collectionem, et distributionem. Sed quia ista aliena sunt ab instituto nostro; Satius est ut ad *usum* ejus *sacrum* veniamus, et mysterium sub isto cortice latens scrutemur. Ad quod Paulus nos ducit, quando vocat illud *βρῶμα πνευματικὸν*, *cibum spiritualem*. Ita vero vocatur, non natura, sic enim erat corporeus et materialis, sed tum *origine*, tum *significatione*. Primo *origine*, quia non humana opera, sed præter naturam miraculose suppeditabatur a Deo, qui *κατ' ἐξοχὴν Spiritus* dicitur, vel quia *spirituum*, id est angelorum ministerio parabatur: Unde dicitur *panis angelorum* seu *fortium*, Psal. lxxviii. 25, non quod eo vescerentur angeli, qui, ut Spiritus *ἀσώματοι* cibo corporeo non egent, sed quod ab angelis subministraretur populo ad Dei nutum: Cum enim res fuerit extraordinaria et miraculosa, ut dictum, dubium non est, quin Deus hic usus fuerit ministerio angelorum, tum ad materiam illi generationi idoneam undique convehendam, et ad illam soli exponendam, ut facilius excoqui, et decidere posset.

XII. Secundo, *spiritualis* vocatur *significatione*, quia mysticam et spiritualem significationem habuit, nimirum ut Christum verum panem vitæ adumbraret: Quamvis enim primo datum esset a Deo manna in cibum corporeum populo, ut famem ejus sedaret, nec aliud in eo spectarent homines crassi et profani, Deus tamen altius mysterium intendebat, et fideles, qui ad opera Dei attentiores erant, sublimius mysterium in hoc miraculo oculo fidei cernebant, et Christi animæ cibi typum eximium in manna agnoscebant: plane quomodo panis et vinum, quæ natura sua et per se inserviunt ad nutriendum corpus, gratia Dei tamen destinantur ad usum spiritualem et sacrum, ut sint symbola corporis et sanguinis Christi, quibus animæ sustentantur, non physica, sed morali tantum et sacramentali mutatione. Nec de eo dubitare nos sinit Christus, qui Joannis vi., totius mysterii istius clavem nobis porrigit, dum se mannæ conferendo et præferendo, corpus

illius typi, et veritatem illius figuræ se aperte fuisse docet: Quo etiam non obscure respicit Apoc. ii. 17, dum Victori pollicetur, "se daturum ex manna abscondito," sui nim. communionem salutiferam tam in gratia, quam in gloria, hoc symbolo designans.

XIII. Nec obstat huic expositioni, quod Christus, Joh. vi., loquitur de manna, tanquam de cibo corruptibili et materiali, qui non potuit patres a morte immunes præstare, "Patres vestri," inquit, ver. 49, "manna manducarunt in deserto, et mortui sunt." Quia Sacramenta spectari possunt, vel quoad τὸ *materiale*, seu quoad *naturam*; Vel quoad τὸ *formale*, seu quoad *significationem*. Priori sensu manna erat vere cibus corporeus alendis corporibus destinatus: Sed posteriori bene dicitur *spiritualis*, quia spirituale aliquid significabat. Deinde aliud est loqui de re aliqua ad hominem, id est ex hypothesi sententiæ, et pro captu eorum cum quibus agimus; Aliud vero ex rei veritate. Sic Paulus de circumcisione non semper eodem modo loquitur; Nam cum Dei institutionem in ipsa considerat, dicit magnam esse ejus prærogativam et utilitatem, Rom. iii. 1, eo quod esset sigillum obsignandæ justitiæ fidei, Rom. iv. 11; quum autem disputat adversus eos, qui signo externo et nudo gloriabantur, et in ea perversam salutis fiduciam collocabant, dicit *nihil esse*, Gal. vi. 15, imo maledictionis symbolum esse testatur, quia homines illi se obligant ad servandam totam Legem, Gal. v. 3. Eodem modo Christus se comparat agens cum Judæis; Cum enim carnalis multitudo Mosem longe præferret Christo, quod populum per 40 annos in deserto miraculose aluisset, nec aliud in manna spectaret, quam cibum corporis, ut nec aliud quærebat, Christus in sua responsione non explicat quidnam significaverit, sed, aliis omnibus omissis, auditorum sensui sermonem suum accommodat, quasi diceret, Moses vobis est in summo pretio, quia Patrum vestrorum ventres saginavit in deserto; hoc enim unum mihi objicitis; Ego vobis pro nihilo sum, quia non suppedito ventris alimenta: At si tanti facitis cibum corruptibilem, quid de pane vivifico sentiendum, quo animæ in vitam æternam aluntur? Sic Christus non tam rei veritatem attendit, quam ex hypothesi auditorum loquitur. Paulus vero dum cibum spiritualem vocat, non impiorum abusum, sed Dei ordinem et veram sacramenti institutionem respicit.

XIV. Hanc autem nomenclationis istius rationem non semel observant veteres, Aug. in Psal. lxxvii., "omnes quidem eundem cibum spiritualem manducaverunt, et eundem potum spiritualem biberunt, id est, spirituale aliquid significantem," et tr. 26, in Joh., "Manna et altare sacramenta fuerunt in signis diversa, sed in re quæ significatur paria, diversa specie visibili, paria virtute spirituali; Patres enim eandem escam spiritualem comederunt, quam et nos." Sic Anselmus in hunc locum, "Eandem escam corporis Christi, quam nunc in pane manducamus, patres nostri manducaverunt in manna, et eundem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, biberunt ex petra: et ideo spiritualem manducaverunt eandem, quam nos; corporalem vero alteram, quia visibilem escam spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esuriverunt, spiritualiter gustarunt, ut spiritualiter satiarentur, nam et nos accipimus visibilem cibum," &c. Sic Apoc. xi. 8, magna civitas vocatur *spiritualiter* Sodoma et Ægyptus.

XV. Atque hinc facile solvitur scrupulus, qui moveri potest, quomodo omnes Israëlitæ dicantur manducasse istum cibum spiritualem; cum certum sit, ex historiæ serie, et ex verbis ipsis Apostoli, nonnullos ex ipsis profanos et impios fuisse, qui Deo probari non potuerunt, sed quos severe propter crimina sua in deserto punivit, ver. v. Nam licet non manducaverint cibum istum *qua spiritualem*, id est, non tantum ore corporis ad

pascendum ventrem, sed etiam fide recipiendo, ut Christo σημαντικὸν et σφραγιστικὸν, quia hoc ad solos fideles pertinet, potuerunt tamen dici manducasse cibum illum, *qui spiritualis* et *sacramentalis* est, licet talem ipsi non apprehenderent.

XVI. Ut vero certius capiamus, quare cibus iste spiritualis dicatur propter significationis mysterium, rationes propius sunt expendendæ. Non diffitendum in genere posse *manna* conferri cum Dei *verbo*, quod est animarum nostrarum, quamdiu in deserto mundi peregrinamur, pabulum cœleste, suavissimum, et saluberrimum, ut non semel sub eo symbolo Spiritus Sanctus illud nobis exhibet, Psal. xix. 11, Joh. iv. 32, 34, Heb. v. 13, 14, cui nec porri aut cæpæ, et alia sapientiæ Ægyptiacæ, nec siliquæ traditionum humanarum unquam præferri debent, in quo longe verius impletur, quod de manna dicit Syracides, quod omni gustui se accommodet, quia unusquisque pro varietate statuum et casuum invenit, quo se sustentet, quod Origines Homilia 7, in Exod. non male explicat, "Si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum quodcunque desideras; v. g. si tristaris, consolatur te, dicens, Cor contritum et humiliatum Deus non spernit: Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudia, dicens, Lætamini in gaudio, exultate justi; si iracundus es, mitigat te, dicens, Desine ab ira et derelinque indignationem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcunque volueris. Hoc tamen si quis infideliter suscipiat et non comedat, sed abscondat, vermes ex eo ebullient, et Dominus, qui in manna fidelibus dulcedo mellis est, infidelibus vermis efficitur.

XVII. Sed certum est in specie peculiariter ad Christum respexisse, ejusque eximium symbolum fuisse, et quidem in hisce tribus potissimum, 1. in origine et causa, 2. in natura et proprietatibus, 3. in usibus et effectis. 1. Quoad *originem*. Nam e cœlo descendebat, et a Deo ex indebita gratia et liberalitate dabatur nullo labore, nulla hominum industria nec ullo merito partum, Unde Moses ait Israëlitis, "Hic est panis ille quem dat nobis Jehova ad comedendum," Exod. xvi. 15. Ita Christus e cœlo revera descendisse dicitur, tanquam Dei Patris donum, Joh. iii. 16, et vi. 33, plane gratuitum, nullo nostro labore vel merito acquisitum, ne quid hic Pharisaïcum et Papisticum somniemus, sed sola Dei misericordia concessum. Manna non naturaliter, sed supernaturaliter et miraculose cadebat. Ita Christus non vi naturæ, sed gratiæ per miraculum nobis a Deo datur, ut hic sit revera *magnum pietatis mysterium*. Manna datum fuit cum rore cœli, Exod. xvi. 14, et Christus rori confertur, Hos. xiv. 5, *Ego sicut ros*, inquit, *Israëli*, quia arida nostra corda humectat, et adustos iræ Dei sensu recreat et refocillat, unde Cant. v. 1, dicit Sponsæ, "Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, nam caput meum oppletum est rore, capilli mei aspersionibus nocturnis." Denique Man, non in Ægypto, sed in deserto datum est, postquam ex durissima servitute, potenti Dei manu liberati, mare rubrum pertransiverunt. Ita Christus, quos ex Ægypto mundi liberavit, et sanguine suo redemit, lacte verbi et pane corporis alit, et potat.

XVIII. Secundo, quoad *naturam et qualitates*, manna fuit coloris albicantis, et gustus dulcissimi; Christus *candidus* dicitur a sponsa Cant. v. 9, ob vitæ innocentiam, quia "sanctus est, innocens, separatus a peccatoribus," Heb. vii. 26, qui peccatum non novit, 2 Cor. v. 21, in cujus ore dolus non fuit inventus, 1 Pet. ii. 22, cujus bonitas et gratia suavissimi est gustus peccatoribus, "gustate et videte quam bonus sit Jehova," Psal. xxxiv. 9, et sponsa ideo cum *malo* assimilat, cujus "fructus dulces palato

suo esse" asserit Cant. ii. 3. Et ut manna fuit præstantissimus et temperatissimus corporis cibus, quo sustentatus est populus in deserto; Ita Christus divinus est animæ cibus, verus panis Dei, panis vivificus, qui dat vitam Mundo, quo pascimur in deserto mundi, qui, quod gratis de manna perhibetur, perfecte in se exhibet, ut omnem saporem habeat, quia a Patre nobis factus est omnia, lux, cibus, vestis, medicamentum, omnia, Col. iii. 11.

XIX. Tertio, quoad *usum et effecta*, Man colligi debuit a populo ut eo cibaretur: Christus a fidelibus per fidem recipi debet, ut nos nutriat. Collectum æqualiter distribuebatur singulis, Christus cibus vitæ pro mensura fidei distribuitur, Eph. iv. 7, ita ut totus ex æquo ad omnes pertineat, tam ad pauperes quam ad divites, parvos et magnos, mares et fœminas, servos et liberos; "Nam in Christo nec Judæus, nec Græcus, nec servus, nec liber, nec mas, nec fœmina, sed Christus omnia in omnibus," Col. iii. 11. Manna in cibum præparabatur tusione molæ, et coctione ad focum; Christus per afflictiones consecratus est, Heb. ii. 10, cruce et tribulatione attritus propter nostras iniquitates, Esaiæ liii. 8, 12, ut fieret cibus salutaris animæ. Manna fastidiebant Israëlitæ, licet cibus esset dulcissimus: Ita Christum fastidiunt et rejiciunt homines carnales et profani, quibus videtur scandalum et stultitia, 1 Cor. i. 23. Manna debuit asservari in urna aurea coram Arca in aditu sanctuarii, ad perpetuam rei memoriam: Ita Christus in urna aurea cordis fidelis reponi debet quod est Sacrarium Dei, ad tanti beneficii memoriam perpetua gratitudine recolendam.

XX. Eo pertinet quod, Apoc. ii. 17, dicitur *de manna abscondito*, quod Christus victori se daturum pollicetur, ut illud opponat epulis Balaamitarum et Nicolaïtarum, quibus ad idolothytorum esum Christianos alliciebant, et doceat ipsos ægre ferre non debere, quod talia convivia idololatrica ipsis interdicat; cum longe lautius et salubrius victoribus sit daturus, spirituale scilicet epulum gratiæ et gloriæ, et delicias immortales Paradisi in sui communione, quæ quovis convivio lautissimo longe præstant. Alludit autem ad ea quæ victoribus dabantur. Certum enim Hieronicas seu Victores in quinque Græciæ certaminibus solennibus, variis affectos fuisse præmiis. Inter alia dabatur illis πρό-δρία in agonibus, et vocatio, et victus e publico, ut Athenis de rep. bene meritis in Prytaneo, quod inde nomen habebat, quia ibi annona publica asservabatur in granariis abscondita, q. d. πυροῦ ταμεῖον. Et Hellanodicæ candido calculo suffragabantur, et victores pronunciabant. Promittit ergo Agonotheta cœlestis vincentibus Nicolaïtarum illecebras, pro eo quod idolothyta spreverint, non *mazam* in Prytaneo, sed *manna cœleste*, non repositum in Arca fœderis, sed absconditum penes Deum, ubi corrumpi nequit. Se ergo cum beneficiis suis vocat *manna absconditum*, respiciendo ad manna, quod in urna aurea reponi debuit, ut asservaretur in sacrario coram Jehova, idque quadrifariam, 1. *in Verbo*, quia "Christus absconditus est naturaliter hominibus," qui ad ejus notitiam pervenire nequeunt sine revelatione, "homo enim animalis non capit ea quæ sunt Dei," 1 Cor. ii. 14, et "caro et sanguis non revelat nobis" Christi mysterium, sed solus Pater cœlestis, Matth. xvi. 17, et xi. 25, 26, et xiii. 11, quod ideo dicitur "absconditum mysterium gentibus," Rom. xvi. 25, quia continet res "quas oculus non vidit, nec auris audivit, et quæ in cor hominis non ascenderunt," 1 Cor. ii. 9. Rursus *absconditus* dicitur respectu *reproborum*, quibus non datum est nosse mysteria regni Cœlorum, Matth. xi. 25, et xiii. 11, et quibus evangelium tectum est, 2 Cor. iv. 3. Absconditus denique *ipsis fidelibus*, qui nunquam perfecte eum

cognoscere in hac vita possunt, sed sub velo tantum et in ænigmate intuentur, 1 Cor. xiii. 12, quia per fidem, non per aspectum ambulant, 2 Cor. v. 7. 2. *in sacramentis*, quia ibi Christus occultatur sub symbolis externis, non physice, sed moraliter, et se offert non sensibus, sed menti, per fidem apprehendendum. 3. *in corde*, quia Christus habitat in cordibus nostris per fidem, Eph. iii. 17, ubi non videtur ab aliis, sed sentitur ab anima fideli per solatium incredibile, quo perfunditur, et per novum illud nomen filii Dei, quo nos insignit, quod nemo novit, nisi qui recepit, Apoc. ii. 17. 4. *in cœlo*, quia Christus in cœlum receptus oculis nostris subductus est, et veluti absconditus manet in sacrario Dei, donec ultimo die per novissimum adventum reveletur: hinc "vita nostra dicitur esse abscondita cum Christo in Deo," Col. iii. 3.

XXI. Qualiscunque vero sit mannæ cum Christo similitudo; certum est tamen, ut veritas et corpus longe perfectius est ipsa figura, maximum intercedere etiam in his tribus inter utrumque discrimen. Nam si *Origo* attenditur, manna e cœlo quidem, sed infimo et aëreo tantum descendebat: Sed Christus e cœlo empyreo et supremo, non descensu reali per mutationem loci, sed œconomico et morali, per carnis nostræ assumptionem. Unde Christus, Joh. vi. 32, "Moses non dedit vobis panem e cœlo, sed Pater meus dat vobis verum panem e cœlo," non e nubibus tantum, sed e sinu Patris. Manna obtinuerunt Israëlitæ a Deo, ministerio Angelorum, et Mosis precibus: Sed Christus nobis datur immediate et unice a Deo, Joh. vi. 32, unde κατ' ἐξοχὴν vocatur panis Dei. 2. *Quoad naturam*, manna fuit cibus materialis et corporeus quoad substantiam, licet esset spiritualis quoad significationem; vitæ terrenæ et corporeæ sustentandæ primo destinatus: Sed Christus est cibus non corporis sed animi, quo in spem vitæ æternæ alimur, non premendo ore, sed credendo corde; panis non tantum vivus, sed et vivificus, qui non modo nutrit viventes, sed etiam vivificat mortuos, non tantum alit sanos, sed sanat ægros, non ad tempus, sed in æternum; qui non convertitur in nostram substantiam, sed qui convertit nos et mutat in suam, panis non tantum Dei, sed et ipse Deus. 3. *Quoad effectum* manna corpoream vitam sustentabat, sed ad tempus tantum, nec a morte servabat: Sed cibus hic non tantum vitam sustentat, sed amissam reddit, et datam conservat in æternum, non corpoream et terrenam, sed divinam et immortalem, quod Christus notat, Joh. vi. 49, 50, 51, "Patres vestri manducarunt manna in deserto et mortui sunt, hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex eo comedit non moriatur."

XXII. Unde facile colligitur non sine ratione manna ab Apostolo cibum spiritualem fuisse dictum propter significationis mysterium. An autem quemadmodum Christi fuit symbolum, etiam figura Eucharistiæ fuerit, inter nos et Pontificios quæritur. Et illi quidem hoc pertendunt, eam esse differentiam statuentes inter manna, quod corporis Christi figura fuit, et panem Eucharisticum, quod manna significaverit tantum et repræsentaverit corpus Christi; Eucharistia vero sit ipsum corpus Christi, in quod substantia panis conversa est, ut Bellar. lib. i. de Euch. c. 3, notat. Nos vero figuras quidem similes et sibi invicem respondentes, eandemque rem significantes et repræsentantes fuisse non negamus, et hactenus conferri ab Apostolo, non ut figuras cum figurato, sed ut sacramentum alteri simile, et analogum. Sed negamus manna posse dici figuram Eucharistiæ, quæ ideo sit a Deo instituta, ut eam significaret, quia ut præcedenti disputatione jam monuimus, absurdum est dari figuram figuræ, cum illa rei internæ et spiritualis imaginem gerere debeat, non vero externæ et materialis, quæ in sensus incurrit. Nam quod adversarii volunt, Eucharistiam

esse ipsissimum Christi corpus, in quod panis substantia conversa est, πρῶτον est ψεῦδος, quod nec probare potuerunt hactenus, nec in æternum probaturi sunt.

XXIII. Frustra Bellarminus excipit l. c. quod nisi hæc statuatur differentia inter manna, et Eucharistiam, quod manna fuit figura tantum, Eucharistia autem, res ipsa, non plus veritatis significatæ habebimus, quam ipsi Judæi, imo longe minus, quia manna longe clarius repræsentabat Christi corpus, quam aridus panis, et multo præstantius erat, utpote quod pluerat e cœlo, et fieret manibus Angelorum, panis vero noster e furno exeat, et fiat manibus hominum. Resp. Sed gratis hoc dicitur, quia sacramenta non sunt spectanda *materialiter*, et quoad *substantiam*, sed *formaliter* quoad *institutionem*, ex qua eorum præstantia vel significationis evidentia pendet; Cum autem verbum institutionis in Eucharistia, longe sit clarius institutione mannæ, patet Eucharistiam, quoad modum recipiendi fuisse præstantiorem, licet quoad rem significatam, eadem veritas utrobique fuerit, Christus scil. cum suis beneficiis. Præstantia ergo Sacramentorum Novi Testamenti supra Vetera, non intelligenda est ratione *rei ipsius significatæ;* quod illa rem ipsam in se contineant, hæc autem tantum significaverint, utraque enim sunt signa significantia et obsignantia gratiam Christi; sed ratione *modi significationis*, quia *efficacius* rem repræsentant, non tantum ut futuram, sed ut factam et impletam, *diutius*, quia manere debent usque ad finem seculi, *latius*, quia ad omnes populos indiscriminatim pertinent.

XXIV. Hisce ita discussis superest videndum, quo sensu dicat apostolus Israëlitas *omnes eundem cibum spiritualem manducasse*, An scilicet loquatur de Israëlitis inter se, An de iisdem nobiscum. *Pontificii* quidem transubstantiationis figmento patrocinaturi, cum Socino hoc ad Israëlitas referunt, ut dicantur eandem escam spiritualem comedisse *inter se*, quia omnes indiscriminatim tam boni quam mali ea usi sunt, ad quos etiam accedunt Lutherani, Consubstantiationis sententiam confirmaturi. Sed utrique aberrant a scopo Apostoli, qui non est tantum identitatem istorum sacramentorum inter Israëlitas asserere, sed præcipue *cum Christianis*, ut ostendat sacramentorum nostrorum usurpationem nobis non profuturam, citra fidei et sanctitatis studium, cum similia habuerint in deserto Israëlitæ, quæ non obstiterunt quominus suæ rebellionis et idololatriæ pœnas Deo penderent; Nam qui paria a Deo acceperunt, beneficia, si pariter peccent, pariter punientur; At Patres nobiscum paria a Deo gratiæ signa acceperunt; Ergo pariter peccantes pariter puniemur; quæ vis argumentationis Paulinæ periret omnino, si non intelligeretur idem cibus et potus nobiscum, sed tantum inter se. Deinde quorsum apostolus mentionem fecisset baptismi Patribus indulti, si eos quoad Sacramenta nobis æquare non voluit? Sed quod Apostolus addit sub finem versus, omnem difficultatem tollit, quum addit, " Patres bibisse de Petra spirituali, quæ eos sequebatur, Petram autem istam fuisse Christum." Quomodo enim potest vocari Christus illa Petra, si non eundem potum habuerunt nobiscum, qui Christo participamus? Hoc vidit Aug. loco citato, tract. 26, in Joh. quem sequitur Bertramus, lib. de Corpore et Sanguine Christi, " Eandem escam spiritualem bibisse Patres Paulus asseverat, quæris fortasse quam eandem? Nimirum ipsam eandem, quam hodie populus Credentium manducat et bibit, non enim diversa licet intelligi, cum unus idemque Christus sit, qui et populum in deserto, in nube et in mari baptisatum sua Carne pavit, suo sanguine tunc potavit, et in Ecclesia vere Credentium populum sui Corporis pane, Sanguinis unda pascit et potat.

XXV. Nec juvat hic excipere; Vel Paulum debuisse adjicere particulam *nobiscum*, si ea fuisset ejus mens, Quia satis ex ἀλληλουχίᾳ sermonis colligitur, ut jamjam dictum; Vel nos non posse dici comedisse manna; Quia licet non comederimus illud *physice* et *materialiter*, possumus tamen dici manducare *moraliter* et *sacramentaliter*, quoties S. Cœnæ communicamus, quia Eucharistia et Manna in eo conveniunt, quod sunt Christus sacramentaliter: Vel quod increduli non possint dici manducasse escam spiritualem nobiscum, quia Christi non potuerunt fieri participes; Quia ut supra jam dictum, manna comedendo, cibum, qui spiritualis erat ex ordine Dei, et qui Christum adumbrabat, bene dicebantur manducare: Vel quod dicantur *typi nostri fuisse;* Nam eo ipso, quod typi nostri fuerunt, nobiscum comparari debuerunt, typi enim et antitypi comparate se habent, et sunt ἐκ τῶν πρός τι.

XXVI. Hinc vero sponte fluunt tria gravissimi momenti Porismata. Primum, Pro *Manducatione spirituali Christi*, adversus oralis et carnalis manducationis Christi commentum; Nam cum idem Christus omnibus fidelibus, tam Vet. quam N. T. proponatur manducandus, eadem debet esse κοινωνίας et manducationis apud utrosque ratio: At constat manducationem oralem locum non potuisse habere sub Vet. Testamento, quum nondum fuit incarnatus Christus, sed tantum spiritualem per fidem, quo sensu dicuntur edisse escam spiritualem et bibisse de Petra spirituali, quæ eos sequebatur. Ergo non alia nunc nobis est urgenda, quia sola salutaris est et necessaria; Si enim Patres manducando Christum spiritualiter per fidem, salutis facti sunt compotes, quidni ea contenti essemus, alia missa et rejecta, quæ et Scripturæ, et rationi, et analogiæ fidei, et Christi ipsius dignitati repugnat, et innumeris absurditatibus urgetur?

XXVII. Alterum de *Identitate Fœderis gratiæ* tam in Veteri quam in Novo Testamento; Cum enim sacramenta sint sigilla fœderis, ex identitate eorum, identitatem fœderis bene colligi nemo negare potest. Jam eadem fuisse sacramenta Patribus nobiscum Paulus clarissime testatur, si non signis, saltem quoad significationis mysterium, "in signis diversis, eadem fides est," inquit August. tr. 46, in Joann., "in signis diversa, sed in re quæ significatur paria, diversa specie visibili, paria virtute spirituali," tr. 26. Discrepantia fuit in signis quæ illi habuerunt, et in modo significandi, quatenus illa Christum venturum, nostra vero Christum exhibitum significant; illa obscurius, ista clarius et efficacius fidem nostram confirmant, et salutem obsignant. Interim et illa et ista eandem rem significatam respexerunt, nimirum Christum qui idem fuit heri, hodie, et in sæcula, Heb. xiii. 8. Et nos hodie in cœna per fidem Christum sub symbolo panis et vini recipimus, et participes fimus corporis et sanguinis ejus, 1 Cor. x. 16. Ita fideles olim in manna Christo vescebantur ad salutem, et cum ipso sacramento visibili, rem et virtutem sacramenti percipiebant, Christi scilicet justitia et merito cibabantur.

XXVIII. Tertium De *Cognitione Christi sub Vet. Testamento;* Nam si Patres ad communionem Christi vocati sunt, necesse est, ut ejus notitia et fide prius fuerint imbuti, cum ignoti nulla sit cupido, nec frui possimus eo quem non novimus: Et hoc ex eo certius adhuc colligitur, quod ipsa Christi manducatio quæ hic proponitur, tota per fidem fieri debeat, quæ practicam Christi notitiam, et intimam ejus apprehensionem necessario postulat. Unde patet quantum discedant a veritate, et quam perniciose errent, qui sub Veteri Testamento personæ Christi divinæ notitiam non extitisse pertendunt, nec γνωρίσματα, quæ cognitionem Christi pro peccatis morituri ingenerarent, ut licet Veteres sine Christo servati non

sint, potuerint tamen sine ejus cognitione salutem consequi. Nec difficile foret, si id nunc ageremus, impium istum errorem variis rationibus confundere; Nam si Christus ignotus fuit patribus, quomodo Abraham dicitur gestivisse diem ejus videre, eumque vidisse et gavisus esse, Joh. viii. 56? Vel Moses prætulisse narratur opprobrium Christi gazis Ægyptiacis, Heb. xi. 26? Vel "Patres in fide mortui," memorantur ab Apostolo, Heb. xi. quæ non aliud potest habere fundamentum, quam Christum, ut sit salutaris? Vel Israëlitæ possunt dici edisse et bibisse Christum in deserto, dum edebant et bibebant cibum et potum spiritualem, qui eum significabat?

XXIX. Rursus, Si ignotus fuit Christus sub Veteri Testamento; Vel inde fit, quod nihil de eo Patribus revelatum fuerit; vel quod revelationem sibi factam nullo modo intellexerint. Prius dici non potest, cum infinita extent in Veteri Testamento testimonia de Persona Christi Θεανθρώπου, de ejus naturis, officiis, et beneficiis, de duplici statu, humiliationis et exaltationis, passionis et gloriæ. Alias nec Christus, nec Apostoli, potuissent probare mysteria Evangelica ex Mose et Prophetis, quod tamen passim ab ipsis factum legimus, Luc. xxiv. 26, 27, 44, Joh. v. 39, 46, Act. xviii. 28, et xxvi. 22, 23, 1 Pet. i. 11, Heb. x. 5, 6, 7, et alibi in Novo Testamento: Cujus omnis authoritas perit, si quæ in illo ex Vet. Test. proferuntur ad probandam divinitatem Messiæ, et ejus satisfactionem, frustra et falso allegantur. Non etiam posterius, quia sequeretur inde, omnem illam revelationem, illis penitus inutilem fuisse, et frustra Christum amandasse Judæos ad Scripturas legendas et scrutandas; Quid enim opus fuit talia ipsis mysteria revelari, si hæc ad ipsos non pertinebant? Quid opus fuit sanctis Dei viris sedulo inquisivisse in tempus rerum futurarum, quæ nullo modo ad se pertinerent? An non singulorum piorum Veteris Testamenti erat inquirere in rationem salutis obtinendæ et declinandæ pœnæ æternæ? Nec hic dicendum ex Petro capite i. 1ª, ver. 12, ea ipsos administrasse, "non sibi sed nobis:" Quia notum est Petrum non loqui de *cognitione* rerum revelatarum, quasi ad eos non spectarit, sed de earum *complemento* et *executione*, quo temporis articulo scilicet Spiritus Propheticus Christi, qui in ipsis erat, declararet eventuras Christo perpessiones et gloriam illas consequuturam: Non ergo inquisiverunt in rem ipsam ceu dubiam et incertam, nimirum salutem hominibus obventuram per Christi perpessiones et gloriam, sed tantum in tempus quo Christus erat passurus et glorificandus; Sed hoc tantum abest, ut ipsis deneget cognitionem aliquam rerum istarum revelatarum, ut necessario illam supponat, saltem quoad substantiam, licet non quoad gradum et circumstantias, quæ nobis clare patefiunt; reservabatur quidem earum exhibitio in sæcula longe dissita: fructus tamen inde secuturi æque ad ipsos, ac ad nos pertinebant.

XXX. Hoc vero ulterius ex eo invicte colligitur; Quod si Christus Patribus cognitus non fuit, nec justificatio nec salus potuit illis obtingere, quia utraque sine cognitione Christi haberi nequit, "Justificabit multos," inquit, Isa. liii. 11, "sui notitia," et Christus manifestis verbis, Joh. xvii. 3, "Vitam æternam in cognitione Dei Patris et Jesu Christi, quem misit, positam esse" asserit: Nec quisquam sanæ mentis crudum effatum illorum admiserit, qui volunt fideles potuisse per Christum servari, etiamsi cognitus non fuerit; Quasi salus possit obtineri sine fide, vel fides possit dari sine objecti cognitione, atque ita melius per *ignorantiam*, quam per *notitiam* definiatur, quod est figmentum pontificiorum. Nec hic ad infantium exemplum recurrendum, quibus applicatur meritum et fructus mortis Christi ad eorum salutem æternam, absque ullo suo actu personali, vel notitiæ vel fidei. Quia nemo non videt, longum latumque discrimen esse

inter infantes, qui per ætatem actum fidei non possunt exerere, et adultos, a quibus fides actualis ad salutem obtinendam exigitur. Ut ergo "Christus idem est heri, hodie, et in secula," Heb. xiii. 8, Ita nec aliter Servator, nec aliter servat hodie quam heri. Hinc ut *hodie* sub Novo Testamento adultus nemo servatur absque omni notitia et fide Christi: Ita *heri* sub Veteri Testamento aliqua fides et notitia Christi semper fuit necessaria ad salutem, obscurior quidem et tenuior quoad *gradus*, præ fide Novi Testamenti, juxta mensuram revelationis et naturam illius œconomiæ; Sed quæ eadem esset cum nostra quoad substantiam, et quæ sufficeret ad obtinendam justificationem et salutem Patribus.

XXXI. Perperam hic objicitur, *Veterem œconomiam mille typis* et *velis fuisse tectam;* Unde non mirum esse, si Patres ad mysteria Novi Testamenti penetrare non potuerint. Quia qualiscunque fuerit obscuritas illius dispensationis, non desinebant tamen sub illis velis et typis radii veritatum Evangelicarum micare, et oculo fidei piorum sese ingerere ad eorum solatium; alias Deus populum suum inanibus umbris, quarum Christus corpus non fuerit, ludificatus esset, et nuspiam docuisset illis typis mysticam inesse significationem rerum spiritualium et cœlestium: Cum contra certum sit Deum non uno loco testari, circumcisionem cordis significari circumcisione carnis, et hanc absque illa fore inutilem; Et in sacrificiis non tam spectandum quid essent, quam quid significarent, absque quo non modo ingrata, sed et exosa sibi esse. Et sane cum typi et signa in suo formali sint relata, et involvant respectum aliquem ad rem signatam, non *velandi* tantum, sed et *revelandi* suo modo usum habere debuerunt. Nec ita carnalia erant et materialia quæ proponebantur, quin pii per ista αἰσθητὰ et sensibilia ad τὰ νοητὰ intelligibilia et spiritualia ascenderent: alioqui fieri non potuisset, quin crassissime errassent. v. g. si de sacrificiis ageretur, cum non possent sine piaculo credere, Dei justitiam placari posse brutorum sanguine, eo ipso debuerunt altius assurgere et respicere ad aliquod aliud sacrificium longe præstantius, quo peccata omnia expiarentur, ad Christum scilicet, qui animam suam esset positurus in sacrificium pro reatu, Isa. liii. 10, Psal. xl. 6, 7, et cujus excisione obsignanda erat visio et prophetia, expiandum peccatum, et justitia seculorum adducenda, Dan. ix. 24, 25. Ita pii qui cibo et potu isto spirituali, qui a Deo suppeditabatur in deserto, utebantur, non potuissent Christo spiritualiter in eo vesci, quod de illis Apostolus testatur, nisi ulterius ad mysterium hoc symbolo adumbratum respexissent. Unde invicte concluditur, Christum jam olim adumbratum et promissum in oraculis et typis, a fidelibus cognitum, et per fidem receptum fuisse.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE PETRO CHRISTA.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE PETRA CHRISTO.

EX 1 COR. x. 4., Ἡ δὲ Πέτρα ἦν ὁ Χριστός.

Respondente PAULO CHRISTIANO HEILMANNO *Longo-Dibacensi.*

I. Cum in tota peregrinationis Populi Israëlitici per desertum, historia, vix quicquam illustrius et mirabilius occurrat, nihil sane sit μυστικώτερον, et quod Christum, salutariaque ejus beneficia significantius adumbret, insigni Petræ, et aquarum ex ea fluentium, quibus Deus Israëlitas potavit, miraculo, Non parum confert ad institutionem et solatium fidelium, accurata ejus disquisitio. Quam ut facilius possimus exequi, duobus capitibus disputationem nostram absolvemus. Primum dabit enarrationem historiæ quoad literam, alterum mysterii sub ea latentis expositionem

II. Verba Pauli extant cap. x. 1[a] ad Corinthios ver. 4, Καὶ πάντες τὸ αὐτὸ πόμα πνευματικὸν ἔπιον, ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός, "Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant enim ex Petra spirituali eos sequente; Petra autem erat Christus." Scopus Apostoli, ut alibi a nobis ostensum, non alius est, quam identitatem sacramentorum Veterum cum nostris, si non quoad signum, at quoad rem significatam ostendere; Ne Corinthii prætextu sacramentorum præstantiorum impunitatem sibi pollicerentur in peccatis suis, idololatria inprimis, a qua vult eos avertere. Ideo ostendit, Patres hac in parte nobis non inferiores fuisse, sed eadem nobiscum, aut illis analoga sacramenta habuisse, quæ baptismo, et S. Cœnæ responderent. Et baptismi quidem similitudinem probat in columna nubis, et maris transitu. Cœnæ vero, respectu duorum ejus symbolorum, tum *panis* in *manna*, tum *potus* in *petra*, et aquis ex ea scaturientibus; De qua jam disputamus.

III. Clarum est respicere Apostolum ad historiam, quæ refertur Exod. xvii., ubi narrat Moses, Populum vix sedata propter cibi penuriam seditione, de qua c. præced., rursus occasionem murmurandi contra Mosem et cum ipso rixandi sumpsisse ex defectu aquarum, ver. 3, "Quare nos eduxisti ex Egypto, ut una cum liberis et pecoribus siti periremus?" Deum vero ut motum illum componeret, et populi licet ingrati et rebellis necessitati succurreret, jussisse Mosem virga sua Rupem et Petram certam in Horeb percutere, ex qua aquæ affatim ad sedandam populi sitim effluxuræ

essent. Quo facto tantum exiliisse statim aquarum copiam, quæ non solum abunde suffecerit levandæ siti præsenti ipsorum, sed et in futurum, aquis illis populum per desertum sequentibus et comitantibus. Quo respiciens Psaltes, Psal. lxxviii. 15, dicit, "Deum rupisse petras in deserto, et potum eis dedisse in voraginibus magnis. Eduxisse rivos e petra, et descendere fecisse tanquam flumina per aquas." Et Psal. cv. 41, "Aperuit petram," inquit, "et inde fluxerunt aquæ, fluenta cucurrerunt per loca arida." Et Psal. cxiv., "Mutavit rupem in stagnum aquarum, et saxum adamantinum in fontem aquarum." Nec alio pertinent, quæ toties apud Isaïam, et alios Prophetas dicuntur de aquis scaturientibus in deserto, ut Isa. xli. 18, et xliv. 3.

IV. Quia vero bis mentio occurrit petræ percussæ a Mose, non modo, Exod. xvii., sed et Num. xx., Quæritur, An eadem sit historia? An duæ? Quidam idem esse miraculum censent bis memoratum a Mose, brevius in Exodo, fusius vero in Numeris; quia idem videtur esse locus deserti *Sin*, cui idem nomen *Massæ* et *Meribæ* impositum sit. Nec verisimile sit duo loca a murmure populi ita fuisse denominata, vel populum bis in idem peccatum incidisse. Verum alii rectius arbitrantur, similem quidem, sed non eandem describi historiam. Licet enim utrobique murmuraverit populus præ siti, et dederit Deus aquam ex Petra, si circumstantiæ locorum, temporum, et personarum attendantur, facile patet inter se discrepare. 1. Loca sunt diversa: nam prior contigit in Rephidim, in ea scilicet deserti Sin parte, quæ contermina erat Ægypto; at posterior in Cadesbarne, quæ vicina erat regio Palestinæ meridiem versus. Locus ille vocatur desertum סין Sin, sed iste cum Tsade צין. In illo mansio fuit populi undecima; sed in isto trigesima tertia. 2. Tempus etiam variat, nam prima murmuratio contigit paulo post exitum ex Ægypto, sed ultima sub finem peregrinationis, et instante jam anno quadragesimo, et post mortem Mariæ. 3. In illa nulla fit mentio incredulitatis Mosis et Aaronis; in ista notatur. 4. Petra in monte Horeb percussa vocatur צור, hæc vocatur סלע. 5. Ibi miraculum patraturus Moses jubetur ipse secum sumere aliquot e Senioribus Israëlis, hic jubentur Moses et Aaron congregare totum cœtum filiorum Israëlis ad Petram: Illic jubetur Moses Petram percutere, hic vero eam alloqui. Illic Petra semel tantum fuit percussa, hic bis: Illic locus dictus est Massa et Meriba. Hic vero tantum מי מריבה *aquæ jurgii*.

V. Si quæratur porro, ad quam historiam respiciat Paulus? Responderi quidem potest non incommode, ad utramque respexisse, cum utraque typus fuerit istius mysterii. Sed præsertim ad primam mentem intendisse colligi potest, tum ex pœna, quæ murmurationem istam secuta dicitur versu sequenti, et aliam antecessit; tum ex eo quod petra dicitur eos secuta, quod apposite congruit aquis in itinere per desertum populum comitantibus.

VI. Quæritur porro, Quænam fuerit Petra illa, ex qua biberunt? et quare *spiritualis* dicatur? Quidam volunt sic designari κατὰ τὸ ῥητὸν, et proprie, Petram mysticam, nimirum *Christum* ipsum, unde salutem hauriunt omnes Credentes, qui per divinitatem tunc ipsis aderat, et nusquam aberat, quique in toto itinere varia beneficia præstando eos comitabatur; Vel Deum ipsum, qui Petra et Rupes sæpe dicitur in Scriptura, cujus beneficio hunc potum consecuti sunt, ut præpositio ἐκ non causam materialem notet, sed efficientem, ut alibi non semel; Sic ἐκ Πέτρας, id est *a Petra*, vel Deo, vel Christo eorum ductore in deserto, et aquæ istius authore. Sed minus apposite hoc dicitur, quia sic petra præcedens potius

diceretur, quam sequens, siquidem Christus præibat ut dux, non sequebatur ut comes, Num. ix. 17. Deinde sic omnes vera fide Christi fuissent facti participes, cum omnes ex Petra ista biberint, quod dici nequit; Siquidem Deus in variis dicitur non complacuisse. Multo rectius ergo per petram intelligitur rupes materialis deserti Horeb, quæ aquas fudit percussa virga Mosis, ex qua populus dicitur bibisse, quia bibit ex fluentis ex ea exilientibus, quomodo bibere quis dicitur e dolio, ex quo vinum depromitur, metonymia causæ efficientis, vel subjecti. *Spiritualis* autem dicitur, non natura, vel usu, sed *significatione*, ut antea *cibus* et *potus*, quia symbolum erat Christi veræ rupis, ex qua fluxerunt aquæ salutares gratiæ.

VII. Petra autem dicitur ἀκολουθοῦσα, *sequens*, non quod saxum ipsum loco motum eos sequutum sit, quod absurde finxerunt quidam Rabbini. Sed, vel quia obsequebatur Israëlitarum desiderio, potum illis subministrando, ut vult Photius, vel quia comitabatur eos peregrinantes in deserto, non quidem per se, sed in effectis, rivis scilicet ex petra manantibus. Et eo pertinet quod dicitur, Psal. lxxviii. 15, "Rupit petras in deserto, et potum dedit eis quasi ex abyssis magnis, et eduxit fluenta de Petra, et descendere fecit aquas tanquam flumina, et percussit petram, et aquæ fluxerunt, et torrentes inundaverunt." Unde Abarbanel, "Nullum est dubium, quin tanta copia aquæ eruperint, ut inde derivata fuerint flumina, et torrentes aquarum," &c. Ita recte dicitur petra eos secuta, quia rivi aquarum fluentium a rupe eos insequebantur, et in stagna fuerunt collecti, ubicunque sunt castrametati. Unde toties Prophetæ, loquentes de effusione Spiritus S. et gratiarum ejus sub aquarum symbolo, dicunt Deum daturum "Stagna aquarum in eremo," eo alludentes, Isa. xxxv. 6, et xliv. 3. Licet autem rivi isti ex petra manantes secuti eos fuerint, nonnunquam Deus passus est eos exsiccari, sive ad castigandam ingratitudinem populi, sive ad exercendam ejus fidem, et locum dandum novo miraculo, quod facere decreverat, prius beneficium ad tempus substractum, renovando.

VIII. Porro quia in posteriori miraculo mentio fit peccati Mosis et Aaronis, ver. 12, propter quod exclusi sunt ab ingressu Canaan, quæri potest, quodnam illud fuerit, cum de eo pauca tradat Spiritus S. et talis ac tanta pœna infligi non potuerit, ni magnam aliquam ob causam? Quæstio hæc non parum exercuit Interpretum ingenia, tam Hebræorum, quam Christianorum, qui in varias sententias divisi fuerunt. Quidam ex recentioribus volunt, Mosem prorsus non peccasse, et si quæ Scripturæ loca extent, quæ videantur docere illum peccasse, alia vicissim esse, quæ doceant illum non propter peccatum suum punitum esse, ut Deut. iii. 26, "Iratus autem fuerat Dominus contra me propter vos," et Psal. cvi. 32, "Irritaverant etiam eum juxta aquas Meriba, et malum fuit ipsi Mosi propter eos." Et si peccatum ipsi tribuitur, quando dicitur, "Rebellastis, prævaricati estis, non credidistis, non me sanctificastis," id simile esse ei quod dicitur, Jos. vii. 1, de peccato Achanis, quod toti genti tribuitur, licet illius solius fuerit, "Et prævaricati sunt filii Israël prævaricationem in anathemate." Sed Textus ipse sacer repugnat, qui toties et tam expresse peccatum hoc Mosi et Aaroni tribuit in particulari, distincte a populo, Num. xx. 12, "Non credidistis mihi ad me sanctificandum coram populo." Sic c. xxvii. 14, dicuntur "rebellasse," et Deut. xxxii. 51, et Psal. cvi. 33, "Exacerbarunt spiritum Mosis," ideo "distinxit labiis suis," id. dubius omnino hæsitavit per diffidentiam, vel loquutus est in exacerbatione sua, id. parum convenienter officio suo. Quamvis vero occasio pœnæ Mosis fuerit contentio populi, ex qua dicitur Deus iratus fuisse

Mosi propter ipsum; hoc non obstat quominus propter proprium peccatum punitus fuerit.

IX. Non melius alii, ut Abarbanel, pertendunt quidem Mosem et Aaronem punitos fuisse propter peccata sua, sed Aaronem quidem ob peccatum vituli, Mosem vero propter negotium exploratorum terræ Canaan, quia Moses illos emittendo, de suo addidit, quæ nec Israëlitæ petierant, nec Deus mandaverat, "Ut considerarent populum, qui in terra habitabat, utrum fortis esset an debilis, paucus an multus, et quales urbes in quibus habitabant," &c., Num. xiii. 3, 19, 20. Quia hoc est aperte obloqui Spiritui Sancto, qui quoties agitur de ista pœna, peccatum Mosis et Aaronis expresse refert ad aquas jurgii, ut innuat commissum esse hac occasione, non alia quavis, Num. xx. 12, et xxvii. Deut. i. 37, et iii. 26, et xxxii. 51. Alii minus recte peccatum in eo collocant, vel quod percusserint petram, non vero tantum ad eam loquuti sint, ut jusserat Dominus; Quia non alia de causa dixerat Mosi, Accipe virgam, nisi ut alloquendo percuteret. Vel quod non ex seipsis, et sponte edixerint petræ, ut daret aquas suas; Nam cum hoc ipsum ex mandato Dei fecerint, quomodo illis imputaretur in peccatum? Imo peccassent graviter, si hoc citra mandatum tentassent.

X. Rectius ergo peccatum hoc refertur ad *incredulitatem* et *diffidentiam*, quam animo conceptam, exterius signo aliquo, vel vultu, vel gestu, aut sermone prodiderint. Non tam quod dubitarint de potentia divina, quam de voluntate et affectu. An Deus vellet tam rebelli populo aquas dare; Cum tamen Deus certo et absolute, non conditionate hoc promisisset. Diffidentia vero ista indicatur tum dictis, tum factis, *dictis* quidem, quum ait ver. 10, "Audite, o rebelles, Num de petra hac educemus vobis aquam?" quæ verba sunt dubitantis, cum absolute et simpliciter dicere debuisset, *petra da aquas*. Ideo Psal. cvi. 33, dicitur *distinxisse labiis suis*, id est, aliter protulisse verba Dei, quam proferenda erant, dubitando de eo, quod secure asseri debuit tanquam a Deo promissum. Deinde *factis*, in iterata petræ percussione, quod hæsitationem Mosis testabatur, et forte Deus ad fidem eorum explorandam non statim aquas dederat ad primam percussionem. Quicquid sit, certum est Mosem gloriam Deo non dedisse, non modo lingua et opere, sed præcipue corde, in quo latentem incredulitatem Deum respexisse dubitari nequit. Atque ita dicuntur non *sanctificasse* Dominum coram filiis Israël, id. populo dedisse causam dubitandi de ejus potentia et veritate; cum revocando illi in memoriam præterita miracula debuissent potius eos confirmare in fide tanti miraculi. Licet autem Aaron nihil hic dixisse, vel fecisse perhibeatur, in peccati consortium tamen venit cum fratre, quia tacuit, nec ipsum peccantem erexit et redarguit.

XI. Sed ut ad mysterium pergamus, quod præcipue hic attendere nos vult Spiritus S., Inquirendum jam est, quodnam sub hoc cortice latuerit. Hic enim aliquid fuisse μυστηριῶδες si Paulus expresse non doceret, satis tamen ipsa rerum eventuumque natura demonstrat. Nam si nihil aliud Deus hic sibi proposuisset, quam populum suum salubri potu reficere, nonne poterat vel aquas cœlitus immittere, vel illum in locum fontibus et aquis irriguum deducere? Quid opus erat, vel Petram peculiariter ad hoc seligere, vel virga uti ad eam percutiendam, ut aquæ ex ea exilirent? 2. Quid quod id ipsum, quod Mosi pollicetur se supra petram constiturum, usque dum miraculum peractum esset, satis clare ostendit, non alium quam Dei Filium, qui dux erat populi, hoc opus totum peregisse, nec ad alium quam ad ipsum hæc omnia respexisse. 3. Accedit, quod cum ex ipsa Judæorum sententia Christus sit finis et scopus totius Scripturæ,

in quo promissiones omnes, et typi suam obtinent veritatem, non verisimile est hoc opus miraculosum, et tam eximium beneficium populo collatum, nullam ad Christum σχέσιν habuisse, cum cætera omnia mystica fuerint, exitus ex Ægypto, transitus per mare, desertum, manna, columna nubis, et cætera, quæ populo contigerunt, quæ sane Judæos convincere possunt, memorabile aliquod hic mysterium latuisse. Sed Christianis post Apostoli testimonium de eo adhuc dubitare est nefas.

XII. Ut vero mysterium hoc aperiatur, 1. vis locutionis, quæ hic usurpatur, est expendenda; 2. ejus significatio per collationem typi et τοῦ τυπωθέντος erit demonstranda. Quoad prius quidem, adeo est perspicua in se phrasis Apostoli, quum ait ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστὸς ut explicatione vix egeret, nisi importunitas adversariorum hic aliquantulum immorari nos cogeret, qui, ut vim argumenti, quod ex hoc oraculo elicimus pro genuino sensu verborum sacramentalium, declinent, magno molimine propositionis istius veritatem obscurare conantur, subjectum in prædicatum convertendo, et prædicatum in subjectum; quasi non legendum sit ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστὸς, ut sita sunt verba Pauli, sed ὁ δὲ Χριστὸς ἦν ἡ πέτρα, ut sensus sit, non "Petra autem erat Christus," ut naturalis dispositio verborum importat, sed "Christus autem erat Petra," id. res per petram significata, ut innuant, petram, ex qua bibebant Israëlitæ, non fuisse petram illam Horeb, ex qua aquæ exiliebant, sed mysticam et invisibilem, quæ eos comitabatur, illisque in omnibus necessitatibus succurrebat, Christum scilicet, qui tunc temporis aderat populo, tanquam dux itineris: Sic Bellarm. lib. i. de Euchar. c. 11, Perron. de Euchar., Estius, Justinianus et alii non pauci.

XIII. Sed sensus hic convenire nequit, vel cum scopo Apostoli, vel cum serie sermonis, vel cum verbis ipsis de quibus agimus. Nam 1. Scopus Apostoli est deterrere Corinthios ab idololatria, fornicatione, et aliis similibus peccatis, exemplo veteris populi, propter similia peccata graviter puniti. Et ne sibi impunitatem pollicerentur, propter privilegia in Novo Testamento concessa, præsertim propter salutaria dilectionis Dei pignora., Baptismum scilicet et S. Cœnam, docet hac in parte etiam non inferiores esse ipsis Veteres, qui etiam habuerint suum Baptismum et suam Cœnam, quibus tamen Deus non pepercerit peccantibus. Aut ergo argumentum Apostoli non procedit, aut necesse est ut per cibum et potum, petramque spiritualem, intelligantur signa aliqua veteribus data, pani quem frangimus, et poculo cui benedicimus, correspondentia in genere sacramenti seu signi sacri. 2. Eadem debet esse ratio petræ, quæ aliorum signorum supra memoratorum, puta, maris, nubis, mannæ; At ista materialiter esse intelligenda consentiunt omnes: Ergo pariter petra ex qua bibisse dicuntur. 3. De ea petra loquitur, de qua biberant omnes Israëlitæ. At bibere de Christo, non potuit esse beneficium commune tam bonis quam malis. Nam non poterat bibi Christus sub V. T. nisi per fidem, quam mali non habent. Nec juvaret respondere, quod facit *Gerhardus*, id intelligendum hoc discrimine, quod impii in typo duntaxat, pii vero in typo et fide simul biberint. Nam quid est "in typo bibere," nisi "typum ipsum bibere?" Ergo Apostolus loquitur de petra illa, quæ typus fuit, et quidem de illa sola, quandoquidem unius tantum non duplicis petræ meminit. 4. Verba ipsa Apostoli satis docent, sine inversione, et prout disposita sunt, esse intelligenda, articulus enim ἀναφορικὸς, ἡ δὲ πέτρα, ostendit clare, non aliam petram innui, quam eam cujus proxime mentionem fecerat, ex qua Israëlitæ in deserto biberant. 5. Ipsi adversarii fateri coguntur, petram illam materialem fuisse figuram Christi, et aquam inde manentem figuram san-

guinis ejus. "Non negamus," inquit Bellarm. l. c., "quin petra illa materialis figura fuerit Christi, et aqua ex illa manans figura sanguinis ejus, ut non negamus species panis et vini esse signa Corporis et Sanguinis Christi, sed negamus per ista verba, Petra erat Christus, hanc designari figuram." Sed cum nullus alius sit Scripturæ locus unde id probari queat, vel pro libitu fingitur, vel ex hoc loco necessario colligitur.

XIV. Nec hic nos movere debent rationes duæ, quæ afferuntur ab adversariis ad confirmationem sententiæ suæ, tum quod vocetur *spiritualis*, tum quod dicatur *secuta Israëlitas*, quod competere nequeat petræ materiali. Nam jam insinuavimus, petram istam spiritualem dici eodem sensu, quo manna *cibus spiritualis*, non *substantia*, sed "significatione, propter intelligibilem utriusque significationem," ut loquitur August. tr. xxvi. et xlv. in Joh. Et si secuta dicitur Israëlitas, hoc non debet intelligi de ipsa petra, quasi eos pone sequeretur, aut portatilis esset in sinu Mariæ, ut somniarunt quidam Rabbini, sed respectu rivorum, quos fundebat, qui castra illorum comitabantur, ut sic haberent *petræ aquatilem sequelam*, ut ait Tertull. *de patientia.*

XV. Asserta vero Propositionis istius veritate, videndum est ulterius, Quomodo petra ista fuerit Christus. Hoc autem non intelligi *literaliter* per conversionem aut transmutationem, sed *sacramentaliter* et *metonymice*, per meram significationem et obsignationem relativam, non propria locutione, sed tropica et figurata, res ipsa clamat: Cum disparatum de disparato, qualia sunt Christus et petra, de se invicem proprie prædicari non possint, fatentibus ipsis adversariis. Ergo nihil aliud est, *petra erat Christus*, quam significabat Christum, vel erat signum Christi, perinde enim est, sive in copula, sive in prædicato tropus ponatur, et res eodem redit, ut per metonymiam signo detur nomen rei significatæ, tum propter analogiam, tum propter unionem ex ordine Dei in usu legitimo. Nec aliter intellexerunt Veteres, Tertull. lib. de Patientia, "Petra illa erat Christus," hoc est, "significabat Christum." August. sæpius, hoc repetit, quæstio. in Leviti. q. 57, "Petra erat Christus, non per substantiam, sed per significationem." Et Epist. cii, "Petra erat Christus, quia significabat Christum." Sic lib. xviii. de C. D. c. 42, cont. adver. leg. c. vi. tr. 63, in Joh. et alibi non semel. Hoc agnoverunt Basilius de Spi. S. cap. xiv. Ambrosius in Psal. xxxviii., Theodoretus, in Exod. ix. 28., Primasius in 1 Cor. x. et alii non pauci. Imo saniores ex adversariis hoc non diffitentur, Lyranus, "petra erat Christus, scilicet figurative, eo modo loquendi, quo imago Herculis Hercules nominatur." Glossa Interlinearis "spiritualem petram" interpretatur, "quæ Christum significat," et Marginalis, "petra autem, solet res quæ significat, nomine rei quam significat nominari, petra Christus." Aug. "in signis diversis eadem fides, ibi petra Christus, nobis quod in altari ponitur est Christus; si speciem visibilem attendas, aliud est, si intelligibilem significationem eundem potum biberunt." Thomas "non per essentiam, sed per significationem." Carthus. "non essentialiter, sed figurative." Gagnæus "Christum significabat." Justin. in h. l. "petra erat Christus significatione et symbolo." Nec alio modo ipse Lutherus ad Waldenses, "Hic fides me cogit, ut Verbum *est* interpreter, *significat*," hoc modo, "Christus est significatus per corpoream petram Mosis."

XVI. Hunc autem genuinum esse locutionis istius sensum, ex aliis compluribus ejusdem generis locutionibus, quæ non alium sensum possunt admittere, perspicue colligitur. Nihil usitatius est in Scriptura, quam ut verbum *est*, ponatur pro "significat," ut "septem candelabra *sunt* septem

ecclesiæ," Apoc. i. "Ager *est* mundus, semen *est* verbum," Matth. xiii. "Septem vaccæ *sunt* septem anni," Gen. xli. "Ossa *sunt* domus Israël," Ezech. xxxvii. et passim in parabolis et similitudinibus. Sed præcipue quoties de sacramentis agitur, quæ in significatione consistunt, non aliter loqui amat Spiritus Sanctus, nec melius et convenientius loqui posset, quam tropice. Sic "circumcisio dicitur fœdus," Gen. xvii. 10, id est, signum fœderis, Deo ipso interprete, ver. 11, et Rom. iv. 11, "Agnus transitus," Exod. xii. 11, id est, ejus memoriale, Exod. xiii. 9, "baptismus lavacrum regenerationis," Tit. iii. "Calix N. Testamentum," Luc. xxii. et sim. quæ vel nullum sensum habent, vel figuratum et tropicum postulant.

XVII. Atque hinc invicte ostenditur, quis debeat esse sensus verborum sacramentalium vexatissimorum, *Hoc est corpus meum.* Ut enim petra dicitur Christus per significationem; Ita et pariter *Panis*, qui per pronomen *hoc* designatur; nec ovum ovo similius est, quam duæ istæ locutiones inter se conveniunt. Scio hic Cornelium a Lapide cum Bellarmino, et Tirinum, qui eos sequitur, discrimen aliquod afferre, quod "revera petra non possit dici de Christo nisi typice et significative, quia sint disparata, quæ non possint proprie de se prædicari; sed in ista propositione non dicat Christus, Panis est corpus meum; sed, Hoc est corpus meum, usurpando pronomen demonstrativum Hoc, quod non sit quid repugnans aut disparatum a corpore Christi, cum designet indeterminate id quod latet sub speciebus panis, quod potest esse divina virtute, tam corpus Christi, quam substantia panis; Unde potest, imo debet corpus Christi proprie accipi, quando, affirmante Christo, de hoc prædicatur." Sed quam bene statuunt disparatum de disparato non posse prædicari, Tam certo sententiam nostram confirmant; Cum hoc de alia re intelligi non possit, quam de pane; 1, quia non aliud per *hoc* intelligi potest, quam id quod Christus ceperat in manus suas, cui benedixerat, quod fregerat, et quod tradiderat discipulis suis; At id panis erat, et non aliud quid. Unde Paulus, 1 Cor. x. 16, "Panis quem frangimus," et c. xi. 28, vult quemque se probare, quoties *panem* istum edit, &c. 2. idem probatur ex analogia aliorum Sacramentorum, ubi commutatio fit sæpe nominum; ut nomen signati signo, et vice versa nomen signi signato tribuatur, ut jam visum. 3. Status Apostolorum non alium sensum postulat, videbant Christum mensæ accumbentem, et panem præ manibus habentem, tanquam duo subjecta realiter diversa, quorum unum proinde non poterat proprie esse alterum; audiverant similes plures locutiones tropicas a Christo usurpatas, *Ego sum vitis, janua*, &c. quas in parabolis subinde repetierat; Jamjam celebraverant Pascha, ubi multiplex locutio figurata occurrebat in Agno, et in azymis; Quid proclivius ergo fuit, quam in simili plane negotio phrasim istam eodem modo intelligere?

XVIII. 4. Non potest intelligi per *Hoc*, corpus Christi, Nam præterquam quod sic debebit concipi corpus Christi latere sub speciebus panis ante prolationem verborum, quibus demum fit transubstantiatio, contra eorum hypothesim, sensus propositionis erit absurdus, resolvendæ scil. in istam, "hoc," id est "corpus meum, est corpus meum." Deinde verba ipsa erunt speculativa et demonstrativa, non practica et operativa, ut volunt. 5. Non potest indeterminate significare id quod latet sub speciebus panis, nam ut in enunciatione vera attributum conveniat subjecto, ipsum subjectum debet determinate exprimi, vel designari. Deinde cum nihil hic occurrat nisi vel panis, vel corpus Christi, nam species, quæ sunt mera accidentia, non posse constituere subjectum enunciationis, nemo, ut opinor,

diffitebitur, nec possit esse corpus, ut jam dictum, necessario panis est intelligendus. Nam quod ad *individuum vagum*, quod hic nonnulli somniant, tam est absurdum, ut vix refutatione indigeat. Nam non posset designari pronomine demonstrativo, *Hoc*, quod necessario certum aliquod et determinatum individuum indicat; Et licet individuum vagum aliquando sit respectu nostri, nunquam tamen tale potest esse respectu sui, quia debet esse substantia quædam certa et determinata. Ea vero cum non possit esse corpus Christi, debet esse alia substantia, quæ cum non sit realiter corpus Christi, non potest nisi figurate et tropice dici corpus Christi, ut petra non dicitur Christus nisi significative.

XIX. Ad pleniorem vero istius veritatis illustrationem, non parum juvabit consideratio *regularum* variarum, ex quibus sensus literalis a metaphorico, et metaphoricus a literali potest discerni, quod quanti sit usus in variis quæstionibus Theologicis, et præsertim in doctrina de Sacramentis, neminem latere potest: Nam ut non sine magno periculo locutiones propriæ et literales mutantur in metaphoricas et figuratas; Ita non minus est periculum, locutiones metaphoricas mutare in proprias et literales, quod visum in Anthropomorphitis, verba Scripturæ de membris humanis Deo attributis ad literam sumentibus, cum tamen *ἀνθρωποπαθῶς* dicta, deberent *θεοπρεπῶς* intelligi, et in Judæis proprie et literaliter accipientibus de regno terreno et temporali Messiæ, quæ mystice et figurate erant intelligenda. Ad scopulum hunc declinandum faciunt sequentes regulæ. Prima, *Quoties proprietas literæ contradictionem vel impossibilitatem evidentem inducit, verba figurate sunt intelligenda*; Quia cum mens humana non possit concipere eodem tempore rem esse et non esse, nec conciliare ea quæ sibi invicem opponuntur, ad figuram confugere tenetur, juxta quam sensum convenientem verbis assignare potest. Ex hac regula verba sacramentalia figurata esse constat; Cum enim ad literam sumpta contradictionem manifestam involvant, nimirum illud quod panis est, esse corpus Christi, et illud quod est petra, esse Christum, quia intellectus noster nequit ex duabus istis ideis panis et corporis, petræ et Christi unicam efformare, cogitur ad figuram recurrere, ut sensus commodus et rationalis habeatur.

XX. Secunda regula est Augustini, lib. iii. de Doct. Christiana, cap. 16. "Quæ locutio flagitium vel facinus videtur præcipere, figurata est," quam verbis sacramentalibus applicando, *Christus dixit*, inquit, "nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et nisi biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, videtur jubere flagitium, Est ergo figurata." Cum ergo in literali sensu aliquid occurrit, quod vel præceptis Dei adversum est, vel Majestati Dei et Christi injurium, necessario ad figuram recurrendum, quia verbum Dei nihil habere potest, quod non conveniat sanctitati ejus, et quod non deceat ejus majestatem et gloriam. Jam in hoc argumento, dicere panem esse literaliter corpus Christi, et petram Christum, idea parum conveniens et sanctitati et majestati Christi in mentibus nostris formatur; id enim dicitur esse Christus, quod est insensibile et inanimatum, et corpus Christi, quod indiscriminatim tam a bonis quam a malis comeditur, et innumeris accidentibus exponitur, quæ filii Dei gloria penitus sunt indigna. Tertia, *Quando subjectum, de quo agitur, non modo potest figuram admittere, sed eam necessario postulat;* quia conceptus et verba sequi debent rerum naturam, et ad eam designandam usurpantur. Ita quum signo datur nomen rei quam significat, pignori nomen rei ad cujus confirmationem datur, et medio nomen rei, quam nobis communicat; nemo dubitat locutiones istas esse figuratas, quod non semel Augustinus observat,

Epist. cii. "Res quæ significat, nomen accipit rei quam significat ; sic Spiritus Sanctus vocatur columba, et petra Christus." Jam notum, sacramentum Eucharistiæ non modo esse signum, quod repræsentat corpus Christi, pignus externum et visibile, quod ejus possessionem invisibilem et spiritualem confirmat, non modo medium, quod illum nobis communicat, et quo vis ejus in nobis exeritur ; sed omnes istas σχέσεις signi, pignoris, et medii conjungere, in similitudine quam habet cum corpore Christi, unde dubium esse non potest, quin corpus Christi figurate tantum propter rei significationem dicatur.

XXI. Quarta, *Quum videmus figuratam locutionem usurpari in subjectis similibus illi de quo quæstio est, certo colligere licet, figuratam in eo occurrere locutionem ;* quia de simili simile judicium, nec dubitari potest, quin homines eodem modo loquendi utantur circa res easdem. Ita quum circumcisio vocatur fœdus Dei, quia ejus erat signum, et Agnus Pascha seu transitus, quia erat ejus memoriale ; quum audimus Judæos loquentes de pane, quem comedebant in Paschate, in cujus locum substituit S. cœnam, *hic est panis miseriæ, quem Patres vestri manducaverunt in deserto ;* An mirum videbitur Christum dixisse, panem esse corpus suum, et Paulum, petram esse Christum ? Sic Augustinus contra Adimantum, cap. xii. ad inveniendum verum sensum istius locutionis Mosis, "Sanguis est anima," recurrit ad exempla locutionum figuratarum, in quibus signa sumunt nomina rerum quas significant, et dat isti locutioni sensum metaphoricum, scilicet quod sanguis sit signum animæ, quia Paulus dixit quod "Petra est Christus," quia illum significabat, "Et Christus non dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, quum dabat signum corporis sui."

XXII. Quinta est Chrysostomi, qui homil. in hæc verba, *Pater, si possibile est,* &c., tradit non esse hærendum in terminis, sed respiciendum esse scopum loquentis, causam et occasionem sermonis ejus, et quærendum sensum latentem, quibus addimus conditionem et statum Auditorum ad quos fit sermo ; Nam si ista omnia nos ad figuram ducunt, dubium non est quin figurata sit locutio. Jam si expendamus verba sacramentalia quoad istas circumstantias, deprehendemus scopum et intentionem loquentis, causam et occasionem sermonis, et dispositionem ac statum auditorum figuram exigere : Christus enim non alium sibi scopum proponit, quam sacramentum dare Ecclesiæ communionis suæ cum fidelibus ; ad quod requiritur quidem præsentia quædam objecti, non tantum contemplationi, sed etiam conscientiæ expositi, ut recipiatur, sed non præsentia corporalis quoad substantiam, quatenus caro et sanguis principia sunt salutis, pacis et vitæ, non in genere causæ physicæ, quæ agit per contactum et indistantiam loci, sed in genere causæ meritoriæ et moralis, quæ operatur non modo quum adest, sed etiam quum abest, imo quum nondum extat in rerum natura. Occasio etiam sermonis fuit institutio S. cœnæ in locum paschatis, ubi locutiones figuratæ occurrebant variæ. Denique status discipulorum talis erat, ut non possent aliter exponere verba Christi, ut alibi est a nobis ostensum in Institut. Elenct. P. III. Loc. XIX. Q. xxvi.

XXIII. Atque ex his satis superque patet sensus Enunciationis Paulinæ, et identitas ejus cum verbis sacramentalibus. Nunc paucis ratio significationis, et mysterii in ista petra latentis est aperienda. Primo mirum videri non debet Christum in petra adumbrari ; nam etiam extra sacramenti rationem Deus sæpissime sub hoc symbolo designatur, non modo respectu sui, propter naturæ suæ æternam firmitatem et durationem, sed et ratione nostri, quia est arx et locus munitus adversus hostes, Psal. xviii. 2, et xxxi. 3, et invictum et immobile Ecclesiæ fundamentum, quod illi dat

τὸ εἶναι καὶ μόνον ἀσάλευτον, Isa. xxviii. 16, Rom. ix. 33, 1 Pet. ii. 6, ita ut portæ inferorum non possint prævalere adversus Ecclesiam huic petræ inædificatam, Matth. xvi. 18. Hinc Paulo Christus vocatur *fundamentum* 1 Cor. iii. 11, et Psal. cxviii. 22, "lapis angularis," quod Bernardus explicat eximie Serm. 61 in Cant. "Quid non boni," inquit, "in hac petra? In Petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto, securus ab hoste, fortis a casu. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas, nisi in vulneribus Servatoris? Tanto illic securior est habitatio, quanto ille potentior est ad salvandum, fremit mundus, perit corpus, Diabolus insidiatur, non cado, firmatus sum enim super firmam petram.

XXIV. Sed quia Paulus peculiariter seligit Petram istam, ex qua aquæ fluxerunt, analogiæ ratio cum ea hic unice attendenda, quæ multiplex esse potest. Nam ut petra potissimum a Deo eligitur ad aquas populo suppeditandas, quæ non modo in se aquas non continet, sed cui nihil magis repugnat in speciem, quam aquas dare, nam ex aliis quidem corporibus aquæ elici possunt, sed ex lapide vel petra nequaquam: Ita nihil absurdius videbatur carni, quam ex Crucifixo salutem petere, id est ex morte vitam, ex miseria felicitatem, ex maledictione benedictionem. Unde Christus dicitur scandalum Judæis, stultitia Græcis, sed vocatis sapientia et potentia Dei. 2. Rursus ut ex petra aquæ fluxerunt; Ita Christus fit suis fons saliens in vitam æternam, qui ex se aquas gratiæ et salutis fundit copiosissime. Unde toties apud Prophetas sub symbolo aquarum beneficia salutaria Christi, et dona Spiritus Sancti adumbrantur, Isa. xli. et xliv. Ezech. xxxvi., Zach. xiii., 1, Joh. iv. et vii. 3. Sed ut petra non dedit aquam nisi percussa, Et ex illa percussa exilierunt aquæ affatim, quibus reficiebantur Israëlitæ; Ita ex Christi crucifixi latere manavit sanguis et aqua, quibus reficiuntur Credentes in deserto mundi, tendentes ad terram promissionis, id est cœlum. Cum enim Deus nihil peccatori indulgere posset, nisi placatus satisfactione Filii, prius eum percuti oportuit et affligi, ut castigatio pacis nostræ super eum poneretur, et ex ejus vibicibus salutem consequeremur. 4. Sed ut petra percussa fuit virga Mosis, Ita Christus non modo percussus fuit a Judæis, quorum figuram gessit Moses, sed præcipue a virga Legis, cujus ille Minister fuit, id. maledictione et pœnis a Lege denunciatis, Isa. liii. 4, 5, Gal. iii. 13. 5. Petra percussa magnam copiam aquarum fudit, quæ abunde suffecit populo: Ita Christus qui fons est inexhaustus salutis, in quo plenitudo est omnis gratiæ, copiosissime aquas istas salutares id. dona Spiritus ex se fundit, quæ non uni vel alteri, sed toti Ecclesiæ abunde sufficiant, Joh. i. 16, et iv. 14, et vii. 37. Hinc dicitur factus nobis a Patre sapientia, justitia, &c., 1. Cor. i. 30, et esse omnia in omnibus, Col. iii. 11. 6. Ut nihil suavius potuit esse Israëlitis in deserto, et locis illis calidis, quam fontes aquarum, quibus possent dulci salientis aquæ sitim restinguere rivo; Ita nihil salubrius, nihil gratius fidelibus in deserto mundi arido et æstuoso, quam fontem aquæ salientis penes se habere, quo reficiantur in æstu suo.

XXV. 7. Ut petra aquas fudit non ad momentum, quæ postea arescerent, sed perpetuo, quamdiu populus in deserto peregrinatus est, unde dicitur secuta populum, in rivis scilicet ex illa manantibus; Ita Christi sanguis, et dona gratiæ omnia tempora et loca permeant, nec unquam arescunt et deficiunt, sed perpetuo fideles comitantur in deserto hujus mundi ad eos sustentandos. Nec modo adest fidelibus suis per dona, quæ illis affatim suppeditat, sed ipse præsentia sua eos dignatur, nec tam sequitur, quam comitatur et præit, ne quicquam ipsis desit in via, quæ ipsis emetienda est. Ut hic duo maxima fidelium privilegia designentur, *Perseve-*

rantia gratiæ, et donorum Dei perpetuitas, et *Christi ipsius præsentia*, juxta quam se pollicetur fore nobiscum usque ad consummationem seculorum, Matth. xxviii. 29. Licet vero patiatur aliquando ad castigandam ingratitudinem, et exercendam suorum fidem, aquas istas salutares subtrahi utcunque ad tempus, ut in deserto; nunquam tamen absolute illas ipsis denegat, sed vult ut precibus nostris eum veluti percutiendo fidei et pœnitentiæ studio eas eliciamus.

XXVI. Cæterum in hac collatione multiplex discrimen etiam observari potest. Petra Mosis fuit inanima et ἄλογος: Sed Christus est petra viva, et vivifica ac rationalis. Illa in sinu suo aquas non habuit: Sed Christus est fons vitæ, ex cujus plenitudine haurimus omnes gratiam pro gratia, Joh. i. 16. Illa sitim corpoream sedare potuit ad tempus sed non in perpetuum: Sed Christus ita nos potat aqua salutari sua, ut qui semel ex eo bibit, non sitiat amplius, sed fiat in eo fons saliens in vitam æternam, Joh. iv. 14. Illa sequi non potuit Israëlitas; Sed Christus perpetuo illos comitatur, ut author et consummator fidei, qui eos redemptos ex Ægypto spirituali, et per mare rubrum sanguinis sui traductos, lampade verbi in deserto mundi deducit, manna cœlesti nutrit, aquis salutaribus potat et reficit, donec ad Canaanem cœlestem perveniant, ubi "qui est super thronum obumbrabit illos, non esurient, nec sitient amplius, nec Sol occidet unquam supra eos, quia Agnus, qui est in medio throni pascet eos, et deducet," non ad rivos, sed "ad vivos et perrennes fontes aquarum, et absterget omnem lachrymam ab oculis ipsorum," Apoc. vii. 16, 17, Γένοιτο.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SERPENTE ÆNEO.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SERPENTE ÆNEO.

I. Ut inter illustres Veteris Testamenti typos, quibus mors Christi et ejusdem beneficia nobis adumbrata sunt, merito reponitur serpens æneus, cujus historiam Moses proponit Num. xxi., et mysterium nobis aperit Christus, Joh. iii.; Ita sedula ejus contemplatio non potest non maximi esse usus, cum ad variorum mysteriorum Evangelicorum cognitionem, tum ad piorum omnium institutionem et solatium. Hæc ratio nos movit, ut exercitationibus præcedentibus de tribus miraculis, in gratiam populi Israëlitici in deserto patratis, *Baptismo* scilicet *nubis et maris*, *manna* et *petra*, brevem hanc de *Serpente æneo*, in quo non minus Dei gratiæ et virtutis miraculum occurrit, Dissertationem adderemus, quam ad duo Capita revocabimus; In primo historiæ veritatem in typo, in altero ejusdem mysterium in antitypo, cum bono Deo, expensuri sumus. In utroque malum peccati et pœnæ erit attendendum cum remedio miraculoso a Deo exhibito.

II. Historia refertur a Mose, Num. xxi., ubi recenset populum post suppeditatam aquam e petra in Kades, cum inde ad montem Hor proficisceretur, et non recta via, sed per tædiosas circuitiones terræ Idumæorum pergendum sibi videret in terram Canaan, atque ita diutius in deserto oberrandum, ex impatientia in duras et graves contra Deum et Mosem voces denuo erupisse. Unde ira commotus Deus serpentes venenatos et noxios in eos immisit, quorum morsibus lethiferis magna populi multitudo concidit. Verum cum peccatum suum agnoscerent et confiterentur Israëlitæ, atque apud Mosem deprecarentur, Deus ad Mosis preces motus, salutis remedium illis præbuit, dum jussit Mosem serpentem æneum conflare, et eundem publice in eminenti loco erigere, addita hac promissione; fore ut omnes morsi eum adspicientes sanarentur; Quod eventus comprobavit, siquidem, Mose mandato divino obsequente, quotquot serpentem hunc æneum adspexerunt, sanati sunt.

Peccatum Israëlitarum.

III. Ubi primo occurrit consideratio peccati Israëlitarum, postmodum vero pœnæ a Deo illis propterea inflictæ. Peccatum consistit in murmure, quo in Deum et Mosem insurrexerunt, sive propter itineris incommoda et prolixitatem populo defatigato et fatiscente, sive propter aquæ et cibi penuriam manna fastidiente, et sitim ac famem sibi adnexas prætexente, licet abunde Deus illi prospexisset quoad utrumque, " Loquutus est populus contra Deum et Mosem, ut quid ascendere nos fecisti ex Ægypto, ut moreremur in deserto? Non est enim panis neque aqua, et tædet animam nostram super pane levi," Num. xxi. 5. Quod Apostolus exponit per tentationem, 1

Cor. x. 9, "Ne tentemus Christum, sicut illi tentarunt et a serpentibus perierunt." Tentasse dicuntur Christum, quia Christus erat Jehova dux populi in deserto, et in eo tentarunt, quod murmurando in dubium vocabant ejus potentiam, quasi in deserto non posset eos alere, et ejus fidelitatem, quasi non vellet promissis stare, fastidientes et nauseantes impia ingratitudine eximium cibum et potum, quem Deus illis affatim suppeditabat; *pœna* proponitur in immissione serpentum ignitorum innumeros ex populo exitiali veneno suo et lethifero morsu occidentium.

Et pœna.

Quid fuerint Serpentes Igniti?

IV. Ut vero de serpentibus istis in antecessum aliquid dicamus; Non opus est ut refellamus eorum figmentum, qui pertendunt Diabolum in serpentem transformatum hanc stragem fecisse, Vel qui volunt fuisse speciem morbi, qui exiguos angues in corporibus Israëlitarum producebat, gravissimas inflammationes in iis excitantes, cujus morbi genus peculiare fuerit iis, qui circa mare rubrum degebant, nec ullis unquam aliis obtigerit, ut Agatharcides narrat apud Plutarch. sympos. lib. viii. quæst. 9. Verba enim Textus sacri vanitatem istius figmenti satis probant, nec patiuntur dubitare, quin veri serpentes fuerint, a Deo immissi ad pœnam populi. Duplici autem nomine a Mose insigniuntur נחשים et שׂרפים. Prius generale est nomen serpentum; posterius bifariam exponitur; Quidam volunt esse adjectivum, quo designetur eorum qualitas, ut ita vocentur vel a colore ignis, quem præ se ferebant, vel potius ab effectu, quod morsu vel statu inducerent calorem intensissimum et adurere viderentur a שׂרף quod est *urere*, quo respexit Onkelos qui reddit חיון קלן *serpentes urentes.* Sic R. Salomon et R. D. Kimchi, "qui urunt hominem veneno dentium suorum vel halitu oris sui." Et in Zohar libri, Num. fol. 88, "Quia contra Deum et Mosem murmurarunt ex æquo; Ideo immisit in eos serpentes comburentes eos instar ignis, igne ingrediente in os ipsorum, ut conciderent et morerentur." Alii volunt שׂרף peculiarem designare serpentum speciem, et priori voci generali per appositionem addi; et sic innui quos Græci πρηστῆρας et καύσωνας vocant, vocibus ad amussim Hebraïcæ respondentibus, nam שׂרף verbum idem est, quod vel ἐμπρῆσαι vel κατακαῦσαι; de quibus, Lucan. lib. ix.,!

Oraque distendens avidus spumantia Prester,

Quos idem esse vult Dioscorides cum *dipsadibus* a siti, quam veneno suo accendunt. Sunt qui serpentes alatos designari putant, quos ex Lybia Cicero, l. i. de natura deorum, et Josephus l. ii. Antiq. c. 5, ex Arabia vero in Ægyptum volare scribunt Mela, Salinus, Ammianus. Ideo Isa. xxx. 6, Ægyptus vocatur terra, in qua est vipera ושׂרף מעופף et *Saraph volans.* Tales vero *hydri* habere speciem, observat Herodotus lib iii., τοῦ δὲ ὄφιος ἡ μορφὴ, οἵηπερ τῶν ὕδρων, *serpentis vero forma qualis hydrorum:* Hinc Celeberr. Bochartus non sine magna verisimilitudine conjicit per שׂרף designari *hydrum*, vel *chersydrum*, qui virus habet acerrimum et nocentissimum, morsu suo adurens quicquid attingit, de quo Virgilius lib. iii. Georg.

Postquam exhausta palus terræque ardore dehiscunt,
Exilit in siccum, et flamantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti, atque interritus æstu.

Sed quocunque modo exponatur vox, certum est malignos et summe venenatos notari serpentes, qui morsibus suis multos ex populo enecarunt.

An fuerint naturales, An miraculosi?

V. Non opus est autem anxie quærere, An serpentes isti naturales fuerint, an miraculosi? An in deserto extiterint, an aliunde fuerint accersiti? licet enim constet ex Scriptura, desertum tales serpentes plures habuisse, unde Deut. viii. 15, dicitur locus serpentum et scorpionum; dubium tamen non est, quin aliquid miraculosum et extraordinarium agnoscendum sit, in tanta copia, quæ tam celeriter Israëlitas invasit, quod non obscure innuit scriptor sacer, dum ait *misisse Dominum in populum serpentes ignitos*, insinuans, hos serpentes vi quadam θεηλάτῳ excitatos fuisse, vel aliunde accersitos, ad pœnas de populo comtumaci sumendas; Quo modo in Ægypto ranæ ex naturali loco suo, ex fluviis, rivis et paludibus excedentes totam terram cooperuerunt, ita ut etiam superiora ædium tabulata conscenderent. Quo pertinet quod Sapi. xvi. 5, de serpentibus a Deo immissis dicitur, "quando illis supervenit," scilicet velut ex improviso, "sævus bestiarum furor, et morsibus tortuosorum anguium sunt absumpti." Scio Hebræos censere, naturales fuisse istos serpentes, et miraculum in eo tantum positum esse, quod cum serpentibus et scorpionibus desertum illud scateret, illi tamen hactenus eis nocere non potuissent, Deo eos cohibente vel occidente, adeo ut totis 40 annis, quibus Israëlitæ erratunt in deserto, ne unus quidem ab illis læsus fuerit; Et in eam rem referunt Rabbinorum traditionem, in Bemidhar Rabba, sect. 1, septem nubes cinxisse Israëlitas in deserto, unam superne, alteram inferne, quatuor ad quatuor plagas Mundi, unam denique, quæ eos præcedebat percutientem ipsis serpentes et scorpiones, æquantem montes et valles, comburentem spinas et sentes, et ascendere facientem fumum, quem cum videbant reges orientis et occidentis, dicebant, Quis est iste qui ascendit e deserto? Cant. iii. 6; Et hanc nubem peculiariter ad hoc miraculum fuisse destinatam; Sed cum protulissent et effutiissent injuriosa verba, in rem quæ maximo illis erat et ornamento et emolumento, Deum emisisse in illos serpentes istos adurentes, qui in deserto erant. Sed ut hæc finguntur ἄτερ γραφῆς, ea proposuisse est refutasse.

Cur Deus hanc plagam immiserit in Israëlitas?

VI. Si jam quæritur, cur Deus hanc pœnam in ipsos immiserit? Respondetur recte fuisse hoc pacto castigatam eorum ingratitudinem, ut sentirent quantæ stultitiæ fuisset contra Deum insurgere, cum impares essent serpentibus. Unde ad eos humiliandos optima fuit ratio contemtim serpentes opponere ad conflictum, qui eos suæ infirmitatis convincerent. Secundo, mirabilis etiam occurrit Dei dispensatio, pœnam peccato respondentem inducendo, ut serpentibus punirentur, qui serpentum virulentiam imitati erant. Murmuratores enim et detractores dicuntur "acuere linguam suam sicut surpentes, et mordere, et venenum aspidum sub labiis habere," Psal. cxl. 3, et Eccles. x. 11, maledicus seu blasphemus a Salomone confertur cum serpente, qui mordet non incantatus. Unde colligitur morsu serpentum juste punitam fuisse in populo Israëlitico mordacis linguæ procacitatem: Sic sanguinem sanguine punit, Gen. ix., gladium gladio, vastationem vastatione, adulterium adulterio, 2 Sam. xii. 11, Isa. xxxiii. 1; sitim siti, projectionem infantium in fluvium dejectione in mare, Exod. xiv. ut per quæ quis peccat, per eadem puniatur, ut in pœna imago peccati, et justitia supplicii facilius agnoscatur. Sed quia Deus in pœnarum inflictione non quærit hominum πανωλεθρίαν, sed vult ut hisce flagellis domiti et correcti sapere incipiant, et in gyrum obsequii divini cogantur: Ideo statim atque Israëlitas sui peccati pœnituit, Deus etiam remedium sanandis eorum

vulneribus dedit, ut se misericordem et clementem erga populum ingratum et σκληροτράχηλον exhiberet. Et ut antea in baptismo nubis et maris symbolum *vivificationis* et cujusdam veluti resurrectionis dederat; In manna vero et petra pignus *conservationis* et *nutritionis:* Ita in serpente æneo signum *sanationis* dare voluit, quo scilicet testatum faceret, in se reperiri quæcunque necessaria erant ad populi commodum et σωτηρίαν, ad vitam obtinendam, conservandam, et sanandam.

Remedium Serpens æneus.

VII. Remedium autem a Deo præscriptum fuit serpentis ænei confectio, et in perticam erectio, ut ab omnibus posset conspici. Nihil minus consentaneum primo intuitu, et a ratione alienius, quam serpentem æneum fabricari, cujus aspectus lethale venenum extingueret. Sed hæc quæ videtur absurditas, longe ad illustrandam Dei gratiam fuit aptior, quam si quid naturale fuisset in remedio. Poterat quidem Deus uno verbo serpentes illos fugare et conficere; sed si protinus sublati fuissent, facile putassent fortuitum fuisse incursum, et malum illud naturaliter evanuisse. Potuisset alia etiam remedia convenientiora parare huic morbo curando; sed si in ope ferenda quicquam fuisset aptis et concinnis remediis affine; obtecta fuisset hoc modo Dei virtus et bonitas. Ut ergo sentirent se sola Dei Gratia a morte eripi, modus sanationis electus est tam a natura rei et ab humana ratione alienus, ut esset prope similis ludibrio: Atque ita voluit etiam obedientiam populi probare, modum salutis quærendæ præscribendo, qui captivos teneret omnes sensus; quid enim serpentis aspectus potuit conferre ad sanationem morsus Serpentis? Sed hæc est propria fidei virtus, libenter stultescere, ut ex uno Dei ore sapere discamus. Sic videmus sæpius Deum in operibus suis iis usum fuisse mediis, quæ vel infirma vel plane inepta videntur ad opus quod intendit producendum: Sic Tubis muros Jericuntinos diruit, sic vasis testaceis et lampadibus Madianitas fudit, sic luto imposito cæcis visum restituit. Nimirum ut uni Deo, non nobis, in solidum gloriam acceptam feramus; nec homines sua industria id consecuti videantur, sed sola Dei virtute, quæ eo major agnoscitur, quo minora sunt et viliora quæ adhibentur remedia.

VIII. Nec sine ratione Hebræi notant hic miraculum in miraculo, Deumque per contraria curare, quomodo lignum amarum reddit aquam dulcem, Exod. xv. 25, Sal qui sterilitatem inducit, fœcundat terram sterilem, 2 Reg. ii. 21. Æs naturaliter nocet a serpente morsis; imo eos enecat, si æs candens aspiciant, ut asserunt Medici. Miraculum ergo erat, quod venenum idem qui inspiraverat curaret, ut eo clarius constaret, Deum solum esse qui sanaret, quod Abarbanel notat: "Nullum est dubium," inquit, "quin ad orationem Mosis e medio sublati fuerint serpentes, remanserunt autem in populo ægri multi qui morsi fuerant. Ad hos igitur sanandos dixit Deus Mosis, Fac tibi presterem, et pone illum in lignum, ut omnis qui morsus est aspiciat et vivat. Constat autem ut Nachmanides scripsit, hoc potius debuisse augere morbos, quia morsi a venenatis bestiis non debent aspicere imaginem ejus, a qua morsi sunt. Hoc vero ideo factum est, ut agnoscerent et scirent, et morbos et medicinam ipsorum fieri miraculose, non naturaliter, hinc per aspectum illius rei, quæ nocuit, acceperunt medicinam." Sic Chaskuni, "In specie præcipit facere serpentem, non aliam bestiam, ad nota facienda miranda Dei opera, quod scil. eadem novacula, qua vulnus infligit, illud quoque sanet."

IX. Quæri vero rursus non abs re poterit, Cur Moses serpentem æneum

fecerit, cum materia a Deo non fuerit expressa, nec ei significata? Deus dixerat simpliciter ad Mosem: "עשה לך שרף fac tibi serpentem urentem," ver. 8. et de Mose dicitur ver. 9, ויעש משה נחש נחשת, et fecit Moses serpentem æneum." Respondent Hebræi diversimode. *R. Salomo* rationem ducit a notatione Nominis: "Non dictum ipsi fuit," inquit, "ut ex ære faceret, sed Moses cogitavit et dixit, Deus vocat eum נחש; eum ergo faciam" ex "נחשת ex ære," ob vocum affinitatem et convenientiam. Nachmanides putat Mosem id ideo fecisse, ut "hac ratione serpens iste artificialis colorem haberet serpentis naturalis, et tanto melius eum referret, non vidisse qua ratione aliter posset implere præceptum Dei de שרף, quam faciendo serpentem æneum, nam hic refert similitudinem serpentis urentis vel igniti; cum serpentes igniti sint rubicundi instar æris vel cupri. Alii non minori ratione hoc factum volunt propter fulgorem æris politi, ut radios huc illuc diffundendo, commodius posset aspici tam a proximis quam a remotis. Utcunque sit, certum esse debet, Mosem, qui fuit Propheta Dei, et per consequens θεόπνευστος, hic non proprio arbitratu quicquam egisse, sed ex Dei mandato sive explicito et externo, sive implicito et interno. Porro quia quæri potest, unde tantam æris copiam, quæ requirebatur ad serpentis istius confectionem, qui ingens esse debuit ad faciliorem tot myriadum Israëlitarum aspectum, habere potuerit Moses? Responderi potest, non aliunde fuisse advehendam, sed ex loco, in quo castrametati erant tunc temporis, petitam fuisse, nimirum ex *Phevone* seu *Phuvone*, qui locus erat Idumeæ, æris fodinis valde insignis, ut observant veteres loquentes de variis Martyribus, ad metalla *Phevon* cæsis, ut Euseb. li. viii. histor. c. 13, et Athanasius in epist. ad Solitarios narrat, Eutychium ad metallum fuisse missum, nec solum ad metallum, sed ad metallum Phevon. Et clarius Hieronymus in Locis, "Fevon," inquit, "castra filiorum Israëlis in deserto: fuit autem quondam civitas Principum Edom, nunc viculus in deserto, ubi æris metalla damnatorum suppliciis effodiuntur," &c. In eo autem loco fuisse Israëlitas constat; licet enim Moses præcise non dicat, in quo loco erectus fuerit iste serpens, tamen colligitur non obscure ex eo, quod dicit Israëlitas inde profectos castra posuisse in Oboth, Num. xxi. 10, jam ex Num. xxxiii. 43, constat quod ex "Phuvone profecti castra posuerunt in Oboth."

Serpentis Erectio. X. Post serpentis confectionem sequitur ejus *Erectio*, quam Deus præcipit Mosi, ut ad ejus aspectum sanarentur morsi a serpentibus: "Fac tibi serpentem urentem, ושים אתו על נס, Et pone eum super lignum," vel in lignum, "Et erit quicunque morsus fuerit, et adspexerit illum, tunc vivet." Vox נס diversimode redditur ab Interpretibus. Quidam volunt *signum* hic designari, et reddi *in signum*, ut sit vice signi, ut על ponatur pro אל, sic Syrus, Aben Ezra, Hieronymus, qui exponunt לאות *in signum:* Sed minus commode, quia non tam designatur finis erectionis, quam modus vel subjectum, in quo elevari debuit, ut præpositio על clare evincit. Quamvis enim illa serpentis ænei effigies revera fuerit signum ac typus Messiæ crucifigendi, ut ex Evangelio colligitur; id tamen non tam ex istis verbis, quam ex tota rei narratione colligitur. Nec verba aliud docent, quam quod effigies illa a Mose in sublimi poni debuerit, ut toti populo conspicua esset, super excelsa aliqua trabe collocata: Unde Cajetanus recte versionem illam Hieronymi, "pro signo," reprehendit, "Juxta Hebræum, pone eum super perticam, nihil dicitur de signo, sed locandus super stipitem ligneum decernitur, non ergo serpens et lignum idem, sed super lignum serpens." Longe commodius alii נס

exponunt vel de *Vecte*, seu *stipite excelso*, *pertica* oblonga, ut Lyranus, Pagninus, Cajetanus. Tremellius, Drusius, Piscator ad mentem R. Salomonis, qui נס interpretatur Gallica voce פירקא *Perche*, quæ a Latina voce *pertica* deducitur, vel pro *palo* seu *malo navis* et *antenna*. Hæc enim, licet aliquantum diversa, ad idem tamen referuntur, ut innuatur lignum aliquod præaltum et ingens, cui affigeretur serpens æneus, ut ab omnibus undequaque conspici posset; Tum ut erecto hoc serpente de peccato suo admoniti, in posterum a simili lapsu sibi caverent, ut R. Levi ben Gerson notat, "Existimo Deum voluisse, ut extet hujus rei signum et monumentum, quod memorialis loco ipsis esset, quo in posterum sibi a calumnia et obtrectatione caverent;" Tum ut per aspectum ejus sanarentur a morsibus serpentum. Abarbanel censet vocabulum æquivocum esse hic adhibitum, quod non tantum signum seu vexillum significat, sed et "miraculum et prodigium, quod miraculosum esset eadem re, qua percussit, etiam sanare."

XI. Sed ut incassum remedium pararetur, nisi ejusdem fieret applicatio, frustra erectus fuisset serpens æneus, nisi ad eum oculos convertissent Israëlitæ, qui erat finis istius erectionis, ut expresse notatur a Domino, "Et erit quicunque morsus fuerit, et eum aspexerit, tunc vivet," id est sanitatem recipiet et liberabitur a morte, quæ illi alias impendebat. Voluit scilicet Israëlitas intueri hunc Serpentem, tum respectu ipsorum Israëlitarum, ut a morsibus venenatis serpentum sanarentur, tum sui respectu, ut miraculum esset tanto majus, si serpens vivus momorderit, et serpens mortuus sanaverit, et quidem solo aspectu. Intuitus autem iste non intelligendus est tantum corporeus et externus, sed etiam spiritualis et internus de aspectu fidei, et cordis ad Deum elevatione, quod Hebræi notant, unde Jonathan Paraphrastes Chaldæus ita transfert, "fac tibi serpentem æneum et pone eum in locum elevatum, et fiet ut si quem momorderit serpens, et intuitus fuerit eum, ut convalescat, siquidem direxerit cor suum ad verbum Domini." Targum Hieros., "Et fiet ut si quis morsus fuerit a serpente, et faciem suam elevaverit ad patrem suum in cœlis in oratione, atque serpentem æneum aspexerit, sanetur." R. Salomo observat verbum הביט adhibitum, ver. 9, significare, "aspicere cum intentione cordis scilicet ad Deum." Hinc Arabs, "Qui convertetur ad eum pœnitens superstes erit." Liber Sapientiæ, cap. xvi. ver. 5, 6, 7, de hoc ita loquitur: "Cum eos sæva bestiarum ira invasisset, ac morsibus noxiorum serpentum interirent, ad extremum non permansit ira tua, sed admonitionis gratia paulisper fuerunt perturbati, signum salutis habentis quod memores mandati Legis tuæ eos redderet: neque enim qui respexerat propter rem visam, sed propter te omnium Servatorem servabatur."

XII. Ex quibus colligitur, nec serpentem ipsum quicquam virtutis habuisse ad istam sanationem procurandam, nec aspectum ejus ad eam per se aliquid contulisse; quid enim vel serpens æneus vel ejus intuitus ad veneni lethiferi curationem juvare potuit? Procul enim hic esse volumus figmentum eorum, qui commenti sunt, esse aliquam imaginem Astrologicam factam juxta certas constellationes et siderum aspectus seu posituras, quæ virtutem habuerit abigendi serpentes, et eorum morsus curandi, quales sunt figuræ, quas Arabes *Talisman* vocant, ut alii impie finxerunt, non attendentes vanitatem istarum observationum, et interdictum toties a Deo datum de iis faciendis. Ita nihil aliud esse potuit, quam mera causa moralis, ad cujus præsentiam Deus operabatur, seu signum externum et sensibile gratiæ, quam Deus exerere volebat ad istud opus, quomodo in miraculis homines, vel media quibus uti volebat, nihil quoad se conferebant ad opus extraordinarium quod producebatur; Sed Deus

talia instrumenta adhibebat in signum gratiæ et virtutis suæ, quæ ad eorum præsentiam operabatur. Necessarius erat ergo intuitus serpentis mera necessitate præcepti, quia Deus hanc conditionem ab iis exigebat qui sanari volebant, qua sublata nulla morsis spes esse poterat salutis. Cæterum si quæratur: Quomodo serpens iste æneus potuerit conspici a tanto populo, qui ob sui multitudinem maximum spatium occupare debuit? Responderi potest, ita in altum elevatum fuisse serpentem in medio castrorum, ut a populo non ægre conspici posset; Et si qui non possent illum intueri propter nimiam distantiam, poterant proprius accedere, vel ab aliis deferri, ut eum intuerentur.

XIII. Hinc vero non obscure evincitur, sine ratione Pontificios ex isto serpente argumentum petere pro cultu imaginum. Nam certum est, non conflatum fuisse ut adoraretur, sed tantum ut conspiceretur; non in objectum cultus, sed tantum contemplationis, nam progressu temporis, cum Israëlitæ suffitum illi adolerent, Ezechias jussit eum comminui, ut habetur, 2 Reg. xviii. 4, ne in posterum eo ad idololatriam abuterentur Israelitæ, "Ipse removit excelsa, et confregit statuas, et excidit lucos, et contrivit serpentem æneum quem fecerat Moses, quia ad illos usque dies Israelitæ suffiebant ei, et vocavit eum Nechustan" per contemtum, ut notaretur nihil esse nisi æs, quod nihil virium, nihil opis, et nihil divinitatis haberet, ac proinde neque divinis honoribus esset afficiendum. Nec hoc dissimulare potuerunt Lorinus et Vasques, qui fatentur, serpentem istum non fuisse propositum ad adorationem, sed tantum ad contemplationem, nec unquam tempore Mosis fuisse adoratum.

Mysterium serpentis ænei explicatur.

XIV. Atque hæc de Typo dicta sunto. Nunc ad τυπωθὲν seu mysterium sub hac figura contentum veniendum est. Licet enim facile concedamus, miraculum hoc Israëlitas respexisse, Deumque in eo varia documenta dedisse, quæ vel ad peccati gravitatem ostendendam, vel ad justitiæ divinæ severitatem agnoscendam, vel ad misericordiæ et gratiæ magnitudinem celebrandam faciunt; dubium tamen non est, quin peculiarem habuerit σχέσιν ad mysterium aliquod Evangelicum, quod nos in hac figura docere voluit. Et si Christus ipse hoc nobis non revelaret, ut facit clarissime, Joh. iii. 14, 15, "Sicut Moses," inquit, "elevavit serpentem in deserto, Ita oportet Filium hominis elevari, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam;" Satis tamen rei ipsius natura hoc evinceret. Cur enim Deus mirum hoc et extraordinarium remedii genus adhibere voluisset, si nullum alium finem sibi proposuisset, quam sanationem vulneratorum? An verisimile, sapientiam ejus incomprehensibilem rem adeo absurdam et a ratione alienam adhibere voluisse, si nihil aliud intendit, quam prospicere medelæ Israëlitarum, nec ulterius aliquid sublimius respexisset? Idem ergo hic observare licet, quod in aliis cæremoniis legalibus non paucis occurrit, ut earum rationem vix reddere possimus, si in historia ipsa et typo manemus, nec ad veritatem et antitypum ascendimus, v. g. cur Deus voluit postes Israëlitarum aspergi sanguine, ut ab angelo internoscerentur ab Ægyptiis, quasi angelus sine hoc signo non potuisset satis discernere domos utrorumque. Sed ita magnum Redemptionis mysterium retegitur clarissime, ut constet sanguine Agni Dei corda nostra esse aspergenda, ut a pœna ὀλοθρευτοῦ et justitiæ divinæ manu liberari possimus. Ita cur serpens erigitur ad remedinm plagæ Israëlitarum? Cur ejus intuitus sanat? Hoc non sine ratione mirabili factum procul dubio a Domino, sed quænam illa sit, quicquid Judæi adferant, nunquam assequentur, nisi Christum intueamur, qui ut consilii divini et V. T. In-

exponunt vel de *Vecte*, seu *stipite excelso*, *pertica* oblonga, ut Lyranus, Pagninus, Cajetanus. Tremellius, Drusius, Piscator ad mentem R. Salomonis, qui נס interpretatur Gallica voce פירקא *Perche*, quæ a Latina voce *pertica* deducitur, vel pro *palo* seu *malo navis* et *antenna*. Hæc enim, licet aliquantum diversa, ad idem tamen referuntur, ut innuatur lignum aliquod præaltum et ingens, cui affigeretur serpens æneus, ut ab omnibus undequaque conspici posset; Tum ut erecto hoc serpente de peccato suo admoniti, in posterum a simili lapsu sibi caverent, ut R. Levi ben Gerson notat, "Existimo Deum voluisse, ut extet hujus rei signum et monumentum, quod memorialis loco ipsis esset, quo in posterum sibi a calumnia et obtrectatione caverent;" Tum ut per aspectum ejus sanarentur a morsibus serpentum. Abarbanel censet vocabulum æquivocum esse hic adhibitum, quod non tantum signum seu vexillum significat, sed et "miraculum et prodigium, quod miraculosum esset eadem re, qua percussit, etiam sanare."

XI. Sed ut incassum remedium pararetur, nisi ejusdem fieret applicatio, frustra erectus fuisset serpens æneus, nisi ad eum oculos convertissent Israëlitæ, qui erat finis istius erectionis, ut expresse notatur a Domino, "Et erit quicunque morsus fuerit, et eum aspexerit, tunc vivet," id est sanitatem recipiet et liberabitur a morte, quæ illi alias impendebat. Voluit scilicet Israëlitas intueri hunc Serpentem, tum respectu ipsorum Israëlitarum, ut a morsibus venenatis serpentum sanarentur, tum sui respectu, ut miraculum esset tanto majus, si serpens vivus momorderit, et serpens mortuus sanaverit, et quidem solo aspectu. Intuitus autem iste non intelligendus est tantum corporeus et externus, sed etiam spiritualis et internus de aspectu fidei, et cordis ad Deum elevatione, quod Hebræi notant, unde Jonathan Paraphrastes Chaldæus ita transfert, "fac tibi serpentem æneum et pone eum in locum elevatum, et fiet ut si quem momorderit serpens, et intuitus fuerit eum, ut convalescat, siquidem direxerit cor suum ad verbum Domini." Targum Hieros., "Et fiet ut si quis morsus fuerit a serpente, et faciem suam elevaverit ad patrem suum in cœlis in oratione, atque serpentem æneum aspexerit, sanetur." R. Salomo observat verbum הביט adhibitum, ver. 9, significare, "aspicere cum intentione cordis scilicet ad Deum." Hinc Arabs, "Qui convertetur ad eum pœnitens superstes erit." Liber Sapientiæ, cap. xvi. ver. 5, 6, 7, de hoc ita loquitur: "Cum eos sæva bestiarum ira invasisset, ac morsibus noxiorum serpentum interirent, ad extremum non permansit ira tua, sed admonitionis gratia paulisper fuerunt perturbati, signum salutis habentis quod memores mandati Legis tuæ eos redderet: neque enim qui respexerat propter rem visam, sed propter te omnium Servatorem servabatur."

XII. Ex quibus colligitur, nec serpentem ipsum quicquam virtutis habuisse ad istam sanationem procurandam, nec aspectum ejus ad eam per se aliquid contulisse; quid enim vel serpens æneus vel ejus intuitus ad veneni lethiferi curationem juvare potuit? Procul enim hic esse volumus figmentum eorum, qui commenti sunt, esse aliquam imaginem Astrologicam factam juxta certas constellationes et siderum aspectus seu posituras, quæ virtutem habuerit abigendi serpentes, et eorum morsus curandi, quales sunt figuræ, quas Arabes *Talisman* vocant, ut alii impie finxerunt, non attendentes vanitatem istarum observationum, et interdictum toties a Deo datum de iis faciendis. Ita nihil aliud esse potuit, quam mera causa moralis, ad cujus præsentiam Deus operabatur, seu signum externum et sensibile gratiæ, quam Deus exerere volebat ad istud opus, quomodo in miraculis homines, vel media quibus uti volebat, nihil quoad se conferebant ad opus extraordinarium quod producebatur; Sed Deus

talia instrumenta adhibebat in signum gratiæ et virtutis suæ, quæ ad eorum præsentiam operabatur. Necessarius erat ergo intuitus serpentis mera necessitate præcepti, quia Deus hanc conditionem ab iis exigebat qui sanari volebant, qua sublata nulla morsis spes esse poterat salutis. Cæterum si quæratur: Quomodo serpens iste æneus potuerit conspici a tanto populo, qui ob sui multitudinem maximum spatium occupare debuit? Responderi potest, ita in altum elevatum fuisse serpentem in medio castrorum, ut a populo non ægre conspici posset; Et si qui non possent illum intueri propter nimiam distantiam, poterant proprius accedere, vel ab aliis deferri, ut eum intuerentur.

[illegible] Pontificios ex isto

XIII. Hinc vero non obscure evincitur, sine ratione [illegible] m est, non serpente argumentum petere pro cultu imaginum. Nam certum [illegible] in obconflatum fuisse ut adoraretur, sed tantum ut conspiceretur; non [illegible] um jectum cultus, sed tantum contemplationis, nam progressu temporis, [illegible] Israëlitæ suffitum illi adolerent, Ezechias jussit eum comminui, ut habetur, 2 Reg. xviii. 4, ne in posterum eo ad idololatriam abuterentur Israelitæ, "Ipse removit excelsa, et confregit statuas, et excidit lucos, et contrivit serpentem æneum quem fecerat Moses, quia ad illos usque dies Israelitæ suffiebant ei, et vocavit eum Nechustan" per contemtum, ut notaretur nihil esse nisi æs, quod nihil virium, nihil opis, et nihil divinitatis haberet, ac proinde neque divinis honoribus esset afficiendum. Nec hoc dissimulare potuerunt Lorinus et Vasques, qui fatentur, serpentem istum non fuisse propositum ad adorationem, sed tantum ad contemplationem, nec unquam tempore Mosis fuisse adoratum.

Mysterium serpentis ænei explicatur.

XIV. Atque hæc de Typo dicta sunto. Nunc ad τυπωθὲν seu mysterium sub hac figura contentum veniendum est. Licet enim facile concedamus, miraculum hoc Israëlitas respexisse, Deumque in eo varia documenta dedisse, quæ vel ad peccati gravitatem ostendendam, vel ad justitiæ divinæ severitatem agnoscendam, vel ad misericordiæ et gratiæ magnitudinem celebrandam faciunt; dubium tamen non est, quin peculiarem habuerit σχέσιν ad mysterium aliquod Evangelicum, quod nos in hac figura docere voluit. Et si Christus ipse hoc nobis non revelaret, ut facit clarissime, Joh. iii. 14, 15, "Sicut Moses," inquit, "elevavit serpentem in deserto, Ita oportet Filium hominis elevari, ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam;" Satis tamen rei ipsius natura hoc evinceret. Cur enim Deus mirum hoc et extraordinarium remedii genus adhibere voluisset, si nullum alium finem sibi proposuisset, quam sanationem vulneratorum? An verisimile, sapientiam ejus incomprehensibilem rem adeo absurdam et a ratione alienam adhibere voluisse, si nihil aliud intendit, quam prospicere medelæ Israëlitarum, nec ulterius aliquid sublimius respexisset? Idem ergo hic observare licet, quod in aliis cæremoniis legalibus non paucis occurrit, ut earum rationem vix reddere possimus, si in historia ipsa et typo manemus, nec ad veritatem et antitypum ascendimus, v. g. cur Deus voluit postes Israëlitarum aspergi sanguine, ut ab angelo internoscerentur ab Ægyptiis, quasi angelus sine hoc signo non potuisset satis discernere domos utrorumque. Sed ita magnum Redemptionis mysterium retegitur clarissime, ut constet sanguine Agni Dei corda nostra esse aspergenda, ut a pœna ὀλοθρευτοῦ et justitiæ divinæ manu liberari possimus. Ita cur serpens erigitur ad remedinm plagæ Israëlitarum? Cur ejus intuitus sanat? Hoc non sine ratione mirabili factum procul dubio a Domino, sed quænam illa sit, quicquid Judæi adferant, nunquam assequentur, nisi Christum intueamur, qui ut consilii divini et V. T. In-

terpres clavem istius mysterii nobis suppeditat, et finem, quem hic potissimum Deus respexit, nobis in hoc facto aperit: Ut hic non respicere debeamus serpentem ut simplicem similitudinem, sed ut typum expressum, et ex intentione Spiritus S. propositum ad hæc tria significanda. 1. Ad adumbrationem peccati et miseriæ per peccatum invectæ. 2. Descriptionem redemptionis, quæ per Christum nobis est allata. 3. Modum et instrumentum, quo ista redemptio nobis applicatur; quæ tria in hoc typo continentur; nam ut vulnera et morsus serpentini exitiale virus Diaboli, quo sauciamur lethaliter, notant: Ita serpens æneus Christum Redemptorem, et intuitus ejus fidem ad Christum respicientem mirifice nobis exhibet, ut paulo distinctius jam videbi[illegible]

XV. Q[illegible] [illegible]

plaga s[illegible]oad primum, Quis non videt hic, in murmure Israëlitarum et prol[illegible]erpentum statum hominum in peccatum, et per peccatum in mortem et [illegible]apsorum, graphice depictum? Quis nescit Diabolum serpentem esse antiquum, qui morsu suo lethifero primos parentes ita vulneravit, ut in totum genus humanum mortem accersiverit, et virus suum exitiale in totum hominem, et in cor præcipue ut vitæ arcem et fontem effuderit? ut hic habeamus simul et peccati et pœnæ imaginem: *peccati* quidem, quia ut serpentis tenuissimus est morsus, sed præsentissimum venenum, quod cor ipsum recta petit, quod urit et inflammat animos igne exitiali cupiditatum carnalium, quæ sunt totidem *ignita Satanæ tela*, Eph. vi. 16, quod ardentissimam et inexplebilem morsu suo excitat sitim, et innumera causatur mala: *pœnæ* vero, quia peccati venenum tam est dirum et lethiferum, ut certissimam homini mortem adferat, nisi aliunde illi remedium adveniat. Uno verbo, non alia imago aptior serpente, ad describendas fraudes, fallacias et artes vaferrimas, quibus ad modum serpentis repentis et tortuosi, obliquis ambagibus et anfractibus sinuosis sibilo suo pestifero sese immittentis grassatur Princeps tenebrarum Diabolus, qui habet imperium mortis, ad tyrannidem suam in cordibus hominum stabiliendam; ut instar leonis rugientis aliunde sævit et furit immani crudelitate adversus semen mulieris.

Remedium peccati in Christo.

XVI. 2. *Remedium* a Deo nobis paratum et propositum ad salutem nostram hic aptissime notatur. Ut nemo potuit sanare plagam Israëlitarum nisi solus Deus: Ita nemo plagam exitialem peccati et mortis curare potuit, nisi misericors Dei gratia, qui in thesauro Sapientiæ suæ πολυποικίλου de medio salutari nobis prospexit, Filium suum in Mundum mittendo, qui pro nobis in cruce sese offerret Deo, quem per serpentem æneum in variis graphice adumbrare voluit, quia ut venenum a serpente infusum est, et remedium a serpente allatum, serpens serpenti opponitur, salutaris noxio, medicinalis lethifero: Ita homo est qui nos perdidit, homo est qui nos salvat, per unum hominem mors, per unum hominem resurrectio, 1 Cor. xv., et ut per unius hominis inobedientiam multi constituti sunt peccatores, sic per unius obedientiam multi constituuntur justi, Rom. v. 19, per id voluit hominem servari, per quod perierat, mors quæ omnibus erat exitialis, jam fit salvifica et redemptionis instrumentum; per mortem destruitur ille qui habebat imperium mortis, ut liberaret eos, qui per totam vitam addicti erant servituti propter metum mortis, Heb. ii. 15, Atque ita impletur Samsonis ænigma, *ex forti dulcedo, ex devorante cibus*, a morte ipsa remedium mortis petitur, scorpius alliditur vulneri quod ipse fecit, et sanat, et ex vipera saluberrima fit theriaca, qua morsus ejus sanatur. 2. Serpens figuram quidem habuit serpentis igniti, ideo vocatur שָׂרָף sed non naturam nec venenum: Ita Christus factus quidem est in similitudine carnis peccati, sed carnem tamen peccati non

habuit, Rom viii. 3, quia similis nobis factus est in omnibus, sed excepto peccato, Heb. iv. 15, hoc tamen cum discrimine, quod serpens externam tantum formam habuit, At Christus internam, quia verus fuit homo non secus ac nos. 3. Serpens non ex auro vel argento confectus est, sed ex ære viliori metallo, verum solido et perenni: Ita Christus fuit sine decore et sine forma, Isa. liii. 2, sed firmus tamen est et inconcussus, rupes et petra immota salutis. 4. Inter omnia metalla æs est maxime sonorum, unde Paulus, 1 Cor. xiii. 1, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν *sum æs tinniens;* Ita per æs recte notatur Christus crucifixus, et prædicatio crucis per quam sonus Christi percussi fuit per totam terram, Rom. x. 18. 5. Serpens non humano opere formatus fuit, sed igne conflatus: sic Christus non opera viri genitus, sed virtute Spiritus conceptus est, et in igne charitatis veluti excoctus in Cruce, ut fieret remedium nobis salutare. 6. Ut unus serpens datus erat Israëlitis, ut ad eum omnes respicerent: Ita unus Christus datur omnibus, in eo uno et non in alio quoquam salus.

Christi exaltatio. XVII. 2. *Ut Moses extulit serpentem in deserto, Ita oportuit Filium hominis exaltari.* Frustra Moses serpentem istum parasset, nisi in palum vel perticam postea erexisset, ut posset ab omnibus conspici. Sic non sufficiebat Filium hominis natum fuisse, et formam servi accepisse, nisi de infami ligno crucis suspenderetur, et κατάρα seu maledictio fieret, hac tantum ratione salutaris et vivificus nobis factus est. Oportuit ergo Filium hominis extolli, non modo ad impletionem figurarum et oraculorum veterum, sed præcipue propter salutis nostræ necessitatem, quia alias remedium peccato nostro non potuit reperiri, ut nulla spes sanationis Israëlitis, nisi in serpentis ænei erecti aspectu. Hanc autem ὕψωσιν seu exaltationem Christi ad crucifixionem et mortem ejus esse referendam colligitur ex Joh. xii. 32, ubi Christus ait: "Cum exaltatus fuero e Terra, traham omnes ad me," significans, ut addit Joannes, "quali morte moriturus esset," nim. crucis, in quam extolli debuit, ex linguæ Syræ usu, in qua verbum זקף quod proprie est *attollere,* sumitur sæpe in crucifigendi notione, Matth. xx. 19, Et attollent eum, id. crucifigent, ut in Græco habetur σταυρῶσαι; Et xxvi. 2, Filius hominis traditur ut attollatur id. crucifigatur, εἰς τὸ σταυρωθῆναι. Chaldæis familiaris est illa acceptio, Esth. vii. 10, "Sustulerunt Hamanem super lignum," id. "ויתלו suspenderunt," ut est in Hebræo. Holocausta עולות seu ὑψώσεις dicebantur, quia sursum attollebantur, et significabant fore ut Christus pro peccatis se offerens exaltaretur in cruce: quæ recte perticæ, in quam evectus est, assimilatur, maxime si in formam crucis efformata fuit, ut fieri debuit si serpentis alati imaginem habuit.

XVIII. Licet vero ista erectio serpentis mortem Christi in cruce adumbrarit, ulterius tamen respexisse dubium esse non potest, si attendimus, Ideo erectum fuisse ut conspiceretur, non potuit autem conspici, nisi præter erectionem in cruce alio etiam modo fuisset exaltatus. Tres autem exaltationes Christi possunt distingui, quas hic congerendas censemus: Prima est *pœnalis* in Cruce, secunda *triumphalis* in Cœlo, tertia *mystica* in Verbo. Per primam erectus est in crucem ad satisfaciendum justitiæ Dei, et expiationem peccatorum per meritum sanguinis: Per secundam erectus est in cœlum, ad conservandam intercessione sua salutem, quam morte sua nobis acquisivit: Per tertiam exaltatur in Ecclesia per prædicationem Evangelii, ad applicandam salutem electis, et eos ad Christum convertendos. De prima loquitur Christus loco citato, Joh. xii. 32. "Cum sublatus fuero e terra, traham omnia ad me," nimir. εὐωδίᾳ sacrificii et mortis suæ, et Joh. viii. 28, "quando exaltaveritis Filium

hominis, tunc cognoscetis quod ego sum," id. postquam me in crucem egeritis. De altera, per quam Victor peccati, Diaboli et mortis, non modo ex mortuis resurrexit, sed et in cœlum ascendit, loquitur Paulus, Phil. ii. 9, "Quem," inquit, "Pater ὑπερύψωσε," id. "summe exaltavit, dando illi nomen super omne nomen," &c. Tertia, quæ pertinet ad prædicationem evangelii, insinuatur, Isa. xi. 10, "His diebus," inquit, "gentes requirent radicem Isai, quæ erecta erit in vexillum." Christus enim in evangelio tanquam in vexillo erigitur, ut intuitu fidei ad illum nos convertamus, atque huc facit, quod pertica seu malus, in quam serpens erectus erat, vocatur נס quod vexillum significat. Porro ut serpens non in angulo aliquo positus fuit, sed in publico et medio populi, ut ab omnibus conspici posset: Ita Christus non in uno populo tantum, sed ubique gentium prædicatus est, et in signum salutis propositus, unde, Gal. iii. 1, dicitur ipsis propositus, et quasi depictus inter ipsos crucifixus.

Christi aspectus. XIX. Tertio, *contemplatio serpentis* fuit etiam mystica. Nam ut a parte Mosis serpens debuit erigi; ita a parte Israëlitarum debuit conspici. Sic Christus non juvat nisi cognitus, nec mors nisi applicata fideli, et ab eo apprehensa. Apprehensio ista non aliter fit quam per fidem, quæ est oculus animæ, quo Christum intuemur: "Hæc est voluntas patris," inquit Christus, Joh. vi. 40, "ut quicunque contemplatur Filium et credit in eum habeat vitam æternam." Et Joh. iii. 14, "Oportet Filium exaltari; ut quisquis credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam." Ita fides passim confertur oculo, quia præcipuus ejus actus positus est in cognitione; hæc est conditio, sub qua Christus offertur in evangelio, qua qui destituuntur, non possunt frui Christo, nec statuere sibi a Deo destinatum esse; Quomodo serpens æneus illis tantum proderat ex Dei consilio, qui ad eum respiciebant. Si qui ergo in Israële cæcutiebant, aut oculos ultro avertebant, illis salutis nulla spes erat, ut nec hodie incredulis et rebellibus adversus Deum, Job. xxiv. 13, et iis, quibus Deus seculi excœcavit mentes, 2 Cor. iv. 4. 2. Ut Israëlitæ non ex alieno aspectu, sed tantum ex proprio sanabantur: Ita nos ex fide nostra, non ex aliena vivimus, Habac. ii. 4, Rom. i. 17. 3. Ut saluti potuit esse visus etiam imbecillus: Ita ex morte nos eripit fides adhuc infirma, modo sit vera et sincera. 4. Ut quisquis aspiciebat, cujuscunque ætatis, sexus et conditionis, sanabatur: Ita quisquis credit in Christum, sive mas sive fœmina, sive liber sive servus, sive dives sive pauper, sive doctus sive indoctus, indiscriminatim servatur in Christo, "in eo neque mas, nec fœmina, nec Scytha, nec barbarus, nec Græcus, nec Judæus," sed Christus omnia in omnibus, Col. iii. 11. Rursus inæqualitas mali non tollit æqualitatem remedii, sanabantur enim omnes, quomodocunque morsi fuerint: Ita quocunque morbo peccati detinearis, quocunque vulnere afflictus, modo credas, servaberis. 5. Ut semel morsus serpente viso sanatus, si rursus mordebatur, ad idem remedium confugiebat: Ita si post sanationem spiritualem denuo in peccatum labimur, eadem succurrit fides quæ prius, per quam ad Christum respiciendo invenimus salutem. Unde ut Israëlitæ tam præsenti auxilio freti anguium morsum et aculeum parum timebant: Ita fidelis, qui Christo nititur, Dæmonum insultus, et aculeos peccati spernit, cum fiducia inclamans: "O mors, ubi tua victoria? O sepulcrum, ubi est stimulus tuus?" 1 Cor. xv. 55, nec tamen Israëlitæ hujus medicinæ fiducia tam securi fuerunt, ut sespentes ad morsum ultro provocarent: Sic cavendum, ne Christi gratia et auxilio freti, carnali præsumptione et confidentia temeraria elati in tentationes sponte incidamus; sed contra sancto timore salutem operando, Diabolo constanter resistendum est, ut fugiat a nobis, Jac. iv. 7.

XX. Verum licet in istis multiplex sit convenientia inter figuram et veritatem, fatendum tamen est, non minorem esse discrepantiam, et istam illa longe præstantiorem fuisse. Serpens æneus, utut gratiæ Dei insigne symbolum, per se tamen nihil poterat, "non enim qui respiciebat per rem visam, sed per te Servatorem omnium salvabitur," ut vere ait liber Sapi. c. xvi. Sed Christus vera et proprie dicta est causa salutis et vitæ; unde dicitur Sol justitiæ ferens sanitatem in alis suis, Mal. iv. 2, dicitur resurrectio et vita, qui habet vitam in seipso et quoscunque vult vivificat, Joh. v. 21, factus in Spiritum vivificum, 1 Cor. xv. 45. 2. Serpens æneus solis Israëlitis debuit esse salutaris; sed fides in Christum omnibus ex quacunque gente, sexu, conditione et ætate, ut quisquis, sive Judæus, sive Græcus, in eum credit, non pereat, sed habeat vitam æternam. 3. Serpens morsos ita a morte liberabat, ut morti adhuc essent obnoxii; sed per Christum tam ab animi quam a corporis morte liberamur in æternum. 4. Serpentis virtus ad paucos tantum dies duravit, vel Deus ad ejus præsentiam indulsit populo sanationem a vulneribus ad exiguum tempus; sed Christus idem semper hodie, heri et in secula, Heb. xiii. 8, vis ejus æterna et infinita, quæ nunquam deficit. 5. Serpens propositus fuit ad contemplationem, sed non ad adorationem, unde quum populus ei adolere cœpit, contritus est mandato Ezechiæ, 2 Reg. xviii. 4, sed "omnes honorare debent Filium, ut honorant Patrem," Joh. v. 23, et "eum adorare jubentur omnes Angeli," Heb. i. 6, nec alium in finem "Deus eum exaltavit, nomenque illi dedit super omne nomen, nisi ut in nomine Jesu omne genu flectatur, et omnes fateantur esse Dominum, ad gloriam Patris," Phil. ii. 10. Et si contritus fuit serpens æneus statim atque coli cœpit; contra conteri debent, qui Christum non adoraverint. "Conteres eos virga ferrea, et sicut vas figuli confringes eos," Psal. ii. 9, sed beati qui osculantur Filium, osculo religioso, et in eo fiduciam ponunt.

XXI. Hoc est officium, quod præscribit Paulus, 1 Cor. x. 9, ubi agit de peccato Israëlitarum, unde elicit usum practicum de non tentando Christo, sed potius de eo colendo et glorificando, ut Deo summo fidelissimo et potentissimo, "Ne tentemus Christum, sicut illi tentarunt," scil. ipsum, "et perierunt a serpentibus." Quod nobis suppeditat fortissimum pro Divinitate Christi contra Socinianos argumentum: non modo ex eo, quod Christus jam tum fuisse dicitur sub Veteri Testamento, quod non potuisset de eo dici, nisi Deus esset, sed etiam quod tentasse dicuntur ipsum Israëlitæ, quod de Deo tantum dicitur. Nec audiendus Eniedinus, qui vult tentatum etiam fuisse Mosem ab Israëlitis, Num. xxi., "Loquutus est populus contra Deum et Mosem:" aliud enim est loqui et murmurare contra aliquem, aliud ipsum tentare; illud potest fieri contra hominem, hoc vero tantum contra Deum, ita Moses ipse distinguit, Exod. xvii. 2, "Cur jurgamini mecum? cur tentatis Jehovam? Non melioris est commatis quod addit secundo, non dici Israëlitas tentasse Christum sed tantum tentasse absolute; vel si aliquid repetendum est, et transitive verbum ponatur, subaudiendum esse Θεὸν, non Χριστὸν, qui cum unctus sit tantum quoad humanitatem, nondum erat in rerum natura. Nam gratis supponitur verbum πειράζειν poni absolute, cum semper transitive et active sumatur, et de aliquo dicatur. Nec tentandi actio sine objecto et re tentata concipi potest. Non posse autem alium, quam Christum subaudiri, dispositio verborum docet, "Ne tentemus Christum, sicut illi tentarunt," subaudi "ipsum:" Nam si alium quempiam intellexisset, omnino exprimere eum debuit, ut ambiguitatem sermonis tolleret, quod cum non faciat, non ad alium quam ad Christum respicit: Scio Socinum hic concedendo subaudiendum esse pronomen αὐτὸν, velle Mosem

respici, qui Christus dicatur vel proprie, quia Israëlitarum Christus fuit, id est, mediator et dux, vel *typice*, quatenus tentatus fuit Moses, qui typus erat Christi, quod vult insinuari, ver. 6, quum ait Paulus ista nobis *typos* fuisse. Sed neutrum sine gravi absurditate dici potest. Non prius, quia nuspiam dicitur in sacris literis Moses tentatus ab Israëlitis, nec nomine Christi insignitur. Deinde cum pronomen αὐτὸν non ad alium referri possit, quam ad eum, quem nomen Χριστὸν significat in priore membro; certum est non posse designari Christum, nisi sub ea notione quæ illi propria est et peculiaris, nec ad alium pertinere potest. Non posterius, quia si Christus sic tentatus diceretur hoc loco, diceretur non proprie sed figurate, quod nec convenit verbo tentandi, quod proprie dictam tentationem significat, nec pronomini *ipsum*, quod proprie diximus poni pro ipso Christo. Nec hoc evinci potest ex ver. 6, quia τύποι non referuntur ad Christum vel ad Mosem, sed ad peccatum seu pœnam Israëlitarum, quia ista in exemplum illis contingebant ad nostram admonitionem, ut ver. 12, exponitur. Porro licet Christus nondum fuisset unctus quoad humanitatem, non minus tamen Christus potuit vocari quoad personam et officium mediatorium, quia unctio non notat tantum collationem donorum in humanitatem, sed et vocationem et destinationem ad munus, quod pertinet ad personam quæ jam sub Veteri Testamento eo munere fungebatur; quod potissimum in peregrinatione populi in deserto patuit, in qua adfuisse populo ut ejus ducem patet ex Exod. xxiii. 20, 21. Nec enim Angelus ille, qui mittendus dicitur a Domino ante populum, in quo nomen Dei debuit esse, id est, divina et æqualis cum Patre auctoritas, et cujus sollicite vitanda fuit offensio, quia non parciturus erat ipsorum peccatis, alius est a Christo, qui sæpe per Angelum faciei et Angelum fœderis describitur, Mal. iii. 1. Ex quibus colligitur, Christum revera tentatum fuisse ab Israëlitis et sic verum et æternum esse cum Patre Deum.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI NECESSITATE,

PARS PRIMA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI NECESSITATE,

PARS PRIMA.

Respondente Gabriele Demonthouz, *Genevensi.*

I. Cum suavissima de satisfactione Christi doctrina, præcipuum sit salutis nostræ caput, fidei anchora, spei asylum, charitatis norma, ut sancte monet Athanasius; atque adeo vera christianismi basis pretiosissimumque christianorum κειμήλιον; qua salva, et illius structura constat et istorum consolatio, et qua rursus vel eversa vel corrupta, totius religionis compagem luxatam et dissipatam ruere necesse est: Nihil antiquius divinæ veritatis cultoribus esse debet, quam ut accurato pensitetur examine, et in aperta luce collocata, ab omnibus agnosci, firmaque ex Verbo Dei fiducia constanter retineri possit.

II. Atque eo diligentius hoc expendendum est argumentum, quod nullum sit ferme religionis christianæ mysterium, quod Diabolus et mundus capitales salutis nostræ hostes graviori odio et contumelia, vel aperto Marte, vel occulta arte perpetuo impetiverint, nullum quod tot erroribus ad Ecclesiæ perniciem turbare ac subvertere etiamnum hodie moliantur.

III. Nam ut de Pharisæis et Pseudo-apostolis qui Christi et Apostolorum tempore vixerunt nihil nunc dicamus, quorum illi directe saluberrimum hoc dogma impugnabant, propriam justitiam stabilire conantes, Rom. x. 3, isti vero indirecte et per cuniculos aggrediebantur, Mosem cum Christo, opera cum fide, justitiam hominum cum justitia Dei exitiali mixtura conjungentes, quos propterea Paulus, Gal. v. 4, dicit καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, id est ita evanescere et rescindi a Christo ut Christus ipsis plane inutilis reddatur: Ut etiam Valentinianos et Gnosticos, Arianos et Photinianos aliosque istius furfuris homines jampridem a veteribus Conciliis et Patribus damnatos, et infami hæreseos stigmate notatos omittamus, quos et Χριστομάχους, et Servatoris merito et satisfactioni iniquiores fuisse notius est quam ut probatione indigeat; Quis nescit Pelagium ipsum inter varios ac multiplices quos fovit errores, hoc etiam implicitum fuisse quod gratiam medicinalem Christi in sola doctrina ipsius et exemplo sitam esse putaret? Christum enim ideo venisse arbitrabatur, non ut genus humanum ab ulla captivitate vel ab ullo carcere liberaret, sed tantum ut demonstraret viam salutis, et vitæ æternæ traderet documenta, ut præberet salutaris vitæ exempla, seipsum proponens nobis in humilitatis et patientiæ exemplum, prout ex variis Augustini locis comprobari facile potest; Et usque adeo hæc exitialis labes contagione sua ecclesiam christianam infecerat, ut ad Bernardi usque tempora remanserint pestis hujus reliquiæ.

IV. Seculo enim xii. ingruentibus Sophistarum tenebris, emersit apud Gallos versuti acuminis, et multijugæ, prout ferebant ista tempora, eruditionis Petrus Abailardus, cui impingitur a scriptoribus illius ævi quod satisfactionem Christi cum priscis hæreticis impie et sacrilege negarit, unde Clara-Vallis Abbas Episto. cxc. ad Innocentium papam, varios illius errores et pestifera dogmata commemorat, sed imprimis circa redemptionis mysterium, quod is docuerit non alio fine apparuisse Christum in carne aut mortem subiisse quam ad instructionem nostri per verbum et contestationem charitatis suæ per mortem: Mysterium vero Incarnationis quod post Apostolos a doctoribus constanter creditum esse fatebatur, partim eo impugnabat quod nulla opus fuerit satisfactione, quia sola verbi prædicatione potuerit Deus iustaurare genus humanum, partim quod crudele et iniquum sit ut per cruentam et ignominiosam mortem ejus qui innocens et ipsius Dei Filius sit, pro alienis peccatis Deo satisfiat.

V. Non defuerunt tamen qui meliorem mentem Abailardo hic tribuant; nam Petrus Cluniacensis non ignobilis scriptor illorum temporum de hoc in epistola quadam testatur quod sancte et devote in Cheniacensi Monasterio ultimum vitæ actum transegerit, quin de Articulo Satisfactionis in apologia quadam ejusdem expressam hanc reliquit thesim, "Solum Incarnatum Filium Dei profiteor, ut Nos a Servitute peccati et jugo Diaboli liberaret et supremæ aditum vitæ morte sua nobis reseraret;" unde non est quod Joh. Crellius in responsione sua ad Hugonem Grotium de Abailardi consensu in oppugnanda Salvatoris satisfactione tantopere glorietur.

VI. Post Reformationem vero in Evangelii et scientiarum παλιγγενεσίᾳ, etsi lux illa salutaris quæ cœlitus affulsit videbatur ferales illas cæci erroris depellere debuisse tenebras, fuerunt tamen nimis multi qui sanctissimum hoc dogma sollicitare et adulterare conati sunt. Notum est quid Michael Servetus homo ad omnem improbitatem ab ipsis furiis effictus blaspheme de hoc pronunciaverit, quid Georgius Blandrata, Valentinus Gentilis, David Georgius circa istud impie censuerint; Accesserunt Lælius Socinus, Bernardinus Ochinus ac tandem infaustus ille Faustus Socinus, Lælii nepos, qui ut Christi divinitatem ita et satisfactionem execrabili et diabolica plane audacia impugnare et convellere sunt moliti; et longe periculosius hac in parte ipsis Pontificiis errarunt: Nam licet meriti istius et Satisfactionis pretium et efficaciam non uno modo labefactare annitantur Papicolæ, perfectionem ejus in dubium vocando dum panniculos satisfactionum et meritorum humanorum illi assuere non erubescunt; nunquam tamen hactenus eo insaniæ progressi sunt ut ejus et necessitatem et veritatem exerte negarent, quod infelix socinianorum turba quibus nihil Christiani restat præter nomen magno molimine est aggressa veteres et pridem explosas hæreses ab inferis reducendo. Ad horum partes non obscure accedunt Remonstrantes quicquid in adversum huic crimini amoliendo afferre possint, ut Leidenses in censura sua, Festus Hommius in specimine, et Bodecherus in Sociniano-Remonstrantismo abunde demonstrarunt.

VII. Quamvis vero in purganda hisce monstris ecclesia vires suas feliciter explicuerint et prisci seculi heroes olim, et novissime celeberrimi multi viri quibus propius cum ipsis congrediendum fuit: Nondum tamen, proh dolor! hæc ita prostrata et sublata videmus, quin subinde ad redintegrandum bellum novas admoveant machinas, et submittant copias, unde quivis facile conjiciat rem non ita confectam esse, ut non in ea suam exercere industriam pro se quisque possit aut debeat. Non ingratum ergo vel ἀπροσδιόνυσον fore speramus, si pro modulo nostro in veritate magis magisque illustranda et asserenda laborantes sententiam Orthodoxam paucis

complectamur Positionibus, et publica disquisitione expendendam cum bono Deo proponamus.

VIII. Quod antequam faciamus, præcognita quædam de voce ad rei illustrationem necessaria præstruenda sunt. *Satisfactionis* vox Latinis semper in usu fuit creberrimo, sed varia significatione usurpata; Nam ut nunc mittamus generaliorem significatum quo *satisfacere* is dicitur qui alicui placet et morem gerit, quomodo Ulpiano authore ei *satisfacere* dicimur cujus *desiderium implemus*, Certum est in usu communi bifariam dici, vel de *reparatione offensæ*, vel de *solutione debiti*, satisfit enim pro offensa, et pro debito; Nam qui se purgat et excusat apud eum qui offensam passus est, *satisfacere* dicitur, unde veteres Romanæ linguæ Scriptores eum satisfacere dicunt, qui vel facto vel verbis testatur sibi dolere quod alterum læserit, ultionemque simpliciter deprecatur, et velle se in gratiam cum eo redire significat; Cicer. 2 Philipp. "Acceperam jam ante Cæsaris literas ut mihi satisfieri paterer a te," id. acciperem purgationem et excusationem tuam. Sic Alcmena apud Plautum, Amphitryoni iratior, a quo se contumeliosis verbis læsam fuisse conqueritur, profitetur se non aliter cum eo redituram in gratiam nisi satisfecerit, Amphitr. *Act.* 3.

Quin ego, inquit, *illum aut deseram,*
Aut satisfaciat mihi; atque abjuret insuper
Nolle esse dicta quæ in me insontem protulit.

Hinc satisfactionis formula apud Veteres erat, "Nollem factum, jusjurandum dabo te esse indignum hac injuria." Terentius Adelphis, "Ego vestra hæc novi; nollem factum, jusjurandum dabitur esse te indignum injuria hac." At pro debito satisfit solvendo debitum et liberando fidem. Unde est quod in usu Jurisconsultorum *satisfactionis* et *solutionis* voces non raro tanquam æquipollentes usurpantur; Sæpius tamen est cum ut distinctæ separantur; *Solvere* enim is proprie dicitur qui ipse per se pretium numerat, *Satisfacere* qui quod alius debet vel æquivalens solvit, l. Solutionis D. de verborum signi. l. iv. Quo pertinet scholastica satisfactionis definitio cum dicitur esse "voluntaria redditio æquivalentis alias indebiti," cum nimirum fidejussor quod alius debet aut æquivalens reddit creditori, Scot. in iv. Dist. xv.

IX. In sacris *satisfactionis* vox hoc gemino pariter sensu usurpatur, vel pro humili confessione, agnitione peccati, et petitione veniæ, vel pro solutione plena qua justitiæ divinæ pro peccatorum debitis satisfit; Priori sensu peccatores dicuntur sæpius apud Patres *Deo satisfacere* cum humili confessione peccatum agnoscunt, et veniam ejus deprecantur. Origenes homi. 3. in Jud. "Humilia teipsum Deo et satisfacito et in confessione pœnitentiæ," Lactantius, li. iv. c. 17, "Si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus," Cypria. de lapsis loquens, "Peccatum suum satisfactione humili, et simplici confitentes;" Ita omnis peccatoris pœnitentis actus qui Deo placet ejusque veniam et gratiam impetrat, quo scilicet testatur sibi de admissis peccatis vehementer dolere, eaque se facta nolle, adeoque ex animo cupere in Dei gratiam redire, *satisfactionis* nomine apud eos venit; Et quia nobilis imprimis erat lapsorum fidelium pœnitentia publica, in ea potissimum et singulari quadam ratione hæsit apud veteres satisfactionis vocabulum; Unde in Ecclesia *satisfactionis* nomen increbruit ad significanda publica illa pœnitentiæ testimonia quæ ab illis qui in grave aliquod et notorium peccatum inciderant publice solebant in Ecclesia veteri ad fidelium ædificationem, et offendiculi dati reparationem

exhiberi, quæ *Satisfactiones Canonicæ* dicebantur, et in foro externo Ecclesiæ dabantur. Ex quibus patet, ut hoc obiter dicamus, quam ridiculi sint Pontificii dum patrum loca quæ de istiusmodi satisfactionibus loquuntur ad satisfactionum suarum vel propriarum vel alienarum commentum probandum trahere conantur, cum tamen constet longe aliam esse apud hos et illos vocis istius significationem.

X. Secundo vero sensu cum satisfactio pro solutione sumitur, non est cujusquam peccatoris Deo satisfacere, solius Christi hoc est proprium qui pro peccatis nostris λύτρον in cruce persolvit, et obedientia usque ad mortem Dei justitiæ plene satisfecit; Et hæc est significatio hujus loci propria cum de *Satisfactione Christi* disputamus. Per eam quippe nihil aliud intelligimus quam voluntariam Christi θεανθρώπου obedientiam et passionem, qua seipsum obtulit Deo per Spiritum æternum in sacrificium ἱλαστικὸν, ut pro nobis impleret omne Legis postulatum, et omnes pœnas ex ordine divinæ Justitiæ nobis debitas in se transumptas tanquam fidejussor noster lueret; atque ita propitiatione perfectissima pro peccatis nostris præstita, liberationem a morte et maledictione, simulque jus ad vitam æternam absolutissima Justitia sua nobis acquireret. Unde constat ad hanc Satisfactionem tum *actiones* tum *passiones* Christi concurrere quibus plenissime legem implevit, tum faciendo quæ jubebat, tum patiendo quæ interminabatur. Cum enim utrumque ab homine peccatore lex requireret et utrumque ad perfectam salutem necessarium esset, utrumque etiam pro nobis *solvi* ab ipso debuit, ut in eo perfectum δικαίωμα haberemus quo non modo impunitatem respectu pœnarum a sanctione Legis denunciatarum consequeremur, sed et positive jus vitæ æternæ quam facientibus lex promittit adipisceremur; Licet autem hæc Christi satisfactio in morte potissimum eminuerit, unde illi in scriptura sæpe salus et redemptio solet tribui *synecd.*, quia fuit cumulus et corona ejus obedientiæ, ad totam tamen vitam extendenda est in qua Christus justitiam omnem implevit, et sic merendo satisfecit et satisfaciendo meruit.

XI. Quamvis vero *satisfactionis* vox præcise sic sumpta quoad verba sit ἄγραφος, tamen æquivalenter et κατὰ τὸ πρᾶγμα in scripturis sæpe occurrit: Nam voces tum in V. tum N. T. ἰσοδυναμοῦντες reperiuntur; in V. quidem T. פדה et פדיון, Exod. xiii. 13, Psal. xlix. 7, 8, כפר et כפר, Exod. xxi. 30. Levit. xvi. 30, unde dies כפרים quia in illo solemnis fiebat propitiatio pro populo; In N. λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσις, τιμὴ, ἱλασμὸς, λυτροῦν, ἀπολυτροῦν, ἐξαγοράζειν et sim., quæ ut suo loco videbitur aperte eam connotant, ne varias phrases commemoremus ex quibus invicte elicitur ut in sequentibus patebit.

XII. De hac autem *satisfactione* tria potissimum quæri possunt: 1. An fuerit necesse Christum satisfacere pro nobis; 2. An vere et proprie satisfecerit; 3. An perfecte et absolute omnibus partibus sibi demandatis defunctus sit. In primo attenditur *necessitas;* In secundo de *veritate* inquiritur; In tertio consideratur *perfectio;* de his enim tribus gravissimæ moveri solent controversiæ tum a socinianis tum a pontificiis: Nos vero nunc quidem primum illud caput executuri, 1° quæstionis statum et partium dissidentium sententiam proponemus, 2° veram et orthodoxam sententiam confirmabimus κατασκευαστικῶς, 3° per ἀνασκευὴν præcipua Adversariorum argumenta confutabimus.

XIII. Etsi non intricatus videtur *quæstionis status*, quædam tamen hic ἐξαγώνια et non controversa removenda sunt. 1. Non quæritur An peccata pœnam mereantur et punibilia sint, utrinque enim est in confesso peccatum omne esse pœna dignum. Nam cum sit aliquid inconforme supremæ

regulæ, hoc est legi æternæ, fieri nulla ratione potest ut Deo non displiceat, adeoque peccatorem non obliget ad pœnam, qui enim Deo displicet, dignus est eo ipso qui a Deo rejiciatur; sed de eo controvertitur, an ut peccata punibilia sint, ita debeat Deus necessario et velit actu punire semper ex justitia. 2. Non disceptatur, An peccata quædam actu puniat vel punire debeat; Agnoscunt enim adversarii Deum non posse non punire peccata impœnitentium et contumacium: Sed An omnia omnino ita puniat, ut nullum inultum abire patiatur. 3. Non vertitur proprie in controversiam An Deus ex *summo illo jure* quod in Creaturam obtinet, et *potentia absoluta* peccata remittere possit absque satisfactione; Neque enim ii sumus qui limites Omnipotenti statuere velimus; neque nostrum est definire quousque infinita illa et ἀνυπεύθυνος quam in Creaturam obtinet potestas extendatur; Sed quæstio est de jure *virtutibus temperato et potentia ordinata* secundum quam non tantum potest agere, sed agere vult et agit in hoc præsertim negotio. Denique non disquiritur An Christus debuerit aliquid facere et pati quo secundum partis læsæ acceptilationem gratis et precario consequeretur veniam; nam et illud dant adversarii: Sed An meritorie, reipsa, et integre satisfacere debuerit, non omittendo aliquid quod stricto jure fieri debuit, sed tam agendo quam patiendo quicquid ad salutem nostram erat requisitum.

XIV. Unde jam facilis et perspicuus emergit quæstionis status; An scilicet Deo nobiscum ex jure virtutibus temperato agente nullum peccatum impunitum dimitti possit, atque adeo satisfactio Christi eatenus pro nobis necessaria fuerit, ut absque ea nec remissio peccatorum, nec salus æterna potuerit obtineri, seu an ex parte Dei non modo congruum et consentaneum, sed et necessarium fuerit Christum Justitiæ Divinæ pro nobis plene ac perfecte satisfacere ad opus redemptionis nostræ peragendum; Oblique negant pontificii, subdole labefactant remonstrantes, sed γυμνῇ τῇ κεφαλῇ et aperte oppugnant Socinistæ.

XV. Socinus passim contrarium astruit tum in lib. de Servatore, tum in prælect. "Ego censeo," inquit, "et orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse quia salutis æternæ viam nobis annunciaverit, confirmaverit, et in sua ipsius persona, cum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit, Divinæ autem justitiæ per quam peccatores damnari mereremur pro peccatis nostris neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret opus fuisse affirmo;" Lib. i. de Serva. c. i. Idem statuit Cateches. Racoviensis, Ostorodii Instit., Smalzius contra Frantzium, Crellius contra Grotium, Volkelius denique contra omnes.

XVI. Orthodoxorum vero constans est sententia, Christum pro peccatis nostris omnibus justitiæ divinæ vere et perfecte satisfecisse, et ut satisfaceret omnino necesse fuisse, ita ut absque eo foret, nulla nobis vel remissionis peccatorum, vel salutis et immortalitatis spes affulgere posset.

XVII. Hic autem mirari satis non possumus, quod ex Lutheri discipulis nonnulli sint, atque inter alios Gherardus in loco de Justifi. c. xxxvi., qui occasionem datam volunt novis Photinianis hujus blasphemi erroris sui per doctrinam Ecclesiarum nostrarum de absoluto electionis decreto, "Nam," inquit, "si absoluta Dei voluntate salvandi sint electi ad vitam æternam, utique etiam absoluta Dei voluntate peccata illis remittentur, vel certe remitti potuerunt, adeoque nihil opus est Christi satisfactione aut merito:" Illi vero eadem argumentandi ratione facile collegerint non opus esse vel fide vel pœnitentia: Sed iniquissima est accusatio, et vel ex eo satis refutatur quod qui pro absoluto electionis decreto pugnamus,

etiam pro vera Christi satisfactione adversus illa dogmatum portenta totis viribus decertamus: Et sane absolutum decretum de fine nullum affert mediorum constitutioni præjudicium cum potius illi subordinentur, nam qui destinavit nobis ab æterno salutem ex solo beneplacito, noluit tamen eam conferri in tempore nisi satisfactionis interventu: Qui nos dilexit amore benevolentiæ ut daret Christo, et Christum nobis, non diligit amore beneficentiæ nisi in eo et propter eum, Unde *electi* dicimur *in Christo*, Eph. i. 4, non ut Electionis causa meritoria et antecedente, sed ut executionis fundamento ac primario medio consequente.

XVIII. Cæterum inter orthodoxos de *satisfactionis necessitate* aliquod occurrere sententiarum divortium non diffitemur; Nam etsi omnes mordicus necessitatem satisfactionis tueantur adversus communem adversarium, ita ut nulla alia ratione actu liberemur a peccatorum reatu et morte quam per eam, cum in nullo alio quam Christo sit salus, Act. iv. 12; Non pariter tamen omnes et ex æquo necessitatem illius adstruunt: Quidam enim *necessariam* quidem fatentur fuisse *satisfactionem*, sed ex *hypothesi* tantum decreti divini, quatenus hoc apud se statuit Deus, et hanc suam voluntatem in verbo patefecit, nimirum ut per λύτρον sponsoris et Mediatoris nostri liberaremur: *necessitatem* etiam *congruentiæ* hic agnoscunt, quia maxime congruum erat divinæ majestati, ne impune violari dicerentur ejus præcepta, adeoque ipsi justitiæ præjudicium aliquod fieri, peccata non aliter dimitti, quam accepta Christi satisfactione; At non ita absolute necessariam eam censent, quin alii modi liberationis et salutis Deo possibiles fuerint, qua in sententia videtur fuisse August. cum diserte dicat, lib. xiii. de Trini. c. x., "Alium modum Deo possibilem non defuisse cujus potestati cuncta æqualiter subjaceant, sed sanandæ nostræ miseriæ convenientiorem modum alium non fuisse necesse potuisse:" Alii vero non tantum *necessitatem* quandam hypotheticam urgent quæ sola voluntate Dei nitatur, sed et *absolutam* quæ fundetur in justitia; unde pertendunt Deum mortem filii sui decrevisse in redemptionis pretium, non modo quia nolit peccata remittere sine satisfactione, sed et quia non possit per justitiam; et hanc sententiam nos libenter amplectimur, tum quia Scripturæ sacræ magis est consentanea, tum quia commodior est ad retundendam pestilentissimi hæretici pervicaciam, cui non parum, imprudentes licet, qui aliam insistunt viam, gratificantur.

XIX. Ut ergo ad sententiæ nostræ confirmationem accedamus, statuimus duobus imprimis fundamentis niti satisfactionis necessitatem, *natura* scilicet Dei ejusque *voluntate;* Illa in proprietatibus et virtutibus ejus elucet; Ista in Lege et verbo evangelii declaratur: Et ad *naturam* quidem quod attinet facile demonstramus, necessariam fuisse satisfactionem: Nam si Deus natura justus est, si perfecte odit et aversatur peccatum ut sanctitati et justitiæ suæ e diametro repugnans; utique non poterit non illud punire, ac proinde nec poterit illud absque satisfactione remittere. At prius illud certissimum est; Nam præterquam quod negari non potest justitiam esse de conceptu essentiali divinitatis, siquidem repugnat omnino, imo blasphemum est concipere numen quod sit injustum; si Scripturam consulimus, toties justitia illa Deo tribuitur, ut nullus dubitationi locus superesse possit: Quid enim aliud sibi vult regius Psaltes quum ait, Psal. v. 4, 5, "Odisti omnes qui operantur iniquitatem, non est commoraturum apud te malum," et Psal. cxix. 137, "Justus es Domine et recta judicia tua," Quid aliud Abrahamus, Gen. xviii. 25, "An judex terræ totius non exerceret jus?" Quid aliud, Dan. ix. 7, "Tibi Domine Justitia, &c., et Hab. c. i. 13, "Purior es oculis quam ut aspicias malum,"

et Jos. xxiv. 19, "Non potestis colere Jehovam," (scilicet cultu hypocritico) "quia Deus sanctissimus est, Deus fortis, zelotes, non feret defectionem vestram et peccata vestra." Quid aliud Paulus cum testatur, Rom. i. 18, "Patere iram Dei e cœlo adversus omnem impietatem et injustitiam hominum," et ver. 32, "Singulos in conscientiis suis convictos esse, hoc esse Dei δικαίωμα quod qui talia faciunt digni sunt morte." Denique ne plura hic congeramus, Dominus ipse protestatur sæpius "se fortem esse et zelotem qui nullomodo absolvat sontem, sed visitet iniquitatem patrum in filios," Exod. cap. xx. 5, et xxxiv. 7.

XX. Posita autem semel hac in Deo justitia, necessario sequitur pœnam ex ea peccato deberi; Nam cum justitia hæc sic ἐπανορθωτικὴ et distributiva quæ versatur in suo cuique tribuendo, prout eam Cicero describit ad Herennium dum ait esse æquitatem jus unicuique tribuentem pro dignitate cujusque, et Simonides, referente Aristotele in Polit., positam esse dicit ἐν τῷ τὰ ὀφειλόμενα ἑκάστῳ ἀποδιδόναι: omnino requiritur ut quemadmodum ex ejus præscripto bonis bene debet esse, ita et malis sit male, Rom. ii. 6, 7, 8. Ita de odio et ira Dei si ratiocinari volumus res clara erit; Cum utrumque ἀνθρωποπαθῶς tantum Deo tribuatur, sed θεοπρεπῶς intelligendum veniat, nullam animi ægritudinem vel perturbationem in Deo notat, sed tantum summam rei alicujus displicentiam et detestationem cum certa et constanti voluntate eam puniendi: Rursus cum nihil velit Deus quod non possit, omnino si odit peccatum naturaliter, inultum illud abire nunquam patietur, unde Psaltes, Psal. v. 5, 6, ex eo quod Deus odit iniquitatem, concludit eam non impune mansuram, quo significat eum esse inter odium peccati ejusque punitionem nexum, ut vinculum illud resolvi haudquaquam possit. Non est ille instar fictitiorum gentilium numinum quæ ficta et imaginaria satisfactione contenta iram facile deponere credebantur, unde apud illos in usu nonnunquam fuit pictas victimas assumere in expiationem peccatorum, quod Alex. ab Alex. post Thucydidem prodidit, et Jupiter ipse sæpius accensis tantum facibus placabatur: At Deus noster ignis consumens est, oculi ejus puriores sunt quam ut aspiciat malum, multo minus ut illud inultum ferat.

XXI. Non nos latet equidem varie hic argutari Adversarium ut vim istius argumenti declinet. 1. Circa vocem *justitiæ* negat illam designare proprie in Scriptura justitiam illam ἐπανορθωτικὴν et vindicatricem quam urgemus nos, cujus ipse nullam necessitatem agnoscit nisi circa impœnitentes, sed potius *Justitiam universalem*, id est, æquitatem et rectitudinem quæ alibi puritatis ac sanctitatis nomine venit, et secundum quam ea omnia facit, quæ fieri jure debent, seu quæfieri jus et honestas postulat, Unde Prælect. cap. xvi., "Neque enim," inquit, "in Deo ulla justitia est quæ peccata omnino punire jubeat, cui ipse renunciare non possit; Est quidem in Deo perpetua Justitia, sed hæc nihil aliud est quam æquitas et rectitudo." Verum frustra hæc et perperam ab eo afferuntur. Nam etsi non negamus diversimode sumi vocem justitiæ, ita ut vel justitia universalis, vel particularis intelligatur, et hæc rursus vel *in dictis* vel *in factis* attendatur; pertendimus tamen sæpius et in hoc præsertim negotio sumi *relate ad judicium* pro constanti voluntate peccata ulciscendi; quod vel ipsa locorum antea laudatorum inspectio comprobare poterit abunde. Neque Paulus diceret "Justum esse apud Deum reddere afflictionem affligentibus," 2 Thess. i. 6, vel Angelus "Deum esse justum et judicia ejus justa," eo quod in peccata severe animadverterit, Apoc. xvi. 5, 6, 7, vel David, Daniel, Nehemias toties justum vocarent Deum ob pœnas varias vel fidelibus vel impiis illatas, nisi propriissime hæc *justitia particularis* Deo competeret, non tantum ad modum

actus arbitrarii et liberi quem Deus possit exerere vel non exerere pro libitu, sed ad modum proprietatis, cujus quidem *exercitium*, objecta, et modi *liberrime* a Deo et sapientissime ut omnia administrantur, sed quæ tamen quoad *radicem* et *principium* Deo sit *essentialis*. Huc pertinent ea omnia loca in quibus Deus dicitur toties juste et in justitia mundum judicaturus, in quibus judicia sua ex justitia exercere perhibetur, ut Psal. ix. 5, et cxix. 137; Act. xvii. 31; Rom. ii. 5, et iii. 5, 6, &c. Nam hæc dici non possent nisi justitia hæc particularis virtus esset et proprietas naturalis ex qua justum ejus judicium promanat. 2. Imo etsi daremus adversario scripturam per justitiam æquitatem et rectitudinem Dei potissimum intelligere, nihil propterea decederet causæ nostræ, cum non minus hac ratione stringere possit argumentum; Nam cum, ut recte philosophus tradidit, justitia hæc virtus sit universalis quæ alias omnes sub se complectitur, omnino æquitas ipsa non erit omnibus numeris absoluta sine justitia vindicante, quippe quod æquum sit, imo æquissimum, ut Dei odium testatum fiat in peccatum punitione, suumque unicuique tribuatur. Ita si justitia universalis intelligitur, particularis etiam notatur, quæ in illa ut species sub genere continetur: Et sane justitia illa universalis perfecta non posset dici, nisi cum amore sanctitatis concipiatur esse aversatio mali, et ex aversatione voluntas puniendi; quare enim justus diceretur, nisi quia summam rectitudinem et sanctitatem habet, ita ut neque in ipso, neque in operibus, ejus quicquam sit quod ab ea rectitudine vel tantillum recedat; at si possit non punire peccatum, posset non odisse, si posset non odisse posset amare, et sic non esset summe justus. Accedit etiam quod cum pœnas et supplicia peccatorum agnoscat adversarius esse effectus irati judicis, effectus isti necessario arguunt causam in ipso, causa autem nulla dari potest nisi justitia illa vindicatrix quæ sanctitatis et summæ rectitudinis pars quædam est et ἀποῤῥοὴ, Jos. xxiv. 19, Psal. xi. 7.

XXII. Excip. 2. Odium et iram Dei non statim inferre justitiam vindicatricem esse Deo essentialem, posse enim esse liberæ voluntatis effectum non proprietatis naturalis actum; Ut Deus oderit quia vult, non quia a natura necessario ad id determinatur. 2. Etsi odium esset naturale et necessarium, non sequi statim pœnæ necessitatem, ut in nobis datur aversatio sine punitione, aversamur vitia eorum qui nos injuria afficiunt, nec statim licet aut lubet ea ulcisci, parentes filiorum vitia detestantur, et tamen sæpe sine pœna ignoscunt, quidni E. Deus pariter poterit odisse et non punire? 3. Si Deus punire potest ubi non odit, E. odio habere poterit et non punire; punivit autem Filium sanctissimum quem odio nunquam habuit. Resp. Sed hæc omnia vel falsa sunt vel ἀπροσδιόνυσα. Ad 1um. dico falso supponi odium et iram esse tantum liberæ voluntatis effectum et non proprietatis essentialis actum, licet enim a libera voluntate exerceatur, non minus tamen in attributo essentiali fundatur; Imo cum actus supponat necessario habitum, utique actus odii et iræ principium aliquod arguit quod non potest aliud esse ab ipsa justitia: quod ulterius confirmatur, quia fundatur in sanctitate et puritate Dei, unde Jos. xxiv. 19, Deus dicitur non laturus defectionem et peccata populi quia est sanctissimus, et Hab. 1. 13, *puritatem oculorum Dei* id. perfectissimam sanctitatem ait causam esse cur non aspicere possit malum, si E, sanctitas est naturalis et odium pariter. 2. Quia amor boni in Deo non est indifferens sed necessarius, ut enim amat seipsum necessario, ita non potest non amare quicquid sibi simile est; E. odium erit necessarium ex ratione contrariorum. 3. Quia si esset actus liber et indifferens posset eum non exerere, Imo posset juste contrarium velle, id est amare peccatum; nam actus qui in sola

voluntate fundantur sunt liberrimi, et ad nullum objectum ita inclinatur Dei voluntas quin si in contrarium inclicaretur posset id juste fieri, quis vero ad hoc non horreat? Ad 2um, Tam arcto nexu odium et pœnam peccati sociari credimus ut non possit illud poni sine ista, ut dictum Th. 20; alias sequeretur peccatum Deo semper displicere, et tamen posse peccatorem qua talem ad se recipere, nam si potest non punire, potest condonare, si potest condonare, potest peccatorem in sinu suo fovere; Simile quod affertur est plane dissimile; Aliæ sunt viæ Dei aliæ nostræ, nostrum est aversari peccatum sine vindicta privata, quæ iis tantum competit qui sunt in ὑπεροχῇ constituti, sed de Deo sine exceptione est dictum, *Mea est ultio, ego retribuam.* Deinde in nobis est aversatio frigida et sæpe inefficax, vel quia nolumus, vel quia non possumus plectere, Ideo magistratus et patres non raro præpostera indulgentia hic peccant, vel facultate puniendi destituuntur quia vana est sine viribus ira: sed Deus summe odit peccatum ut læsionem gloriæ suæ, et quia summe potens est ulciscitur infallibiliter: differt quidem aliquando vel tranfert pœnas, sed non ideo penitus aufert; semper punit si non in peccantibus ipsis saltem in vade. Ad 3um, dico argumenta ab oppositis non semper admitti posse in theologia, v. g. jubemur amicos amare, male tamen quis cum Pharisæis colligeret debere inimicos odisse, sic mala opera sunt causa exitii, ergo et bona salutis, nec enim eadem causalitas est bonorum operum erga salutem quæ malorum erga exitium, hæc quippe efficiunt et merentur proprie mortem quia nostra sunt et indebita, at illa nullam talem σχέσιν habent ad salutem, quia nec nostra sunt nec indebita, et si necessaria sunt ad eam, necessitas est tantum *præsentiæ* non *efficientiæ* et meriti, ut conditionum in salvandis, sed non ut causarum ipsius salutis. Itaque non si Deus punire possit ubi non odit, continuo odio habere poterit, et non punire. 2. Falsum Deum unquam punivisse sine odio, nec exemplum Christi hoc evincit, nam licet *in se* et propria persona dilectissimus fuerit Patri, tamen ut *Vas et sponsor noster* qui peccata nostra in se recepit, Deum iratum sensit, et se a Deo derelictum questus est.

XXIII. Porro hoc ipsum luculenter confirmari potest, sive naturam *peccati*, sive *Dei* ipsius σχέσιν in hoc negotio attendamus: Nam ad naturam quidem *peccati* quod attinet, quando certum debet esse et extra omnem dubitationis aleam positum, naturale aliquod discrimen intercedere inter vitium et virtutem, non tantum positivum et liberum, prout Carneades olim censuit, qui justitiam et injustitiam nomina esse tantum, rem autem ipsam pro hominum arbitrio mutabilem esse docuit; Certum itidem et manifestum est bonum morale cum physico et malum physicum cum morali naturali quadam necessitudine consociari, ita ut et illud præmii et hoc pœnæ rationem habeat; quippe cum conveniant utrinque in eodem genere vel boni vel mali, et divinam sapientiam omnino decet hæc simul componi, nec sine absurditate fingi potest vel sanctitatem absolutissimam comitem habere perpetuam miseriam et calamitatem, vel summum scelus cum summa et jucundissima felicitate conjungi.

XXIV. Nec sapientiæ tantum hoc convenit, sed bonitati et justitiæ divinæ imprimis consentaneum est; Et bonitati quidem primo; siquidem tanta ejus vis est et magnitudo, ut non modo bonis bene esse velit, sed ut nequidem videatur contrarium a se impetrare posse, ratio est manifesta; cum enim Deus bonum sit quo non potest esse melius, bonum autem sit natura sua amandum et expetendum, omni dubio procul est Deum sese summopere amare; Porro ob eandem rationem ob quam Deus sese amat qua bonus est, amabit etiam quicquid naturæ suæ simile reperiet, et in quo imaginem suam refulgere videbit: certum autem est

in pietate et sanctitate potissimum imaginis divinæ partem sitam esse, quocirca non potest eam non amare vehementer ubicumque ea occurrit. Nemo autem quidquam amat usque adeo vehementer ex bonitate, quin etiam ex justitia vehementer oderit quod ei adversarium est; hæc enim sese invicem consequuntur et ponunt; Jam vero quemadmodum qui amat ille etiam testatur amorem suum beneficentia si qua ratione id potest, amor enim in eo consistit quod bene iis volumus esse quos diligimus, adeo ut si per nos liceat non modo velimus, sed etiam re præstemus ipsa; sic etiam qui odit si quo pacto id facere potest quicquid vindictæ habet præ manibus id omne in id quod aversatur effundit, ut vel destruatur penitus vel longissime amandetur, itaque si odit Deus peccatum, puniet omnino et ulciscetur.

XXV. Secundo, dixi σχέσιν *Dei* hic esse attendendam; neque enim hic spectandus est *ut Dominus* simpliciter, aut *ut privatus*, sed ut *judex et rector* mundi, atque adeo ut *Summus Magistratus*, siquidem pœna affligere, aut a pœnis aliquem liberare cum punire possis, non est nisi rectoris qua talis primo et per se, ut puta in familia patris, in republica regis, in universo Dei; Quod ex eo vel maxime patet quod pœna sit ultimum in coactione, coactio autem non competat nisi superiori τῇ ὑπερεχούσῃ ἐξουσίᾳ. Cum ergo Deo supremum regimen et potestas gubernandi competat, non potest non rectoris partes obire nisi dominio isto se abdicare, id est quod Scriptura possibile esse districte negat velit seipsum abnegare. Itaque quam necesse est rectori et principi inter homines bonas et æquas leges ferre, et latarum se custodem profiteri, vel præmia obedientibus largiendo, vel pœnas transgressoribus irrogando, tam necesse est Deum supremum mundi rectorem et judicem scelera hominum ulcisci nec impunita dimittere, "Annon Judex totius terræ exerceret Jus?" Gen. xviii. 25.

XXVI. Atque hinc facile colligitur frustra hæreticum identidem nobis reponere, *Deum* se habere ut *partem offensam* tantum in hoc negotio, partem autem offensam esse pœnæ creditricem, atque in ea re habere jus quale alii creditores in rebus sibi debitis, ut vel exigere possit vel remittere pro libitu. Nam I. *Punitio* de qua hic quæstio est non est actus competens *parti offensæ* qua tali, quia alioquin oporteret omni parti offensæ competere per se jus puniendi, quod falsum esse ex eo apparet, quod punire diximus esse actum τῆς ὑπεροχῆς: Læsi quidem qualescunque jure naturali et ordinarie jus habent postulandi restitutionem et damni compensationem, potestatem autem cogendi, atque adeo constituendi et sumendi pœnam, qua tales non habent, nam qui alium cogit ut restituat ablatum, eo ipso sese illo superiorem constituit et regulas juris exequitur, quod non facit qua læsus, sed qua potestate quadam rectorali sive ordinaria sive extraordinaria instructus; Si ergo Deus punit vel pœnam tollit ut judex, non facit ut pars offensa; Interim non negamus Deum qui peccata punit vel peccatoribus condonat recte dici partem offensam, quia iis omnino offenditur primo et per se, sed punire aut impunitum dimittere, ei qua pars est offensa tribui negamus; punit quidem homines *quia læsus est*, sed non *qua læsus*, sed qua rector.

XXVII. Deinde *Jus puniendi* in rectore et magistratu non est *jus absoluti Dominii*, aut *jus crediti* simpliciter, in quo cuique licet facere de suo quod voluerit, ut pertendit adversarius, nam istud comparatum est ejus gratia qui illud obtinet; at jus puniendi non punientis proprie causa existit, sed causa totius communitatis, et quoniam delicta publice puniri interest, pœna enim omnis propositum habet commune bonum, ordinis nimirum conservationem et exemplum: Ad hæc nunquam cum

justitia pugnat de jure dominii aut crediti cedere, quia hæc est natura proprietatis ut ea tam uti quam non uti liceat, at judex non potest abstinere a jure administrando citra injustitiam, quia versatur in alieno negotio quo suum cuique tribuendum est, imo quædam peccata puta impœnitentium et contumacium, impunita dimittere injustum esset ipso fatente adversario, Itaque longe alia ratio est debitorum et pœnarum, creditoris atque judicis, ac proinde cum Deus non sustineat modo personam partis offensæ sed judicis imprimis, nihil de jure suo æterno et immutabili hac in parte cedere potest, ut fusius postea probandum erit.

XXVIII. Ex his autem jam satis liquet justitiam illam vindicatricem non esse actum liberum et arbitrarium qui a sola Dei voluntate pendeat, sed proprietatem essentialem ad cujus exercitium voluntas, posito peccato, necessario impellitur. Et sane si Dei naturam decet ut non patiatur perire quem peccati pœnitet, quia bonus est et clemens, non minus etiam decebit ut peccatum inultum abire non sinat quia justus; Nam ut prius oritur ex naturali quadam ῥοπῇ et propensione bonitatis et misericordiæ versus pœnitentiam, ita et posterius fluit ex naturali quodam peccati odio et detestatione; Imo si accurate rem putamus, posterius illud aliquanto magis convenire videtur. Nam cum peccatum condonat id facit ex abundantia quadam bonitatis, sed nullo jure, nulla lege tenetur ad hoc præstandum; ideo Naturæ suæ in eo ductum modo sequitur, creaturæ vero nullum meritum: At in justitia administranda præter Naturæ ῥοπὴν illam qua propendet in odium peccati, habet etiam rationem ordinis cujus custos est atque vindex, et cujus legem semel latam abrogare haudquaquam potest. Quoad prius, nullam videt in subjecto qualitatem qua moveri possit ut illi benefaciat, vel si aliquam videt, contrariam videt sanctitati suæ, et ejusmodi propter quam juste posset ab omni beneficio supersedere; At respectu posterioris subjectum videt ea vestitum qualitate quæ justitiam ad exercitium incitet et necessitate quadam inevitabili propellat; unde *actus misericordiæ* plane *arbitrarius* est si eum præscindas a decreto, quia nullum habet fundamentum in subjecto circa quod exeritur, *actus* vero *Justitiæ necessarius*, quia non pendet tantum a voluntate, sed ab ipsa Dei punientis et rei puniendæ natura.

XXIX. Porro huic essentiali et indeclinabili justitiæ divinæ suffragatur *communis* hominum *sensus* et consensus; Unde enim impressa illa conscientiæ vis quæ horrorem metumque incutit peccatoribus, Unde cæca illa verbera quibus torquentur post scelus admissum nisi ex justitiæ vindicatricis persuasione firmissima? *Conscientia* scilicet repræsentativum numen quoddam est, bonorum et malorum facinorum index et judex, quæ hominem reum assiduo cædit verbere, nec patitur securum esse inter tot justitiæ divinæ et cœlestis vindictæ testimonia. Unde dicta illa apud veteres poëtas usurpata.

Quo fugis Encelade? quascunque accesseris oras
Sub Jove semper eris &c. et
Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora pro facto spemque metumque suo.
Et *Prima est hæc ultio quod se*
Judice nemo nocens absolvitur &c.,
Huc respiciunt et ista *hosce*
Evasisse putes quos diri conscia facti
Mens habet attonitos et surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Plane sicut Paulus testatur dari in homine, "cogitationes accusantes et excusantes," Rom. ii. 15, nimiumque id experiuntur peccatores ipsi dum hoc tortore interno velut furiis identidem exagitantur, "quorum mentes si recludantur," inquit Tacitus, "possent aspici laniatus, et ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur," manet scilicet impressus imminentis supplicii terror, nec tollit se unquam ab oculis imago luridæ mortis.

XXX. Nec in perditis tantum aut nequissimis sensus hic viget, obtinet etiam apud alios quorum vita honestior videtur, nec tot sceleribus commaculata; Neque enim aliunde quam ab hoc principio possunt originem duxisse apud Ethnicos innumera illa ἱλαστήρια quæ placando Numini sunt excogitata, victimæ illæ piaculares quæ interdum etiam ex ipso hominum seligebantur numero, cum ea persuasione *solo sanguine humano iram Deorum immortalium placari posse*, ut habet Cæsar lib. vi. de bello Gall. Tot lustrationes et februationes inter ipsos usitatæ, provocationes crebræ in quacunque injuria et oppressione ad justitiam Dei, et aurea illa dicta quæ in ipsorum libris etiamnum hodie leguntur ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα, Εὗρε θεὸς τον ἀλιτρὸν et illud alterius poëtæ,

Aspiciunt oculis Superi mortalia justis, &c.,
Et raro antecedentem Scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Notum etiam illud oraculi Delphici apud Ælianum

Ἀλλὰ κακῶς ῥέξασι δίκας τέλος οὐχὶ χρονιστὸν
Ἤδε ἀπαραίτητον εἰ καὶ Διὸς ἔκγονοι εἶεν,
Καὶ αὐτῶν κεφαλῆσι, καὶ ἐν σφετεροίσι τεκέσσιν
Εἰλεῖται, καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ πήμασι βαίνει.

Quod sic transtulit H. Grotius;

At scelerum sontes divinum persequitur Jus.
Nec pote vitari, non si genus ab Jove ducant,
Sed capiti ipsorum, quique enascuntur ab ipsis
Imminet, inque domo cladem subit altera clades.

Neque hoc latebat Barbaros Melitenses, Act. xxviii. 4, qui visa vipera quæ ex sarmentis manui Pauli adhæserat dicebant eum esse homicidam quem e mari elapsum Δίκη sive ultio divina vivere non pateretur; Imo hæc persuasio tam alte insederat omnium animis ut Pœna pro Dea coleretur ab Assyriis, et Nemesim ac Δίκην pœnis sceleribus infligendis Græcia destinaret: Hoc vero ab hominibus exprimi vix potuisset nisi Natura ipsa necessitatem aliquam satisfactionis demonstrasset; Nam quæ ita pendent a Deo ut per naturam ad illa facienda non determinetur, nullomodo nobis sine speciali revelatione natura nota esse possunt, v. g. est quidem Deus natura bonus et misericors, nec tamen natura nobis hæc inest communis persuasio Deum velle absque satisfactione peccata nobis condonare, quemadmodum voluit humanæ menti insitam esse notitiam quandam justitiæ, cujus hæc est Lex, non ut qui peccat peccet impune, sed ut peccatum pœna sequatur vel propria vel vicaria, si enim eadem ratione notum fuisset ipsis Deum æque necessario misereri hominum ac punire peccatores, cur tantopere ad ipsius justitiam exhorruissent, cur non potius recordatione misericordiæ fuissent erecti? Certe nihil hic afferri po-

test plausibilius quam hoc, quod ipsis natura notum fuerat Deum quidem misereri, sed ex solo beneplacito, at vero punire peccata etiam ex necessitate naturæ.

XXXI. Quinimo si adversariorum verba expendimus non difficile erit sententiæ nostræ confirmationem ipsis vel invitis extorquere. Nam 1. Fatentur "Justitiam vindicatricem necessariam esse respectu contumacium et impœnitentium," ita ut extra omnem veniæ spem sint constituti, ergo hoc saltem respectu non erit arbitraria sed naturalis, quod pertinaciter tamen negabant: et si respectu contumacium necessaria est, quidni etiam respectu peccatorum? Nam cum obstinatio et pervicacia non possit propter seipsam puniri, siquidem dum in bono versatur constantia est, et quidem laude non vituperio digna, puniri debet tantum quia in malo est, ideoque punietur peccatum primo et per se, obstinatio vero respectu peccati duntaxat, at si peccatum primo et propter se pœnas luit, ubicunque dabitur peccatum, etiam non accedente obstinatione ibi etiam pœnam subsequi necesse erit; Adde quod cum lex non contumacibus duntaxat sed simpliciter transgressoribus pœnam denunciet, nulla ratione ejus sanctio ad solos contumaces restringi potest aut debet; Non dicit subjici maledictioni tantum manentem in opposito eorum quæ scripta sunt, sed "non manentem in omnibus scriptis," Gal. iii. 10. Imo Jacobus expresse testatur "eum qui impegerit in uno reum esse omnium," c. ii. 10. 2. Agnoscit Crellius "hunc esse effectum Justitiæ divinæ ut præter Jus nihil creaturæ imponat, eas vel præter vel ultra meritum plectendo, quia qui sic plecteretur non quod suum est acciperet, sed quod suum non foret." At si hoc verum est, multo magis ejusdem justitiæ hic erit effectus ut creaturam peccantem juxta meritum suum puniat, nam ei qui convenientem delicto suo pœnam refert tribuitur quod suum est; Deus vero ex justitiæ suæ ordine debet cuique tribuere quod suum est; unde sequitur justitiæ repugnare peccatum ullum impunitum relinquere. 3. Fatetur idem "nec sanctitatem nec majestatem Dei usquequaque ferre ut impune mandata ipsius violentur." At quid hoc aliud est quam agnoscere justitiam illam ita necessario Deo competere, ut peccatorum impunitas cum illius sanctitate, majestate, et ordinis communis conservatione consistere nequeat?

XXXII. Sic fuit *fundamentum primum* necessitatis satisfactionis: Sequitur *alterum: Dei* scilicet *voluntas* et *decretum* tam Lege quam Evangelio expressum; Nam cum Deus jam ab initio mortem peccatori sit interminatus; nec possibile sit eum vel mutari vel mentiri, cum sit ipsissima veritas et summa atque invariabilis constantia, Isa. xlvi. 10, et Mal. iii. 6, Omnino necesse fuit comminationem illam executioni mandari, et vel hominem ipsum moriendo huic edicto satisfacere, vel in persona vadis pœna vicaria illud ipsum implere; Extat autem variis in locis sententia hæc comminatoria, tum Adamo primitus denunciata, Gen. ii. 17, "Quo die comederis de eo· utique moriturus es," tum in Lege confirmata "maledictus qui non perstiterit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis ut faciat ea," Deut. xxvii. 26, tum in Prophetarum et Apostolorum scriptis subinde iterata, Ezech. xviii. 20, "Anima quæ peccaverit ipsa morietur," et Rom. vi. 23, "Stipendia peccati mors;" tum exemplis variis justitiæ ac vindictæ divinæ identidem confirmata. "Ira enim Dei e cœlo revelatur adversus omnem impietatem et injustitiam hominum," Rom. i. 18, 19.

XXXIII. Hic vero varia excipiunt adversarii: 1. Legem et comminationem in Paradiso denunciatam specialem fuisse quæ Adamum tantum obligarit; non vero cæteros mortales quibus non fuit revelata,

quique adeo peccati istius committendi occasionem nullam habuerunt; quod si mori dicantur homines etiamnum hodie, id non fieri proprie propter sua vel aliena peccata, sed ex naturali eorum conditione et propagatione quia ex eo sunt progeniti qui mortalis fuit, plane ut servorum nati etiam servi sunt. Resp. Sed misere hic hallucinantur. Nam 1. Etsi ex illa symbolica et annexa illi sanctio primario et directe lata fuerit Adamo eumque actu obligarit, quia tunc temporis actu extitit, non sequitur tamen, nulla ratione pertinuisse ad posteros, imo quia posteri omnes in Adamo fuerunt tanquam in capite et radice, hinc necessaria consequentia deducitur, etiam in ipso eatenus omnes obligatos fuisse. Neque de eo patitur nos dubitare Apostolus ad Rom. v. 12, dum ait "per unum hominem peccatum introiisse in mundum et per peccatum mortem et ita mortem in omnes pervasisse, in quo" scilicet homines "omnes peccarunt," nam ex eo liquet peccatum Adami non fuisse ipsi peculiare, sed toti naturæ commune, quando propter illud pœna in omnes pervasit. At cum ut ibidem addit Apostolus ver. 13, "Peccatum non imputetur ubi non est Lex," omnino si in Adamo omnes peccarunt et moriuntur, 1 Cor. xv. 22, in Adamo etiam lege aliqua obligati sint necesse est. 2. Scriptura non tantum in illa sanctione, sed alibi passim mortem peccatori interminatur. Imo dicit Apost. eam regnare etiam in eos qui non "peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ," ibidem ver. 14, Id est actualiter adversus legem illam symbolicam, quod luculenter probat sanctionem eam non peculiarem fuisse peccato Adami, sed in genere adversus omne peccatum qualecunque demum sit, denunciatam. 3. Atque eo certius hoc colligitur quod ut Lex illa specialis Synecdo. universalem obedientiam Deo præstandam complectebatur (symbolum enim fuit totius legis moralis conscientiæ Adami impressæ, quo ipsius obedientiam in re nec magna nec difficili explorare voluit) ita transgressio ejus non mandati tantum hujus positivi, sed legis etiam naturalis ipsi a Deo inditæ violationem secum traxit. 4. Quod vero addunt tandem homines mori non propter sua vel aliena peccata, sed ex naturali tantum conditione, quia ex mortalibus nascuntur, πρῶτον ψεῦδος eorum est falsissimum quod directe Scripturæ adversatur quæ mortem non Naturæ sequelam, sed peccati stipendium et legalis sanctionis effectum declarat, Rom. vi. 23, Ezech. xviii. 20. Moriuntur ergo non tantum quod mortales ex mortalibus nascantur per generationem, sed quia ex ea traducitur peccatum cujus merito mortis rei sunt, ut hic non lex tantum Naturæ sit attendenda, sed occultum etiam Judicium, quod erga peccatores se exerit.

XXXIV. 2. Excipitur: Verba illa Legis, *Maledictus qui non manserit in omnibus præceptis legis*, etsi ob similitudinem et analogiam quandam tum ratione culpæ tum ratione pœnæ in iis expressæ ad eos quoque accommodari possint qui sub lege non vixerunt, et sic ad universos homines extendi, præsertim postquam illis legis vox et sententia aliquo modo innotuit: Tamen si textus consulatur patere quod ad solos Judæos qui sub lege Mosaïca vixerunt revera et proprie pertineant; Non enim fit simpliciter *Legis* mentio ut possit quis quamcunque legem etiam Naturæ hic intelligere, sed *Legis hujus* ut ad Mosaïcam restringatur; Lex autem Mosaïca solis Judæis revelata est, ac proinde ejus sanctio quæ fuit fœderis illius quoddam veluti vinculum, quo homines qui ad illud pertinebant, ad conditiones ejus omnes servandas astringebantur. Resp. *Lex Mosaïca* potest bifariam spectari, *vel formaliter*, quatenus est tabulis consignata ac per Mosem tradita cum appendicibus variorum rituum et cæremoniarum, *vel materialiter* quatenus substantiam mandatorum continet quibus creatura erga Creatorem suum obligatur. Priori sensu non

negamus legem primario Irsaëlitas spectasse quibus directe lata est, sic tamen ut alios quoque ad quorum notitiam postea sub ista σχέσει pervenit, etiam sub illa ratione formali obliget. At posteriori communem dicimus fuisse tam Gentibus quam Judæis, nam "Gentes legem non habentes sibi ipsis sunt Lex, ut quæ ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis," &c. Rom. ii. 14, 15. Ita gentes vixerunt etiam sub lege quamvis non sub lege scripta, Rom. iii. 19. Quando vero maledictio per Legem denunciatur, non stricte restringitur ad V. fœderis œconomiam, sed ad omnem inobedientiam legi in quocunque statu præstitam, quod facile colligitur ex morte quæ regnavit ab Adamo usque ad Mosem, nondum promulgata Lege Mosaïca; Neque articulus demonstrativus *hujus* contrarium probat, apponitur enim διακριτικῶς ad distinguendam Legem Dei a legibus et traditionibus hominum, non vero excludit sed includit legem naturalem quæ eadem est quoad substantiam cum morali.

XXXV. 3. Excipitur: Etsi comminatus fuerit pœnam Deus per Legem suam, non tamen veritatem aut constantiam ipsius convelli etsi peccata impunita dimitteret, quia *comminationes* illæ censendæ sunt *conditionatæ* non *absolutæ*, quales plurimæ occurrunt in Scriptura et quidem fere omnes nisi vel earum contrarium natura sua turpitudinem quandam in se contineat, aut signum comminationibus sit additum immutabilis plane voluntatis, ut si illis juramentum adjungatur quale extat de Israëlitis incredulis et contumacibus in terram promissam non introducendis, Num. xiv. 28, Heb. iii. 11, Psal. xcv. 11. Si neutrum horum appareat comminationes censendas esse relaxabiles et tacitam quandam exceptionem sive conditionem in se continere etiamsi ea expresse non sit apposita, ac proinde comminanti maxime si sub aliena lege non sit positus, licere eas revocare.

XXXVI. Resp. Sed non una ratione falluntur hic et fallunt Adversarii. 1. Non negamus tacitas quasdam interdum sub esse posse conditiones in comminationibus Divinis, quarum exempla prostant in comminatione Isaiæ ad Ezechiam, c. xxxviii. et Jonæ ad Ninivitas, c. iii. 4, sed *particulares et œconomicæ comminationes* quales istæ fuerunt quibus Deus utebatur ad eam resipiscentiam producendam quæ illas sequuta est, haudquaquam sunt confundendæ cum *Legis æternæ in mota sanctione* cui et hominum conscientia, et Gentium consensus ultro adstipulantur, maxime cum dicat Christus, Matth. v. 18, ne quidem "apicem unum aut ïota ex Lege transiturum quin omnia impleta sint," et Apostolus, Heb. x. 28, "Legis transgressorem mori absque misericordia." Peccant ergo graviter dum a particulari ad universale argumentantur. 2. Distinguendæ *comminationes* quæ *pœnas temporales* tantum denunciant, ab illis quæ *mortem æternam* et maledictionem peccatori intentant; illæ possunt nonnunquam relaxari, non istæ, quamvis enim Deus pœnam aliquam temporalem vel differat vel auferat respectu impiorum, non sequitur tamen in illis tolli Legis sanctionem vel Deum ab ea recedere, nam si differt supplicium non aufert tamen, vel si tolerat in hac vita, puniturus est in altera tarditatem supplicii gravitate compensando, Quæstio autem nostra est non de pœnarum quarundam temporalium vel dilatione vel aversione, sed de omnimoda impunitate contra sanctionem Legis. 3. Non confundendæ sunt *comminationes paternæ et evangelicæ* cum *legalibus* et *judicialibus*, illas nihil prohibet nonnunquam abrogari et tolli, quia dispensative tantum sæpius proponuntur a sapientia Dei, non ut impleantur, sed ut homo iis deterritus a viis suis pravis revertatur, sed istæ non possunt, quia æternum et immutabile Dei jus notant quod sine præjudicio justitiæ tolli non potest. 4. Non necesse est semper ut jura-

mentum addatur comminationibus vel promissis in signum immutabilis voluntatis, nam quamvis propter infirmitatem nostram illud addatur quandoque, non minus impossibile est tamen Deum mentiri cum loquutus est simpliciter, quam cum juramento se adstrinxit, Heb. vi. 17, 18. 5. Non videretur carere absoluta criminum impunitas et sanctionis legalis abrogatio, aliqua turpitudine, qualis est, in rectore et judice, officii quod exercere debet in ordinis conservatione desertio et contemptus.

XXXVII. 6. Comminationes non aliter sunt dispensabiles quam ipsæ leges quibus annexæ sunt, at solæ leges *positivæ* relaxationem possunt admittere, non vero lex *naturalis* quæ in ipsa Dei sanctitate et justitia fundatur. 7. Neque hic juvat quod aiunt Deum sub aliena potestate non esse constitutum; Nam licet non sit sub aliena lege positus, unde non potest a superiori et extrinseco prohiberi, quin si vellet relaxationem illam omnimodam concederet, tamen sibi ipsi lex est, nec sanctitatis, constantiæ, et veritatis ratio patitur, ut a justitiæ norma semel posita vel tantillum deflectat, unde quemadmodum non potest seipsum abnegare, ita nec adversus justitiam quicquam committere legis sanctionem abrogando; Si ergo quædam conditio sub illa legis sanctione intelligenda esset, semper deberet fieri salva Dei justitia, nec alia potest esse quam hæc, pœnam hanc necessario subeundam esse peccatori, nisi vadem et sponsorem reperiat qui pœnam ipsi debitam in se recipiat, et sic omnia mala sua nomina dispungat ad ultimum usque quadrantem. Fateor Deum pœnitentiæ polliceri remissionem peccatorum, sed non sequitur si hæc a parte nostri requiritur duntaxat ad remissionem consequendam, ab illa sola pendere hoc beneficium et comminationis relaxationem, imo cum resipiscentia fidem semper comitem exigat, fides vero supponat necessario satisfactionem aliquam præviam quam sibi applicet coram Deo, inde colligitur non posse tolli sanctionem nisi salva Dei justitia et satisfactione intercedente.

XXXVIII. Et sane si sanctio illa relaxabilis esset, vel relaxabilis esset ex lege vel ex Evangelio. Non ex Lege, quia inexorabilis illa et dura Domina omnimodam obedientiam postulat, vel pœnas transgressoribus denunciat, nuspiam vero gratiam ullam nequidem pœnitenti pollicetur, cum pœnitentiam nec norit nec exigat proprie ac per se. Non ex Evangelio, "quia lex non inutilis redditur per fidem sed stabilitur," Rom. iii. 31, et Christus venit non ad eam abrogandam sed implendam, Matth. v. 17. Quippe etsi modus justificationis nostræ et salutis obtinendæ mutetur in fœdere gratiæ cum non amplius per propriam obedientiam proponatur acquirenda, ut sub lege, sed per alienam, idem tamen manet utrobique absolutionis nostræ fundamentum, perfecta nimirum legis impletio, propter quam necesse fuit Christum fieri ὑπὸ νόμον et κατάραν, Gal. iii. 13, et iv. 4.

XXXIX. Neque id ipsum ex remissionis quam quærimus natura comprobare est difficile; nam cum ipsa sit *actus jurisdictionis*, omnino hic intercedere necesse est vel *legis abrogationem*, vel *declarationem*, vel *dispensationem*, vel denique *executionem*, istis enim modis judex circa Legem ejusque sanctionem potest versari. Hic autem *abrogatio* locum habere non potest, nam præterquam quod Legem per Christum non abrogari diximus, si abrogata esset nullam haberet amplius vim obligandi cum tamen certum sit infideles adhuc illi obnoxios esse. Non est etiam *declaratio aut interpretatio*, nam declaratio illa ostendit aliquod factum aut personam sub Legis obligatione nunquam fuisse comprehensam, ut, Matth. xii. 5, Christus interpretatur Legem dum ostendit opera misericordiæ et religionis sub interdicto operum in Sabbatho non fuisse in-

clusa; At vero certum est omnes homines, etiam eos, qui liberantur, utpote conclusos sub peccatum fuisse natura filios iræ ac per consequens obligatos ex legis sanctione: Non est etiam proprie *dispensatio;* nam illa præcise non circa pœnam jam meritam et peccatum admissum: sed circa actum faciendum et reatum ex illo præcavendum versatur, quando nimirum in aliquo casu quo revera obligat Lex, solvitur Legis obligatio respectu cujusdam in particulari reliquis manentibus obligatis, sic licentia confertur alicui id faciendi quod aliis vetitum est: At vero in remissione peccatorum nihil tale occurrit, quia non dat resipiscenti licentiam peccandi vel id faciendi quod sub gravissima pœna lex interdicit omnibus: Deinde per dispensationem absolute solvitur obligatio Legis respectu alicujus, At hic non solvitur obligatio legis respectu fidelium nisi substituto sponsore. Itaque superest ut legis *executio* aliqua hic intercedat, si non ex parte nostri, saltem ex parte vadis quem Deus pro nobis admittit.

XL. Cæterum executio illa legis non stricte et κατ' ἀκριβοδίκαιον venit intelligenda, sed κατ' ἐπιείκειαν et moderationem quandam, nam si prius obtineret, omnino persona ipsa quæ peccavit plectenda esset, Lex enim in summo jure peccatores ipsos postulat, at posteriori ratione nihil repugnat peccata fidelium in vadem transferri dummodo puniantur. Peccatum quidem omne plectendum esse est ex Legis sanctione æterna et immutabili, at peccatorem omnem non item; aliquando enim fit propter misericordiam et paternam clementiam ut dum punitur peccatum, subtrahatur peccator et a pœna eximatur, unde pœnam omni peccato deberi dicunt nonnulli *impersonaliter*, sed non *personaliter*. Itaque in lege et sanctione pœnali, duo distinguenda sunt, 1°. Denunciatio mortis quæ sit propter peccatum, 2°. Comminatio quæ fit ipsi peccatori. Prius est de *jure Dei æterno* immutabili et indispensabili, unde remissio non potuit obtineri nisi per mortem et sanguinis effusionem quæ fuit pœna peccati: At posterius est de *jure Dei libero* et positivo, potuit enim Deus vel peccatorem ipsum plectere, vel pro illo, si liberet ex gratia cum ipso agere, vadem substituere. Certum quidem est eum qui deliquit pœnam mereri, eoque punibilem esse, hoc enim ex ipsa peccatoris ad Deum relatione necessario sequitur; at quod idem peccator necessario puniatur in persona sua, etsi hoc sit commeritus, non semper obtinet propter paternam Dei ἐπιείκειαν. Non diffiteor etiam peccatoris ipsius punitionem esse rerum naturæ et ordini perquam convenientem, et substitutionem non facile nec levi de causa admittendam esse. At gravissimam causam habuit πάνσοφος νομοθέτης ita constituendi, nam si omnes peccatores æternæ morti mancipandi fuissent, periissent funditus ex rerum natura duæ res pulcherrimæ, ex parte hominum religio in Deum, et ex parte Dei præcipuæ in homines beneficentiæ testimonium.

XLI. Porro pœnam omni peccato deberi ex legis præscripto, nec sine satisfactione remissionem ejus obtineri posse præter ea quæ jam allata sunt, docet nos manifeste locus ad Heb. cap. ix. 22, *Sine sanguinis effusione non fit remissio peccatorum;* quare enim sanguinis effusio requireretur nisi quia ad expiationem peccati necessario intercedat oportet mors creaturæ ut satisfiat justitiæ divinæ et legis sanctioni. Neque hic audiendi adversarii qui hæc verba restringere volunt ad V. T. œconomiam et ritus legales quibus sanguinis victimarum effusio præscribebatur: Nam etsi concedamus Apostolum de istiusmodi cæremoniis loqui, non excludit ille tamen, sed includit potius relationem ad Christum, quia victimas legales spectat ut typos sacrificii Christi quo vere et perfecte debuerunt peccata expiari; quod ex ver. 23, 24, seq. liquido patet;

dum ita colligit Apostolus "necesse fuisse exemplaria rerum cœlestium hisce rebus mundari, ipsa vero cœlestia potioribus victimis mundanda fuisse." Nimirum id sibi vult quod quemadmodum sub Mose legalia omnia, puta tabernaculum, liber, vasa, victimæ, &c., utpote typica, ejusdem naturæ materia ac ritu, nempe pecudum sanguine, aqua, lana et hyssopo lustranda fuerunt; Ita sub evangelio quod cœlestia omnia continet necesse fuit potiores victimas ad eorum mundationem adhiberi, scilicet sacrificium Christi, quod hic ad denotandam ipsius summam perfectionem numero multitudinis ex Hebræo idiotismo effertur, qui legalibus omnibus longe antistat, et unum est instar omnium, puta corpus omnium umbrarum et veritas figurarum, Joh. i. 17, et Col. ii. 17.

XLII. Eam vero *necessitatem* ex ipsa *fœderis evangelici* natura et *mortis Christi* consideratione fortius evincere possumus; Nam cum fœdus istud ex æterno Dei consilio Mediatore et Sponsore nitatur, Heb. vii. ver. 22, qui animam suam daturus erat in redemptionis pretium pro multis, Matth. xx. 28, Non potuit impleri et firmum ratumque esse nisi accedente hac sponsoris nostri satisfactione quæ justitiam placando nobis ad misericordiæ thronum aditum pararet, et favorem ac benevolentiam numinis, reis alioquin et indignis peccatoribus conciliaret; Et vero si inanes potuerunt esse vel penitus relaxabiles Legis comminationes, Quæ tandem excogitari poterit ratio legitima propter quam Deus dilectissimum et sanctissimum Filium suum, crudelissimæ et ignominiosissimæ morti subjecerit? Si pœna in innocentem jure transferri non potest quod pertendit hæreticus, quo pacto justum erit Christum nec in se nec nostri gratia nocentem et reum horrendis illis cruciatibus exponi? Quænam legitima tam diræ mortis assignari poterit causa? Nam quæ afferuntur ab adversario, tum doctrinæ confirmatio, tum exemplorum sanctitatis, charitatis et patientiæ præmonstratio, sane non erant tanti, ut propter eas unigenitus Dei filius diris esset cruciatibus devovendus; Maxime cum et doctrinam suam variis miraculis confirmasset luculenter, et in vita pietatis eximiæ et invictæ patientiæ pulcherrima jam exempla dedisset; Ergo alia procul dubio causa suberat tam insolitæ dispensationis, nimirum justitiæ Divinæ ratio et legis edictum cui a Christo qui locum nostrum subibat satisfieri oportuit, atque hinc est quod Paulo, Rom. iii. 25, dicatur "constitutus a Deo in placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrationem justitiæ suæ per remissionem peccatorum præcedentium," &c., ex eo enim liquido patet quam sit justitia Dei inexorabilis, cum non passa sit peccata remitti nisi interventu tanti pretii et ipsius filii Dei morte et sanguine.

XLIII. Deinde si unico nutu et verbulo peccata omnia nostra delere et veluti nubem dispellere potuit, an verisimile est eum tantæ molis opus aggressurum fuisse? Qui nihil frustra et sine necessitate molitur Deus quomodo Filium suum in quo omnis ejus *εὐδοκία* reposita erat citra necessitatem e cœlo demittere, carne nostra et servili forma induere, multis modis exercere, ac tandem *κατάραν* et peccatum afficere sustinuit? Sane non patitur sapientia et bonitas Dei ut credamus hoc illi liberum fuisse et integrum, imo utraque necessitatem quandam memorabilem hic intercessisse credere nos cogit.

XLIV. Præterea si satisfactio necessaria non fuit, nulla videtur idonea ratio reddi posse quamobrem Deus tot illustres ejus typos in V. Fœdere extare voluerit. Cur enim non licuit electis Israëlis videre Deum nisi prius oblato sacrificio cujus sanguine populus fuerat conspersus, Exod. xxiv. 9, 10, nisi ut significaretur non posse nos ad Dei conspectum et communionem admitti quin prius Christi sacrificio fragrantissi-

mo et sanguine ῥαντισμοῦ justitiæ Divinæ fuerit satisfactum? Cur Moses pro Populo apud Deum iratum intercessorem egit, nisi ut doceret opus nobis esse omnino mediatore aliquo inter Deum et nos, qui non tantum sequester esset et interpres voluntatis Divinæ qualis fuit Moses; hoc enim non obstabat quo minus ad vocem Dei loquentis expavesceret, Heb. xii. 21, sed qui vere esset εἰρηνοποιὸς qui pace per sanguinem facta plene nos Deo et Deum nobis reconciliaret, Col. i. 20. Cur denique sub illo fœdere tantam sacrificiorum molem instituit, quibus nec doctrina confirmabatur, nec fœdus percutiebatur, nec exemplum proponebatur, sed reatus tantum typicus populi, morte ob peccata victimæ inflicta, auferebatur; nisi ut certissimum essent et indubitatum testimonium victimam aliquam non brutam, sed divinam et cœlestem requiri omnino, quæ reatum verum in se suscipiendo a peccatoribus tolleret, et morte sua jus communionis cum Deo illis promereretur et restitueret? Heb. ix. 13, 14.

XLV. Accedit etiam quod frustra Apostolus toties iteraret in Epist. ad Heb. sacrificia legalia peccati reatum tollere non potuisse ut inferret Christi sacrificio nos debere purgari, si purgatione plane nihil opus fuisset; Nam quod tam facile sola Dei misericordia absque ulla satisfactione tolli potuit, cur non potuit tolli pariter intercedente victimarum legalium morte? Si non plus confert sacrificium Christi ad expiationem proprie dictam sacrificiis legalibus, nihil causæ dici potest cur eam istis denegare et illi tribuere constanter voluerit; Quid quod quum negat Apostolus victimas legales peccati reatum tollere posse, rei ipsius naturam attendit, non tantum quia aliter Deo erat constitutum, sed vel imprimis quia tam execrabilis et fœda res est peccatum ut nullo hircorum taurorumque sanguine elui expiarive possit; propterea inquit, Heb. x. 4, "Impossibile est sanguinem hircorum et taurorum tollere peccata;" quod vero continuo subjicit, ver. 5, 6, 9, "quapropter ingrediens mundum dicit, sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, tunc dixi Ego adsum," &c., ac denique concludit "auferri prius ut posterius stabiliatur," manifeste evincit, hanc fuisse Apostoli mentem, abrogatis sacrificiis omnibus legalibus ut inutilibus et vanis subrogatum fuisse ex Dei æterno consilio unicum Christi sacrificium, quod solum ad tantæ molis opus exequendum par esse poterat, et sine quo peccati reatus nunquam in æternum deleri potuisset.

XLVI. Cæterum cum *necessitas* illa quæ pœnas peccati exigit, nec *physica* sit, qualis esse solet in iis quæ vel bruto instinctu, vel cæco naturæ feruntur impetu, nec vero *coactionis* ut in iis occurrit qui per vim aliquid patiuntur, sed *ethica* potius et *rationalis* quæ a virtute, justitia puta et sanctitate, originem ducit, et libera intercedente voluntate exeritur: non ita præfracte est urgenda, quasi nullam hic penitus relaxationem admitteret, sed semper ex summo jure quantum potest, agere nobiscum Deus teneretur; cum enim idem ille Deus qui justissimus est sit etiam summe misericors, multiplicem in virtutis istius administratione ἐπιείκειαν admittere potest, modo id fiat salvo æterno et immutabili jure suo; Unde diversimode justitiæ hujus exercitium bonitate et clementia temperat, vel ratione *temporis* differendo supplicium, vel ratione *pœnarum* eas mitigando vel immutando, vel ratione *personarum* eas ab una in aliam transferendo.

XLVII. Atque hoc est singulare illud et eximium beneficium quo donamur sub evangelio, dum dimissis nobis qui ut rei et sontes ex rigore legis rapiendi eramus ad supplicium, vas et sponsor in locum nostrum substituitur qui pœnas nobis debitas in se transferat, quod fuit mirabile sa-

pientiæ divinæ temperamentum sine quo spes omnis salutis decollaverat: Nam vel pœna propria nobis erat sustinenda et sic justitiæ quidem litatum fuisset, sed misericordiæ aditus omnis præcludebatur; Vel tanquam insontes absolvendi et salvandi eramus, atque ita Misericordia sese luculenter sane exeruisset, sed justitiæ fraus aliqua sic videbatur fieri. Itaque medium aliquod tenere oportuit quo simul et semel, justitiæ satisfieri, et via ad summam et infinitam misericordiam patefieri posset, quod factum sponsoris nostri substitutione; Nam ut justitiam suam in repetenda pœna, ita misericordiam in submittendo vade demonstrat; ut in illo acerrimam suam justitiam ostendit pœnas omnes nobis debitas ipsi infligendo, ita in nos misericordiæ et charitatis inexhaustæ rivos omnes et thesauros diffundit, non modo propter ipsum veniam peccatorum omnium nobis concedendo, sed et innumera beneficia tum gratiæ tum gloriæ et in hac et in altera vita gratis impertiendo.

XLVIII. Quisnam autem *sponsor* ille esse debuerit aut quænam satisfactio nobis necessaria fuerit, non difficile est ex dictis colligere; Nam ut justitiæ divinæ ratio et legis vox satisfactionem aliquam homini peccatori, nisi in peccatis mori velit, necessariam esse persuadent, Ita verbum evangelii non alibi quærendam esse satisfactionem illam quam in Christo θεανθρώπῳ sponsore nostro passim declarat: Ille enim solus potuit esse N. fœderis ἔγγυος et μεσίτης, quia, medius inter Deum et homines, illum Divinitate, istos humanitate contingebat, ille solus naturam humanam habuit quæ pateretur et simul divinam quæ passionibus valorem infinitum adderet, sanguinem humanum et spiritum æternum, infirmitatem carnis ut moreretur tanquam victima, et potentiam divinitatis qua surgeret e sepulchro et in sanctum sanctorum ingrederetur ut sacerdos; Itaque quemadmodum satisfactionem in genere homini ad salutem necessariam esse evicimus, jam necessariam fuisse ipsius Christi satisfactionem superest ut paucis demonstremus.

XLIX. Non nos latet equidem hic in diversa abiisse nonnullos e veteribus qui ut supra notabamus ex Augustino modos alios Deo possibiles non defuisse sunt arbitrati; imo eo usque progreditur doctissimus Præsul, ut dicat, "stultos esse qui dicunt non potuisse sapientiam Dei aliter homines liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur ex fœmina," Serm. de Annunc. Dom. Ita Leo I. Sermon. 2, de Incarn. Bonavent. in 3, senten. Distin. xx. q. 6, "De liberatione firmiter credo quod alio modo potuit liberari genus humanum, de Redemptione vero nec nego nec audeo affirmare, quia temerarium est cum de Divina potentia agitur terminum præfigere ei amplius enim potest quam nos possumus cogitare." Notum etiam plerosque e scholasticis vanis et curiosis quæstionibus præter Scripturam, ut in aliis omnibus solent, in hoc argumento locum nimis dedisse, quæ hujus mysterii fidem paulatim enervant et immotum hoc religionis Christianæ fundamentum subruunt, de quibus videndus Vasques in 3. Tho. Disput. i. 2, et Suares in eandem. Verum non defuerunt alii complures tum ex patribus tum ex ipsis scholasticis qui necessitatem hanc cognoverunt, ut Athanas. in eximio tractatu de Verbi Incarn., Anselmus in lib. i. Cur Deus homo cap. 16, 17, Basilius in Psal. xxviii, Ambrosius in Heb. ix., Thomas contra Gentes lib. iv. c. 54, 55. Et in eam Nostri ferme omnes propendent sententiam ut tutissimam et Scripturæ imprimis consentaneam: Quod tamen ita intelligendum non est quasi Dei omnipotentiam ullatenus restringere velimus; Neque enim hic quæritur proprie quid Deus potuerit absoluta sua potentia, sed quid facere apud se statuerit, quidve ad salutem nostram neces-

sarium fuerit; Dicimus ergo necessariam fuisse hanc Christi satisfactionem, non modo ex hypothesi decreti et consilii Dei qui Christum in sponsorem nobis destinaverat ut peccatum pro nobis factus nos essemus justitia Dei in ipso; sed etiam ex ipsius natura rei, quia nullum aliud melius vel convenientius dari poterat medium ad opus redemptionis peragendum; Nam cum satisfactionem aliquam justitia postularet, eam autem neque homo per seipsum neque per aliam quamvis e Creaturis sufficere posset, non aliunde potuit peti quam a Christo qui omnia ad satisfaciendum requisita habuit. Et agnoverunt ipsi scholastici dum fatentur, posito quod Deus voluerit redimere homines non *per viam potentiæ*, sed *per viam perfectæ justitiæ*, simpliciter necessariam fuisse unionem hypostaticam et θεανθρώπου satisfactionem, vid. Suarc. in 3. Thom. q. 1. Disp. iv. 5, 2.

L. Rationes variæ in eam rem afferri possent, sed hæc una potest esse instar omnium; Nam cum peccato quod infinitam Majestatem læserat infinita pœna deberetur; si perfecte satisfaciendum fuit, opus fuit satisfactione infinita, jam autem infinite satisfacere non potest nisi qui infinitus est; quare cum nemo vel ex Angelis vel ex hominibus sed unus Deus hanc summam ὑπεροχὴν obtineat, utpote qui omnes meræ sunt creaturæ, nemo etiam præter *Deum* sufficiens λύτρον et ἀντάλλαγμα pro nostra redemptione dare potuit: Porro quia non decebat vel Patrem vel Spiritum S. incarnari, et Mediatorem fieri, siquidem nec Pater potuit mitti cum sit a seipso, nec infra Filium et Spiritum S. qui ab ipso sunt œconomice humiliari et Mediatorem agere; Nec Spiritus id muneris poterat obire quia debuit a Mediatore mitti et versari circa applicationem salutis acquisitæ, solus Filius potuit commode hoc munus sustinere qui ut medius inter Patrem et Spiritum, Mediator potuit esse inter Deum et homines; et ut natura erat Filius per gratiam filios nos facere, redimendo per justitiam quos per potentiam creaverat; Sic ut necesse fuit λόγον incarnari et θεάνθρωπον fieri, necesse etiam fuit ad redemptionem nostram Christum θεάνθρωπον pro nobis satisfacere: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Atque ita conclusum esto secundum caput quod nobis propositum fuerat. Tertium jam exequendum esset circa ἀνασκευὴν rationum adversariorum, sed quia plures sunt quam ut paucis pagellis includi possint, eas brevitati consulentes in secuturæ σὺν θεῷ Disputationis argumentum reservamus.

COROLLARIA.

I. Etsi satisfactio fuerit necessaria ad remissionem peccatorum consequendam, non tamen desinit ipsa remissio esse respectu fidelium plane gratuita.

II. Cum soli fidei competat satisfactionem Christi nobis applicare, sola etiam nos justificare potest, non opera quælibet vel ante vel post gratiam.

III. Qui prævisionem fidei vel operum electioni præstruunt, illi nunquam vel Dei eligentis εὐδοκίαν liberrimam, vel hominis electi extremam miseriam satis agnoverunt.

IV. Qui semel vere sunt conversi nunquam finaliter aut totaliter excidere possunt a gratia, quicquid Remonstrantes pro apostasia sanctorum in contrarium afferre possint.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI NECESSITATE,

PARS SECUNDA.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE SATISFACTIONIS CHRISTI NECESSITATE.

PARS SECUNDA.

Respondente DAVIDE GIRARDO, *Neocomensi.*

I. Disputatione præcedenti de *satisfactionis* Christi *necessitate* egimus κατασκευαστικῶς, et pluribus argumentis, tum a natura, tum a voluntate Dei petitis, demonstratam eam dedimus; Quia vero saluberrima hæc doctrina et jam olim a male feriatis hominibus impugnata est, et etiamnum hodie a pestilentissimis hæreticis variis argumentorum arietibus concutitur, quæ nisi expediantur piis studiosis negotium facessere possent, ideo quod nos supra facturos recepimus, eorum ἀνασκευὴν cum bono Deo hac Disputatione breviter aggredimur.

II. Quæcunque autem hic ab adversariis opponuntur ad tres classes possunt revocari: In prima evincere conantur Deum *posse* condonare peccata absque satisfactione. In secunda non tantum posse per naturam, sed etiam *velle* ex decreto, atque voluntatem illam nobis in verbo patefecisse. In tertia non modo posse et velle, sed *ne posse quidem contrarium* sine aliqua injustitiæ et crudelitatis labe. Prima ostendit satisfactionem vadis naturæ divinæ summe misericordi repugnare et *non esse necessariam;* Secunda eandem refragari voluntati et *falsam* esse docet. Tertia in ipsam Dei justitiam arietare atque adeo *iniquam* esse contendit.

III. Quod ad primam sic illi ratiocinantur, Si necessaria esset Christi satisfactio, eo potissimum nomine necessaria esset quod sit in Deo justitia quædam ἐπανορθωτική et vindicatrix illi essentialis quæ non possit admittere peccatorum remissionem sine prævia quadam satisfactione: At falsum est, inquiunt, dari talem justitiam in Deo quæ illi sit naturalis; 1. quia quod Deo est essentiale necessarium est et non potest non esse; at ista justitia potuit non esse, puta si creatura peccatrix nulla fuisset; 2. naturalia in Deo non sunt contraria; at misericordia et justitia sunt contrariæ, illius enim est salvare, istius destruere et perdere; 3. quod est inæquale et suscipit magis et minus non est de essentia Dei, quia in Deo omnia sunt infinita; at misericordia et justitia tales sunt, nam qui multus est misericordia, dicitur tardus ad iram, qui justitiam in quartam tantum generationem exerit, idem Deus benignitatem et misericordiam ad millesimam usque extendit, Exod. xx. 5, 6. Si justitia esset essentialis, tum necessario omnium peccata deberet æqualibus plectere pœnis, nec

posset istius misereri, illum vero punire, nihil enim facit aut facere potest quod proprietatibus suis adversetur, v. g. cum sapientia in Deo resideat, nihil unquam insipienter præstare potest; ita si Deus natura justus est, semper et ubique et ad extremum deberet justitiæ illius actus exerere, quod tamen scripturæ et experientiæ adversatur; 5. denique quod liberum est non est naturale, at justitia libera est quia liberæ voluntatis effectum, secundum quam libere potest punire vel condonare peccata quibus vult, sicut potuit creare vel non creare, vel aliter creare, mundum.

IV. Resp. Non difficile tamen est primum hunc adversariorum impetum retundere; Nam præterquam quod antea satis superque ex ipsa Scriptura rationibusque variis essentialem illam Dei justitiam ἐπανορθωτικὴν asseruimus, nihil hic in contrarium affertur quod facili negotio refelli non possit: Nam ad Primum, Falsum est quod assumunt justitiam illam Dei potuisse aliquando non esse, neque enim concipi potest nedum esse Deus, nisi justus et sanctus, neque ratio allata de non existentia creaturæ peccatricis quicquam probat, distinguenda enim *justitia* ab ejus *exercitio* et *effectis* quæ per metalepsim sæpe justitiæ nomen sortiuntur, ἐνέργεια a δυνάμει, actus 1us a 2o. Sane si nulla fuisset creatura peccatrix, nullum datum fuisset justitiæ exercitium vel ἐνέργεια ad extra, quia requirit præsentiam objecti tali modo constituti, sed fuisset semper in Deo ipsa justitia radicaliter et quoad actum primum, nam etsi nunquam futura fuisset ulla creatura peccatrix, non desinebat tamen hæc propositio esse verissima, Dei natura ita sancta est et justa ut non possit videre, multo minus ferre malum: quemadmodum ab æterno Deus fuit sanctisssimus et justissimus etsi nondum dabatur peccatum, fuit misericors et clemens quamvis nulla dum esset creatura misera; ita potuisset has proprietates sibi habere in æternum quantumvis nullæ creaturæ factæ fuissent vel miseræ vel peccatrices: Sic licet Deus nihil condidisset, non desiisset tamen omnipotentia in Deo dari quia poterat semper condere quæ condidit. Cæterum quamvis justitia ad id ut sese exerat creaturam peccatricem ut objectum requirat, non obstat tamen quominus illius exercitium necessarium dicatur posita tali conditione: Nam egressus attributorum relativorum quæ respectum habent ad creaturas, necessarii sunt, sed ex hypothesi et positis ponendis, sic non necesse erat ut Deus homines alloqueretur, sed posito quod vellet alloqui, non poterat nisi vere, quia est mentiri nescius et ipsissima veritas. Ita poterat non punire si nullum fuisset peccatum, sed necessario punit posita creatura peccatrice.

V. Ad secundum Resp. distinguendo justitiam et misericordiam ab effectis; justitia quippe et misericordia non sunt duæ res in Deo nedum contraria, sed una eademque Dei essentia quæ secundum objecta et effecta diversa distinguitur, non in se, sed respectu nostri, diciturque misericordia cum liberat miseros, justitia cum judicat reos, et quamvis contrariorum contrarii sint effectus, non tamen vice versa contrarietas effectuum semper arguit contrarias causas, cum sæpe ex iisdem etiam causis contrarii prodeant effectus; Eorundem radiorum vi et fœtent cadavera et florent rosæ, idem ignis qui lutum indurat, ceram et plumbum liquefacit; Certe si Deus misericordiam et justitiam suam erga unum idemque objectum et respectu ejusdem totam exereret, videretur nec sine ratione istud plane ἀσύστατον, quia ista plectit quod altera condonat, ista pœnam infert quam altera aufert; sed neque hoc Deus apud se statuit, neque id unquam nobis in mentem venit; agnoscimus quidem et credimus justitiam et misericordiam Dei, per admirabilem συζυγίαν a sapientia ejus πολυποικίλῳ factam, sese exerere in opere salutis, sed nec in eodem subjecto, nec

circa idem, justitia quippe se exeruit in Christum, at erga nos misericordia, justitia in puniendo peccato, misericordia in salvando peccatore, justitiæ objectum est culpa sive malum morale quod Deus inultum pati nequit, misericordiæ vero miseria sive malum physicum ad quod a creaturis removendum Deus pro immensa sua bonitate semper propendet, hæc servat opus suum nimirum creaturam, illa destruit alienum scilicet peccatum.

VI. Ad tertium iterum confundit hæreticus justitiam et misericordiam cum operationibus et effectis; Nam si misericordia dicitur iram superare, hoc non *affective* sed *effective* intelligendum est, quia plura effecta gratiæ et misericordiæ nobis exhibet quam justitiæ ad piorum solatium; Ita licet hæ duæ proprietates ex æquo sint infinitæ in Deo, tamen diversimode sese erga homines exerunt, dum nec omnium æqualiter miseretur, nec omnes ex æquo indurat, sed tantum prout vult, cujus quidem inæqualitatis causa occulta esse potest, injusta esse non potest, ut scite olim August. Si quis vero ulterius quærat cur Deus describatur nobis in scriptura pronior ad misericordiam quam ad justitiam, cum istius non minus quam illius virtutis exercitium Deo sit naturale; rationes istius discriminis variæ dari possunt: 1. Quia suppliciorum peccatis constitutorum longe maximam partem in futurum sæculum distulit, at infinitam propemodum beneficiorum vim et copiam in creaturas suas effudit, ea res hominum piorum animos eo impulit ut Dei benignitatem supra reliquas ejus virtutes in cœlum ferrent; 2. Etsi actiones quæ a justitia promanant æque in suo genere laudabiles sint cum iis quæ a bonitate proficiscuntur, quatenus nempe ex eodem fonte fluunt; effecta tamen bonitatis in se sunt jucundissima, nihil enim libentius facit bonus animus quam cum beneficium confert; effecta vero justitiæ per se tristia sunt, nihil enim bonus animus facit magis invitus quam ut det infortunium, non quod justitiam exerceat, sed quod justitiæ exercitio alicui male sit. Cum igitur quodcunque est in hominibus laudabile, in Deo sit, ut loqui solent, *eminenter*, Scriptura eum nobis inducit benefacientem libentissime, punientem vero pene invitum, quia opera misericordiæ cum creaturæ salute et conservatione conjuncta sunt, opera vero justitiæ cum illius exitio et miseria. 3. Cum punit Deus, id facit ex unica severitate et justitia, at in operibus misericordiæ datur combinatio variarum Dei virtutum, nam cum Deus nulli peccatori veniam indulgeat nisi prævia quadam satisfactione, vel præstita vel præstanda justitiæ, justitia et pax seu misericordia hic se mutuo osculantur, unde mirum videri non debet si pronior dicatur ad id faciendum ad quod plura simul concurrunt attributa, quia in eo gloria ejus longe illustrior evadit. 4. Scriptura ita loquitur potissimum respectu fidelium et electorum, cum quibus quia agit ex fœdere gratiæ, ut patet misericors et clementissimus, recte dicitur tardus ad iram et propensissimus ad misericordiam.

VII. Ad quartum, distingue *necessitatem physicam* et *brutam* a *necessitate ethica et rationali*. De prima datur consequentia, quæ agunt ex illa necessitate agunt semper et eodem modo quantum possunt usque ad ultimam activitatis sphæram; ignis non potest non urere, et semper urit ad extremum ubi occurrit objectum aliquod combustibile. At de necessitate morali non valet, quia exercitium illius virtutis pendet a libertate voluntatis quæ diversimode illud potest modificare. Ita etsi necessarium sit ex parte justitiæ puniri peccatum, in illa tamen pœnæ distributione libera Patris cœlestis ἐπιείκεια certam œconomiam admittere potest vel respectu temporis dum differtur, vel pœnæ ipsius dum temperatur, vel personarum dum transfertur, neque fraus ulla propterea fieri censenda

est justitiæ, quia vult quidem omne peccatum plecti, sed non pariter omnem peccatorem.

VIII. Ad quintum peccat: 1. Falsa hypothesi quasi *liberum* et *naturale* pugnarent, cum tamen amice inter se conspirent; voluntas Dei est liberrima, et tamen est Deo naturalis, omnes proprietates quæ Deo insunt ad modum virtutum moralium liberæ sunt quia libere et spontanee sese exerunt, nec tamen sunt arbitrariæ, sed naturales et essentiales; 2. Supponit gratis liberum nihil aliud esse quam contingens et ἀδιάφορον, at jampridem a viris doctis demonstratum est libertati optime convenire cum necessitate, et unum idemque subjectum posse simul et semel liberrime agere et necessario ac immutabiliter, quod Dei, Christi, Angelorum, beatorum, et ipsorum etiam dæmonum exemplis luculenter comprobari potest. 3. Iterum distinguenda permiscentur ab adversariis, justitia scilicet cum effectis, effecta quidem justitiæ pendent a Dei voluntate libera, sed ipsa justitia in actu primo non est liberæ voluntatis effectum, cum sit ipsamet voluntas Dei liberrime quidem sed tamen necessario peccatum aversans. 4. Simile quod petitur a creatione plane est dissimile, nam hæc versatur circa rem plane indifferentem et quæ potuit esse et non esse, at justitiæ exercitium de quo quæritur occupatur circa rem necessariam, et quæ aliter fieri non potuit; nimirum distinguenda veniunt duo actionum divinarum genera, nam vel illæ versantur in *objecto* aliquo *constituendo*, vel circa *objectum* jam *constitutum* et aliqua vitii aut virtutis qualitate præditum; quæ actiones versantur in objecto constituendo, ita sunt liberæ ut ab iis Deus abstinere possit omnino, sic hominem creare decrevit, decretum hoc creatio necessario secuta est, at liberum ei fuit non decernere, ideo liberum etiam ei fuit abstinere ab ea actione quæ dicitur creatio: at quæ versantur circa objectum jam constitutum, ita sunt liberæ ut Deus non possit tamen a se impetrare ut contrarium admittat, quia sanctitati et justitiæ ipsius repugnaret; si creatura sancta est et imaginem Dei refert, non potest Deus quin ei bene velit esse, si peccatrix est, non potest quin eam velit punitam ob peccatum; Itaque libertas istarum actionum sita est non in eo quod possint esse vel non esse, sed in eo tantum quod quæ Deus facit in hoc negotio lubentissime et absque ulla coactione facit.

IX. 2. *Object.* Si Deus potest de jure suo remittere, potest etiam peccata condonare absque satisfactione, At verum prius, E. et poster. Assumptum probant: 1. quia unicuique licet cedere de jure suo, E. et Deo, et quidem magis, quia est supremus Dominus rerum omnium qui jus habet absolutum et ἀνυπεύθυνον in creaturam, juris autem proprii et Dominici hæc est natura ut illud pariter et persequi cuique liceat et non persequi si libuerit, et si id non liceret, id fieret procul dubio quia in ea juris relaxatione aliqua alicui fieret injuria; at nemini sive puniat sive non puniat facit injuriam, siquidem de jure suo tantum agitur; 2. quia hominibus licet aliorum offensas libere et sine satisfactione condonare, imo non tantum possunt ex humanitate, sed etiam debent ex officio; 3. Principes summi non tantum suas sed et publicas in Remp. injurias cum singulari clementiæ laude condonare possunt; E. et Deus Rex Regum et Dominus Dominantium, atque eo magis quod illi reipub. tutores sunt et boni publici administri potius quam domini, Deus autem supremus rerum omnium arbiter et Dominus propter unam sui gloriam omnia operatur. 4. unicuique debita licet sine solutione remittere, at peccata sunt debita et Deus creditor, Matth. vi. 12, et xviii. Sic argutatur Socin. de Serva. part. 1. c. i. Sic Crelli. de vera Relig. lib. i. c. 23, et alii.

X. Sed neque hæc ratiocinatio utut magno cum apparatu identidem ab

hæretico proponatur quicquam ejus causam juvare potest. 1. *Conseq.* vacillat: Nec enim si posset Deus de jure remittere, posset etiam peccata sine satisfactione condonare; aliud est *jus*, aliud *justitia* Dei, illud potestas est, hæc virtus, nec si de jure remittere liceret continuo liceret de justitia; potestas eo usque laxari potest quousque patitur justitiæ latitudo, ita ut scilicet nihil fiat injustum, injustum autem est 1. quod tertium lædit, 2. quod alteri non reddit suum, 3. quod ipsi æquo et bono opponitur; At si peccatum inultum maneat, lex Dei violatur, peccatis non redditur debita pœna, bonum publicum memorabile detrimentum patitur. Remittat ergo creditor de credito, dominus de proprietate, sed judex et magistratus de officio quod tum lex tum æquitas ipsa postulat, haudquaquam.

XI. 2. *Min.* absolute et simpliciter sumpta falsa est, nam si unicuique licet de jure suo cedere, Ergo magistratus subditos, parentes liberos, Deus ipse creaturas dispensare poterit a debita obedientia, Ergo nulla erit judiciorum criminalium in rep. de jure necessitas, furta, rapinæ, homicidia, &c. impunita dimitti poterunt, neque *Lex Julia* majestatis de adulteriis, aut *Cornelia* de sicariis, aut *Pompeia* de parricidiis aut aliæ publicorum judiciorum leges necessitatem ullam quam plane arbitrariam obtinebunt. E. ipse Deus poterit impœnitentes et contumaces absolvere. Quæ omnia cum sint falsissima et æquitati ipsi naturali repugnent, ipso fatente adversario, omnino sequitur limitandum esse hoc pronunciatum juxta diversas juris acceptiones. Nimirum dantur variæ juris species, Aliud est *jus privatum*, aliud *jus publicum*, de illo cedere quis potest, non de hoc, Aliud *jus quod ad voluptatem et utilitatem domini* tantum spectat, aliud quod *honestatem et officium* respicit, de illo poterit dominus remittere, at non de hoc; Nam ut is qui legis mandata, cum ejus sit exequi, non exequitur, legis et legislatoris authoritatem violat; ita pariter is qui promissiones et comminationes legis cum ad eum id spectat non mandat executioni culpa vacare non potest. Rursus aliud est *jus dominicum*, aliud *judiciale*, illud quadantenus remitti nihil vetat, quando ea est natura dominii ut eo possis uti vel non uti pro libitu, at hoc non item, quia non privata res tantum agitur, sed bonum totius communitatis; In hoc autem negotio, ut supra probatum est, Deus non est spectandus simpliciter ut dominus vel privatus, sed ut supremus judex et imperator qui boni publici rector est et administrator, qui legum a se latarum custodem se profitetur. Denique aliud est *jus naturale* quod ab ipsa natura fluit eaque nititur, aliud *jus liberum et positivum* quod a sola voluntate pendet, istud omnino remitti potest et relaxari, quia liberum est et mutabile, istud vero nequaquam quippe immutabile et æternum; At jus puniendi peccata ut superius demonstratum est non est tantum liberum et positivum quod pendet a decreto, sed naturale et necessarium quod fluit ab ipsa Justitia et sanctitate.

XII. Frustra vero arguit adversarius Deum juste id posse, quia sive illud faciat sive omittat nemini facit injuriam siquidem de suo tantum agitur: Nam 1. Majoris falsitas evidens est, multa quippe sunt quæ fieri repugnat justitiæ et sanctitati divinæ, quæ tamen si fierent cum nullius extra Deum injuria conjuncta essent; Ita Deus non potest seipsum abnegare, 2 Tim. ii. aut se exuere naturali dominio quod habet in creaturas, aut leges virtuti et honestati contrarias hominibus ponere, quod tamen si faceret nemini esset injurius. 2. Si valeret ratio hæretici, ex ea etiam colligere liceret posse Deum impœnitentes et contumaces peccatores impunitos dimittere, quod tamen non audet ipse pronunciare, imo diserte profitetur Deum non posse condonare istis pœnam, quid ita? non sane quod cuiquam extra se faciat injuriam, sed quia majestas legum violatur, et

est justitiæ, quia vult quidem omne peccatum plecti, sed non pariter omnem peccatorem.

VIII. Ad quintum peccat: 1. Falsa hypothesi quasi *liberum* et *naturale* pugnarent, cum tamen amice inter se conspirent; voluntas Dei est liberrima, et tamen est Deo naturalis, omnes proprietates quæ Deo insunt ad modum virtutum moralium liberæ sunt quia libere et spontanee sese exerunt, nec tamen sunt arbitrariæ, sed naturales et essentiales; 2. Supponit gratis liberum nihil aliud esse quam contingens et ἀδιάφορον, at jampridem a viris doctis demonstratum est libertati optime convenire cum necessitate, et unum idemque subjectum posse simul et semel liberrime agere et necessario ac immutabiliter, quod Dei, Christi, Angelorum, beatorum, et ipsorum etiam dæmonum exemplis luculenter comprobari potest. 3. Iterum distinguenda permiscentur ab adversariis, justitia scilicet cum effectis, effecta quidem justitiæ pendent a Dei voluntate libera, sed ipsa justitia in actu primo non est liberæ voluntatis effectum, cum sit ipsamet voluntas Dei liberrime quidem sed tamen necessario peccatum aversans. 4. Simile quod petitur a creatione plane est dissimile, nam hæc versatur circa rem plane indifferentem et quæ potuit esse et non esse, at justitiæ exercitium de quo quæritur occupatur circa rem necessariam, et quæ aliter fieri non potuit; nimirum distinguenda veniunt duo actionum divinarum genera, nam vel illæ versantur in *objecto* aliquo *constituendo*, vel circa *objectum* jam *constitutum* et aliqua vitii aut virtutis qualitate præditum; quæ actiones versantur in objecto constituendo, ita sunt liberæ ut ab iis Deus abstinere possit omnino, sic hominem creàre decrevit, decretum hoc creatio necessario secuta est, at liberum ei fuit non decernere, ideo liberum etiam ei fuit abstinere ab ea actione quæ dicitur creatio: at quæ versantur circa objectum jam constitutum, ita sunt liberæ ut Deus non possit tamen a se impetrare ut contrarium admittat, quia sanctitati et justitiæ ipsius repugnaret; si creatura sancta est et imaginem Dei refert, non potest Deus quin ei bene velit esse, si peccatrix est, non potest quin eam velit punitam ob peccatum; Itaque libertas istarum actionum sita est non in eo quod possint esse vel non esse, sed in eo tantum quod quæ Deus facit in hoc negotio lubentissime et absque ulla coactione facit.

IX. 2. *Object.* Si Deus potest de jure suo remittere, potest etiam peccata condonare absque satisfactione, At verum prius, E. et poster. Assumptum probant: 1. quia unicuique licet cedere de jure suo, E. et Deo, et quidem magis, quia est supremus Dominus rerum omnium qui jus habet absolutum et ἀνυπεύθυνον in creaturam, juris autem proprii et Dominici hæc est natura ut illud pariter et persequi cuique liceat et non persequi si libuerit, et si id non liceret, id fieret procul dubio quia in ea juris relaxatione aliqua alicui fieret injuria; at nemini sive puniat sive non puniat facit injuriam, siquidem de jure suo tantum agitur; 2. quia hominibus licet aliorum offensas libere et sine satisfactione condonare, imo non tantum possunt ex humanitate, sed etiam debent ex officio; 3. Principes summi non tantum suas sed et publicas in Remp. injurias cum singulari clementiæ laude condonare possunt; E. et Deus Rex Regum et Dominus Dominantium, atque eo magis quod illi reipub. tutores sunt et boni publici administri potius quam domini, Deus autem supremus rerum omnium arbiter et Dominus propter unam sui gloriam omnia operatur. 4. unicuique debita licet sine solutione remittere, at peccata sunt debita et Deus creditor, Matth. vi. 12, et xviii. Sic argutatur Socin. de Serva. part. 1. c. i. Sic Crelli. de vera Relig. lib. i. c. 23, et alii.

X. Sed neque hæc ratiocinatio utut magno cum apparatu identidem ab

hæretico proponatur quicquam ejus causam juvare potest. 1. *Conseq.* vacillat: Nec enim si posset Deus de jure remittere, posset etiam peccata sine satisfactione condonare; aliud est *jus*, aliud *justitia* Dei, illud potestas est, hæc virtus, nec si de jure remittere liceret continuo liceret de justitia; potestas eo usque laxari potest quousque patitur justitiæ latitudo, ita ut scilicet nihil fiat injustum, injustum autem est 1. quod tertium lædit, 2. quod alteri non reddit suum, 3. quod ipsi æquo et bono opponitur; At si peccatum inultum maneat, lex Dei violatur, peccatis non redditur debita pœna, bonum publicum memorabile detrimentum patitur. Remittat ergo creditor de credito, dominus de proprietate, sed judex et magistratus de officio quod tum lex tum æquitas ipsa postulat, haudquaquam.

XI. 2. *Min.* absolute et simpliciter sumpta falsa est, nam si unicuique licet de jure suo cedere, Ergo magistratus subditos, parentes liberos, Deus ipse creaturas dispensare poterit a debita obedientia, Ergo nulla erit judiciorum criminalium in rep. de jure necessitas, furta, rapinæ, homicidia, &c. impunita dimitti poterunt, neque *Lex Julia* majestatis de adulteriis, aut *Cornelia* de sicariis, aut *Pompeia* de parricidiis aut aliæ publicorum judiciorum leges necessitatem ullam quam plane arbitrariam obtinebunt. E. ipse Deus poterit impœnitentes et contumaces absolvere. Quæ omnia cum sint falsissima et æquitati ipsi naturali repugnent, ipso fatente adversario, omnino sequitur limitandum esse hoc pronunciatum juxta diversas juris acceptiones. Nimirum dantur variæ juris species, Aliud est *jus privatum*, aliud *jus publicum*, de illo cedere quis potest, non de hoc, Aliud *jus quod ad voluptatem et utilitatem domini* tantum spectat, aliud quod *honestatem et officium* respicit, de illo poterit dominus remittere, at non de hoc; Nam ut is qui legis mandata, cum ejus sit exequi, non exequitur, legis et legislatoris authoritatem violat; ita pariter is qui promissiones et comminationes legis cum ad eum id spectat non mandat executioni culpa vacare non potest. Rursus aliud est *jus dominicum*, aliud *judiciale*, illud quadantenus remitti nihil vetat, quando ea est natura dominii ut eo possis uti vel non uti pro libitu, at hoc non item, quia non privata res tantum agitur, sed bonum totius communitatis; In hoc autem negotio, ut supra probatum est, Deus non est spectandus simpliciter ut dominus vel privatus, sed ut supremus judex et imperator qui boni publici rector est et administrator, qui legum a se latarum custodem se profitetur. Denique aliud est *jus naturale* quod ab ipsa natura fluit eaque nititur, aliud *jus liberum et positivum* quod a sola voluntate pendet, istud omnino remitti potest et relaxari, quia liberum est et mutabile, istud vero nequaquam quippe immutabile et æternum; At jus puniendi peccata ut superius demonstratum est non est tantum liberum et positivum quod pendet a decreto, sed naturale et necessarium quod fluit ab ipsa Justitia et sanctitate.

XII. Frustra vero arguit adversarius Deum juste id posse, quia sive illud faciat sive omittat nemini facit injuriam siquidem de suo tantum agitur: Nam 1. Majoris falsitas evidens est, multa quippe sunt quæ fieri repugnat justitiæ et sanctitati divinæ, quæ tamen si fierent cum nullius extra Deum injuria conjuncta essent; Ita Deus non potest seipsum abnegare, 2 Tim. ii. aut se exuere naturali dominio quod habet in creaturas, aut leges virtuti et honestati contrarias hominibus ponere, quod tamen si faceret nemini esset injurius. 2. Si valeret ratio hæretici, ex ea etiam colligere liceret posse Deum impœnitentes et contumaces peccatores impunitos dimittere, quod tamen non audet ipse pronunciare, imo diserte profitetur Deum non posse condonare istis pœnam, quid ita? non sane quod cuiquam extra se faciat injuriam, sed quia majestas legum violatur, et

justitia læditur, ut ipse loquitur; quam ergo responsionem suggerit, ea ipse utatur, nimirum etsi nemini faceret injuriam extra se, faceret legibus a se latis, faceret justitiæ suæ quam impune offendi neutiquam decet, faceret bono publico cujus tutor est et administrator Deus. Dices sic Deum statui ὑπεύθυνον et ὑπὸ νόμον quasi sub aliena potestate constitutus sit qui ex formula judicare debeat: Resp. Neg. sed licet nullum agnoscat superiorem ad quem sit provocatio, tamen cum ipse sibi sit Lex, ut per naturalem suam justitiam non potest non leges ponere creaturæ intelligenti juxta quas vitam et mores pie et honeste instituat, sic per eandem non potest in suis judiciis a legibus semel latis abire, vel quod insidet justitiæ tribunal seipsum abnegando deserere.

XIII. Ad secundum, Disting. *homines*, Alii sunt *privati*, alii in *publica authoritate constituti*, privati non tantum possunt, sed et debent injurias sibi illatas condonare; non sic judicis et magistratus qui ex officio tenentur se vindices et custodes legum profiteri. Quamvis ergo *personæ privatæ* liceat hic de jure suo cedere quod plerumque est *charitatis;* At *personæ publicæ* renunciare juri suo quod est *regiminis*, præsertim si renunciatio ista ullo modo cedat in damnum boni publici, non licet. 2. Non valet conseq. ab hominibus ad Deum, homines enim conservi sunt fratrum suorum, Deus autem dominus et judex; jus autem puniendi uti diximus non est partis offensæ qua talis, sed supremæ ὑπεροχῆς et authoritatis, unde recte Lactant., "Surgimus ad vindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur: Hæc est ira justa quæ sicut in homine necessaria est, sic utique in Deo a quo ad hominem pervenit exemplum." Læso quidem et offenso debetur damni illati vel in bonis vel in fama restitutio, sed non pœna offendentis quam solus exigere potest magistratus; Ideo remissio hæc proprie respicit noxam non culpam, et privatus cum condonat, nihil proprie facit quam deponere sensum ac memoriam injuriæ acceptæ, ut vel odisse desinat, vel ulcisci amplius nolit, sed tamen non potest impunitatem præstare vel a parte Dei vel a parte magistratus cujus est in scelera animadvertere, offensas ergo remittit ille, sed salvo *jure tertii*, hoc est superiorum et Dei.

XIV. Ad tertium Resp. 1. Κατὰ τὸ βίαιον, Ut principes utut clementissimi non possunt tamen nec debent scelera plurima impunita dimittere, v. g. crimina læsæ majestatis, &c. ita nec Deus. 2. Si principes gratiam facere possunt quorundam delictorum, eorum est tantum quæ condonari possunt absque injuria boni publici, ita ut authoritas legum maneat illibata, sed justitia non patitur ut extendatur ultra legum positivarum violationem, vel eos casus aut analogos quibus urbes refugii sub V. T. concessæ olim Israelitis fuerant, nam ex officii conscientia tenentur ulcisci crimina quæ impingunt in leges naturales et divinas. 3. Dispar est Dei et principum ratio, quippe hi tenentur interdum clementiam exercere, ne dum supra modum justi videri volunt, crudeles censeantur, addatque *sævitia* ut Sallust. in Jugurth. monet, plus *timoris quam potentiæ;* at ipsi clementiam non possunt exercere quin aliquid remittant de justitia; sed aliter se res habet apud Deum qui sic misericordiam exercere potest ut a justitia tamen non discedat. 4. Principes quandoque plus sibi tribuunt de facto quam de jure licet, nam si consulimus Dei verbum constituti sunt ut exerceant judicium et justitiam, "gladius ipsis a Deo commissus ut sint vindices ad iram eorum qui male fecerunt," Rom. xiii. 4. Itaque legum custodes sunt et vindices, non ut de iis disponant et dispensent pro libitu sed ut eas observari curent, juxta illud Theodosii, lib. iv. Codi. De Legib. et Constit., "Digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se principem profi-

teri, adeo de authoritate juris nostra pendet authoritas. Si secus fecerint, minus recte partibus sibi demandatis defunguntur, nec factum juri adversum potest aut debet in exemplum trahi. 5. Fatemur in eo differre quam maxime principes a Deo, quod illi sint tutores potius et administri boni publici quam domini, sed non potest tamen ex eo inferri quod pertendit hæreticus, Deum multo magis ipsis principibus de jure suo hac in parte remittere posse, imo contra ex eo colligitur quam parum juste id sibi arrogare possint principes quod hic illis tribuitur; nam ad Deum quod spectat cum bonum publicum inseparabiliter sit connexum cum ejus gloria, nihil potest illi deberi ex justitia, quod ista pariter non exigat necessario, unde non modo legum latarum auctoritas, sed et justitiæ ac sanctitatis gloria pœnam hanc omnino deposcunt.

XV. Ad quartum, Non negamus *peccata* in Scripturis vocari *debita* et nonnihil similitudinis inter hæc duo occurrere, quia ut Deus jus habet in nos per sanctionem pœnalem, ita obligamur ex lege Dei ad pœnam, sed non sequitur per omnia quadrare hanc similitudinem, imo tritum est apud philosophos, *Omne simile dissimile esse:* Conveniunt quidem in eo: 1. Quod sicut creditor jus habet in re, ita rector in pœna, 2. In donatione jus creditoris, et in impunitatis concessione jus rectoris ad puniendum tollitur, 3. Et donatio debiti et impunitatis concessio nascitur ex eodem benignitatis fonte et alteri prodest. Sed dissimilitudo est longe maxima, quod jus donantis et condonantis non sit æque liberum, quis enim sanæ mentis existimet non majorem in ordine ad æquum et rectum necessitatem esse exequendarum legum et juris quod circa crimina occupatur, quam juris et legum de debitis pecuniariis quæ circa hujus vitæ facultates et opes versantur? cum justitia scilicet nequaquam pugnat de jure crediti sub hac ratione cedere, suum donare, creditum remittere nunquam fuit inhonestum: at pœnam remittere sine satisfactione interdum non fuit honestum ne Deo quidem, ut agnoscit adversarius respectu contumacium et impœnitentium; ratio discriminis est quod jus dominii et crediti est tantum domini causa, et comparatum illius gratia, qui illud habet; at jus puniendi est totius universitatis et boni publici gratia; juris dominici et crediti, proximum fundamentum est *Relatio quædam rei ad personam*, pœnæ autem *Relatio rei ad rem*, illa potest tolli pro arbitrio personæ quæ jus habet in rem illam, at hæc nequaquam, quia refertur ad rem ipsam. 2. Si ex eo quod peccatum debitum dicitur, posse illud remitti sine satisfactione colligitur, Ergo et ex eo quod *mors* dicitur ejus *stipendium* et *fœtus* necessitas satisfactionis elicietur; nam dux ex officio et justitiæ præscripto tenetur stipendium militibus suis persolvere, et fœtus gravidæ necessario in lucem editur, "peccatum consummatum gignit mortem," Jac. i. 15. 3. Si ratio illa valet, sequeretur et *obedientiam* quæ pariter vocatur *debitum*, Rom. viii. 12, non fore juris necessarii et immutabilis, nec justitiam divinam exigere ut Lex ulla præscribatur hominibus, vel ut homines Creatori suo subsint, quod falsissimum est. 4. Denique si per omnia quadrare debet similitudo, facile evincetur Deum etiam sine ullo vel fidei vel pœnitentiæ respectu peccatum condonare posse, quod tamen constanter negat adversarius, quemadmodum penes creditorem est totum debitum debitori suo absque ulla conditione remittere.

XVI. Sic pro possibilitate remissionis sine satisfactione disputabat hæreticus. Quia tamen non desunt etiam e nostris qui licet necessitatem hypotheticam satisfactionis mordicus tueantur, necessitatem absolutam pariter cum ipso impugnant, Deumque posse omnino si libuerit peccata absque ulla satisfactione remittere contendunt, atque inter alios doctis-

simus Twissus in Vindici. suis Gratiæ, &c., non abs re futurum est si paucis præcipuas ejus rationes ad examen revocemus. 1°. Si Deus, inquit, non potest remittere peccata sine satisfactione, id inde fit, vel quia non potest per potentiam, vel per justitiam; At neutrum dici potest; Non per potentiam, quia si non posset, tum peccatum condonari sive non puniri erit simpliciter impossibile, et propositio hæc *Peccatum non punitur* constabit ex terminis contradictoriis: Non etiam per justitiam, quia si Deus posset aliquid per potentiam, et non posset per justitiam, sequeretur Deum aliquid posse quod sit injustum, quod implicat. Resp., Perperam hic separantur conjungenda, *potentia* nimirum et *justitia*, hoc enim quæritur, An *Deus possit per justitiam*, seu an non justitia lædatur eo ipso quo peccatum inultum dimittitur: frustra ergo disputat de potentia seorsim a justitia sumpta, quia Deus etsi omnia possit, nihil tamen potest quod sit injustum. Quod Deus non potest respectu unius attributi, respectu nullius id potest, v. g. si Deus non potest aliquid respectu veritatis, id sub nullo respectu potest. In actibus voluntatis divinæ pure liberis alia res est, in sensu enim diviso aliquid potest facere, v. g. plures mundos creare, quod in sensu composito, et supposito decreto non potest. At quæ attributo alicui conveniunt varios non admittunt respectus, sed sunt in suo genere necessaria; unde quia non potest fieri per justitiam ut Deus peccatum non puniat, sequitur Deum hoc nec posse nec velle. 2. Etsi contradictio non videatur formaliter in terminis istius propositionis *Peccatum non punitur*, occurrit tamen virtualiter in reipsa. Nam si potest Deus peccatum non velle punire, potest non odisse, nam odisse nihil aliud est quam velle punire, si potest peccatum non odisse, potest amare, si potest amare, potest velle non esse sanctus et justus, et sic potest seipsum abnegare et velle non esse Deus, quod implicat. Deinde implicat Deum esse hominum Dominum jure naturali et indispensabili, homines autem ei non esse subjectos, nec quoad obedientiam nec quoad pœnam, quod directe fieret si peccatum evaderet impune. 3. Contradictio non spectanda est simpliciter in ordine ad potentiam, sed ad Justitiam, quam proprie pœna spectat, unde non quæritur simpliciter An Deus possit, sed An possit juste peccatum condonare sine satisfactione, quod fieri non posse supra evicimus.

XVII. 2°. Sic arguit, Potest Deus mitiorem pœnam inferre peccatori quam peccatum meretur, Ergo potest pro absoluta sua potentia pœnam universam suspendere: nam ponantur, inquit, tres gradus pœnæ promeritæ, huic si possit Deus subtrahere unum gradum, cur non et alterum, et si duos possit, cur non et tertium reliquum? Deinde potest remunerari ultra condignum, E. potest punire citra condignum, et si hoc, aliquem gradum peccati dimittet impunitum. Resp. ad primum, Negant hic quidam *Conseq. Majoris*, nam etsi aliquomodo mitigare posset pœnas peccati, non sequetur tamen posse eas omnino tollere vel auferre; Nimirum ut observat Author supplem. in Scot. in iv. sentent. Dist. 46, q. 4, "Justitia latitudinem quandam graduum suorum habet extra quam si Deus puniret justitia non uteretur," ideo licet posset dimittere gradum unum pœnæ, non sequitur tamen ergo quemlibet, et omnem omnino pœnam, quia tunc exiret latitudinem illam ad justitiam requisitam et sic omitteretur justitiæ exercitium quod aliter exponi non potest quam per ejus abnegationem. Neque obstat quod gradus iste a nobis definiri non potest, ut V. D. postulare videtur, quid enim si id nobis homuncionibus concessum non est, an de Deo propterea negabitur? hæc arcana Deo relinquenda sunt qui sibi solus sapienter limites finire novit et eatenus remittere jus illud summum et *ἀκριβέστατον* quatenus justitiæ et sanctitatis

natura ferre potest; sic ut illud exemplo etsi in alia re non tamen plane absimili comprobemus; Mundus stare non potest sine calore illo quo omnia continentur, non puto tamen caloris qui omnia permeat quantitatem ita esse definitam necessario a natura, ut ne minima quidem ejus particula detrahi atque aboleri Dei potentia queat quin universi mundi moles et compages intereat: qui ergo particulam aliquam caloris ejus sine mundi interitu subtrahere potest, nonne poterit alteram et item alteram, et sic deinceps poteritne tandem universus ille ignis per particulas subduci sine extremo rerum omnium interitu? minime id quidem; Itaque in subductione illa quæ latitudinem suam habet punctum aliquod est ultra quod procedi non potest sine mundi interitu, quod tamen nemo definire queat. 2°. Ad *Minor*. Neg. Deum ita pœnam mitigare posse ut partem pœnæ essentialiter peccato debitæ penitus subtrahat; Nam cum vel levissimum peccatum non possit non odisse, non potest etiam non punire; quod si aliquatenus pœnas temporales impiorum mitigare videtur nonnunquam in hoc mundo vel differre, quo facilius hæc Dei benignitas eos adducat ad pœnitentiam vel ἀναπολογήτους reddat, non sequitur tamen propterea eum auferre pœnam debitam; nam quod differtur non aufertur tamen, imo tarditatem supplicii gravitate postea compensat; neque quicquam hac in parte fit quod laudem justitiæ divinæ deterat, punit enim *necessario*, at *non necessario omni tempore et loco*, imo multiplicem in pœnæ distributione admittere potest œconomiam, ut antea dictum est. Aliud est ergo loqui de *pœna* in genere *et absolute in se*, aliud de ea *relate considerata* respectu *modorum*, *graduum* et aliarum circumstantiarum quas Deus ob majorem gloriæ suæ manifestationem illi assignavit, libertate enim circa modos et gradus concessa qui ex libera Dei ordinatione fluunt, non sequitur pœnam ipsam qua pœnæ ratio in ea servatur et a justitia Dei naturali fluit, penitus tolli posse. Ad 2um de *remuneratione ultra condignum* Neg. Conseq. Nam longum latumque discrimen intercedit inter bona et mala opera, remunerationem et pœnam, quippe cum Deus remuneratur, facit id plane gratuito, cum bona opera nostra sint debita nihilque mereantur: at cum punit facit id non ex mera libertate, sed ex intrinseco culpæ demerito et justitiæ inexorabilis ratione, Itaque non, si potest remunerari ultra condignum, poterit etiam citra condignum punire.

XVIII. 3°. Objicit V. D., Si Deus potest cruciatum quantumcunque etiam infernalem alicui inferre citra ullum demeritum, Ergo potest etiam non obstante quantocunque demerito quantamcunque pœnam suspendere, Consequentia ex eo patet quod Deus multo pronior sit ad benefaciendum quam ad puniendum. Resp. Hic vero varia sunt quæ observatione digna videntur: Primo vel per τὸ *suspendere* intelligit tantummodo ad aliquod tempus differre ob idoneas aliquas causas, cæterum exacto illo tempore pœnam irrogare, quæ si ejus mens est nihil facit adversus nos, Id enim ultro sæpe concessimus, negavimus tantum inde sequi Deum posse peccata hominum dimittere citra ullam omnino punitionem; si vero *suspendere* illi est omnino prætermittere impunitum; primo Conseq. vacillat, quia aliud est loqui de *cruciatu*, aliud *de pœna*, Etsi posset inferre cruciatum, non posset tamen pœnam, quia pœna omnis si justa est peccatum infert, dicit enim damnosum aliquid ei qui Legem transgressus est: ut ergo non potest pœnam inferre alicui per justitiam citra antecedens aliquod demeritum, ita nec auferre pœnam poterit per eandem justitiam sine prævia satisfactione. Deinde antecedens etiam ambiguum, nam vel id potest Deus per jus illud absolutum et summam ὑπερ-

ὑχὴν quam obtinet in creaturam, vel per jus ordinatum et virtutibus temperatum; si prius intelligat frustra est, nam uti in statu controversiæ declaravimus quæstio nostra non instituitur de jure illo summo et absoluto quod immensum quidem et infinitum agnoscimus, sed quale quantumque sit ignoramus, neque eo audaciæ prorumpimus ut definire velimus; si vero de posteriori loquitur; omnino negamus Deum juxta jus illud creaturæ innocenti cruciatum infernalem inferre posse, quia hoc repugnaret manifeste bonitati et justitiæ quam in verbo patefecit, quæ bonis bene, malis vult esse male. Et ut peccatorem nequaquam velle punire implicat abnegationem justitiæ: ita immerentem quantocunque cruciatu vexare abnegationem aliquam inferret clementiæ et misericordiæ quod utrumque æque indignum et impossibile. Interim distinguenda etiam est cruciatus immissio, nam vel sempiterna potest esse vel temporaria tantum per œconomiam aliquam et exiguum spatium; De priori negamus Deum illam usurpare posse, de posteriori si concederemus, nullum tamen propterea causæ nostræ fieret præjudicium, neque enim si Deus aliqua gravissima de causa hominem pium et sanctum cruciatu aliquo ad exiguum tempus exercere voluerit ad probandam fidem et constantiam ejus, ut visum est in Jobo et sanctis martyribus, continuo sequeter posse etiam impunitum peccatum omnino dimittere, nam testibus jurisconsultis quæ breve ad aliquod tempus fiunt per dispensationem aliquam ne fieri quidem videntur, ex. g. poterit summus magistratus egregium civem ad exiguum tempus durissimis laboribus exercere idonea de causa, non sequetur tamen inde eundem sapientem et justum magistratum nefariorum prædonum scelera perditorumque civium perduelliones præterire omnino impunitas.

XIX. 4°. Objic., Si Deus non potest peccatum impunitum dimittere, tum necesse est ut puniat *necessitate absoluta.* Quod dici cum ratione non potest, quandoquidem non semper punit, neque quantum potest punit. Resp. 1. *Necessitas absoluta* vel est bruta et mere *naturalis* ut in agentibus naturalibus, vel *rationalis* ut in liberis; quæ priori modo operantur, et semper et quantum possunt agunt ut ignis cum urit, sed quæ posteriori, non item: jam Deus punit peccata *necessitate absoluta* non bruta et ἀλόγῳ sed *rationali* et ethica, ut supra dictum. Nam etsi justitia naturaliter Deo insit, exercitium tamen ejus pendet a voluntate, ex qua omnia operatur, Eph. i. 11, et a qua pendet et quando et quantum vel nunc vel tunc puniat; Punit ergo quando et quantum, non potest, sed vult, ut tamen punitio semper fundetur in justitia, et justitia nitatur natura Dei. 2. *Absolutum* dicitur bifariam, vel quod est absolutum a consilio et decreto voluntatis, sic negamus Deum absolute peccata punire, quia nunquam hoc præstat nisi intercedente ejus consilio, Vel quod non a mero Dei arbitrio pendet, sed in natura et naturali proprietate fundatur, sic verum est Deum absolute punire.

XX. Atque hæc fuit *prima* argumentorum *Classis* quibus *potuisse* Deum remittere peccata absque satisfactione probare contendunt. Succedit *altera*, in qua Deum id ipsum *voluisse* contendit hæreticus, 1. quia sub V. T. nihil aliud Deus ab hominibus peccatoribus ad veniam consequendam exigebat quam fidem et pœnitentiam, Deut. xxx. 1, 2, 3, Jer. iii. 13, 14, et xviii. 7, 8, Ezech. xxxiii. 14, et adeo verum est, inquit, Deum pœnitentibus peccata non imputare, ut etsi sententiam jam tulerit contra delinquentes et eos perdere constituerit, si tamen illi suorum seclerum pœnitentiam agant, ipsum quoque jam latæ sententiæ pœniteat, ita ut eam revocet et rescindat et eos iterum in gratiam recipiat, quod tam ex loco Jerem. modo laudato, tum exemplo Achabi patet, 1 Reg. xxi. ver. 21, 29.

2. fideles ipsi veniam consecuti dicuntur per fidem solam sine ulla satisfactionis mentione, ut de Abele refertur quod per fidem Deo placuerit, Heb. xi. 4, qualis autem sit illa fides describitur, ver. 6, dum ait "accedentem ad Deum debere credere Deum esse et esse remuneratorem requirentibus ipsum." 3. formula fœderis novi est plane gratuita quæ meminit quidem remissionis peccatorum et legis inscriptionis, sed nequaquam satisfactionis, Jer. xxxi. 34. Imo ne potest quidem, nam remissio et satisfactio sibi invicem opponuntur, nec gratis remittere dici potest is qui exigit satisfactionem. 4. addit parabolam quæ extat Matth. xviii. eandem gratuitam Dei remissionem confirmare. Rex enim nullam satisfactionem exigit a servo suo, sed totum debitum illi plane remittit, deinde ibidem dicitur Deus nobis remittere quo modo aliis remittimus, at remittere debemus sine satisfactione. 5. urget verbum χαρίζεσθαι quo utitur Paulus, Col. ii. 13, Eph. iv. 32, dum de remissione peccatorum loquitur, quod omnimodam videtur liberalitatem et beneficentiam designare, multum autem detraheretur summæ illi munificentiæ siquidem plenam debiti solutionem a vade postularet. Socin. de Servat. l. iii. cap. 2, et Prælect. cap. 17.

XXI. Hic revera præcipuus est cardo quæstionis quo semel posito facile lis tota poterit dirimi; Nam etsi daretur Deum posse sine satisfactione peccata condonare, id tamen frustra foret si aliunde constaret eum id haudquaquam velle. Videndum ergo imprimis quænam sit super hac re Dei voluntas, quodve consilium nobis in verbo patefecerit. Adversarius quidem mordicus tuetur Deum voluisse absque ulla satisfactione peccata remittere, et rationes varias tum ex V. tum ex N. T. ad hoc ipsum probandum corradit, sed præterquam quod in superioribus jam fuse satis contrarium evicimus, facile ex argumentorum solutione sententiæ istius falsitas patebit; Nam ad primum quidem quod attinet distingue quod ab *homine ipso* requirit Deus, ab eo quod exigit *ab ipso Vade* qui vicem ejus subit: sane ab hominibus ipsis peccatoribus nihil nisi fidem et pœnitentiam exegisse Deum ultro fatemur, quia nihil ab iis proficisci potuit quod justitiæ divinæ examen sustinere atque ipsius iram placare posset, sed hoc non obstabat tamen quominus ex parte sponsoris alicujus satisfactionem postularet, siquidem nec veritas nec sanctitas ejus pati poterant inultum abire peccatum; Imo cum fides necessario satisfactionem præviam supponat quam ut proprium et speciale objectum apprehendat et per intimam ἰδιοποίησιν sibi applicet, si fides requiritur, eo ipso etiam satisfactionis necessitas demonstratur. 2 . Pecca. *fals: hypo.* quasi fides et pœnitentia sint *causæ antecedentes et meritoriæ* propter quas remissio nobis a Deo concedatur, cum sint tantum *media consequentia* quibus remissionem factam nobis applicamus et de ea certiores reddimur, vel saltem *conditiones* quæ in justificato requiruntur ut beneficio isto fruatur; remittuntur ergo peccata credentibus et pœnitentibus, sed non propter fidem aut pœnitentiam, sed propter obedientiam et mortem Christi, "habemus redemptionem in sanguine ejus, hoc est remissionem peccatorum," Eph. i. 7 ; et ratio id persuadet. Nam certum est neque fidem neque pœnitentiam et vitæ novitatem in nobis dari nisi quam Spiritus Sanctus nobis ipsis vi sua efficacissima et vorticordia indiderit, at Spiritum nemini conferre potest Deus nisi jam pacatus et propitius nobis factus; pacatus autem et propitius dici nequit nisi quia peccatorum a nobis adversus majestatem suam admissorum gratiam summa sua clementia facere non dedignatur: cum ergo fides et pœnitentia sint effecta quæ oriuntur et pendent ab ista reconciliatione, ejusdem causæ antecedentes esse nequeunt nisi velimus aliquid seipso esse prius et posterius. Quid quod cum peccatorum remissio sit

actus jurisdictionis ut antea dictum, et actus hujusmodi qui aliquam legis executionem postulat, non potest ea soli fidei vel pœnitentiæ tribui, requiritur enim hic aliquid ad cujus præsentiam et meritum cesset resipiscentis respectu sanctio pœnalis legi addita, quæ suam adhuc vim obtinet circa impœnitentes; hoc vero neutiquam præstare potest vel fides vel pœnitentia; Non fides, tum quia ex se nihil habet, sed omnia mutuatur a Christo quem respicit; tum quia si propter ipsam justificaremur tanquam opus, jam justificatio non esset ex gratia, Rom. xi. 6, et relaberemur ad vetus fœdus legis a quo per Christum liberati sumus: Non etiam pœnitentia et conversio, nam præterquam quod nunquam eum perfectionis gradum potest assequi qui legi respondere queat, accedit etiam quod cum præsens et futurum proprie et principaliter respiciat quorum ratione a nobis jam debetur, non possit pro peccatis præteritis satisfacere. Itaque nihil aliud esse potest quam intercedens pro nobis sponsoris Christi satisfactio, cujus respectu credens et resipiscens censetur defunctus pœna quæ Lege sanciebatur.

XXII. 3. Distinguendæ sunt *pœnæ temporales* ab *æternis:* si de temporalibus loquitur adversarius cum ait Deum pœnitentibus veniam concedere quo sensu veniunt potissimum intelligenda pleraque quæ ab ipso afferuntur, ut Jer. iii. et xviii. et Ezech. xxxiii., &c., nihil hinc colligere poterit quod faveat causæ suæ, siquidem miram sapientissimus Judex in pœna irroganda adhibet œconomiam, nec si differt vel aufert pœnam istam temporalem respectu reproborum, propterea quoad illos tollit et abrogat vim sanctionis legalis; Adde quod illud non semper intelligendum est de *pœnis totis*, sed *de tantis*, non quod plane auferantur, sed quod mitigentur vel differantur. Atque huc pertinet exemplum Achabi, cujus humiliationi licet fictæ et hypocriticæ (ut scilicet hoc pacto testaretur Deus quam grata et accepta ipsi esset futura vera et sincera fidelium) hoc dare voluit ut ipsi dum in vivis esset parceretur, nec malum antea denuntiatum infligeretur, sed non propterea ablata est pœna, quando et eam luere debuit in posteris, et in inferis procul dubio etiamnum hodie luit: Cæterum quod de sententiæ revocatione addit ibidem hæreticus caute intelligendum, non quod decretum semel factum unquam rescindat et mutet (quæ tamen ejus mens impia esse videtur) nam ut immutabilis est quoad essentiam, ita et quoad voluntatem, Isa. xlvi. 10, sed quod minas quæ per certam œconomiam, vel tacitam vel expressam habebant conditionem, posita ipsa conditione suspendat, *sententiam* ergo mutare dicatur, at non *consilium*, ut recte Grego. quia eam ipsam mutationem jam ita apud se decreverat. Jam si pœnam æternam intelligit, nullo argumento probabit remissionem factam fuisse citra respectum ad Christum; imo contendimus cum Apost. nullam dari "peccatorum remissionem sine sanguinis effusione," Heb. ix. 22, et mortem testatoris intercedere debuisse ad expiationem peccatorum quæ admissa fuerant in V. T. ut ibid. loquitur. Nec obstat quod nulla videatur mentio fieri satisfactionis, nam licet expresse et totidem verbis non extet nomen hoc, implicite tamen et κατ' ἰσοδυναμίαν crebro satis occurrit, et si nihil aliud extaret, Sacrificia et victimæ legales quæ victimam hanc divinam et cœlestem non obscure adumbrabant: Ipsa oracula prophetica quæ non alibi complementum suum sortiuntur: Promissiones gratuitæ in quibus omnibus Christus includitur, utpote in quo sunt Etiam et Amen, 2 Cor. i. 20, luculentum isti veritati præberent testimonium.

XXIII. Quod addit secundo loco fideles dici veniam consecutos per fidem; tantum abest ut sententiam nostram infirmet, ut eam confir-

met magis; Nam si per fidem salvati sunt, eo ipso et propter Christum ejusque satisfactionem, hæc enim indivulso nexu inter se conjuncta sunt, nec fides ulla dari potest vera nisi quæ Christum crucifixum intuetur, 1 Cor. ii. 2, Rom. iv. 25, unde *cognitione sui justificaturus* dicitur electos Dei, Isa. liii. 11. Et sane constans est Scripturæ sententia eundem nobis omnibus tam sub Vet. quam sub Novo Testamento Mediatorem fuisse datum nempe Christum, eandem salutis causam ejus sanguinem, idem receptionis organon fidem, eandem regni cœlestis viam conformitatem cum ipso, eundem felicitatis portum et terminum, Cœli ipsius hæreditatem quam nobis paravit: neque Isa., "conjectus in eum fuisse iniquitates omnium nostrum et castigationem pacis nostræ positam super ipsum," dicere posset, cap. liii. 6, 8, nec Paulus, "unica oblatione consecrasse in perpetuum eos qui sanctificantur," ad Heb. x. 14, "et mortem ipsius necessariam fuisse ad redemptionem iniquitatum sub V. T.," cap. ix. 15, nec Joh., "eum esse propitiationem non modo pro peccatis nostris sed et totius mundi," 1ª c. ii. v. 2, nisi meritum et satisfactio ipsius æqua ad utrosque pertineret, fidesque veterum Patrum non minus quam Christianorum ea niteretur; Quod et ex innumeris aliis locis si id nunc ageremus probari facile posset; Nam si prisci fideles salvati sunt, quod Dei veritas credere omnino nos jubet contra Servetianorum et Socinianorum deliria, utique per Christum debuerunt salvari quia in nullo alio est salus, Act. iv. 12. Si venerunt ad Patrem, utique per Christum, "nemo enim venit ad Patrem nisi per ipsum," Joh. xiv. ver. 6. Si peccata eorum sublata sunt et remissa, utique per et propter Christum in quem devolutæ sunt omnium iniquitates, qui est "agnus Dei tollens peccata mundi," Joh. i. 29. Uno verbo fides salvifica pendet a fœdere gratiæ et in illud resolvitur, vel ut est in V. promissum vel ut in N. Testamento revelatum, at fœdus illud totum quantumquantum est Christo nititur ejusque morte et sanguine sancitum est, prout vetus pactum sanguine pecudum et hircorum confirmatum fuit, Heb. ix., unde si per fidem salutem consecuti dicuntur patres, omnino et per Christum. Accedit etiam quod Apost. ibid. c. xi. non obscure qualis fuerit illa veterum fides discribat, cum ait per eam justitiæ eos hæredes factos fuisse, ver. 7, probrum Christi thesauris Ægyptiacis anteposuisse, ver. 26, promissiones ipsas vidisse et amplexatos fuisse, non sane rerum terrenarum et temporalium simpliciter, sed divinarum imprimis et cœlestium, quandoquidem cœlestem hæreditatem dicuntur expectasse, ver. 10. Deusque non erubuit *vocari eorum Deus*, quæ formula est fœderis gratuiti in Christo initi quæ pretiosissima quæque complectitur beneficia, ver. 13, 16. Nec si "promissionem dicuntur non obtinuisse," ver. 39, continuo denegari potest illis salutaris Christi notitiæ fructus, quippe hoc ad *exhibitionem Christi* in carne quam temporibus Novi Testamenti reservabat Deus κρεῖττόν τι περὶ ἡμῶν προβλεψάμενος pertinet, non ad *cognitionem* ipsam ejusque vim salvificam quam omnino usurparunt, eaque seipsos in mediis ærumnis sunt solati: fateor cognitionem illam longe obscuriorem fuisse præ illa qua fruimur nunc sub evangelio, cum enim fides sequatur revelationis mensuram, revelatione minus clara adhuc existente, et variis typorum et ceremoniarum involucris (quæ fuit illorum temporum ratio) implicita, non potuit fides nisi subobscura adhuc esse et minus evidens, sed talis erat tamen tantaque hæc notitia, quæ sufficeret patribus ipsis ad salutem indipiscendam, quia rem ipsam luculenter satis patefaciebat, etsi modum et particulares circumstantias nondum expresse, ut factum postea in eventu, declararet.

XXIV. Quod addit de *Abele* ejusque fide non magis urget, imo si rite rem putamus pro nobis facit. 1°. Si per fidem dicitur placuisse,

utique et propter Mediatorem ejusque meritum, fides enim salvifica esse nequit nisi illi innixa. 2°. Abel dicitur sacrificium obtulisse et quidem cruentum, at quorsum nisi ut reatum fateretur suum, simulque medium aliquod propitiationis in victimarum sanguine exquireret? at cum certum sit sanguinem hircorum non posse tollere peccata, omnino agnoscendum est sacrificium hoc non aliter Deo gratum fuisse quam quia typus et symbolum erat agni Dei inculpati olim in plenitudine temporum mactandi. 3°. Cum *justus* dicatur *per fidem* eo ipso supponitur dignitatem illam obtinuisse, non inhærentis justitiæ respectu, sed imputatæ quam fides sibi applicat; Et sane Moses non obscure illud indicat cum ait *Deum respexisse ad Abelem et ad munera ejus*, primo ad personam, deinde ad munus, ut scilicet significaret non personam propter sacrificium sed sacrificium propter personam placuisse, quia ipse gratiosus erat Deo per fidem, atque hæc est ratio procedendi fœderis gratiæ in quo judicium non fit de persona ex opere, quod in fœdere legali obtinet, sed de opere ex persona. 4°. Frustra vero ad descriptionem fidei ab Apost. datam recurrit adversarius, ut ostendat nullum respectum ad Christum includere, quia hæc duo tantum postulantur, ut credamus Deum esse et simul μισθαποδότην quærentibus ipsum: Quippe licet explicite ipsius non meminerit (quia de Enochi aliorumque patrum qui priscis illis temporibus vivebant fide potissimum loquebatur, quæ propter obscuriorem et minus plenam revelationem in generalioribus versabatur) implicite tamen et necessaria consequentia eum complectitur: Nam nec quis qualisve sit verus Deus potest nosci sine Christo, Joh. xvii. 3, nec quæri potest ad salutem nisi per ipsum qui via est, veritas et vita, nec remuneratorem eum quis vere sentiet, evangelice nimir., et in fœdere gratiæ per mercedem gratuitam, Rom. iv. 5, (nam per Legem omnis spes mercedis consequendæ sublata nobis est) nisi qui in Christo eum intuetur in quo benedicimur benedictione omni spirituali, Eph. i. 4, unde duplex ille fidei actus, et vera Dei cognitio, et fiducialis gratiæ ipsius apprehensio, Mediatoris notitiam secum necessario trahunt in quo utrumque beneficium consequimur.

XXV. Tertia jam succedit ratio a *N. Fœderis formula* petita ex Jer. xxxi. sed non validior præcedentibus: Testatur quidem et pollicetur Deus se propitium fore populo suo, nec peccatorum ejus recordaturum amplius, sed nequaquam asserit se peccata condonaturum citra Christum, quod pertendit hæreticus, non negat imo necessario supponit satisfactionem; Deus enim propitius esse nequit nisi in Christo et propter Christum qui ideo ἱλασμὸς dicitur, 1 Joh. ii. 2, unde prophetæ omnes (in quibus et Jeremias) "testimonium præbent remissionem peccatorum per nomen ejus" (hoc est virtutem et efficaciam) "accepturum omnem credentem in eum," Act. x. 43. Et redemptio per Christum obtigisse dicitur juxta fœdus quod cum Patribus iniit et verba quæ per prophetas jam olim pronunciavit, Luc. i. 68. Adde quod cum Deus hic profiteatur se fore Deum populi sui, quæ promissio gratuitam adoptionem et omnigenas benedictiones complectitur, Matth. xxii. ver. 32, non potest excludi Mediatoris σχέσις absque quo Deus est ignis consumens et lux inaccessa; Atque hinc est quod Deus sibi reconciliare dicatur mundum, sed in Christo, 2 Cor. v. 19, "Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non imputando illis sua peccata;" quod si quæratur ratio et fundamentum istius reconciliationis in Christo, subjicit eam Apost. ver. 21, dum ait "peccatum factum fuisse," id est victimam pro peccato (prout אשם et חטאת apud Hebræos utrumque significat tam piaculare sacrificium quam delictum et

crimen) atque ita ostendit Paulus non aliam dari reditionem in gratiam cum Deo nisi quæ in solo Christi sacrificio fundata est; tantum abest ergo ut hac remissionis promissione inferri debeat aut possit satisfactionis negatio, ut contra Apost. non alibi fortius asserat necessitatem et fructum sacrificii et sanguinis Christi quam cum de hoc fœdere novo loquitur, quod imprimis patet in epist. ad Heb. cap. vii., viii., ix., sed præsertim cap. x., in quo rejectis omnibus sacrificiis Leviticis tanquam inutilibus, ad expiationem peccatorum procurandam unicam Christi oblationem substituit quæ tantæ rei perficiendæ par fuerit et sufficiens.

XXVI. Sed nondum videtur tamen satisfactum adversario, contendit enim ex ipsa remissionis positione satisfactionem everti, *remissio* enim, inquit, et *satisfactio* sibi invicem opponuntur, nec gratuita dici poterit remissio si debitum omne quantumquantum est exigitur. Sed in eo vehementer fallitur, dum opponit componenda, et tanquam ἀσύστατα exagitat quæ amice inter se conspirant; Tantum abest enim ut remissio peccatorum et satisfactio inter se pugnent et se mutuo tollant ut sine satisfactione non detur remissio peccatorum, Heb. ix. 22. Equidem Scriptura dicit nos justificari gratis, et peccata nobis remitti, sed eadem docet Christum pro nobis dedisse seipsum ἀντίλυτρον, 1 Tim. ii. 6, Matth. xx. 28, testatur revera Deum nos servasse per viscera misericordiæ et summa quadam φιλανθρωπίᾳ et gratia, Tit. iii. 4, Eph. ii. 8, sed eadem ostendit nobis Christum propter peccata nostra attritum et in mortem traditum, Isa. liii. 6, et Rom. iv. 25, et hoc luculenter demonstrat Paulus in illustri loco, Rom. iii. 24, ubi Justificationem gratuitam cum redemptione per sanguinem Christi conjungit, dum *Justificati gratis* dicimur *per gratiam ipsius*, sed *per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Quid quod ex Lev. cap. iv. et v. colligitur non modo satisfactionem et remissionem simul consistere posse, sed hanc illam necessario supponere tanquam causam, "expiabit," inquit, "eum sacerdos et remittetur ei," Lev. iv. 31. Videndum ut expiatione remissio pendet quia non potest remittere peccatum Deus quin primo justitiæ ipsius fuerit satisfactum: sic in epist. ad Philem., Paulus vult debitum Onesimi sibi imputari, et simul veniam pro ipso deprecatur, v. 18, "si quid læsit aut debet, hoc mihi imputa, Ego Paulus scripsi manu mea, ego dependam." Ita Christus remissionem peccatorum nobis acquirit, sed dum pro nobis satisfacit, in eum enim finem sponsorem se sistit Deo qui satisfaciat ut nobis remissio obtingere possit; nimirum hic distinguenda venit *satisfactio* vel *propria*, vel *aliena* et *vicaria:* Sane ubi satisfactio propria ipsius debitoris intercedit, nulla datur remissio, at cum satisfactio accedit vicaria, omnino potest dici remissio facta principali debitori: Hic vero ita se res habet, neque enim pependimus ipsi justitiæ divinæ λύτρον, sed sponsor pro nobis, et quidem talis sponsor qui a Deo ipso nobis datus est: Unde gratia Dei hic mirificam se exhibuit duplici potissimum nomine; Primo dando nobis Christum qui vices nostras obiret et pro nobis satisfaceret; Deinde satisfactionem ipsius et obedientiam nobis imputando propter quam remissio a misericordia concedi potest absque ullo justitiæ divinæ præjudicio. Concludimus ergo remissionem et satisfactionem esse tantum ἀσύστατα quando ad idem prorsus referuntur, quod hic non occurrit, satisfit enim justitiæ Dei, et per et propter illam satisfactionem remittuntur nobis gratis peccata, satisfactio fit a vade, remissio nobis: Ita justitia et misericordia se mutuo osculantur, justitia in peccatum, misericordia in peccantes, ubi remissio nos, satisfactio Deum habet pro termino.

XXVII. Urget vero adhuc ulterius Adversarius et inauditum esse clamitat ut creditor cui satisfactum est per solutionem rei debitæ, vel ab

ipso debitore, vel a sponsore præstitam dicatur debitum remittere. Verum ut hic eximatur scrupulus, discrimen observandum est inter *debitum pecuniarum* et *criminale* et *utriusque remissionem*. In illo non potest dari remissio ubi solutio intercedit, undecunque adveniat, quia est solutio illius ejusdem rei quæ debetur. At in criminalibus secus se res habet, nam reus pœnam propriam debuit legi, Vas vero dat tantum vicariam, unde ut acceptetur hæc solutio in gratiam rei opus est judicis remissione; nimirum, ut recte notarunt jurisconsulti, *solutio* duplex dari potest, alia *quæ ipso facto liberat*, alia *non ipso facto:* ipso facto liberat solutio rei plane ejusdem quæ fuit in obligatione; ubi ergo idem omnino solvitur, aut a debitore ipso aut ab alio ejus nomine, nulla contingit remissio, nihil enim circa debitum agit creditor aut rector, unde si quis pœnam pertulerit quam debet, liberatio erit, remissio non erit: At alia quævis solutio ipso facto non liberat aut obligationem perimit, puta si aliud quam quod in obligatione est solvatur, l. i. parag. 2, D. de reb. cred. sed necesse est actum aliquem intercedere creditoris aut rectoris, qui actus recte et usitate *remissio* dicitur, talis autem solutio quæ aut admitti aut recusari potest, cum admittitur speciale nomen habet *satisfactionis* quæ interdum solutioni strictius sumptæ opponitur, L. satisfact. D. de solut. Atque hinc vera petenda est ratio propter quam pœnæ corporalis vicarius, ut in debito pecuniario solvendo pœnam, ipso facto reum liberare nequeat, hoc enim accidit primo et per se non quia *alius* solvit, sed quia *aliud* solvit quam quod est in obligatione, nam Legis obligatio ipsum delinquentem pœnæ subjiciebat, unde illud *noxa caput sequitur*, ideo ut ex pœna unius alteri liberatio contingat, actus quidam Rectoris debet intercedere qui resp. Legis *relaxatio* dicitur et ἐπιείκεια, resp. debitoris *remissio*, quia remittitur pœna propria et acceptatur vicaria. Itaque licet forte in debito pecuniario, quia a sponsore solutionem accipit, non posset dici remisisse debitori, at in criminalibus ubi judex est absolutus, nec tenetur alterius quam ipsius rei solutionem admittere, si velit a sponsore pœnas exigere ut ita justitiæ satisfiat, dicetur ille quidem debitum exegisse, sed tamen personæ debitrici pepercisse, quatenus aliam in ejus locum subrogari ex mera misericordia passus est.

XXVIII. Atque hinc facile solvitur sophisma illud quod subinde reponit hæreticus, Ubi nullum est debitum ibi nec remissio dari potest, at ubi debitum ab uno in alium translatum est non est amplius in eo a quo translatum est, E. neque illi potest fieri remissio; postmodum subsumit, At peccata nostra secundum nos, in Christum vadem nostrum translata sunt, E. non amplius sunt in nobis, nec per consequens possunt nobis remitti. Resp. Nam ubi transfertur debitum secundum illud omne quo debitorem ipsum obligat, omnino non est amplius in ipso debitore, eatenus ut propterea pœna ulla plectendus veniat; At hic licet transferatur in Christum debitum nostrum dum in eum conjiciuntur iniquitates nostræ, Isa. liii. 6, non potest tamen transferri ratione illius modi secundum quem, a nobis debebatur enim pœna propria, quæ quia personalis est transferri non potest. Itaque hac in parte locus fuit remissioni, quippe cœlestis Pater pœnam quæ a nobis ferri debuit nobis ultro condonat, quia eam exegit a Christo: frustra ergo translationem debiti opponit ejusdem remissioni, cum in eum finem translatum sit in Christum ut nobis remitti possit, quemadmodum Paulus vult debitum Onesimi in se transferri ut ipsi parceretur. Neque hic naturæ remissionis ulla vis fit propterea, hoc enim tantum postulat, ut fiat ex gratia et liberalitate remittentis nihil pendente eo qui liberatur.

XXIX. Cæterum cum dicimus misericordiam Dei non remittere pec-

cata nisi intercedente satisfactione, cave ne propterea existimes Dei misericordiam causam aliquam superiorem habere et non esse absolutam. *Misericordia* enim bifariam spectari potest, vel ratione *causarum antecedentium*, vel ratione *conditionum ei subordinatarum;* et causas quidem præcedaneas quod attinet, absolutissima est omnino, quippe quæ extra se nullas habeat causas quibus moveatur ad miserendum, miseretur enim quia amat, et amat quia bonus est, unde soli Dei voluntati Scriptura tribuit quod Deus nostri misereatur, Rom. ix. 18, non autem satisfactioni Christi, vel alteri cuipiam rei: sed quod ad media et conditiones subsequentes spectat, quarum interventu derivantur in nos effecta divinæ misericordiæ, misericordia non debet dici absoluta, neque enim remissio peccatorum quod præcipuum est misericordiæ donum nobis absolute et citra ullius conditionis respectum conceditur; tres enim habet *conditiones* subordinatas, *satisfactionem* Christi ut *causam meritoriam*, *fidem* ut *instrumentum* remissionem illam ex Dei gratia in Christo accipiens, et *pœnitentiam* ut *conditionem sine qua non* beneficium illud nobis confertur.

XXX. Ad 4um de parabola quæ extat, Matth. xviii. 23, 24, et seq. Resp. Parabolas et similitudines non debere urgeri ultra scopum, alias absurda multa et falsa sequerentur, quo pertinet utilissima regula a Chrysost. olim tradita, hom. lxiv. in Matth., *Οὐ χρὴ πάντα τὰ ἐν παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας δι' ὃν συνετέθη τοῦτον δρέπεσθαι, καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω*: sic Christus se confert furi, nos vero quæstori de alieno largienti, non quod vel ipse rem alienam subtrahat invito Domino, vel quod nos idem facere oporteat, sed tantum in eo quod et ille instar furis superveniat improvisus, et nos de nostro facere oporteat quod prudens ille quæstor de alieno; Ita hoc in loco scopus Christi est commendare nobis benignitatem et misericordiam in proximum, eo quod Deus in nos benignus sit, ostendereque adeo eos qui ad ignoscenda fratrum delicta sunt inflexibiles pessime sibi consulere, et statuere sibi Legem nimis duram et gravem, quia experientur Deum æque rigidum et inexorabilem erga seipsos; In hoc conveniunt Deus et rex quod benigni sint in eos qui longe infra se sunt positi, hanc benignitatem Deus testatur pœnas remittendo, rex remittendo pecuniam debitam: Sed ut aliud est debendi genus, ita et aliud remittendi, nam de credito, quod jus ad utilitatem creditoris comparatum est statuendi quisque liberrimam habet potestatem, et quo minus exigit eo est liberalior, exigendo autem nullum actum virtutis proprie exercet: At de pœna quæ ad bonum commune et ad ordinem pertinet, non habet pariter rector dispensandi potestatem, et cum pœnam exigit, virtute quadam utitur quæ justitia distributiva dicitur: Non negamus E. in eo Deum et regem hunc differre quod rex citra satisfactionem, Deus autem non citra satisfactionem debitum remittat, sed cum in eo non sita sit similitudo, non potest nec debet urgeri, alias sequeretur etiam nec judices a sontibus pœnas exposcere debere, et peccata semel dimissa coram Deo reviviscere. Ita recte observatum est distinguendum esse inter *materiale* et *formale* parabolæ; ut hoc præcipue spectandum est, ita in illo non anxii nimis esse debemus in singulis partibus aut verbis adaptandis et ad rem spiritualem accommodandis, quia licet faciant ad parabolam circumstantiis suis ornandam, non tamen pertinent ad mysterium de quo agitur.

XXXI. Ex quibus facile solvi potest ratio altera quam petunt ex ea quæ nobis præscribitur Dei imitatione, peccat enim *falla. a dicto secundum quid:* Neque enim *si remissio hominum et Dei* aliquatenus sunt similes, propterea æquales esse et per omnia pares dicendum est, nam est

identitas quæ per omnia convenit, et est rursus identitas quæ consistit tantum in quadam analogia et proportione: hactenus remissio nostra divinæ æquiparatur, quod illa minime simulata esse debet, sed ex sincero et genuino affectu proficisci, ut ex disertis Christi verbis in ἀποδόσει parabolæ, ver. 35, et ex Paulo ad Eph. iv. 32, constat, sed velle eam paritatem vel ad efficientem vel ad formam, vel ad modum omnesque circumstantias remissionis extendere, est ἄτερ γραφῆς λέγειν, imo non sine scriptura tantum sed et contra ipsam, reique ipsius naturam, nam Deus non remittit peccata nisi pœnitentibus, at nos condonare debemus etiam non pœnitenti, remissio Dei non fit absque sanguine, at nostra non item, Deus ita remittit peccata ut non desinat tamen sæpe variis castigationibus exercere fideles quibus remissa sunt, at non sic licet homini. Itaque similitudo est *inter rem et rem*, non vero inter *modum rei*, Ex qua nihil aliud inferri potest quam æquum non esse ut duriores simus in parem, quam Deus tanto nobis superior est in nos miseros homunciones, unde sequitur non debere nos magis vindictam a proximis expetere quam pœnam a nobis expetat Deus, Deus autem nos a pœna gratis liberavit, debet ergo et a nobis abesse vindictæ cupiditas: At quomodo Deus hanc liberationem peregerit ibi non dicitur, nec ad institutum pertinet, in eo enim non similitudo est, sed dissimilitudo, ratio discriminis est quia Deus judex est, nos privati, judici convenit sollicitum esse de exemplo, privatos ea cura non spectat, illi potestas puniendi competit, at eadem privatis adempta est.

XXXII. Ad 5um Resp., Cum vox χαρίζεσθαι nihil aliud significet quam beneficium aliquod præsertim indebitum alicui conferre, nequaquam cum satisfactione pugnat, vel eam excludit, quia utrumque sed respectu diversorum optime simul stare potest, *gratia* respectu *nostri*, quibus indebitum beneficium plane gratis confertur, at *satisfactio* resp. *Christi* a quo eam exigit cœlestis Pater; Gratia quidem opponitur *meritis nostris*, sed *merito Christi* non item, cum medium sit necessarium sine quo gratia Dei in nos sese diffundere non posset, Et sane Paulus satis ostendit quomodo gratia Dei satisfactionem non excludat, cum ait "Deum nos justificare gratis per gratiam suam, sed per redemptionem quæ est in Christo Jesu," Rom. iii. 24, et alibi gratia servatos esse docet, Eph. ii. 8, sed et emptos pretio 1 Cor. vi. 20, et redemptos sanguine Act. xx. 28. Quod vero hic addit adversarius ad istius vocis significationem hoc etiam requiri ut quis sibi aliquid adimat suoque se commodo privet, id plane verum non esse non uno exemplo demonstrare licet; sic Christus cæco ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν, Luc. vii. 21, gratiam indebitam conferendo, sed nullo tamen se privando commodo: Philippensibus ἐχαρίσθη "in Christum credere et pro Christo pati," Phil. i. 29, sed nihil tamen ademptum est propterea Deo hoc beneficium gratiose concedenti, sic Paulus qui animadversionis severitatem in reum incesti distrinxerat, cum eam remittit, dicitur χαρίζεσθαι, 2 Cor. ii. 10. Ex quibus aliisque quæ possent hic recenseri locis liquido apparet ad vocis χαρίζεσθαι significationem sufficere, ut ad patientem aliquid commodi et beneficii non debiti perveniat, etiamsi agenti nihil propterea decedat.

XXXIII. Licet autem non divellendam putemus Satisfactionem a Gratia, nihil tamen detrahimus propterea summæ illi munificentiæ et misericordiæ divinæ quam Scriptura ubique prædicat; summam enim erga nos misericordiam Dei fuisse quis non agnoscat qui attendit eum præclusa angelis lapsis in æquali nobiscum miseria constitutis omni veniæ spe, nobis peccatorum nostrorum omnium gratiam facere clementissime volu-

isse, utque id sine justitiæ suæ præjudicio fieri posset, ultro sponsorem nobis dedisse, imo proprio et dilecto filio non pepercisse ut nobis parceret? Nonne summæ fuit benevolentiæ et misericordiæ quod cum ex rigore juris ipsi essemus ad supplicium rapiendi, locum tamen dederit substitutioni et fidejussioni alterius? Quod in sponsorem et expromissorem nostro loco luiturum, non hominem, non angelum, sed unigenitum suum nobis tradiderit, qui communi nostra assumpta natura idoneus fieret vas pro omnibus illis quos ipsi pater dabat redimendos? Quod non contentus talem expromissorem nobis dedisse, illius insuper satisfactionem nostram ducere nobisque imputare dignatus sit, quo ipsius obedientia et justitia nostra facta per talem imputationem non minus coronetur in nobis gloriosissima immortalitate quam in ipso peccata nostra quæ ipsius etiam facta fuerant per imputationem gravissimis plectere voluit pœnis? Sane non cæcum tantum sed ferreum esse oportet et quovis silice duriorem qui summam hic misericordiam non videt et suspicit venerabundus: Neque hic audienda hæretici vitilitigatio, Deum ut summe misericordem se exhiberet nullam nec a nobis nec a Vade satisfactionem exigere debuisse: Nam quia Deus ita est summe misericors ut sit etiam summe justus, virtutis utriusque exercitio locus dari debuit: Ut ergo immensam suam misericordiam in electis gratuito liberandis et salvandis per Christum explicare voluit, ita et justissimam iram adversus peccata ostendere debuit, alias si hæc adversarii ratiocinatio valeret, sequeretur etiam ne Deum quidem pœna afficere reprobos ipsos, sed sceleribus omnibus impunitatem concedere debere propter summam misericordiam.

XXXIV. Hic vero rursus insurgunt impurissimi homines crucis Christi inimici. Si Deus, inquiunt, summa illa misericordia impulsus Filium suum nobis dare voluit, ut fatemur et Scriptura testatur, Ergo jam ante adventum Filii summo amore nos prosequebatur, Ergo iratus neutiquam nobis et infensus fuit, ac proinde nec voluit nec necesse fuit Christum pro nobis justitiæ satisfacere et morte sua nos ipsi reconciliare. Verum nodus hic facile solvitur; 1°. Peccant falsa hypoth. quasi *irasci* et *diligere* plane essent ἀσύγκλωστα, nec omnino in idem subjectum quanquam sub diverso respectu ferri possent: at ut filium diligit pater, et illi tamen in peccatum ruenti irascitur, et pœnam infligit, quidni ergo potuerit cœlestis Pater et nos ab æterno diligere, et tamen irasci peccatis nostris et ad placandam iram suam satisfactionem Filii nobis destinare: Nimir. distinguendum est in homine *opus Dei* ab *opere diaboli*, *creatura* a *peccato* et vitiositate ipsi adhærente, respectu prioris diligit hominem, sed resp. posterioris ipsi merito est infensus; Itaque quia habemus in nobis quod odio dignum sit, eo respectu objectum iræ Dei sumus, sed quia utcunque peccatores vitio nostro simus, manemus tamen semper ejus creaturæ, quod suum est Dominus in nobis perdere non vult et adhuc aliquid invenit quod pro sua benignitate amet. 2°. Distingue *amorem Dei*, Alius est *benevolentiæ*, alius *beneficentiæ* et *unionis*, prior quo nobis bene esse vult et propenso erga nos fertur animo, posterior quo non tantum bene vult sed et reipsa benefacit, quoad illum non diffitemur Deum nobis amicum fuisse etiam non antecedente Christi respectu, imo arbitramur amorem hunc non modo reconciliationem a Christo factam præcessisse, sed Deum ipsum movisse ut satisfactionem inveniret absque qua charitas illa summa Dei effectum sortiri suum locumve habere non poterat, sed amore beneficentiæ censemus Deum neminem prosequi nisi mediante Christi redemptione quia beneficium nullum creaturæ potest indulgere nisi placatus, placatus autem non est nisi in Christo: Itaque non si Deus nos ab æterno dilexerit, continuo sequitur non necessariam fuisse

Christi satisfactionem, imo contra quia diligebat, voluit sibi satisfieri ut charitatis in nos suæ effecta diffundere posset absque præjudicio justitiæ.

XXXV. Hactenus *duo fundamenta* excussimus adversariorum, quibus dogma hoc nostrum de *satisfactionis necessitate* tum naturæ tum voluntati divinæ refragari probare satagebant; superest *Tertium* quo ipsi etiam *Justitiæ repugnare* evincere conantur; Et quidem hoc potissimum argumento: Quia nulla lege vel consuetudine unquam receptum est, imo expresse Dei verbo vetitum ut unus pro altero substituatur et vice ejus ac loco moriatur: in Verbo duo loca laudant quæ aperte idipsum asserere videntur: 1. Deut. xxiv. 16, ubi vetat Deus "ne morte afficiantur patres pro filiis, vel filii pro patribus, sed quisque ob peccatum suum morte afficiatur:" ne vero quis regerat Deum hominibus sed non sibi hanc legem posuisse, probant ex Ezech. xviii. 4, 20, id etiam apud se statuisse, "Anima quæ peccaverit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris," &c. Inter homines autem istius substitutionis nec Legem nec exemplum occurrere existimant, imo et fidejussiones sub pœna capitali a Romanis esse interdictas: et varia esse quæ contrarium probent; atque huc pertinere aiunt quod ait Seneca, "nihil iniquius quam aliquem paterni odii hæredem fieri;" sic cum apud Athenienses Lycurgi liberi ad pœnas deposcerentur propter paternum crimen rem injustissimam Demostheni visam: Et cum optimæ reip. formam et ideam expressurus esset Plato hanc legem non omisisse de non transferendis in liberos paternorum criminum pœnis, lib. ix. de legibus: Quod si quis excipiat substitutionem hanc et permutationem fieri sæpius in debito pecuniario, respondent plane diversam esse rationem, quia pecunia unius alterius effici potest, atque ideo pro alio soluta brevis manus fictione videtur donata debitori, ac deinde ab ipso numerata: at mors unius sive corporalis quæcunque vexatio alterius effici non potest: Postremo gravem injuriam fieri Justitiæ divinæ clamant, quod asseramus eam nocentibus dimissis qui puniri poterant et debebant, sævire voluisse in innocentem qui nihil tale merebatur, Socin. lib. iii. c. 3, Prælect. c. 18.

XXXVI. Ut ratio hæc postrema solvatur, succurrere nobis debet quod antea monuimus, justitiam quidem exigere necessario ut peccatum omne puniatur, sed non item peccatorem: ita ut essentiale quidem sit pœnam infligi ob peccatum, at non pariter ut infligatur ei qui peccavit, atque hinc fit ut justitiæ divinæ haudquaquam repugnet unius in alterius locum subrogatio; Quod dum adversarius ita præfracte negat; Legibusque divinis et humanis adversari contendit, vel inscitiam vel pervicaciam suam satis prodit; Nam ut nihil jam dicamus de debitis pecuniariis in quibus nihil frequentius occurrit istiusmodi substitutione ubi subrogato sponsore non amplius a primario debitore solutio exigitur, certum esse debet et extra omnem dubitationis aleam positum nec verbo Dei repugnare, nec inter gentes inauditum esse ut alter peccati alterius pœnam ferat, et si Lex ipsa id non doceret, in qua tamen profitetur Deus expresse se "visitaturum iniquitates parentum in filios, Exod. xx. 5, satis tamen exempla varia id comprobarent. Nam ut de peccato Adami nihil dicamus quod posteris imputari et in iis plecti docet non semel Scriptura, alia sunt exempla plurima quæ id confirmant; sic ob factum Chami execrationi subjicitur Canaan, Gen. ix. 25, ob factum Achanis filii puniuntur, Jos. vii. 24, ob factum Saulis suspenduntur filii et nepotes ejus Deo approbante, 2 Sam. xxi. 8, ob factum Davidis pereunt septuaginta hominum millia, 2 Sam. xxiv. 15, 17, sic Jer. in Thren. v. 7, "Patres nostri peccarunt et nos pœnas eorum ferimus." Imo in N. T. ejusdem dispensationis illustre extat documentum Matth. xxiii. 35, ubi Judæis interminatur Christus pœnas eorum delictorum

quæ a suis majoribus jam longo ante tempore perpetrata fuerant "ut veniat super vos omnis sanguis justus effusus super terram a sanguine Abelis justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ." Ex quibus liquet non inusitatum esse vel injustum simpliciter ut quis ob aliena peccata plectatur; Nec juvat sua hæreticum exceptio non reperiri uspiam exemplum ut qui plane sunt innocentes ob nocentum peccata puniantur; Nam cum aliqui puniri dicuntur non ob sua tantum quorum ratione revera nocentes erant peccata, sed et insuper ob aliena, omnino inde sequitur eos etiam punitos fuisse sub illa σχέσει qua non erant in se nocentes, seu quatenus immunes erant ab illo crimine.

XXXVII. Verum *substitutionem* hanc de qua loquimur fortius adhuc evincit tum publicus apud omnes populos sacrificiorum usus, tum præsertim totus cultus Leviticus in quo peccatoris locum subire solebat victima luitura pœnam mortis ipsi debitam, atque huc pertinet solemnis ritus a peccatore usitatus manus imponendi capiti holocausti sui ut esset acceptum pro ipso ad expiandum ipsum, Levit. i. 3, 4, quod imprimis conspiciebatur in festo propitiationis, in quo summus sacerdos "nitens ambabus manibus suis super caput hirci Hazazel confitebatur super ipsum omnes iniquitates filiorum Israëlis et postquam imposuerat illa capiti istius hirci, emittebat eum per hominem commodum in desertum, et portabat hircus ille omnes iniquitates eorum in regionem inhabitabilem," Lev. xvi. 21, 22, quorsum vero illa manuum impositio, et peccatorum confessio nisi ut testarentur se victimas illas loco suo substituere, quæ pœnam sibi debitam luendo, ipsos ab eadem liberarent? quod nec latuit ethnicum vatem dum salse irridet homines suos qui vili bestiarum sanguine suas animas piari credebant,

Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?

XXXVIII. Sed nec inusitatum inter gentes morem hunc fuisse non uno demonstrare licet exemplo; Nam ut mittamus Decios, Codros, Curtios et alios Ethnicos se pro suorum salute devoventes; ut nihil dicamus de Zaleuco Legislatore Locrensi qui pro altera parte pœnæ filio suo debitæ ultro venit, atque ita "æquitatis admirabili temperamento se inter misericordem patrem" et "justum Legislatorem partitus est," ut scite Valer. Max. lib. vi. cap. 5; ut taceamus etiam satis notam Damonis et Pythiæ illustrium amicorum historiam quorum alter se stitit vadem pro altero in causa capitali ut habet Cicer. Offic. 3; Certum est jus occidendorum obsidum humanissimis etiam populis usitatum fuisse, cum nimirum eorum principales a promissis deficiebant, nam ut testantur Politici venit obses in periculum ut si non servetur fides, etiam occidi valeat, sic Thessali olim ducentos quinquaginta obsides interfecerunt, referente Plutarcho; Romani trecentos Volscos securi percusserunt, ut notavit Halicar. lib. vi. et quamplurima istius generis extant exempla: notum etiam in capitalibus suppliciis vades plecti potuisse et plecti nonnunquam solitos si se non sisterent rei, unde ἀντίψυχοι dicti sunt; Et si aliunde probari non posset, ipsa tamen Pauli authoritas satis id evinceret qui "pro bono viro forsitan aliquem etiam mori posse asserit," Rom. v. 7. Quinimo populum a Deo ob regis delicta puniri recepta fuit sententia Hesiodi tempore, hinc apud illum Δίκη Jovis filia patrem interpellat,

ὄφρ' ἀποτίσῃ

Δῆμος ἀτασθαλίας βασιλέων, &c.

unde vulgatum illud apud eundem,

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,

et istud Venusini Poëtæ,

Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi.

Plutarch. lib. de sera Numinis vindicta variis argumentis ostendit neutiquam justitiam divinam esse accusandam quod a multis haud infrequenter alieni sceleris pœnas exigat. Denique non insolitum fuisse apud Ethnicos pœnam alterius alteri imponere historici passim ostendunt; Apud Persas olim ob unius noxam periisse propinquitatem prodidit Marcellinus. Apud Macedonas devota fuisse capita eorum qui sanguine perduelles contingerent observavit Curtius, lib. vi., et in Græciæ civitatibus morem fuisse cum tyrannis tyrannorum liberos occidi testatur Halicarnas., lib. viii., et Tull. ad Brutum Epist. xv. Quæ pauca ex innumeris quæ suppetunt super hac re testimoniis a nobis delibantur et referuntur, non quasi hæc per omnia nobis probentur, sed tantum ut inanem et falsum esse quam paulo ante jactabat Adversarius omnium gentium contra hanc pœnæ translationem consensum demonstremus.

XXXIX. Non negamus tamen substitutionem hanc multo rarius contingere quam in debito pecuniario, ita ut vix ac ne vix quidem hodie inter Christianos istiusmodi exempla occurrant, quemadmodum apud Romanos fidejussiones in pœna capitali vetabantur; Verum non inde petenda ratio est quod res in se sit simpliciter injusta, sed quod periculosa sit et fieri non possit sine gravi dispendio ut jam dicetur. Adversarius duo discrimina hic affert, sed præter rationem utrumque: 1. *Pecunia*, inquit, *potest alterius fieri, non autem corporis vexatio:* Sed cur corporis vexatio seu mors unius alteri imputari per æstimationem juridicam non poterit, quemadmodum pecunia a fidejussore numerata censetur esse debitoris ipsius? Paulus nihil hic absurdi vidit dum ait "uno pro nobis moriente omnes mortuos esse," 2 Cor. v. 14, nimirum quia unius mors omnium censebatur per divinam imputationem; 2. Qui pecuniam pro altero solvit regressum habet ad debitorem principalem et Jus illum reconveniendi et repetendi ab ipso quod pro illo solvit: at vero qui vitam pro altero impendit, nec regressum ullum habet ad eum pro quo seipsum tradidit, nec jus repetendi in se transfert præcisa omni facultate, imo cogitur in perpetuum vita sua carere nisi aliunde restituatur. Resp. hoc quidem discrimen inter homines locum habere non diffitemur, sed illud tamen non tanti esse pertendimus ut propterea res hæc de qua quæstio nostra instituitur injusta reddatur, quid si enim sponsor in re pecuniaria de jure illo numeratam pecuniam repetendi cedere voluerit debitori principali eam absolute dando, an propterea injustum erit eum pro altero fidejubere? Ita licet vas in pœna capitali cogeretur carere vita quam impendit, nec ullum regressum haberet ad reum, non sequeretur tamen non posse se obligare in eo scilicet casu quo majus aliquod vita ipsa bonum se consequi moriendo putat, ut in heroicis illis animis videre est vitam pro patriæ incolumitate profundentibus, et in sanctis martyribus religionis veritatem et evangelii doctrinam proprio sanguine obsignantibus: Cum ergo Christus in hoc negotio majus aliquod propria vita bonum spectarit, Dei scilicet gloriam et Ecclesiæ salutem, mirum videri non debet si vitam suam præ illo parvi fecerit, imo testatur ipse, Joh. x., hoc "boni pastoris esse ut animam suam pro ovibus ponat." Accedit etiam quod licet Christus regressum non habeat ad reos et jus illos reconveniendi ut reddant quod pro ipsis solvit, non coactus tamen est semper vita sua carere, quo pacto aliqua videretur Christo facta injuria,

sed eam denuo imo longe feliciorem per resurrectionem recuperavit, unde nihil hac in parte obstabat quominus loco nostro substitui posset.

XL. Sed si hæc veræ non sunt causæ propter quas substitutio quæ fit in debito pecuniario pariter in pœna corporali locum habere non possit, quodnam ergo verum erit discrimen, inquies? Nimirum, primo, homines non parem habent in corpus ac pecuniam potestatem, domini sunt pecuniæ, sed non vitæ suæ, "nemo enim sibi vivit vel sibi moritur," Rom. xiv. 7, itaque de ea non possunt pro arbitrio statuere in gratiam alterius. Deinde in foro humano judices ex formula judicare debent, neque eam dispensare potest nisi summus princeps et magistratus; Cum ergo Deus subrogationem hanc cuivis non permittat gravissimis de causis, certe eam haudquaquam vel admittere facile vel tolerare debent. Postremo in solutione pecuniaria nulla fit cuiquam injuria, siquidem fidejussor sponte sua et a nemine coactus summam aliquam cujus est dominus dependere voluerit, at hic præterquam quod homo involat in jus Dei, memorabile etiam detrimentum patitur totius mundi respublica, dum nocente dimisso et inulto manente optimo et honestissimo cive privari cogitur, atque ita non repressa sed aucta potius videtur peccandi licentia. At si quis reperiretur qui dominus membrorum suorum sponte se ad pœnam offerret, eaque virtute polleret ut non modo mortem ipse superare, sed et peccatores ad meliorem frugem reducere posset, nihil obstaret quominus is ex supremi magistratus decreto vadem se pro alio sisteret, quod in Christo obtinuisse jamjam demonstraturi sumus.

XLI. Licet autem nullæ vel principum leges vel consuetudines populorum subrogationem hanc ostenderent, non propterea tamen injustitiæ accusanda esset sanctissima illa Dei dispensatio, impium enim est de Redemptionis mysterio gentibus ignoto ex foro mundi et hominum consuetudine pronunciare, cum Christus non dicat "Ego sum mundus vel consuetudo, sed ego sum via, veritas, et vita," inquit Cypria. Viæ Domini non sunt sicut viæ nostræ, nec si hominibus non licet continuo a Deo fieri non decet; Disting. ergo *forum soli* et *forum poli*, in illo substitutio dari commode non potest propter rationes modo allatas, at in hoc penes Deum nihil obstat. Rursus alia est *norma veteris fœderis*, alia *novi*; aliud *Judicium Legale*, aliud *Evangelicum*, Lex substitutionem illam ignorat, sed evangelium patefacit et revelat, Lex præcise et primario sontem ipsum postulat, sed jus evangelii ἐπιεικείᾳ temperatum vadem potest admittere. Cum ergo de redemptionis opere mirabili non ex Lege sed ex evangelio sit statuendum, mirum videri non debet si substitutio sub Lege inaudita hic doceatur; Cæterum licet Lex ex se et natura sua subrogationem illam non proponat, non excludit tamen vel impedit misericordiam in Evangelio patefactam qua reatum peccatorum nostrorum in Filium transferre decrevit. Ita erit quidem *præter* et *supra*, sed non *contra* Legem, cum illi abunde satisfactum sit per fidejussoris solutionem.

XLII. Quia vero huic sententiæ non consuetudinem tantum gentium sed ipsum Dei verbum opponunt, ac imprimis duo loca illustria, Deut. xxiv. 16, et Ezech. xviii. 4, quibus et alieni peccati imputatio et unius in alterius locum substitutio videntur aperte destrui, operæ pretium est ut hoc quicquid est argumenti paulo diligentius excutiamus: Vexatissima enim sunt loca et quibus non semel abusi sunt hæretici vel ad impugnandam peccati propaginem et imputationem, vel ad evertendam pœnarum in Christum translationem; notum est ex Augustino Julianum cæterosque Pelagianos hoc postremo tanquam fortissimo causæ suæ firmamento triumphare solitos fuisse et ipse quæstionem molestissi-

mam dicere non dubitavit. Non opus est autem hic singulas singulorum doctorum et interpretum vel referre, vel expendere sententias, qui et verum verborum sensum rimantur et cum Decalogo conciliationem instituere tentant: nobis nunc quidem suffecerit ea notasse quæ ad præsentis quæstionis elucidationem faciunt.

XLIII. Et ad priorem quidem locum quod attinet ex Deut. xxiv. 16. Ut non jam dicam quod ab aliis observatum est Legem hanc positivam esse et peculiariter Israëlitis latam, cujus contrarium mandasse deprehenditur Deus alibi, ut in causa septem populorum quos internecioni devoverat, Deut. ii. 34, et xx. 16, 17, facile solvitur apparens illa ἀντιλογία si distinguamus primo *forum divinum* et *forum humanum*, deinde in foro humano *ordinariam justitiæ administrationem* ab *extraordinaria agendi ratione:* in foro humano non vult Deus alium pro alio plecti ordinarie quia caput noxa sequitur, et æquitatis et ἐπιεικείας potius quam juris summi rationem haberi præcipit, quod non impedit tamen quominus aliter aliquando propter graves et momentosas causas fieri possit; At in foro divino regula non item valet; Leges enim hominibus positæ potestati vel jurisdictioni divinæ limites nequaquam ponunt, et manifesta rationis diversitas, quia potestatis hominum arctior est divina, in hominibus metuitur abusus potestatis, in Deo vero non item; Deus ergo, Deut. xxiv., hanc regulam hominibus præscripsit, sed illi propterea se non astrinxit, ut nunquam pœnas commutare et alium pro alio plectere possit.

XLIV. Sed quid respondebimus ad Ezech. locum in quo non hominibus, sed sibi ipsi legem hanc ferre videtur Dominus, ut anima quæ peccavit ipsa moriatur, et nemo alieni peccati pœnas luat? Hic vero varia sunt quæ reponamus: 1. Cum hæc verba directe videantur opponi secundo Legis præcepto, imo habuerint etiam praxim aliquando contrariam ut ex exemplis ante laudatis patet, non sunt ad vivum resecanda, sed aliquo temperamento moderanda ne ulla hic inter Authores sacros et Spiritum S. per eos loquentem occurrat contradictio. 2. Si stricte et præcise urgentur verba prout sonant, sequetur omnem peccatorem mori debere et neminem mori nisi qui peccaverit, at hoc utrumque vehementer falsum et absurdum esse nemo non videt, siquidem et Christus moritur qui non peccavit, et electi omnes qui peccaverunt non pereunt tamen: Itaque aliquo distinctionis malagmate lenienda sunt quæ prima fronte veritati non satis consona esse videbantur. 3. Distinguendi sunt *filii*, Alii *imitantur peccata parentum* et affines atque socii culpæ paternæ fuerunt, Alii ab *iniquitate patrum recedunt* et se immunes præstant ab eorum sceleribus, de primis pronuntiat Deus se visitare iniquitatem parentum in filios, Exod. xx., quia filii paterna eunt per vestigia, nam qui affinis culpæ fuit eundem pœnæ socium esse non injustum est, at de aliis negat apud Ezech. Dominus, quia nemo venire debet in partem pœnæ qui culpæ συμμέτοχος et affinis quadantenus non fuerit, prophetam autem loqui de tali filio qui non modo non imitatur peccata parentis, sed ea aversatur et fugit, patet ex eo quod dicit, v. 19, "Quare non fert iniquitatem patris? quia fecit judicium et justitiam, ideo vivendo vives."

XLV. 4. Disting. *Jus strictum* et *summum* ab eodem *æquitate aliqua et ἐπιεικείᾳ* temperato, secundum prius Deus potest peccata parentum visitare in filiis, et reipsa visitat, quod Exod. xx. edicit, at respectu posterioris non ulterius pœnam quam in reos ipsos et nocentes grassari sinit; quod se facturum deinceps erga Judæos testatur apud Ezech.; prius illud ad fœdus legale proprie pertinet, in quo severum et inexorabilem judicem se exhibet; at posterius magis accedit ad evangelicum in quo benignitatis

paternæ luculenta eduntur testimonia; Et sane eo spectare hoc Dei effatum ex loco parallelo, Jer. xxxi. 29, satis aperte colligitur, ubi propheta loquens de beneficiis novi fœderis inter alia hæc habet, "In diebus illis," inquit, "non dicent, manducaverunt patres uvam acerbam et dentes filiorum obstupuerunt, sed unusquisque in peccato suo morietur," &c. nimir. quia uti solebant trito illo adagio ut cum Deo expostularent quasi insontes ipsi pœnas patribus debitas luerent, pollicetur Deus fore ut in fœdere novo Jure illo non sit usurus, sed ab unoquoque pœnas peccati sui repetiturus; sic hunc locum interpretantur non pauci e veteribus, Tertulli. imprimis lib. ii. advers. Marcio. c. 12, et Augustinus Enchir. ad Lauren. c. 46, et lib. vi. contra Julia. cap. 13. Scio quibusdam non satis probari hanc distinctionis istius accommodationem, eo quod hæc verba dirigantur ad impios et contumaces Judæos qui iniquissime providentiæ divinæ, ejusque judiciis obstrepebant, ac per consequens non videbantur in eo esse statu ut cum ipsis ex æquitate paterna et fœderis Evangelici ratione agere vellet: sed scrupulus hic facile eximitur, nam præterquam quod nemo pronunciare pro certo potest de statu istorum hominum an reprobi omnes fuerint, an fideles quos non raro etiam propter carnis reliquias cum Deo expostulare constat; accedit quod non semper summo jure agat cum impiis ipsis, nam et si non assumuntur ad intimam et mysticam fœderis gratuiti communionem, fieri tamen potest ut dum versantur in externa Ecclesiæ societate, singularibus quibusdam de causis ita clementer a Deo tractentur, ut nonnullum ipsis gratiæ divinæ gustum et suavitatem exhibeat, sive ut ad pœnitentiam invitentur, sive ut testatior fiat eorum contumacia, eoque magis ἀναπολόγητοι reddantur, ut in προσκαίροις patet; quid obstat ergo quominus et istos Judæos rebelles et contumaces in Deum fuisse agnoscamus, et tamen dicamus in hac causa Deum non ex præciso Legis rigore, sed ex miti melioris fœderis dispensatione ad graviorem ipsorum condemnationem agere voluisse; ita scilicet ut nulla paternorum peccatorum gravarentur imputatione, sed suorum tantum peccatorum unusquisque pœnas daret. Cæterum licet neget hic locus filium pium et justum laturum pœnas iniquitatis paternæ, sed animam peccatricem in se luituram, non negat tamen posse fieri vadem et propitiationem pro peccato, vel peccatum illi imputari posse qui reputari vult pro peccatoribus, illud enim opus est justitiæ, licet æquitate aliqua temperatæ, at hoc infinitæ opus misericordiæ quæ ordinarias judiciorum prætergreditur formulas, et nihil cum cæteris Dei erga homines dispensationibus habet commune.

XLVI. 5. Denique ut omnis cavillandi ansa adversariis præcipiatur, observandum nullam hic statui *generalem vel immutabilem regulam* ad quam Deus vel ante semper exegerit, vel in posterum exacturus sit omnia sua judicia, ita ut contineat perpetuum quendam divinæ suæ erga homines providentiæ tenorem, cum sæpius factum sit Deo ita ordinante ut filii aut subditi pœnas Regum vel patrum luerent; sed agi *singulare Dei negotium* cum Judæis illius temporis quibus hoc Deus ex speciali gratia largitur ut ne cum ipsis agat ex illo justitiæ rigore quem adversus multos hactenus observaverat, et quem alias quandocunque libere exercere merito posset, sed hac potius Lege cum illis experiretur, ut si sint ipsi a peccatis immunes nihil pœnæ patiantur qualiacunque fuerint patrum suorum crimina; ut scilicet Dominus larvam illam iis detrahere vult qua se aliosque decipiebant sanctitatem et justitiam ejusmodi præ se ferendo quæ tantis calamitatibus vexari haudquaquam mereretur, quibus a multis jam annis conflictati fuerant. Cum enim propterea impii homines cum justitia Dei expostulandi occasionem arriperent quasi insontes ipsi pœnas parentum sceleribus

debitas ferrent, Deus per prophetam hanc improbitatem coarguit et ostendit non esse cur alio culpam transferant vel derivent, quia Deus juste in eos exerceat vindictam suam; quasi diceret, Ego non eo jure vobiscum agam quo possem peccata parentum in vos animadvertere, satis in vobis noxarum, satis est criminum ut merito pœnas luere debeatis; Itaque vult eos in rem præsentem deducere et ad eam confessionem adigere ut agnoscant Deum in suis judiciis justum esse, seque satis esse nocentes, seposita etiam omnis peccati alieni imputatione, ut eas quas jam perpessi erant pœnas et graviores etiam merito luerent. Ita non docet quid necessario sibi sit faciendum, sed quid facere libere decreverit, non erga omnes, sed specialiter erga Judæos cum quibus agit, ac proinde nullius est ponderis quod ex hoc loco adversus substitutionem petitur argumentum.

XLVII. Pergit tamen adversarius et truculentum esse ait, et injustum innocentem plecti pro nocente, quia justitia sontis ipsius punitionem postulet, et Deus ipse testetur se nolle vel sontem absolvere, vel insontem damnare. Vah! tantumne Dei erga nos amorem tamque mirabilem Dei dispensationem crudelitatis et injustitiæ insimulari! Scripturæ tamen hæc vox est Christum pro nobis peccatum et κατάραν factum esse, et in eum omnes nostras iniquitates conjectas esse, dicam ergo ipsi scribat Spiritui Sancto qui hæc enunciat, et Deo qui hæc decrevit? sed Justitia Dei satis seipsam tuebitur adversius impuri hominis blasphemias. 1°. Si quod supponit verum esset abso. et simpli., non minus injustum foret Christum dirissimis affligi cruciatibus, adeoque morti fieri obnoxium, qui non peccavit, si vero injustum non fuit Christum hominem innocentissimum crudelissimo mortis supplicio affici sine ullo vel sui vel alieni peccati respectu, ut agnoscit adversarius, cur injustum erit eundem a Deo nobis sponsorem datum, et peccatis hominum onustum per divinam imputationem pœnas nobis debitas in cruce tulisse? 2°. Fallit et fallitur in eo quod Justitiam semper sontem ipsum postulare censeat, at vidimus antea necessario quidem id exigere semper ut peccatum puniatur, sed non pari necessitatis gradu ipsius peccatoris pœnam postulare quin aliquando ex Dei liberrimo beneplacito ordo ille immutari possit.

XLVIII. 3°. Fatemur non temere et sine causa innocentem plectendum esse pro nocente, sed positis certis conditionibus illud citra injustitiam posse fieri contendimus. Primo si innocens vitæ suæ sit arbiter et dominus, potest enim de ea pro libitu statuere, et sine cujusquam præjudicio. Secundo si volens et ultro offerat se in vadem pro nocentibus, ipsorumque reatum sponte in se recipiat, et supplicium lubens adeat, volenti enim non fit injuria. Tertio si λύτρον sufficiens præstare possit pro iis pro quibus fidejubet, alias inutilis foret talis substitutio. Quarto si interim non pereat in supplicio, sed possit propriis viribus ex eo emergere, alias memorabilis fieret mundo injuria qua homine pio et sancto carere cogeretur. Quinto si possit sontem ipsum pro quo satisfacit ad meliorem frugem reducere, alias impunitas et peccandi licentia videretur magis augeri, et magnum bono publico detrimentum accederet dum sublatis viris integerrimis conservarentur in ejus perniciem cives noxii. Sexto si illi quorum interest in id consentiant, nam si Judex nollet admittere substitutionem non posset legitime fieri. Denique si innocens sit ejusdem naturæ cum sonte, absque eo enim foret, nec peccatum in eadem natura quæ peccavit plecteretur, nec ulla dari posset vel pœnæ vel satisfactionis communio. Atque huc facit quod Adversarius, lib. iii. de Serva. c. 10, agnoscit "posse aliena peccata alicui imputari, si alterutrum ex istis duobus adsit, vel Imitatio vel Conjunctio."

XLIX. At istæ omnes conditiones in Christo deprehenduntur; Quippe et Dominus fuit membrorum suorum, liberrimamque de se statuendi potestatem habuit, Joh. x. 18, "Nemo tollit animam a me, sed ego depono eam per meipsum, authoritatem habeo eam deponendi et eam rursus assumendi;" Ipse reatum nostrum ultro in se suscepit, et supplicium ipsum gnarus quantum esset sponte adiit, Psal. xl. 7, 8; Heb. x. 8, 9, 10. Potuit omnes pœnas nobis debitas et ferre et exhaurire ut θεάνθρωπος, Isa. liii. 7, 10, 11; Heb. i. 3; Act. ii. 24. Potuit peccantes ipsos convertere spiritum gratiæ illis largiendo quo novæ creaturæ fierent, Gal. iv. 6, Rom. viii. 9, 15. Summus Judex non tantum non repugnavit, sed ipse admirabilis sapientiæ suæ consilio ad id munus ab æterno eum destinavit et vocavit in tempore cum in mundum pro nobis misit, et illi non pepercit ut nobis parceret, Joh. iii. 16, Rom. viii. 32, 1 Pet. i. 19, 20, atque ita gratam habuit ejus satisfactionem ut ejus vi nobis plane sit reconciliatus, 2 Cor. v. 19, 21. Postremo non fuit Christus alienus a nobis, sed conjunctissimus; Cum illi uniti simus triplici *vinculo:* 1°. *naturali* quum carnem nostram induit, et frater noster factus est, Heb. ii. 14; 2°. *forensi* et *juridico* posito tum in consensione voluntatum, tum summi Judicis ordinatione qua Christus ut sponsor nobis datus est a Deo, qui pro nobis satisfaceret, et nos Christo dati ut ab ipso redimamur, Matth. xx. 28, Isa. liii. 6, Jer. xxiii. 6; 3°. *mystico et spirituali* quo nobiscum Christus in unam personam et corpus coalescit cujus ille est caput, nos membra, Eph. i. 22 et 23, unde factum ut et ipsi fidelium peccata, et vicissim ejus obedientia et justitia fidelibus imputari queant, peccatum enim factus est ut essemus justitia Dei in ipso, 2 Cor. v. 21, et Gal. iii. 13. Ita si plectitur non plectitur *invitus* vel *ut innocens*, quod injustum foret; Sed *ut vas* qui pro nobis se sistit, et *ut reus* qui sortem hanc sponte ex Dei decreto subiit.

L. Absit ergo ut crudelitatis vel injustitiæ labem ullam sanctissimo huic aspergamus Dei consilio; Adoremus potius et ex intimis cordis penetralibus admirabilem illam veneremur sapientiam quæ ita prospicere voluit saluti nostræ ut gloriæ suæ propterea nihil decederet, ita misericordiam explicare ut justitiæ tamen nihil detraheretur; Grato animo summum Patris amorem prædicemus qui ut nobis parceret unigenito suo non pepercit, justum pro injustis, innocentem pro reis, filium pro servis neci tradere non dubitavit; Immensam denique Filii charitatem celebremus, qui posthabito divinæ majestatis quo felix cum Patre in forma Dei coruscabat splendore, ad abjectissimam servi formam sese demittere nostri causa non erubuit, Dominus gloriæ cruci affigi sustinuit ut nos redimeret, Sanctissimus peccatum fieri ut nos justificaret, Benedictus in secula maledictioni subjici ut nos beâret, Æternus mori ut vitam conferret; Ita admirabundi cum universa Ecclesia conjunctis animis vocibusque canticum novum illi occinamus:

Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τῷ Ἀρνίῳ ἡ εὐλογία ἡ τιμὴ καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

COROLLARIA.

I. An fœdus gratiæ idem fuerit sub V. et sub N. T.? *Aff.*

II. An Satisfactionibus humanis possit esse locus post Satisfactionem Christi? *N.*

III. An libertatis ratio formalis posita sit in ἀδιαφορίᾳ? *N.*

IV. An Gratia conversionis sit irresistibilis? *Aff.*

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS PRIMA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS PRIMA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE.

PARS PRIMA.

Respondente MELCHISEDECO PINALDO, *Genevensi.*

I. Cum tria vulgo de *satisfactione Christi* in disquisitionem venire soleant, *necessitas*, *veritas*, *perfectio*, et de *necessitate* a nobis non ita pridem instituta fuerit disceptatio, ordo jam postulat ut de *veritate* disputemus: Quod non minori cura et studio exequendum nobis est argumentum, imo aliquanto majorem ἀκρίβειαν exigere videtur: siquidem in eo præcipuus totius hujus capitalis et fundamentalis controversiæ cardo vertitur: frustra quippe satisfactionis asserta fuisset necessitas, si ejusdem veritas vel negari posset, vel in dubium saltem revocari.

II. Hic autem res nobis erit cum illis ipsis adversariis cum quibus antea manus conserendæ jam fuerunt. Nam qui necessitatem impugnant Sociniani, veritatem etiam labefactare modis omnibus conantur: imo non alium in finem de necessitate litem movent, quam ut facilius veritatem convellere possint; Nimirum teterrima hæc et exitialis hæreticorum lues, Christiani nominis ultimum dedecus, Salvatoris nostri summum Naturæ ὑπεροχὴν blaspheme arguere non satis habuit, æternam ejus divinitatem proterve respuendo, nisi sacrosanctum Mediatoris officium et summum in nos beneficium, satisfactionem puta et meritum, impie abnegaret; nam cum facile intelligerent isti homines tanti esse satisfactionem præstare pro mundi peccatis ut illud effectum dare nemo possit qui nihil est quam ψιλὸς ἄνθρωπος, fieri non potuit quin Christi divinitatem eliminando ipsius satisfactionem eadem ratione rejicerent.

III. Optandum sane fuisset nefandum hoc et vere Antichristianum dogma (quod detestationem potius quam refutationem meretur) vel nunquam ex Orco revocatum fuisse, vel inter Christianos statim suppressum et æterno silentio damnatum, ut inconcussum hoc fidei caput et fundamentum retineretur semper illibatum: sed cum ea sit seculi nostri calamitas ut in illud tanquam cæterorum omnium sentinam omnis generis hæreses confluxerint, et pestilentissima hæc natrix late grassari cœperit et teterrimum virus suum per varias Europæ partes, quod pii omnes lugent, nimium quantum etiamnum hodie spargat, nemini debet vitio verti si dum princeps tenebrarum et pater mendacii per infernales hasce furias veritatem momentosissimam oppugnare et fidelibus eripere omni ope contendit, sint vicissim qui pro veritate tuenda ad piorum solatium pro virili laborent, et arcendo malo quo non aliud gregi dominico inimicum magis et exitiale ex abyssi puteo prodit operam suam quantulamcumque impendant.

IV. Ut vero facilius et veritas confirmari et mendacium revinci queat, dispiciendum ante omnia quid sentiant hic adversarii, quid item orthodoxi, unde quæstionis status accurate teneri et controversa a non controversis distingui possint; Atque ut illud omne quicquid est clare percipiatur distinctiones quasdam ad controversiæ totius elucidationem necessarias præmittimus.

V. *Jesum Christum* esse *Servatorem* nostrum cum tam constanter et clare prædicet Scriptura, et nomen ipsi ab angelo inditum evincat, nemo negare sustinet: sed quomodo sit Servator omnes non eadem ratione explicant; Nimirum *servare* est operam dare ut aliquis eripiatur periculo quod imminet, vel miseria in qua jacet, sed illud fieri potest duobus modis: nam ille servat qui ita operatur ut virtute sua proxime et immediate servet, sive potentiam suam solam exerere necesse sit, ut quum quis militem in bello captum de manu hostis eripit, vel nauclerus navem huc illuc ventis fluctibusque jactatam, industria sua salvam ad portum deducit; sive justitiæ satisfieri oporteat, ut quum quis captivum de compedibus et carceris fœtore liberat justo numerato pretio; sed et ille *servare* nonnunquam dicitur qui quanquam nihil efficit quo proxime et immediate salus obtineatur, rationem tamen ostendit et viam qua servari possit ille qui in periculo et miseria versatur, ut quum quis militi jamjam in potestatem hostium deventuro, tutum aliquem locum indicat, quo sese recipiat, vel quum quis in littore stans nautas agitatos et naufragio proximiores voce fovet et gestu et portum ostendit quo velis remisque contendant.

VI. Hinc distinctio *Servatoris* nata in Servatorem *præconio*, *consilio* et *exemplo*, et Servatorem *merito*, *opere* et *efficacia ;* Deus enim et homines nos servare dicuntur, unde in Scriptura verbi præcones dicuntur eos servare quibus evangelium annuntiant, Rom. x. 14, 1 Tim. iv. 16, sed longe diversa ratione, Deus enim nos servat opere et efficacia, homines autem exemplo et consilio, quatenus scilicet et nos hortantur ut ad salutem nervis omnibus contendamus, Phil. ii. 12, et exemplo suo nobis in via salutis prælucent, ut eos sequamur.

VII. Quum ergo de modo salutis a Christo partæ inter nos et adversarios controvertitur; Non id quæritur an Christus aliqua ratione Servator possit dici et revera dicatur; nam ultro largiuntur illi nobis Christum quadrifariam Servatorem prædicari: 1. *Annuntiatione* et *Præconio*, quia universam Dei voluntatem de ratione salutis nobis exposuit, et quid a nobis fieri oporteat ut salutem consequamur docuit. 2. *Confirmatione et exemplo*, quia doctrinam suam proposuisse non contentus ipse primus viam quam sequeremur exemplo suo præmonstravit et absolutissimam justitiæ formam in tota vitæ suæ ratione expressit, imo salutis nuncium non vitæ tantum exemplo, sed miraculorum innumerorum testimonio, et mortis dirissimæ martyrio obsignavit. 3. *Initiatione* et *principio*, quia resurrectione viam hanc complanavit dum eventu ipso ostendit hanc esse certissimam obtinendæ salutis rationem, ita ut quicunque hanc viam institerint ad æternam vitam haud dubie sint resurrecturi. 4. *Communicatione* et *Complemento*, quia ipse tandem pro potestate sibi a Patre concessa vitam æternam piis omnibus qui ipsius mandatis obsecuti fideliter fuerint est collaturus, ut fuse declarat Soci. lib. i. de Serva. cap. 4, 5, 6. Sed quæritur An *vere* et *proprie Servator* fuerit *satisfactione* et *merito*. Nam etsi neque nos hisce de causis Servatoris appellationem illi quadantenus, licet minus proprie, tribui posse diffitemur, quod talibus mediis salutem nostram non parum promoverit, hisce cancellis tamen ejus offi-

cium nefarie claudi existimamus, cum vel imprimis gloriosum hoc nomen sortitus sit, quod obedientiæ suæ absolutissimæ merito nos servarit, quo pacto unicus vere Servator prædicatur, cum alias si prior sensus obtineret, prophetæ, et Apostoli, aliique non pauci in consortium ejusdem muneris venirent qui Dei voluntatem fideliter explicarunt, exemplo inculpatæ vitæ cæteris præluxerunt, et mortis ac tormentorum acerbissimorum perpessione veritatem cœlestem obsignarunt.

VIII. 2. Distinguenda est *satisfactio vera et propria* quæ fit *integre ex justitia judicis* et persolutione rei debitæ, et liberationem et vitam consequitur meritorie: *a satisfactione impropria et metaphorica* quæ fit per partis læsæ acceptilationem et liberationem, ac vitam precario impetrat et per misericordiam ac indulgentiam principis; de hac quæstio non movetur cum eam non illibenter fateantur οἱ ἐξ ἐναντίας et pestifero dogmati suo utcunque incrustando sæpius obtendant, sed de priori quam nos ex verbo Dei constanter asserimus et illi ex cerebri sui figmento pervicacissime respuunt.

IX. 3. Aliud est Christum *pro nobis utiliter* mortuum esse, i. e. *bono et commodo nostro*, aliud vero *pro nobis substitutive*, i. e. *vice* et *loco nostro*, aliud eundem traditum esse *propter peccata occasionaliter* et ut nos ab illis abstraheret, aliud *causaliter* et *meritorie* ut eorum reatum in seipsum derivando et pœnas omnes illis debitas in corpore suo luendo expiaret, prius est ἀναμφισβήτητον et extra controversiæ aleam positum, de posteriori tantum, quod impie contra Scripturam negare sustinent, disputatur. 4. Aliud est loqui de *satisfactione qualicunque*, qua Christus omnibus iis satisfecerit quæ illi a Dei voluntate ad salutem nostram procurandam imposita erant, aliud de *satisfactione pœnali* et proprie sic dicta, qua non tantum voluntati, sed et divinæ justiæ assumptis in se nostris pœnis satisfecerit; quæstio non est de prima quam adversarii non negant, vide Crelli. cont. Groti. c. 6, Smalzi. contra Smiglecium de satisfact. in resp. ad præfat., sed tantum de secunda quam proterve respuunt.

X. Ita controversiæ status redigitur ad hosce terminos: An *Christus Σωτὴρ* θέωρος *Servator noster fuerit* (non præconio et exemplo tantum) sed *satisfactione et merito*, An *mortem* (non bono duntaxat) sed *loco nostro oppeterit;* An *satisfactionem* (non impropriam et metaphoricam qua voluntati tantum divinæ satisfecerit ea implendo quæ illi a Patre ad salutem nostram imposita erant, et quæ gratis et precario consequeretur veniam et salutem,) sed "veram et proprie dictam qua justitiæ divinæ per sufficiens ἀντίλυτρον satisfecerit, et quæ reipsa meritorie et integre remissionem peccatorum et vitam acquisiverit." Hoc enim magno molimine et toto impetu oppugnant hæretici, vid. Soci. de Serva. passim Crelli. contra Groti. Smalci. contra Smiglecium Volkel. de vera Relig. li. v. c. 22. Nos vero cum tota Ecclesia Orthodoxa sancte credimus, et constanter ex Scriptura profitemur et propugnamus.

XI. Argumenta veritati stabiliendæ non pauca suppeditat nobis Scriptura et recta ratio: Nos præcipua hic et potiora delibabimus et ab argutiis adversariorum vindicabimus. Primum petitur ab *officio Christi Mediatorio;* Eo ipso enim quo Mediator inter Deum et nos fuisse perhibetur qui dissidium et bellum ex peccato ortum composuit et diremit, partesque dissidentes inter se conciliavit, satisfactionis veritas luculenter jam confirmatur: Neque enim eum Scriptura Mediatorem nobis proponit qui fuerit tantum voluntatis divinæ *interpres* et internuncius qualis fuisse Moses inter Deum et populum dicitur, Deut. v. 5, "Stabam illo tempore inter Jehovam et vos ad referendum vobis sermonem Jehovæ:" dixerant enim

Mosi præ metu, "loquere tu nobiscum et audiamus, sed non loquatur nobiscum Deus ut non moriamur," Exod. xx. 19, vel qui partes jam unitas in unione et amicitia conservet, quo sensu nonnulli Christum *Mediatorem confirmationis et conservationis Angelorum* dici posse contendunt, ut extra lapsus periculum constituti per ejus gratiam penitus Deo adhæreant; sed qui vere sit εἰρηνοποιὸς et *fidejussor*, qui pacem æternam inter Deum et homines conciliavit, sublatis utrinque proprio sanguine odii et belli causis; sic "enim libuit Patri ut omnis plenitudo in eo habitaret, et ut pace per sanguinem ejus facta reconciliaret sibi," Col. i. 20, nec poterat nisi per proprium sanguinem vel sacrarium ingredi ad thronum gratiæ viam nobis facturus, vel æternam redemptionem qui primarius mediationis finis est, consequi, Heb. ix. 12. Nimirum cum hinc peccata nostra nos inimicos Dei non active tantum sed et passive redderent, inde vero sanctissima et inviolabilis justitia, quæ peccatum nec videre nec inultum ferre potest, ejus iram atque indignationem adversus nos propter eadem concitaret, Isa. lix. 2, debuit Mediator noster ἀντίλυτρον aliquod pendere quo et ira Dei placaretur et peccata nostra expiarentur, ne quid vel ex parte hominum offendentium vel Dei offensi obstaret amplius, ad perfectæ reconciliationis opus quod moliebatur exequendum.

XII. Atque hoc vult Scriptura quæ primarium et potissimum istius μεσιτεύματος actum in morte et sanguinis effusione collocat, Heb. ix. 15, Ob id scil. "novi fœderis Mediator" dicitur Christus "ut morte intercedente ad redemptionem transgressionum præcedentium vocati vitam æternam adipiscerentur." Sic Heb. xii. 24., Mediatoris titulo additur continuo *sanguis* ῥαντισμοῦ allusione facta ad sanguinem victimarum quo conspersus fuit populus, Exod. xxiv. 8, ad mundationem legalem et typicam, ut innuatur sanguine Christi pariter vera fide conspergendas esse conscientias ad purgationem spiritualem et mysticam, 1 Joh. i. 7; sed omnium clarissime Apost., 1 Tim. ii. 6, ubi postquam dixit "unum esse mediatorem inter Deum et homines," statim addit explicaturus naturam et partes præcipuas istius officii, "Qui dedit semetipsum in pretium redemptionis pro omnibus." Ac sane cum triplici nostro malo triplex remedium in hoc munere Christi clementissimus Pater nobis exhibuerit, ut *lumen prophetæ* tenebras mentis fugare, virtus atque *potentia regis* peccati maculam ac dominium delere ac domare, ita *justitia sacerdotis* ejusdem reatum et maledictionem plenissima satisfactione auferre debuit. Rursus cum Mediator utrinque agere debuerit ad partes conciliandas; ut apud nos pro Deo agere debuit conditiones fœderis docendo et persuadendo tanquam *propheta*, et ut *rex* nos in fidem susceptos regendo, protegendo et liberando, ita apud Deum pro hominibus agere eum qua *sacerdotem* decuit iram placando, gratiam conciliando, et dona ab eo impetrando. Nam quod argutatur hic hæreticus functionem sacerdotalem tantum fuisse in eo positam ut Christus in cœlis interpellaret pro nobis, facile revincitur; quippe licet non negemus hanc sacerdotalis muneris partem esse quandam, solam tamen fuisse vel præcipuam pernegamus, cum intercessio in cœlis peragenda necessario satisfactionem in terris factam supponat, ut sub V. T. summus sacerdos non prius sacrarium intrabat pro populo deprecaturus, quam victimam in altari propitiationem obtulisset, cujus sanguinem secum deferre debuit, ut fuse docet Apost. ad Heb. cap. ix., et nos in sequentibus probaturi sumus. Unde firmum jam et solidum pro satisfactionis Christi veritate exurgit argumentum: Is enim qui Mediator ideo est constitutus ut pacem per sanguinem faceret, ut seipsum daret in redemptionis pretium, atque adeo ut mortem sustineret ad transgressionum redemptionem, non potest non vere satisfecisse quum

his partibus defunctus est; At Christus nobis talis describitur Mediator; E.

XIII. Fortius vero adhuc stringet argumentum, si addamus non tantum Mediatorem vocari, sed et ἔγγυον *sponsorem* et vadem, Heb. vii. 22. Nam Mediator quidem medium se sistit inter partes dissidentes ut eas quacunque tandem ratione reconciliet, sed Sponsor ulterius quid præstat, utrinque de pactionum et fœderis observatione spondet et pro altera parte fidejubet ac reipsa satisfacit si non sit solvendo, se in Rei aut debitoris locum substituens, vel ut debitum solvat, Prov. xxii. 26, 27, vel ut pœnam luat, ad quam ultro se obstrinxit, Gen. xliv. 32, 33, unde illud Thaletis ἐγγύα πάρεστι ἄτη. Cum ergo Christus fœderis novi sponsor sit constitutus, utrinque pactum hoc confirmare debuit, et ut pro Deo nobis gratiam et benevolentiam constantem et immutabilem Patris, ita pro nobis vicissim satisfactionem Deo peccatis præteritis debitam et fidem atque obedientiam perpetuam in posterum spondet. Atque hoc vocabulum eo convenientius a Spiritu S. usurpatur quod *peccata* nostra vulgo *debita* dicantur in Scriptura, pro quibus scilicet pœnæ debitores sumus apud justitiam Dei. Itaque ut nemo debitoris sponsor dicitur, nisi qui pro eo fidejubet et reipsa si opus sit satisfacit, ita nec Christus sponsor jure diceretur, nisi quia ad satisfactionem pro nobis præstandam seipsum sponte sua obligavit, eamque reipsa Deo exhibuit.

XIV. Ut declinent hoc telum adversarii varia excipiunt: 1. *Mediatoris* vocem præcise satisfactionem non inferre, quia et Moses Mediator dicatur, Gal. iii. 19, ubi Lex dicitur data χειρὶ μεσίτου, i. e. opera et ministerio Mediatoris qui alius præter Mosem esse non potest ex Levit. xxvi. 46, et Act. vii. 35, qui tamen nihil tale præstitisse legitur. 2. Mediatorem in Scriptura nihil aliud significare quam Dei interpretem quo Deus ad fœdera cum hominibus pangenda utatur, et per quem populus cognitione voluntatis divinæ instructus ad Deum accedat, atque istis duabus de causis Mediatorem Christum dici, quod fœdus novum idque sempiternum nomine Dei cum hominibus sanxerit, et omnem Dei voluntatem per quam aditus nobis ad Deum patefactus est exposuerit. 3. Eo ipso quo fœderis novi Mediator dicitur quia id Dei nomine nobiscum pepigit, satis constare nullam adhibitam fuisse satisfactionem et Deum antequam jussu suo Mediatoris officio fungeretur jam placatissimum fuisse; non enim mittere principes internuncios suos ad fœdera cum rebellibus pangenda ni prius ex animo illis rebellionem condonaverint et jam illis vere placati sint, neque aliud præterea ad pacem stabiliendam requiratur, quam ut fœderis conditiones illi velint accipere, quod in hoc fœdere tanto magis obtinere debet quod ibi Deus clementiam suam et misericordiam in remissione peccatorum largienda prædicet, nullam autem satisfactionis debitæ vel postulatæ mentionem faciat, Jer. xxxi. 34. 4. Locum Pauli 1 Tim. ii. 6. non concludere, quia postquam dixit Christum datum esse ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, statim addit τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις *testimonium temporibus suis*, atque ita innuere voluisse Mediationem illam in eo tantum positam esse quod Dei de nobis servandis decretum per mortem suam cumulatissime testatum dederit. Sic Catech. Racovi. c. viii. q. 29, 30: Socin. de Servat. l. i. c. 7.

XV. Sed frustra hic tergiversantur. Nam ad primum facilis est responsio: 1. Nos non tam ex ipsa voce argumentum petimus, (quæ tamen suum etiam hic pondus habere debet, cum apud eruditos sæpius pro eo usurpetur qui aliquem placat, unde Suidas μεσίτην per εἰρηνοποιὸν interpretatur) quam ex natura officii, partium dissidentium conditione, et

descriptione Mediationis Christo commissæ. Cum enim tale dissidium compositurus venerit in quo iratum Deum propter peccatum experiebamur, non poterat Mediatoris munus obire feliciter nisi pro nobis satisfaciendo iram numinis placasset: Unde talis Mediator nobis proponitur qui non tantum Dei vice apud homines fungitur, sed vice hominum apud Deum, Heb. v. 1, qui pacem per sanguinem fecit, qui seipsum dedit ἀντίλυτρον pro multis, &c., quæ omnia *mediationem* non tantum *interpretativam* si ita loqui liceat, sed etiam *redemptivam* et *reconciliativam* important.

XVI. Secundus Locus Gal. iii. 19, non favet adversario, sive de Christo eum intelligamus, sive de Mose; Nam si ad Christum referimus, quod fecit Calvinus noster post multos ex veteribus, corruit plane ipsius ὑπόστασις, si vero de Mose interpretamur, quod mavult Beza Epiphanium contra Manich. Gennadium et Theodoretum secutus, ne sic quidem vel sententiæ ipsius quicquam accedit vel nostræ decedit, cum constet titulum hunc Mosi *typice* tantum tribui et symbolice, quia in hac functione figuram Christi gessit Angeli fœderis per quem ut per verbum suum semper locutus est Pater. Itaque etsi Moses in hoc internuncii officio satisfecisse non legatur, male tamen inde colliges neque Christum etiam satisfecisse, notum enim est a *Typo* ad *Antitypum non valere argumentum negative*, quia plus est sæpe in Antitypo quam in Typo, maxime cum typus partialis est et inadæquatus, qui ita σχέσιν aliquam et qualitatem antitypi sui adumbrat, ut alias tamen quæ in eo esse possunt non neget vel excludat. Nimirum quia mysterium hoc divinum, ut alia pleraque, uno aliquo simulachro e rebus terrenis desumpto perfecte reddi et exprimi non potuit, Spiritus S. huic uni depingendo varios typos adhibuit, ut quod in uno videbatur defore alter sufficeret et suppleret, pictorem imitatus qui quod non potest una, variis tabellis reddit, ut archetypum suum accurate quantum fieri potest sub variis illis aspectibus repræsentet. Cum ergo nullus occurreret sub V. T. qui triplex Christi munus, regium, propheticum et sacerdotale simul sustinuerit, necesse fuit illud ipsum quod in antitypo conjunctum fuit in typos varios partiri, ideoque quidam Propheticum ut Moses et prophetæ, alii sacerdotale ut Aaron et qui ab ipso fuerunt oriundi, alii denique regium ut David et Salomon exhibuerunt; Sed ita singuli quod suum erat ad exprimendam veritatem contulerunt, ut nunquam tamen de Antitypo ex uno seorsim, sed ex omnibus ἀθρόως et simul sumptis judicandum sit; Unde cum Moses typus mediationis Christi fuerit tantum quoad prophetiam vel etiam quoad regnum quadantenus saltem in regimine scil. populi, non potest ex eo argumentum duci ad negationem satisfactionis in Antitypo, quæ in alio typo muneris sacerdotalis, Aarone puta et sacrificiis legalibus, includebatur.

XVII. Ad 2. Resp. supponi perperam quod est in quæstione, nimirum Mediatorem, interpretem tantum et Internuncium significare, quod jamjam revicimus. Unde etiam solvitur quod additur de duabus rationibus propter quas Christus Mediator dicatur, et quia fœdus novum sancivit et quia voluntatem Dei nobis exposuit; Nam cum fœdus illud sanciri non potuerit nisi sublata utrinque odii causa necessario satisfactionem præviam requirebat quæ hoc exequeretur, unde dicitur sancitum in Mediatoris sanguine, Heb. ix. 15, et Luc. xxii. 20. Cum vero præconium voluntatis divinæ unam tantum officii mediatorii partem impleat, non potuit hoc respectu duntaxat Mediator dici, sed potissimum ex eo quod pro hominibus apud Deum agere debuit, alias Paulus male Christum vocaret ἕνα μεσίτην unicum Mediatorem, cum prophetæ et apostoli qui omne Dei consilium

nobis etiam exposuerunt, Act. xx. 27, et xxvi. 22, imo et pastores ipsi hoc elogio insigniri possent non immerito, quod tamen illis constanter denegat Scriptura, nec potest iis non modo sine abusu sed et sine periculo tribui: solus quippe Christus ut *quoad personam* θεανθρώπου vere μέσος fuit, utrique extremo, Patri quidem deitate, nobis vero humanitate, ὁμοουσίας adhærens, potuit *quoad officium* utrumque extremum inter se nexu indissolubili pace per sanguinem facta consociare.

XVIII. 3. Neque ullius est ponderis quæ tertio loco affertur ratio, nimirum Deum eo ipso quo Mediatorem Christum constituit ad sanciendum nobiscum fœdus jam placatissimum fuisse, nihilque propterea satisfactione opus habuisse, ut principes internuncios suos non mittunt ad rebelles nisi prius omnem rebellionem illis condonaverint: Nam aliud est *Deum esse misericordem et placabilem*, aliud vero *propitium* jam et reipsa *placatum*; potuit quidem Deus Mediatorem ordinando ad fœdus sanciendum priorem σχέσιν induere, quia hæc ipsa Mediatoris missio fuit animi benevoli et ad misericordiam proni effectus, sed placatus non potest dici nisi per ipsam satisfactionem, quando propter hoc ipsum voluit Mediatorem intercedere ut justitiæ obice remoto ad misericordiæ exercitium viam faceret; Nec principum exemplum contrarium evincit, nam nihil obstat eosdem non quidem placatos, sed placari tamen cupientes, mittere legatos qui de pacis conditionibus paciscantur, et si ita lubet pro ipsis rebellibus satisfaciant ut legum authoritas maneat illibata, imo cum fœderis conditiones illis præscribant eo ipso se nondum placatos satis ostendunt. Nihil porro hic præsidii habet hæreticus in fœderis N. descriptione a Jeremia facta, nam etsi mentio fiat misericordiæ et clementiæ summæ in remissione peccatorum, eam tamen non excludere, sed includere necessario Mediatoris ipsius satisfactionem probatum antea dedimus, et ex eo satis patet quod "in Jesu Christo promissiones omnes sint Etiam et Amen," 2 Cor. i. 20, et fœdus hoc non nisi morte mediatoris sanciri potuerit, Heb. ix. 15, 16, &c.

XIX. In 4° non plus est roboris: Nam ut hic non dicamus quod tamen Beza observat se in uno veteri codice scriptum deprehendisse non μαρτύριον sed μυστήριον; ex recepta lectione nihil exsculpi poterit quod hæresim juvet; Nec enim mors Christi vocatur μαρτύριον quasi ad doctrinæ confirmationem demum eam obierit, sed tum quia plenam divinæ benevolentiæ fidem apud nos facit, nam qui proprio filio non pepercit quid non largiretur nobis cum illo? tum quia est illud ipsum de quo testantur prophetæ omnes et apostoli, utrique enim de passionibus et gloria secutura sunt locuti. Sic *testimonium* dicetur mors Christi non *active* simplici. quasi inservierit tantum ad testandam et confirmandam doctrinam suam, sed præsertim *passive* quia de ea omnes viri Dei in Scriptura testantur. 2. *Testimonium* illud præcise ad mortem referri non debet, sed ad ipsum evangelii mysterium in genere de quo locutus fuerat in ver. præced. ut significet Deum sapientissime hæc omnia ita disposuisse secundum testimonium temporibus propriis reservatum, doctrinam scilicet evangelii quæ sæpissime μαρτύριον dicitur, 1 Cor. i. 6, et 1 Cor. ii. 1, quia testatur ibi Deus et de benevolentia sua et de Christi merito; hæc quippe aliis retro seculis abscondita, novissimis temporibus revelari debuit, Rom. xvi. 25, Eph. iii. 5, et sensus hic planus est, ex scopo Apostoli, dixerat enim, ver. 4, "Deum velle omnes homines servari et ad agnitionem veritatis venire," quorum prius finem posterius medium respicit ad finem consequendum necessarium; Utrumque vero confirmat; et prius illud quidem ex eo quod *Deus unus sit, et unus Mediator Dei et hominum qui se* ἀντίλυτρον *dederit pro omnibus*, non omnibus et singulis *universaliter* quod repugnat consilio Dei ex quo Christus venit

tantum ad servandum populum suum, Matth. i. 21, et intentioni Christi qui se pro Ecclesia sua dedit et pro datis sibi a Patre, Joh. xvii. 6, 9, Eph. v. 25, sed *omnibus indiscriminatim* cujuscumque generis, conditionis, et sexus fuerint. Alterum vero, cum addit hoc esse juxta *testimonium temporibus propriis reservatum cujus constitutus sit ipse præco*, ut innuat scilicet Deum qui vult omnium salutem et qui propterea voluit Christum pro omnibus tradi, velle etiam ut per evangelii præconium istud mysterium omnibus promiscue hominibus testatum fiat, quo scilicet tempore a providentia divina præstituto ad veritatem et per veritatem omnes et singuli electi ad salutem adducantur.

XX. Atque ita vindicatum est et assertum primum nostrum argumentum. Secundum petitur a primario fine et effectu mediationis Christi *redemptione* scilicet quam ille indeptus est. Nam si Christus pro nobis ab ira Dei, potestate Diaboli, mundi servitute, peccatorum laqueo et tenebrarum ac mortis caligine liberandis obtulit Deo Patri pretium auro et argento longe præstantius, animam puta et sanguinem suum, utique non exemplo tantum sed merito Servator est dicendus, nec improprie et metaphorice sed vere ac plenarie pro nobis satisfecit; Christum autem hoc ipsum præstitisse innumera docent Scripturæ loca, hæc vero imprimis manifestissime evincunt: Matth. xx. 28, "Filius hominis venit ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν; 1 Cor. vi. 20, "Pretio empti estis;" 1 Tim. ii. 6, "Dedit seipsum ἀντίλυτρον pro omnibus;" 1 Pet. i. 19, "Redempti estis pretioso sanguine Christi ut Agni immaculati," &c.; Tit. ii. 14, "Christus semet ipsum dedit pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate," &c.; Eph. i. 7, "In quo habemus redemptionem, in sanguine ejus." Huc pertinent et alia plura, Rom. iii. 24, Gal. iii. 13, Apoc. v. 9, &c., quæ de Redemptione facta per sanguinem et mortem loquuntur.

XXI. Ut autem hoc argumentum in aperta luce collocetur observandum est *redimendi* vocabulum non uno sensu usurpari in Scriptura; aliquando rei alicujus opportunum et commodum usum denotat ut quum Apostolus Eph. v. 16, et Col. iv. 5, hortatur nos ut *tempus redimamus*, significat scilicet, tum solicite captandam esse benefaciendi occasionem, tum ita compensandum tempus esse quod nobis vel nihil, vel aliud, vel male agentibus effluxit, ut eo ferventius incumbamus bonis operibus quo frequentius antea malis operam dedimus, nullasque prætermittamus occasiones quibus possimus etiam cum jactura nostrarum voluptatum gloriam Dei et nostram proximique salutem promovere. 2. Aliquando laxiori et metaphorico quodam significatu designat liberationem quamcunque etiam nullo pretio interveniente factam, quo sensu Scriptura frequentissime Israëliticam ab Ægptiaca servitute redemptionem commemorat et Mosem cujus opera in eam rem usus est Deus λυτρωτὴν sive redemptorem appellare non dubitat, Act. vii. 35, sic passim in Psal. Deus dicitur redimere animam eorum quos liberat ab aliquo malo et periculo, ab aliqua afflictione et angustia; sed 3. Maxime proprie accipitur pro ea liberatione qua quis ab aliquo incommodo aut re noxia liberatur intercedente pretio, pretium autem illud voco quo aliquid compensatur, sive cujus impendio res aut jus aliquod acquiritur, et cujus ea est natura et proprietas ut sui valore et æstimatione alterum moveat ad liberationem præstandam vel jus concedendum, sic apud Terent. in Eunuch., "quid agas? nisi ut redimas te captum quam queas minimo, si nequeas, paululo ac quanti queas," et apud Virgilium,

Fratrem Pollux alterna morte redemit.

Hoc sensu primogenitorum quidam redempti sunt soluto certo pretio, Num. iii. 46, 47, et jus redemptionis bonorum inter cognatos obtinebat de quo Levit. xxv.

XXII. Cum ergo redemptionem nostram Christo tribuit Scriptura, vocem hanc non 1° aut 2° significatu, sed 3° demum ac maxime proprio accipiendam esse pertendimus: Rationes autem quæ nos ut ita credamus movent, plures sunt gravissimæ: 1. *Miserrima hominis redimendi conditio*, quadruplici enim servitute premebamur Peccati, Legis, Mortis, Diaboli; peccatum sub jugum suum nos misit ᾧ γάρ τις ἥττηται τούτῳ καὶ δεδούλωται, 2 Pet. ii. 19, et Joh. viii. 34, "qui facit peccatum servus est peccati;" ex peccato legis maledictioni et iræ divinæ facti sumus obnoxii, "natura enim sumus filii iræ," Eph. ii. 3, et "quicunque sunt sub operibus Legis sunt sub maledicto," Gal. iii. 10. Lex propter peccatum morti nos mancipat, Rom. iv. 15. Diabolus per peccatum et mortem, tyrannidem suam in nos exercet, 1 Joh. iii. 8, et Heb. ii. 14, 15. Hinc captivi dicimur, Isa. lxi. 1, qui captivitatis miserias omnigenas experimur, carcer in quo detinemur vel corpus est hoc corruptibile quod animam gravat a quo propterea liberari petit Apost. Rom. vii. 24, vel potius mundus iste miseriarum plenus et vera lachrymarum vallis quæ carceris ad quem damnantur peccatores veluti pars est superior ex qua nisi liberatio divinitus accedat in inferiorem tandem ignis et sulphuris detruduntur; Lictor et Commentariensis Diabolus est princeps tenebrarum et Deus hujus seculi, sordes et tenebræ in quibus jacemus sunt peccata et iniquitates quæ μιάσματα et μολυσμοὶ, 2 Cor. vii. 1, et opera tenebrarum dicuntur Rom. xiii. 12, vincula et laquei sunt tum peccati dominium et Carnis cupiditates quibus tanquam diaboli laqueis constringimur, 2 Tim. ii. 26, tum reatus mortis et damnationis ex peccato consequens, quo veluti compede arctissimo vincti tenemur, et judicio divino obstricti; At quos peccati regnum, mortis timor, Satanæ tyrannis ac legis ac justitiæ divinæ jugum ἀβάστακτον occupant undique qui fieri potest ut eluctentur, nisi redemptor et summam ad Diabolum et peccatum debellandum potentiam adhibeat, et absolutissimam ad majestatem divinam placandam justitiam impendat?

XXIII. 2. Idipsum suadet ipsa *Redemptionis nomenclatio;* nam certum est λυτροῦν, ἀπολυτροῦν, apud Græcos, *Redimere* vero quod iis apud Latinos respondet, in primaria ac maxime propria significatione proprie dictam Redemptionem innuere, scilicet quæ fit intercedente aliquo pretio, et hic habemus confitentem reum, hæreticus enim lib. ii. de Serv. c. 1, hoc diserte docet "Redimere aliquem nihil aliud proprie significat, quam cum captivum e manibus illius qui illum detinet pretio illi dato liberare." At ut apud omnes est in confesso a propria et nativa verborum significatione nunquam est recedendum nisi gravissimæ urgeant causæ, ut cum proprius sensus in fidei aliquem articulum aut charitatis præceptum palam ac vere incurrit, vel figuratus sermo evidenter ex eodem vel ex aliis locis detegitur ac probatur: Augusti. lib. iii. de doctr. Christi. c. 10, et 15, hoc figuratæ interpretationis dat indicium "si dictum proprie acceptum nec ad fidem nec ad dilectionem aut ad ullam omnino ædificationem accommodari possit." Si vero ad utrumque faciat quam maxime et tum ex ipsius loci circumstantiis, tum ex aliis parallelis evidenter comprobari possit, quis nisi in ipsum Spiritum S. qui hoc nobis tradere voluit injurius rejicere queat?

XXIV. Rem autem ita sese habere in hoc argumento non difficile est ostendere, nam quoad loca parallela docebimus in sequentibus non modo redemptionem metaphoricam non connotare sed proprie dictam necessario inferre, nunc vero ex ipsis loci circumstantiis demonstratum istud

damus, quæ scilicet *redemptionis nostræ modum et naturam* describunt, quæ tertia nobis erit assertionis superioris ratio. Nec enim Scriptura tantum redemptionem memorat sed pretium ipsum et λύτρον quo mediante facta est aperte nominat, Matt. xx. 28, "Filius hominis venit dare animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Sic 1 Cor. vi. 20, *pretio empti estis*, et 1 Pet. i. 19, pretium illud ponitur in sanguine Agni. Ut vero λύσασθαι Redimere est ita λύτρον est illud quod impenditur ad impetrandam istam redemptionem, quasi dicas Redemptionis pretium, ut δίδακτρον quod pro doctrina solvitur. Gloss. λύτρα redimiæ, quæ Hom. ἄποινα vocat, Hesych. λύτρα, καθάρματα, λυτήρια και πάντα τὰ διδόμενα εἰς ἀνάκλησιν ἀνθρώπων (repone ἀνάκτησιν). Hinc Latini veteres quorum multæ voces transumptæ sunt a Græcis λύτρον una interposita litera *Lustrum* appellarunt, et λυτροῦν *lustrare* dixerunt; unde Liv. lib. ii. "Omnes Centuriæ et Equites in campum martium convocati, sue, ove, tauro cæsis immolarunt, quod lustrum dictum, et lustrare urbem" est eam a pœna liberare per lustrum id est pœnam succedaneam quod et piaculum dicitur; sic Decii dicuntur lustrasse Romanum exercitum se devovendo id est sua pœna et morte omnem ab illo pœnam averruncasse, et Thebas Menœceus, de quo Mater apud Papirium,

Lustralemne feris ergo te puer inclyte Thebis
Devotumque caput vilis ceu Mater alebam?

Ad quem locum Scholiastes vetus "Lustrare civitatem humana hostia Gallicus mos est." Unde colligitur redemptionem maxime eam quæ per λύτρον fit non nisi vera satisfactione procurari potuisse.

XXV. Quorsum enim λύτρου toties meminisset Scriptura nisi pretium aliquod vere et proprie dictum subesset? Nam quod adversarius subinde regerit hoc improprie dici quia ad præsentiam ejus liberamur licet non per efficientiam; nihil aliud est quam absurda petitio principii quæ probanda fuit, non ita præsidenter statuenda, nam præter ea quæ jam ex adverso dicta sunt et dicentur adhuc in sequentibus, illud etiam eo satis refellitur quod non modo pretii illius meminerit, sed collationem ejus instituat cum rebus carissimis quæ ab hominus impendi solent, vel ad captivorum redemptionem, vel rei cujuslibet emptionem, auro, puta, argento, &c., 1 Pet. i. 18, "Scientes vos non auro et argento aut rebus corruptibilibus a vana conversatione vestra redemptos fuisse, sed pretioso sanguine Christi," &c., confert ergo imo præfert sanguinem Christi auro et argento tanquam majus quid et excellentius in genere pretii. Itaque ut aurum et argentum pretium sunt vere non figurate, ita pariter de sanguine Christi philosophari debemus nisi velimus Apostolum parum apposite hanc collationem instituisse, quod vel cogitare impium; Fateor hujusmodi collationes semper ad vivum non esse resecandas, sed observari tamen debet scopus Spiritus S. et attendi formale similitudinis in quo utraque pars convenire debet saltem in suo genere; Itaque hic cum aurum et argentum conferantur sub hac formalitate pretii cum sanguine Christi, omnino *veritas* aliqua pretii competere etiam debet sanguini Christi, non quidem in *genere Physico* sed *mystico et morali*, ita ut redemptio non tantum sit consequens λύτρου sed proprius et realis effectus.

XXVI. Quod si non satis efficax ex eo videretur probatio, quanquam jam sit fortissima, invicta sane redditur si addatur 4°. *Vocis* ἀντιλύτρου *pondus* qua Spiritus S. usus est in hoc argumento, nec enim dicit tantum Christum nos redemisse, quod jam satis ex proprietate vocis satisfactionem connotat, non addit demum redemptionem illam factam fuisse pretio quod fortius

adhuc illam evincit, sed ne dubitandi locus ullus supersit, testatur ἀντίλυτρον aliquod intercessisse, Christum scilicet se pro omnibus dedisse ἀντίλυτρον, 1 Tim. ii. 6, et quod eodem recidit, animam suam λύτρον posuisse ἀντὶ πολλῶν, Matth. xx. 28, quod V. V. perperam reddit *redemptionem*, cum notetur non ipsa redemptio sed *redemptionis pretium* et quidem tale pretium quod commutationem debitoris et compensationem debiti notet: nam et præpositio ἀντὶ maxime proprie substitutionem et vicem significat, Matth. v. 38, ὀφθαλμὸς ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, ὀδοὺς ἀντὶ ὀδόντος, 1 Pet. iii. 9. Matth. ii. 22, Archelaus regnare dicitur ἀντὶ Ηρώδου του πατρὸς ἀυτοῦ, id est loco et vice, sic Luc. xi. 11, 1 Cor. xi. 15, 1 Thess. v. 15, et sæpius alibi, in compositione vero tria significare solet, ut observant Grammatici, *æqualitem* et *paritatem* ut ἀντίθεος Hesy. ἰσόθεος, ἀντιάνειρα Aristarcho ἴσανδρος virago, vel *contrarietatem et oppositionem ut* ἀντίδικος, ἀντίπαλος, αντίγραφον, &c., vel *compensationem et commutationem* ut αντίψυχοι ii qui pro aliis morti se devovebant ut eos liberarent, ut de Damone et Pythia narratur: hic autem nec *æqualitas* nec *contrarietas* locum habere potest, Ergo superest ut *compensatio* tantum et *commutatio* connotetur; Ita αντίλυτρον tale erit λύτρον in quo liberator vicem sustinens rei et captivi, simile quoddam malum subit ei quod illi imminebat qui liberatur, cum caput capite redimitur, quod Apostolus eleganter explicat, Gal. iii. 13, dum ait "Christum redemisse nos ab execratione Legis, factum pro nobis execrationem."

XXVII. Atque idipsum quadantenus saltem confiteri coacti sunt adversarii dum particulam ἀντὶ commutationem aliquam inferre agnoscunt, licet postea quod una manu dare visi sunt altera auferre conentur, addendo talem esse commutationem quæ nullam compensationem aut satisfactionem arguat. Sed quam turpiter hic suo se gladio jugulent proclive est agnoscere. Cur enim Christus per commutationem in locum nostrum esset subrogatus, nisi ut pœnas qua commeriti eramus ipse luendo nos ab iisdem liberet, quod jamjam innuebat Apost. ad Gal. Nec vanissimum commentum suum fulcire potest Crelli. contra Groti. duobus locis, Prov. xxi. 18, et Isa. xliii. 3, ubi videtur commutatio poni sine compensatione; Nam præterquam quod in neutro habetur vox ἀντίλυτρον de cujus vi quærimus, accedit etiam quod non sine compensatione aliqua hoc impletum sit, cum Deus in Ægyptios et alios populos derivaret pœnas quas juste exigere potuit a populo suo, sed quas misericorditer in alios transferre decrevit ut ipsi parceret. Sic quippe subierunt vicem suam ut quasi permutatione facta cladem quæ ipsi impendebat sustinere coacti fuerint, nam ut hunc servaret illos perdidit, alio revocando hostes qui in ipsius perniciem toto impetu ruebant.

XXVIII. Ex quibus jam satis liquere arbitramur redemptionem proprie dictam et non metaphoricam tantum hic locum habere debere: Quod ut liquidius fiat observandum est multis modis *redemptionem* seu liberationem captivorum fieri inter homines, vel *gratuita manumissione* ut cum dominus ultro dimittit et liberum abire jubet servum suum, vel *permutatione* ut in bellis sæpe fieri solet, vel *violenta ablatione* ut cum David vi et armis suos liberat et recuperat ex manibus Amalekitarum, 1 Sam. xxx., et Abraham Lothum nepotem suum eripit regibus Cananæis, Gen. xiv., vel *justa satisfactione* ut fidejussor qui pro debitore solvit; In hoc autem negotio nec *gratuita manumissio* simpliciter obtinere potuit, quia Justitiæ ultricis ratio non patiebatur impune abire peccatum, nec *permutatio*, quia nulla cujuscunque creaturæ permutatione compensari potuit Deo illata ab homine contumelia, non denique *violenta ablatio*, quanquam enim jure bono Christus potuit prædam suam diabolo eripere quam ille fraude mala sibi vindicaverat, non potuit tamen eo modo Deo reconciliari homo læsæ

majestatis reus, sola ergo supererat redimendi ratio sufficiens per viam justitiæ solutis omnibus nostris debitis per sponsorem nostrum Christum.

XXIX. Cæterum etsi tres priores liberationis modi seorsim hic non valeant; non diffitendum tamen sub aliqua σχέσει omnes simul in hoc salutari opere concurrere, atque hinc conciliari possunt varia loca Scripturæ in speciem pugnantia, quorum alia dicunt nos *gratis* per gratiam Dei et sine operibus justificatos et salvatos, ut Rom. iii. 24, Eph. ii. 8, 9; Alia innuunt, nos *pretio* redemptos esse, ut 1 Cor. vi. 20, et 1 Pet. i. 19, &c; Alia *permutationem* aliquam factam esse docent, Gal. iii. 13, et 2 Cor. v. 21; Alia ostendunt nos vi et potentia aliqua ab hostibus liberatos, Heb. ii. 14, Col. ii. 15, Isa. lxiii. 5; sed hæc omnia verissime dicuntur: Nam cum *salus* nostra sub quadruplici respectu considerari possit, vel *Dei judicantis*, vel *Christi redimentis*, vel *hominum redemptorum*, vel *Diaboli obsidentis et tyrannice imperantis: Quoad Diabolum* sumus *potentia summa* et virtute efficacissima liberati, quippe quem Christus prius victum et jure sibi mancipatum vi et armis spoliavit, *quoad nos gratis* redempti sumus et salvati, nihil enim ex nobis ipsis contulimus ad nostri liberationem, *quoad Christum* sumus *permutati*, quia ille pro nobis factus est peccatum et execratio ut essemus benedictio Dei in ipso, *quoad Deum* denique *pretio redempti* cum seipsum justitiæ divinæ ἀντίλυτρον pro nobis Christus exhibuit. Quia vero non raro Scriptura opus hoc redemptionis mirabile, sub gemina potissimum σχέσει considerat et Dei et Diaboli a quibus diversimode liberari debuimus; Ideo hæc duo peculiariter Christo redemptori tribuere solet, *Justitiam* et *Potentiam*, illam qua ab ira Dei nos eximit, istam qua a tyrannide Diaboli nos liberat; Atque hinc gemina illa *Agni* et *Leonis* appellatio, quæ toties Christo tribuitur: Agnus victimam refert, Leo victoriam, Agnus passionem, Leo triumphum, Agnus meritum, Leo virtutem, Agnus proprium sanguinem fundit, Leo alienum, Agnus quia sanguine suo redemit Ecclesiam, Leo quia robore suo destruit inimicos, Agnus respectu Dei ad eum placandum, Leo respectu Diaboli ad eum vincendum: Hinc etiam variæ mortis et crucis denominationes oriuntur, dum illa altare Sacerdotis aliquando, Heb. xiii. 10, et quando currus triumphalis victoris dicitur, Col. ii. 15, et λύτρον quo Deus placatur, Matth. xx. 28, et ὅπλον quo Diabolus debellatur, Heb. ii. 14.

XXX. Huc pertinet etiam quod in V. T. de גאל refertur, nam et is typus eximius hac in parte fuit Christi redemptoris, unde ipse Messias hoc nomine non raro insignitur, Job. xix. 25, "Ego scio גאלי quod Redemptor meus vivit," Isa. lix. 20, "veniet ad Sion גאל," Targ. פריק redemptor et liberator. Jus autem habebat Goel, 1. Res venditas et alienatas fratris aut cognati, agrum puta, domum, &c. redimendi, Lev. xxv. 25, reddendo גאלתו pretium quo emptæ fuerant res illæ proportione scil. temporis servata. 2. Captivum eundem vel servum liberandi, ibid. v. 47, 48, "si frater tuus attenuatus fuerit et se vendiderit peregrino et advenæ, redemptio erit ei, unus ex fratribus ejus redimet eum;" 3. Interfectum vindicandi unde vocabatur גאל הדם *Vindex sanguinis*, de quo, Num. xxxv., et Deut. xix. 6. Hebræi multa de eo tradunt, ut quod persequebatur homicidam et jus habebat eum occidendi sicubi eum nactus fuisset ubi ad Magistratum appellare non posset, nisi se recepisset ad urbes refugii, tunc enim non licebat manus illi violentas inferre: et ibi homicida maxime si erat שוגג id est si per errorem et ignorantium homicidium patraverat (nam מזיד qui sponte et data opera id fecerat postquam in בית דין Consistorio causa discussa fuerat et ille חייב מיתה reus mortis fuerat deprehensus, magistratus authoritate plectebatur) permanere debebat usque ad mortem summi Pontificis, qua reditus

illi patebat ad domum suam et pristina officia si quæ antea sustinuerat (ubi illustrem habemus typum ingentis beneficii quod summus Sacerdos noster commeruit, ejus enim morte peccata nostra expiantur et condonantur uti deinceps ad patriam cœlestem a qua propter crimina nostra exulabamus reditus detur). Atque hinc fiebat referentibns Hebræis ut summorum Pontificum matres homicidis exulantibus sæpius munera mitterent ne optarent summi Pontificis mortem, ferunt enim summum Sacerdotem eo citius mortuum fuisse si homicidæ plures enixius mortem ejus a Deo precibus efflagitassent. 4. Denique idem uxorem defuncti fratris vel propinqui ducere debuit ad progeniem illi excitandam, Deo ita pro summa sua sapientia in Rep. Israëlitica peculiariter hoc disponente ad familiarum et tribuum conservationem, Deut. xxv. 5, " Si habitaverint fratres simul et mortuus fuerit unus eorum absque filio, non nubat defuncti uxor foras viro alieno," ne scilicet transeat in alienam familiam, "sed frater ejus ingrediatur ad eam ducatque eam in uxorem," atque in ejus rei fidem vir oram vestimenti sui extendebat super eam, ut constat ex Ruth. iii. 9, Ruth Boos propinquum suum alloquens, *Extende*, inquit, *Alam tuam super ancillam tuam* כי גאל אתה *quia tu propinquus es sanguine*, tacite innuens cupere se ut matrimonium secum contraherit, quod Chald. luculenter exponit יתקרי שמך על אמתך למסבי לאינתו: i. e. *vocetur nomen tuum super ancillam tuam ad accipiendum in uxorem*, hoc enim fieri apud Judæos solebat ut sponsus in signum juris et authoritatis quam in sponsam acquirebat, et simul in pignus officii conjugalis mutui, amoris et protectionis, oram vestimenti super eam extenderet, quod colligitur ex Deut. xxii. 30, et Ezech. xvi. 8.

XXXI. Hæc autem omnia plene ac perfecte in Christum quadrant. Ille quippe carnem nostram assumpsit, et frater noster factus est ut posset esse noster גאל jusque redemptionis super nos haberet, habebat quidem antea *Jus proprietatis* qua Deus, sed *Jus propinquitatis* non habuit nisi qua verus homo. Præstitit vero quæcunque ab eo fieri solebant; Nam et captivos nos ac peccato et diabolo mancipatos liberavit, Luc. i. 71, de hostibus qui nobis mortem intulerant vindictam sumpsit, Col. ii. 15, Rom. vi. 6, Heb. ii. 14, bona deperdita et hæreditatem cœlestem a qua malo merito nostro excideramus, justo merito suo recuperavit, 1 Pet. i. 4, Tit. iii. 7, Heb. ix. 12. Et nos a priori marito Lege puta et fœdere operum solutos, æterno atque indissolubili connubio ex fœdere gratiæ sibi copulavit, Rom. vii. 4, Eph. v. 25, 26, atque in hujus rei fidem perfectissimæ justitiæ suæ vestem super nos extendit, Gal. iii. 27, quod adumbratum fuit in virgine illa sordida et nuda apud Ezech. xvi. 8, super quam Deus oram suam extendit et matrimonium cum ea contraxit; Ecclesia enim nuda et sordida cum sit natura, limbum vestis suæ sponsus super eam extendit qua et nuditas et sordes obteguntur, atque is eo ipso jus mariti super nos acquirit et arctissimam communionem nobiscum colit.

XXXII. Quia vero rationibus hisce premi se sentiunt Adversarii, κρησφύγετα varia conquirunt undique quibus elabantur; pertundunt ergo ex redemptione neutiquam posse colligi veritatem satisfactionis: 1°. Quia redemptio non semper sumitur proprie, quo sensu includit aliquod pretium, sed sæpius metaphorice et improprie, prout simplicem liberationem notat nullo intercedente pretio factam, ut, Exod. xv. 13, *Deus* dicitur *redemisse populum suum ex Ægypto*, sic Deut. vii. 8, Psal. lxxvii. 15, &c. Itaque posse etiam hic talem significationem obtinere, atque eo magis quod redemptio hæc nostra sæpius cum Israëlitica conferatur et hæc illius typus fuerit et figura, Luc. i. 68. 2°. Moses etiam λυτρωτὴς dicitur, Act. vii. 35, quem tamen nullam satisfactionem dedisse certum est. 3°. Si redemptio

proprie esset intelligenda, ad captivorum liberationem solvendum fuisset detinenti pretium; At nec solutum illi est, nec solvi potuit, quis enim dixerit quippiam solutum esse vel Diabolo, vel iniquitatibus, vel vanæ conversationi, vel Legis execrationi a quibus detinebamur? 4°. Non posse dici Deum pretium illud accepisse ut vulgo creditur, cum ipsemet redemptionem nobis fecerit et Filium suum pro nobis impenderit. 5°. Addunt Christum nos liberare ab ira per vitam, Rom. v. 9, Ergo non per mortem, non aliquod pretium solvendo pro nobis, sed potentia sua in judicii die nos ab æterna morte vindicando. 6°. Denique ita nos redimi quemadmodum fuimus venditi, at venditos esse gratis et sine pretio cum nos ipsos in servitutem diaboli et peccati mancipavimus, E. et redemptos pariter sine pretio. Ex quibus omnibus colligunt non posse urgeri loca quæ de redemptione loquuntur ut inde inferatur vera satisfactio, cum nihil aliud importent quam simplicem liberationem quæ dicitur facta per mortem Christi quia eam nostra a peccati servitute consecuta est vindicatio: Sic Soci. lib. ii. c. 1, 2. Volkel. de vera Rel. lib. iii. c. 18. Catec. Rokovi. c. 8. q. 25, 26, &c.

XXXIII. Sed σοφὰ hæc sunt φάρμακα quæ laboranti et desperatæ causæ levamen nullum afferre possunt. Nam quod ad 1m, quis ferat adversarios tam inepte ratiocinantes et a particulari ad particulare vel universale argumentantes: *Redimere* aliquando sumitur metapho. et liberare simpli. significat, E. et hic, vel E. semper ita usurpandum? Quis enim consequentiæ vitium non videat? Quasi vero Spiritus S. sibi hanc fixerit legem ut semper eodem sensu vocem eandem usurpet; imo nihil frequentius occurrit quam ut vocibus πολυσήμοις diversimode utatur κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην. Non negamus ergo sæpius laxiori quodam significatu sumi in Scriptura neque ea quæstio nostra fuit, sed an hoc in argumento obtinere debeat, quod merito respuimus, non modo ex ipsa vocis proprietate sed ex aliis circumstantiis variis quæ necessario proprie dictam redemptionem important, quod modo est ostensum: Et hoc ex ipsis adversariis vel invitis extorquere possumus, nam quatuor tantum requiri contendunt in vera redemptione, ut sit captivus, captivum detinens, redemptor, et λύτρον sive redemptionis pretium; At nullum ex his desideratur in hoc negotio: homines sunt captivi propter peccatum, Deus qua judex detinebat eos sub ira et maledictione aliisque pœnis peccatum justissime consequentibus, redemptor Christus est et mors ejus redemptionis pretium, nihil ergo causæ dici potest cur propria hic non possit aut debeat redemptio intelligi, nam quod vitilitigantur requiri præterea ut qui captivum detinet pretium accipiat, quo loco sit habendum mox dicturi sumus.

XXXIV. Ex quibus facile intelligitur quid in specie respondendum sit ad ea loca quæ de redemptione Israëlitica loquuntur, neque enim si non possint proprie sumi continuo sequitur hæc nostra improprie usurpanda esse; Et sane longum latumque discrimen intercedit inter *liberationem corpoream* et *externam* quæ facta est simpliciter a tyranni manu, et *liberationem spiritualem* et *Juridicam* quæ fit a maledictione legis et ira Dei: Illa revera potuit fieri absque λύτρῳ et per Dei potentiam, at hæc non item, siquidem intercedebant et justitia Dei immutabilis, et infallibilis ejus veritas; unde nulla pœna liberatori inflicta legitur in illa quæ pro λύτρῳ veniret ut in ista, neque unquam illa ut hæc sæpissime per λύτρον et ἀντίλυτρον dicitur facta. Non nego tamen sæpius utramque inter se conferri et alteram alterius figuram et typum gerere, sed similitudo est non identitas vel per omnia æqualitas, et si collatio instituitur *quoad rem*, non statim

quoad *modum rei*, quia subjectæ materiæ id non patitur ratio; imo ut recte Chrysost. Homil. 61, in Genes., "oportet figuram minus habere quam veritatem, quia alioqui non fuisset signum futurorum." Sint ergo in eo similes quod sicut Deus populum suum ex dirissima liberavit servitute et a crudelissimis hostibus, modo plane extraordinario debellatis iis quorum imperio subjiciebantur, ita hic Ecclesiam suam liberat a sævissima Diaboli et peccati servitute, modo plane extraordinario et mirabili fusis ac prostratis hostibus nostris; sed discrimen est multiplex: ibi liberatio corporea, hic spiritualis, ibi liberatio simplex, hic talis quæ fit intercedente λύτρῳ, ibi liberatio per Dei potentiam a manibus hominum, hic redemptio per justitiam ab ira Dei, ibi Mosis servi opera et ministerio uti voluit Deus, hic Christi ipsius Domini et ἀρχηγοῦ σωτηρίας.

XXXV. Quid quod si accurate loqui volumus neque redemptio illa Israëlitica facta est omni modo absque ullo respectu ad λύτρον; nam cum certum sit speciales omnes promissiones et liberationes veteri populo concessas, subnixas fuisse generali promissione venturi Messiæ, siquidem opem auxiliumque a Deo expectare haudquaquam poterat nisi propitio et reconciliato, propitius autem esse nequit nisi per Christum; unde Paulus promissiones omnes Dei asserit in Christo esse Etiam et Amen, 2 Cor. i. 20: dubium etiam nemini esse debet quin singularis hæc et eximia liberatio nonnisi propter Christum indulta fuerit patribus; quod et Agni Paschalis sanguine non obscure fuit adumbratum. Sed neque hoc silentio prætermitti debet duo fuisse in ea redemptione imprimis memorabilia: inde, liberationem ἀπὸ τοῦ ὀλοθρευτοῦ primogenitos omnes Ægyptiorum occidentis a quo sanguine Agni superliminaribus ædium illito exempti sunt; hinc vero, vindicationem a sævissima Pharaonis manu et jugo ferreo quo premebantur et a quo liberati sunt ביד חזקה. Hoc vero utrumque hic deprehenditur, et longe clarius conspiciendum se præbet; Christus enim verus Agnus Dei tutos nos præstat sanguine suo cordibus nostris fide asperso ab Abbaddone, ira scilicet Dei et morte quæ per universam mundi Ægyptum longe lateque grassatur, et virtute potentissima eripit nos e manibus infernalis Pharaonis, et dirissima qua opprimebamur servitute. Cum ergo neque hic desit aliqualis collationis ratio, patet hæreticum perperam ab illa ad hanc argumentum duxisse ad veritatem satisfactionis negandam.

XXXVI. Sed non solidius illud evincit quod 2° loco addit de Mose qui λυτρωτὴς dicitur etiamsi nunquam satisfecerit. Nam etsi non negamus sub hac σχέσει Mosem typum gessisse Christi, non est tamen *typus* ὁλικὸς et *adæquatus*, sed μερικὸς tantum et *inadæquatus*, unde multifariam differunt. Ille homo tantum fuit et servus, Heb. iii., hic vero Deus et Dominus, Ille redemptor typicus et temporalis unius populi, hic autem verus et æternus omnium gentium, Ille Mediator μονόπλευρος *ex parte Dei* ad nos, verba Dei populo annunciando, Deut. v. 5, Iste vero δίπλευρος etiam a *parte nostri* apud Deum, illum placaturus, et nos ipsi reconciliaturus suo sanguine; Ille a Pharaone redemit, Iste a Diabolo, Ille ab Ægypto, Iste a judicio, Ille absque morte et sanguine proprio, nusquam enim dicitur quod morte et sanguine proprio, tanquam pretio populum redemerit, imo mortuus latet, sed vita tantum et potentia, at Christus animam suam posuit pro peccato, et proprio sanguine æternam redemptionem nobis est consecutus; Nec mirum videri debet, nam Moses et alii liberatores typi erant muneris regii non functionis sacerdotalis, præstabant quod poterant adversus hostes potentia et virtute, sed non quod requirebatur ex parte justitiæ ad ejus placationem, Itaque eum referebant non qua Sacerdotem qui sacrificium offert ad propitiandum numen, sed qua regem qui de hostibus

triumphat prædam iis suam eripiendo; Denique omnes illi Servatores liberarunt non aliquid faciendo circa liberandos quod Christo tribuitur, sed amovendo tantum libertatis impedimenta. Ergo non debet urgeri similitudo quoad modum liberationis, alias multa absurda sequerentur, dicendum esset quippe Christum nos miraculis ac prodigiis et per hominum mortem liberasse, quod Moses fecit, non autem proprio sanguine, quod Mosi nec tribuitur, nec tribui potest

XXXVII. Ad 3m. Exc. Resp. Peccari fals. hypoth. gemina: 1. quod in omni vera redemptione requiratur semper aliquis qui λύτρον accipiat, Nam cum λύτρον notet promiscue vel rem vel factum quo intercedente quis liberatur ab aliquo periculo vel incommodo, et factum aut pœna a nemine proprie loquendo possit accipi, nihil obstat verum esse λύτρον, quod tamen nemo præcise accipiat. Sane Virgilius propriam redemptionem intelligebat cum dixit, *si fratrem Pollux alterna morte redemit*, at mors illa Pollucis nihilominus, qua Castor frater ejus a perpetuo interitu liberatur, tale est λύτρον de quo cui detur et a quo accipiatur bene dici non potest. Fateor in debito pecuniario solutionem pretii fieri creditori qui pretium illud accipit, adeo ut fiat translatio dominii et eo ipso sit auctior et locupletior is cui persolvitur; At alia est ratio debiti pœnalis, neque enim supremus magistratus qui pœnam exigit induit rationem creditoris sed judicis, ut alibi ostensum, qui respicit non utilitatem propriam sed bonum totius universitatis et Legum conservationem, unde nihil opus est ab eo accipi pretium quo locupletior fiat, sufficit modo ut in pœnarum latione reus vel vas satisfaciat Legi. Verum quamvis proprie loquendo pretium istud a nemine accipi possit aut debeat: non diffitemur tamen laxo quodam significatu posse dici datum et acceptum fuisse, quomodo is qui debet pœnas magistratui eas dare et exsolvere censetur cum plectitur; ita Christus vere Deo supremo judici pretium istud exsolvit, unde dicitur seipsum obtulisse Deo, Eph. v. 2, Heb. ix. 14.

XXXVIII. 2. Fals. hypoth. nititur etiam hæretici ratio quasi omnibus iis qui nos quocunque modo detinent solvendum sit pretium, cum *principali et primario detinenti* tantum sit expendendum. Qui reum et facinorosum a carcere et patibulo eximit, an carceri et patibulo, an lictoribus et carnifici dependit pretium? Nequaquam, sed judici tantum cujus leges violavit, et cujus dominio ac jurisdictioni subest. Ita hic peccata, iniquitates, vana conversatio erant carcer in quo detinebamur, et vincula quibus constringebamur, Diabolus vero justitiæ divinæ minister et tortor nos continuo vexabat, at Deus est supremus judex, cui ut soli peccavimus, ita illi et pœnas exigendi et pretium accipiendi jus proprie competebat et potestas. Itaque etsi captivus ab his omnibus liberetur, tamen redemptionis pretium nonnisi supremo judici et carceris Domino persolvitur, solvi quidem debuit *pro istis* sed non *istis*, unde sophisma facile solvitur *Majoris limitatione;* Illi scilicet pretium solvendum fuit qui nos captivos detinebat primario, principaliter, et ut Dominus et judex, at nec Satan nec peccata, nec legis execratio, ita nos captivos detinebant, ac proinde illis non potuit aut debuit tale pretium exhiberi, sed Deo.

XXXIX. Porro quod cavillatur, 4°, non potuisse Deo persolvi pretium cum ipse redemptionem fecisse dicatur, Luc. i. 68, et Filium suum pro nobis tradisse, inane est et ficulneum: Nam etsi redemptionem ille procurarit, non obstat tamen quominus ipsi pretium dari potuerit: 1. Quia non ἀμέσως et in propria persona illud præstitit, quod fingebant Patripassiani, sed in Christo et per Christum. 2. Κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο utrumque illi recte tribui potest, prius secundum misericordiam, posterius quoad justitiam; ad hanc

pertinuit quod pretium exigeret pœnasque nobis debitas postularet, ad misericordiam vero quod cum solvendo pares non essemus, λύτρον ipse nobis in Filio suo lubenter subministrare voluerit, ut si rex in rei alicujus gratiam id omne dependi curet quod iste fisco deberet, ut hinc quidem legum autoritatem sartam tectamque tueatur, inde vero clementiam suam in reum quem vult liberatum exerceat, quo modo Zaleucus Locrensis de suo tulit partem pœnæ filio debitæ ut authoritas Legis a se latæ maneret illibata.

XL. Ad 5m disting. *Redemptionem* de *Jure* et de *Facto* quemadmodum peccatum nos mancipabat. 1. *quoad reatum*, 2. *quoad labem* et pœnas consequentes. Ita duplex redemptio vel potius unius redemptionis duo gradus esse debuerunt, prior per *meritum sanguinis*, posterior per *efficaciam spiritus*, de primo loquitur Paulus, Eph. i. 7, "Redemptionem habemus in sanguine," de posteriori, Rom. viii. 23, "Expectamus redemptionem corporis nostri," et Eph. i. 14, prior in morte Christi, posterior per ejus vitam, illa enim reatum peccati tollit remissionem ejus nobis acquirendo et jus ad vitam, hæc vero de facto nos a labe et pœnis peccati liberat, ac in vitam per varios gradus transfert, propterea dicimur salvandi per vitam Christi, Rom. v. 10. Sed hæc redemptio secunda non excludit primam sed supponit, nunquam enim de facto nos Christus in vitam introducere potuisset, nisi prius jus et potestatem id ipsum præstandi fuisset consecutus, unde Apost. ibidem conjungit tanquam ἀδιαίρετα "reconciliationem per sanguinem, et salutem per vitam;" illa salvat merito, hæc efficacia, imo prior tanquam potior substernitur ab ipso, siquidem a majori ad minus argumentatur, si Deus per sanguinem reconciliavit nos inimicos, multo magis jam reconciliatos servabit ab ira per ipsum, si obtinuimus quod majus est quum indigni plane fuimus, an non minus largiturus est cum ἱκανοὺς nos fecit gratia sua? Porro *Ira* illa, de qua loquitur, non proprie Dei indignationem quæ est in ipso, sed metonymi. *effectum iræ* quod est ab ipso, denotat, id. supplicium et mortem æternam, ut Matth. iii. 7, "quis vos docuit fugere ab ira ventura?"

XLI. Cæterum quum ab ira Dei et judicio ejus redimi dicimur, hoc non ita intelligendum est quasi per hanc redemptionem eriperemur ab ejus potestate, neque ideo redimimur ut abstrahamur a Deo ut malo, quo modo hosti pretium persolvitur ut is quem captivum detinet ab ejus potestate liberetur, sed potius in gratiam redeamus cum illo tanquam summo bono et illi conjungamur denuo a quo per peccatum fueramus alienati, Apoc. v. 9, ut subditus perduellis et læsæ majestatis reus, cum satisfactio pro eo præstita est, reconciliatur principi et redit in gratiam cum eo a quo propter crimen lictori in carcerem compingendus, et carnifici morte mulctandus traditus fuerat. Itaque in redemptione distinguenda venit detinentis duplex σχέσις, vel enim *hostis* est qui inique nos sibi mancipavit, vel *judex et princeps* qui justissime propter perduellionis crimen nos incarceravit; ab illo ita redimimur ut ab eodem abstrahamur, quomodo bello captus dat λύτρον imperatori ut ab hostis potestate vindicetur et libertati restituatur; at ab hujus judicio ita liberamur ut ab eo alienati denuo illi reconciliemur; a Diabolo quidem ut hoste redimimur et ab ejus potestate eripimur; at cum Deus non hostis sit sed judex noster et princeps, redemptio non alienationem sed conjunctionem et reconciliationem importat.

XLII. Ad 6° Resp. Pecc. fall. pari, nam *venditio* quidem et *emptio* in eo conveniunt quod sicut illa metaph. significat abjectionem, alienationem a Deo, et mancipationem diabolo, quemadmodum ea quæ venduntur in potestatem alterius transeunt ut iis pro libitu utatur, ita emptio seu redemptio importat acquisitionem et peculiare jus quod obtinemus in rem emptam quæ propterea peculium nostrum et סגלה dicitur: at differunt in variis, gratis

enim excidimus et in diaboli potestatem venimus culpa et inobedientia nostra, et justo Dei judicio, sed redimi non potuimus nisi satisfactionis interventu, quia liberandi fuimus ab imminente nobis maledictione; nec mirum, nam quod vili venit magno sæpe redimitur, Adamus seipsum perdere potuit, sed salvare vel a morte eripere nequaquam. Aug. Enarr. in Psal. xcv., "Tenebantur homines captivi sub Diabolo et dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate, vendere enim se potuerunt sed redimere non potuerunt."

XLIII. Conclusum esto E. Christum quia nos sanguine suo redemit vere pro nobis satisfecisse. Nam quod hæreticus mortem Christi pretium vocari contendit quo redimamur, quia intercedit ut liberationem a spirituali captivitate consequamur, et in spem vitæ æternæ nos erigit ex consecuta resurrectione, merum est subterfugium. Annon enim fides nostra, pœnitentia, et evangelii prædicatio ad idipsum intercedunt? An ergo per illas redimi dicimur aut unquam dixit Scriptura tanquam per pretium quo liberationem consequamur? Quid vero illud est quod, cum liberationem illam ex Christi resurrectione multo magis quam ex morte sequi ipse existimet, morti tamen semper, nunquam vero aut rarissime resurrectioni ea redemptio tribuatur? nam quod existimat illud fieri quia in morte magis eluxit, vel plane ad ἀπροσδιόνυσον vel pro nobis facit: quicquid enim in morte fuerit non fuerit tamen redemptio, si liberationis effectus ex illa non est secutus, nec ea re quæ non tam boni nostri causa fuit quam simplex occasio, Dei charitas adeo magnifice et splendide prout a Scriptura innuitur, potuit demonstrari. At quam luculenter ineffabilis Dei dilectio ex sententia nostra hic se prodit, quod cum non alia commodior satisfactionis occurreret ratio, proprio Filio non pepercit ut nobis impiis et rebellibus parceret, Rom. v. 8, &c.

XLIV. 3m Argu. suppeditat nobis *reconciliationis* ratio quam Christus Mediator moriens inter nos et Deum instituit et firmavit: nam ex eo quod reconciliasse nos Deo dicitur et quidem per mortem et sanquinem sequitur necessario eum satisfecisse, quando iram adversus peccata nostra nunquam posuisset Deus nisi justitiæ suæ litatum fuisset. Nimirum *reconciliare* nihil aliud est quam amicitiam offensione gravi diremptam resarcire et sic inimicos in pristinam concordiam reducere. Hic autem in memoriam revocandum est omnes creaturas rationales Deo fuisse conjunctissimas ante lapsum, sed per apostasiam hominis facta est quasi avulsio creaturæ a Deo et aversio Dei a creatura, adeo ut idem ille Deus qui hominem a se creatum dilexerat tanquam filium, hominem jam lapsum et corruptum oderit quasi perduellem; Itaque non potuit reconciliatio fieri nisi utrinque odii et inimicitiæ causa tolleretur, tolli autem non potuit nisi per mortem Christi quæ et iram numinis placavit et peccata nostra expiavit: non potuit framea illa ignea quæ nos arcebat a Dei præsentia, et aditum ad paradisum intercludebat, removeri et extingui nisi in Christi sanguine. Atque hinc est quod Paulus toties reconciliationis istius per sanguinem Christi factæ meminerit, Rom. v. 10, "Si cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filii sui," et 2 Cor. v. 18, 19, 21, "Omnia sunt ex Deo qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum," &c. Sic Col. i. 20, "Placuit Patri per eum reconciliare omnia sibi pace per sanguinem Crucis ejus facta." Ita Eph. ii. 16, "Ut utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem peremptis per eam inimicitiis."

XLV. Cæterum ut *reconciliationis* istius ratio clarior evadat, observandum est, *reconciliationem* et *Deo Patri*, et *Christo* mediatori, et *ipsis fidelibus* quandoque tribui, sed sub alia et alia σχέσει: Nam et is reconciliare

dicitur, qui primaria est reconciliationis causa et qui aliquid efficit quod meretur aut consequitur reconciliationem, et qui reconciliationis sibi ab alio promeritæ gratiam sibi applicat; *Deus* nos reconciliare dicitur primo modo, quatenus ab æterno decrevit electos suos in peccatum prolapsos in gratiam restituere, et illud ex ordine gratiæ suæ præparavit quod ad componendam inter se et peccatores discordiam necessarium erat, Ita 2 Cor. v. 19, Deus dicitur sibi reconciliasse mundum, "Deus," inquit, "erat in Christo mundum reconcilians sibi:" *Fideles* dicuntur se Deo reconciliare tertio sensu, quatenus jubentur beneficium oblatum amplecti, inimicitias omnes deponere, et diligentem Deum vicissim redamare; sic 2 Cor. v. 20, Apostoli hortantur nomine Christi fideles singulos ut reconcilientur Deo, id est se convertant ad Deum et reconciliationem a parte Dei oblatam amplectantur; Sed præter duas hasce loquendi rationes *Christus* etiam nos reconciliare dicitur, Rom. v. 11, Eph. ii. 16, non tanquam causa reconciliationis primaria, quod facit Deus, non tanquam reconciliationem applicans, quod faciunt fideles ope Spiritus S., sed tanquam mediator qui illam merito suo procuravit, non modo nos ad gratiæ suæ communionem vocando, sed et illud Deo exhibendo propter quod et cujus intuitu ipse iram omnem ponit nobisque placatur; cum enim dissidium inter nos et Deum ortum duabus causis foveretur, inde, justitia Dei quæ iratum eum atque infensum nobis præstabat, hinc, peccatis nostris quæ ad rebellionem continuo nos impellebant, ut reconciliatio solida ac firma institueretur debuit utrumque obstaculum removeri, prius quidem respectu Dei per satisfactionem, posterius respectu hominum per justificationem et sanctificationem, utrumque vero Christus peregit sanguine suo, nam et eo justitiæ Dei satisfecit plenissime et peccata nostra delevit, atque adeo conscientias nostras mundat ab operibus mortuis, ne amplius in ea peccata incidamus quæ Dei indignationem provocent et reconciliationis vinculum abrumpant, sed serviamus Deo vero et vivo, Heb. ix. 14. Ita recte hæc reconciliatio et Patri et Filio tribuitur, *Patri* ut causæ primæ, *Filio* ut causæ propinquæ, Patri quoad consilium, Filio quoad executionem, Patri inchoative et originaliter, Filio formaliter et terminative, Patri procuratorie, Filio meritorie.

XLVI. Ne vero dubitemus Christi mortem hic tanquam meritoriam reconciliationis causam intercessisse, alia utitur phrasi Spiritus S. quæ clarius idipsum evincit, cum Christum ἱλαστήριον et ἱλασμὸν vocat, Rom. iii. 25, 1 Joh. ii. 2. Nam hæc vocabula hominum peccatorum conversionem primario non respicere, sed iræ divinæ aversionem aliquo placamine procuratam, notius est quam ut probatione indigeat. Hinc θεὸν ἱλάσκεσθαι est *Deum placare*, apud Homer., quod sacrificiis solebat fieri, Iliad. ϛ., Ἔνθαδέ μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται, Κοῦροι Ἀθηναίων, *Illic eam* scili. deam *tauris et agnis placant Pueri Atheniensium*. Hinc ἱλάσκεσθαι teste Hesych. idem quod ἐξιλεοῦσθαι, sic λάομαι est *propitium facio*, pro quo usitatius ἱλάσκομαι *placo*, *propitio*, quod et passive usurpatur apud lxx., Psal. lxv. 3, et lxxix. 9, Exod. xxxii. 14, ἱλάσθη Κύριος περὶ της ἁμαρτίας, et ἐξιλάσκεσθαι *placare*, *expiare*, *propitiationem facere:* respondet Hebræo כפר quod in Kal est *tegere*, *operire*. In Pihel est, *placare*, *propitium reddere expiare;* Et quia illi jungitur præpositio על, Levit. v. 10, וכפר עלהם ἐξιλάσεσθαι περὶ αὐτῶν *expiabit pro iis*, ita jungitur plerumque apud Græcos cum præpositione περὶ, ut passim in Levit: aliquando Deus dicitur ἱλάσκεσθαι scilicet passive ταῖς ἁμαρτίαις vel ταῖς ἀσεβείαις ἡμῶν, Psal. lxv. 3, lxxix. 9, aliquando peccata dicuntur ἱλάσκεσθαι, Heb. ii. 17, id est *expiari*, quia per expiationem a Christo factam Deus super illis placatur. Hinc ἐξίλασμα quod est *placamen* seu munus placatorium et redemptorium quo quis

placat judicem, vel vitam suam redimit, Psal. xlix. 7, quod respondet τῷ כפר quod significat *redemptionis pretium*. Hinc ἱλασμὸς proprie est actus illius qui alterum propitium et placatum reddit, iram ejus avertendo et gratiam conciliando. Unde aries quo sacrificium fiebat pro peccato vocatur, Num. v. 8, κριὸς ἱλασμοῦ *aries expiationum*, et dies quo propitiatio pro peccatis populi solebat fieri, Lev. xvi., dicitur ἡμέρα ἐξιλασμοῦ *dies propitiationum*, Lev. xxiii. 27. Cum ergo Christus dicitur ἱλασμὸς pro peccatis nostris, hoc ipso innuitur eum morte sua fecisse quicquid necessarium erat ad expianda peccata nostra et iram numinis placandam, quod nihil aliud est quam ipsissima quam quærimus satisfactio. Eodem pertinet quod Paulus dicit, Rom. iii. 25, Christum factum esse ἱλαστήριον per fidem in sanguine suo; quod potest vel *masculine* intelligi ut notet *propitiatorem* et *reconciliatorem*, ut Erasmus interpretatur id, eum qui munus et vim habet Deum placandi peccatoribus suo sanguine, vel *neutraliter*, quo sensu alibi ἱλασμὸς et λύτρον dicitur illud cui inest virtus et efficacia Deum placandi et peccata expiandi. Sic respexerit Apost. tum ad sacrificia ἱλαστικὰ V.T., quo sensu vere fuit κριὸς τοῦ ἱλασμοῦ aries expiatorius, Agnus scili. Dei tollens peccata mundi, Joh. i. 29, tum ad ipsum Arcæ operculum quod Heb. כפרת, lxx. per ἱλαστήριον ἐπίθεμα, Paulus simpliciter per ἱλαστήριον reddit, Heb. ix. 5. Cum autem variis de causis tegmen illud Arcæ hoc nomine veniret, non modo quod tegeret Arcam fœderis et tabulas Legis in ea reconditas, ad significandam remissionem et propitiationem peccatorum admissorum in Dei Legem, sed etiam quia Deus ibi se placari et propitiari pateretur suo populo et peccatis illius respersione sanguinis victimarum quæ ibi fieri solebat ad hoc operculum, Lev. xvi. 14, et quod consequenter se propitium et placatum ac velut throno gratiæ insidentem suo populo exhiberet; non mirum si Apostolus, nomen figuræ et umbræ corpori reddendo, Christum ἱλαστήριον dixit. Is enim est proprie qui legis accusationem et peccatorum nostrorum reatum justitia sua perfectissima tegendo, seque inter legis fulmina et Dei judicis majestatem medium sistendo, propitium nobis et favorabile numen reddidit atque ita misericordiam supra judicium, evangelium supra Legem extulit; quemadmodum operculum illud tabulas Legis tegebat et medium erat inter Legem quæ in Arca erat reposita et Dei majestatem quæ in medio Cherubinorum se patefaciebat. Rursus is est qui aspersione sanguinis sui (qui ideo sanguis ῥαντισμοῦ dicitur, Heb. xii.,) facta plenam nobis expiationem apud Deum obtinuit. Is denique in quo thronum gratiæ ad quem accedere jubemur, Heb. iv. 16, et in quo se nobis placatum et propitium exhibet, erigit Deus 2 Cor. v. 19. Quia vero illud omne non aliter fieri potuit quam plenaria Legis impletione et pœnarum ab ea denunciatarum perpessione, ideo ἱλαστήριον dicitur *in sanguine;* Atque hinc validissimum pro veritate satisfactionis colligitur argumentum, Is enim qui pro nobis id apud Deum operatur ut qui prius iratus fuit iram deponat et nobis placetur et reconcilietur, Servator est merito et non exemplo tantum, nam qui nos solo exemplo servat non opus est ut aliquid efficiat apud Deum, sed tantum ut operam suam impendat et occupet circa homines, exemplum enim ad homines pertinet non ad Deum; At Christus id efficit apud Patrem morte sua ut ira deposita nobis reconcilietur, nec amplius nos ut filios iræ quales eramus natura, sed ut dilectos filios respiciat et amplectatur, E. Servator est non exemplo tantum, sed et merito et efficacia.

XLVII. Hic vero responsant adversarii: 1°. *Reconciliationem* hanc non fieri per iræ divinæ a nobis aversionem, sed per nostram ad Deum conversionem, quia nunquam legitur in Scriptura Deum nobis reconciliari vel

Christum nobis Deum reconciliasse, sed tantum nos esse Deo per Christum reconciliatos, ut innuatur scilicet non Deum sed nos inimico animo fuisse, non illum placari, sed inimicitias nostras deponere debuisse. 2°. Quod ex eo fortius adhuc probari contendunt quod non tantum Christus dicatur nos Deo reconciliasse, sed Deus ipse nos per Christum reconciliasse, 2 Cor. v. 19; At si Deus nos reconciliavit, utique non iratus, sed placatus jam et propitius fuit, neque de eo dubitari potest cum nos dilexisse dicatur cum inimici essemus, Rom. v. 8, et ex illa dilectione Christum misisse, 1 Joh. iv. 10; qui vero infensus et iratus dici poterit qui tam benevolo et propenso fuit erga nos affectu? 3°. Deus dicitur nos reconciliasse *non imputans peccata*, E. non per satisfactionem sed per gratuitam et liberrimam condonationem. 4°. Eo modo reconciliatio est intelligenda quo modo apostoli ejus præcones fuerunt, sed ministri erant reconciliationis nostræ cum Deo, non Dei nobiscum, nihil aliud enim postulant quam ut reconciliemur Deo, ibid. 2 Cor. v. 20. 5°. Pertendunt Paulum, Eph. ii. 16, et Col. i. 20, agere de reconciliatione non Dei cum hominibus, sed vel hominum inter se, Judæorum scilicet et gentium, vel cum Angelis qui nobis propter peccatum infensi erant; hos enim per *ea quæ sunt in cœlis* intelligendos esse non diffiteri multos e nostris. 6°. Quod ad vocem ἱλασμοῦ attinet, addunt Christum dici ἱλασμὸν non quatenus moritur pro nobis, de morte enim Johannem nullam facere mentionem, sed quatenus nunc apud Patrem degens Advocatus noster est et causam nostram suscipit, patrocinio suo nos fovendo et cura singulari efficiendo ne iram divinam experiamur aut pœnas quas meriti sumus luamus, quo pertinet illud Heb. ii. 17, et vii. 24, 25, ubi fidelis dicitur pontifex ad expiandum peccata populi propter idipsum. 7°. Ἱλάσκεσθαι nihil aliud esse quam propitium alicui fieri et illi ignoscere; atque ita respondere verbo Heb. סלח, ut הסליחה redditur per ἱλασμὸν, Psal. cxxx. 4, sed non importare propterea satisfactionem ex eo facile colligi quod Arcæ operculum *propitiatiorium* vocetur, in quo tamen nullum satisfactionis deprehenditur vestigium; quandoquidem ita vocatur non quod Deum iratum populo placaret, sed quod in eo loco responsa populo dabat Deus, et suam erga illum benevolentiam declarabat, Exod. xxv. 22, et Num. vii. 9. Denique etsi Christus diceretur Deum nobis placasse, non bene inde satisfactionem elici, cum ad aliquem placandum satisfactio non sit semper necessaria, fieri enim posse ut quis vel precibus vel persuasionibus ita permulceatur, ut de suo jure penitus concedat, et porro nulla satisfactione indigeat; sic Volkel. ratiocinatur, lib. v. c. 22, Schiltingi. contra Meisner. de Justifica., Soci. de Servato., p. 2, et alii.

XLVIII. Verum hæc inania sunt hominum otio et ingenio suo abutentium figmenta, ad crucem Christi evacuandam et summam erga nos Dei charitatem elevandam. Πρῶτον ψεῦδος eorum est Deum inimicum nobis atque infensum propter peccata dici non posse, ideoque satisfactione qua reconciliaretur ipse, neutiquam opus habuisse. At in superioribus jam pluribus argumentis assertum ivimus essentialem Dei justitiam, qua semel posita sequitur necessario pœnam peccato ex ea deberi, nec ullam posse Dei cum hominibus amicitiam iniri nisi illi semel satisfactum sit; falsissimum E. est quod pertendunt, reconciliationem hanc notare tantum nostram ad Deum conversionem et inimicitiarum a parte nostri depositionem, non vero ipsam iræ Dei aversionem et mitigationem. Nam cum alienatio mutua fuerit et Scriptura inimicitiam hanc et odium statuat non modo a parte hominum, Rom. v. 10, Col. i. 21, sed et a parte Dei, "quippe ira ipsius revelatur e cœlo adversus omnem impietatem," &c., Rom. i. 18, "et nos natura sumus filii ira et maledictioni obnoxii," Eph. ii. 3,

Gal. iii. 10, Utique *reconciliatio* utrinque præstari debuit, et a "parte nostri per conversionem, et à parte Dei per iræ aversionem," hoc enim relatorum natura postulat, alias statuendum esset Deum non aversari nec odio habere peccata, quod vel cogitare impium. 2. Si reconciliatio ista conversionem hominum tantum notaret, non ipsius iræ aversionem, multo rectius vitæ Christi gloriosæ quam morti ferretur accepta, at constanter morti tribuitur. 3. Scriptura commendat in nostri reconciliatione summum Dei erga nos amorem, Rom. v., at quis crediderit ex eo intentissimam Dei charitatem colligi quod nos ab odio Dei discesserimus? 4. Apostolo, Rom. v., reconciliatio nihil aliud est quam justificatio, ut constat ex coll. v. 9 et 10, ubi tanquam æquipollentia ponit *Justificari in sanguine*, *et reconciliari per mortem*, neque ulla ratio dari potest cur hic Paulus de Sanctificatione loqueretur, de qua verbum hactenus nullum expresse fecit, sed est tantum locuturus, cap. vi., ubi secundum hoc beneficium a Christo fluens est explanaturus. 5. 2 Cor. v., aperte distinguitur duplex reconciliatio, alia quam Deus per Christum fecit, ver. 18, 19, alia ad quam apostoli nos hortantur, ver. 20. Ista conversionem revera infert quæ per fidem fit et pœnitentiam, at illa *non imputatione peccatorum* describitur; quæ quantum inter se discrepent nemo non videt. 6. Si reconciliatio nihil aliud est quam conversio, ratio nulla dari potest idonea cur sanctificatio constituatur ab Apost. finis hujus reconciliationis, nihil enim sui ipsius potest esse simul medium et finis, quod fit tamen ab eo, Col. i. 22.

XLIX. Neque obstat quod Scriptura potius *nos Deo* reconciliari dicat quam *Deum nobis*, hoc enim fit ex usitato loquendi modo quo is qui offendit ideo reconciliari dicitur, quia sicut causam odio dedit, ita ipsi reconciliatione opus est et illius quem offendit placatione; cum sua culpa fœdus fregerit et primus abscesserit, redeat necessum est et agnoscat culpam, alter vero reconciliatione alia opus non habet, nisi ut ignoscat atque justam deponat iram et odium; cum E. nos Deum offenderimus, non ille nos, non sine causa Scriptura nos Deo reconciliari potius quam Deum nobis dicit; sic qui recordatur fratrem habere aliquid adversum se debet ex præscripto Domini illi reconciliari, Matth. v. 24, quia fratrem scilicet offendit, sic uxor quæ maritum deseruit reconciliari viro jubetur, 1 Cor. vii. 11. Verum quamvis reconciliatio ut plurimum offendenti tribuatur, non excluditur tamen imo includitur offensus, unde apud Sophocl. in Ajace **καταλλάσσεσθαι θεοῖς** Diis conciliari idem est quod iram Deorum effugere eosque propitios reddere; Tecmessa inducitur narrans Ajacem profectum esse **ὡς καταλλαχθῇ θεοῖς χόλου** *ut reconcilietur Diis ob iram*. Itaque si nos Deo reconciliandi fuimus, et ipse nobis quoque, Nos per satisfactionem aut propriam aut vicariam, Ille vero per benevolentiæ et gratiæ restitutionem et contesserationem; unde Syrus interpres, Rom. v. 10, passive illud de Deo interpretatur אתרעי עמן אלהא במותא דבריה *Reconciliatus est Deus nobiscum* seu benevolus factus *per mortem Filii sui*.

L. Instant tamen secundo, et reconciliationem non posse iræ divinæ aversionem notare pertendunt, eo quod ipse Deus dicatur reconciliationem illam per Christum procurasse et quidem ex dilectione summa. Sed ne sic quidem obtinere poterunt unquam Deum jam ante mortem Christi placatum fuisse vel reconciliatum, sed tantum misericordem et placandum; necesse quidem fuit Deum misericordia erga nos commotum fuisse, et animo benevolo affectum ut salutem conferre vellet, at placatus dici neqnit nisi sublata inimicitiæ et alienationis causa, ideoque si iram deponere voluit et non punire, hoc nonnisi sub conditione placaminis futuri per Christum quod justitia exigebat, intendit. At quo pacto dilexisse

dicetur si iratus fuit ac reconciliatione opus habuit? Resp. Nihil obstat iram et dilectionem circa idem objectum occupàri sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. Irasci potuit ut justus judex, et idem diligere ut misericors pater; Irasci nobis qua peccatoribus et diligere qua creaturas. Sic Beda in 5m ad Rom., "Deus miro modo quando nos oderat, diligebat; odit in unoquoque nostrum quod feceramus, amavit quod fecerat;" et ut loquuntur Scholastici, dilexit humanum genus quantum ad naturam quam ipse fecit, odit quantum ad culpam quam homines contraxerunt: Amor E. Dei erga naturam a se conditam illum movebat ad procurandam hanc reconciliationem, odium Dei erga peccatum a se prohibitum a nobis commissum nos indignos reconciliatione constituebat; unde recte Thomas, iii. q. 49, Arti. 4, "Non dicimur reconciliati quasi Deus de novo amare inciperet, nam æterno amore nos dilexit, sed quia per hanc reconciliationem sublata est omnis odii causa tum per ablutionem peccati tum per recompensationem acceptabilioris boni." Nobis quidem id durum ac difficile videtur ut qui odit idem et diligat, quia cum affectus aliquis nos habet totos occupat, si ira accensa sit in aliquem, nullus tum in nobis gratiæ locus, si gratia, etiam injustissima sæpenumero indulgentia; sed si præcidamus perturbationes et justitiæ habitu induamur facile hæc inter se componemus: Pater offensus filii petulantia, diligit eum ut filium, irascitur tamen ei ut petulanti, sic judici licebit irasci et ad pœnam excitari et nihilominus charitate affici ad ignoscendum, si modo extet qui fidejubeat, quidni E. Deus, qui justissimus est et optimus, potuerit et pœnam postulare ex justitia, et ex misericordia satisfactionem nobis procurare?

LI. 2. Distinguendus *amor* Dei; alius enim est *benevolentiæ* et antecedens qui fertur in objectum constituendum, alius *complacentiæ* et consequens qui fertur in objectum jam constitutum, prior est quo Deus bene vult nobis et media constituit et ordinat ad id ut nobis reipsa benefacere possit, posterior quo nos filios jam factos prosequitur, et nobis ad imaginem suam renovatis impense delectatur; Hic sane non potest cum ira Judicis et animo plane infenso consistere, nam quem ita diligit ut in eo sibi complaceat illi iratus esse nequit, sed placatus esse supponitur; at de illo aliter se res habet, nihil enim obstat offensum amare offendentem eatenus ut illi bene velit et media ad reconciliationem subministrare dignetur qui tamen eo ipso reconciliatus non potest dici. Exemplum hujus rei luculentum extat apud Job, cap. xlii. 7, 8; Dixit Jehova Eliphazo Themanitæ, "Accensa est ira mea in te et duos amicos tuos quia non estis loquuti recte ut servus meus Job;" viden' Deum iratum, nec tamen prorsus sine aliqua dilectione, nam ecce statim benevolentiæ argumentum, "Sumite nunc vobis septem juvencos et septem arietes et adite servum meum Jobum ut offerendum curetis holocaustum pro vobis, nam vere personam ejus accipiam." Amat E. cum media redeundi secum in gratiam suppeditat, nec dum tamen est placatus, alias quid opus fuisset sacrificiis ad reconciliationem obtinendam? Ita si Deus nos dilexisse diceretur amore complacentiæ ante Christum, utique nulla opus fuisset vel reconciliatione vel satisfactione, at quum dilectio ea fuerit tantum benevolentiæ qua media reconciliationis ipse procuravit, perperam ex eo satisfactionis veritas evertitur, quo solidissime ipsa stabilitur.

LII. Atque hinc facile etiam solvitur quod 3° loco adducebatur, nimirum reconciliationem satisfactionem excludere cum per *non imputationem peccatorum* describatur; tantum abest enim ut ex eo satisfactio evertatur ut diserte potius supponatur: Quippe nunquam nobis remitti aut non imputari potuissent peccata nisi Christo imputata fuissent; propterea Paulus

statim ver. 21, modum reconciliationis istius per Christum factæ explicans, addit elegantissimam satisfactionis Christi descriptionem, "nam fecit eam qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis, ut essemus Justitia Dei in ipso." Nec dicendum est remissionem peccati non posse consistere cum satisfactione; hæc enim non esse ἀσύστατα sed subordinata jam antea evicimus, cum remissio fiat pro nobis et satisfactio exigatur a Christo, et ideo satisfactio exigatur a Christo ut nobis remissio possit indulgeri, unde Paulus hæc duo connectit, Rom. iii. 25, Redemptionem per Christum in ejus sanguine, et justificationem gratuitam: remissio excludit solutionem ejus cui fit remissio, sed non omnem simpliciter, excludit propriam non alienam, hominum non Christi.

LIII. Ad 4m Peccatur fals. hypoth. quasi una tantum et simplex in eo loco occurreret reconciliatio, cum modo dixerimus duas distincte notari ejus partes, aliam a parte Dei, aliam a parte hominum, nam et ille debuit placari et ex infenso amicus reddi, et nos beneficium oblatum amplecti, et rursus ad ipsum redire a quo fueramus alienati; Primam Deus per Christum operatur, alteram instituit ministerio Apostolorum qui nos Christi nomine hortantur ut reconciliemur Deo; Illa ab æterno decreta et in Christo semel facta per sermonem annunciatur, hæc vero per sermonem ipsum procuratur. 2. Distinguenda est *reconciliationis acquisitio* ab *ejusdem applicatione;* illa sanguine Christi peragitur, ista verbo ejusdem et spiritu, illa per Christum solum, hæc per Apostolos et alios Ministros promovetur, unde ministerium reconciliationis illis traditum dicitur, nec potest sine blasphemia dici, Christum non alia ratione circa hanc reconciliationem versatum esse quam Apostolos, quod foret tamen si quod volunt hæretici nihil aliud faceret quam viam ostendere quemadmodum nos ad Deum converti atque ad eum modum illi reconciliari oporteat, Idipsum enim fecerunt et Apostoli faciunt et Evangelii ministri. Itaque dicantur sane apostoli et ministri reconciliare *oblative, applicative, et ministerialiter:* at solus Christus reconciliat *meritorie, principaliter, et satisfactorie.*

LIV. Ad 5m fatemur Apost. ad Eph. ii. 15, 16, agere de Judæorum et Gentium inter se reconciliatione, sed negamus de ea agere exclusive ad reconciliationem hominum cum Deo: imo necessario eam includere pertendimus: tum ex ipsius natura rei, nam amici esse non potuerunt inter se Judæi et Gentes nisi per amicitiam cum Deo, quippe duo diversa quæ junguntur ita junguntur inter se ut prius ac potius jungantur ipsi vinculo, nec enim junguntur inter se nisi per et propter vinculum: tum quia expresse illius meminit, ver. 16, ἵνα ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ. Si ergo Deo debent reconciliari, non utique tantum inter se: Nam quod hæreticus vult postremum illud vocabulum *finaliter* esse intelligendum id. ut reconciliaret ipsos inter se ut Deo serviant, non modo durum est et coactum, sed et verborum ἀκολουθίᾳ manifeste repugnat, illud ipsum siquidem jamjam posuerat, ver. 14, 15, cum dixit "utraque unum fecisse ut ex duobus illis conderet in semetipso unum novum hominem faciens pacem," quid ergo opus fuit idem absque necessitate hic repetere? Itaque omnino statuendum est Paulum postquam, ver. 15, de Judæorum et Gentium inter se reconciliatione verba fecit, jam ver. 16, de utrorumque cum Deo reconciliatione quæ prioris illius et fundamentum est et finis, agere, nam ut nulla solida est amicitia nisi in Deo fundata, sic frustra fuisset omnis illa hominum inter se conciliatio nisi reconciliationem cum Deo secum traheret: Ideo dicit Christum solvisse septum intergerini parietis et inimicitias abolevisse ut *conderet ex duobus unum novum hominem,* &c., *et utrosque in uno corpore reconciliaret Deo per crucem;* In eum siquidem finem utri-

que sibi invicem uniendi erant in unum corpus mysticum ut possent ambo velut in unum corpus compacti Deo per Christi crucem reconciliari; Ita eximie Paulus more suo ordinem et modum istius reconciliationis utriusque notat. Primo enim docet quomodo Christus seipsum Deo in hostiam vivam et sanctam offerendo sacrificiis omnibus Mosaïcis finem imposuit, umbrasque præcedentes in corpore, typos in veritate, terminavit, quod ipse sub ipsum mortis articulum tum voce tum facto testatus est, cum et *Consummatum esse* dixit et vi sua divina templi aulæum a summo ad imum discerpsit; Deinde sublato illo pariete mediano qui Judæos a Gentibus disterminabat, utrosque velut in unum gregem et in unum corpus in seipso conjunxit atque compegit; Denique sic in ipso conjunctos Deo Patri reconciliavit; Idque ut proxime subjicit *per crucem suam* id. per sacrificium illud ἱλαστικὸν in cruce oblatum, unam nempe victimam pro omnibus offerendo, uno omnes pretio mortis scilicet suæ merito redimendo; Quamvis enim hæc redemptio et reconciliatio non simul omnibus eodem momento communicata fuerit atque collata, quemadmodum nec omnes simul electi in mundo vivebant; hæc omnia tamen simul uno eodemque actu temporisque momento in eorum gratiam a Christo præstita et peracta fuerunt. Nec omittendum quod addit ad majorem modi istius declarationem hoc factum esse, *peremptis in ea* scilicet cruce *inimicitiis*, id. peccatis nostris per sanguinem suum expiatis quæ inimicitias illas inter Deum et homines peperant, de iis quippe loqui Apost. res ipsa et verborum series docet, quemadmodum enim, ver. 15, modum ostenderat quo pax inter Judæos gentesque conciliata fuerat, remoto scilicet impedimento septoque rituum legalium hos ab illis dirimente quod Apost. vocat ἔχθραν, ita hic modus declaratur quo per unicum illud Christi sacrificium pax inter Deum et homines conciliata sit, scil. expiatis illo sacrificio abolitisque prorsus omnium electorum peccatis quæ flebilis illius divortii et inimicitiarum causa extiterunt. Ex quibus patet perperam adversarium a positione unius reconciliationis ad negationem alterius argumentari, cum inseparabiles sint et ab Apostolo hic connectantur.

LV. Sed non felicius rem exequitur ex alterius loci paralleli ad Col. i. 20 consideratione, quem de reconciliatione hominum cum angelis aliisque creaturis non vero cum Deo agere pertendit etiam ex nostrorum sententia. Certum equidem hic in varia abire interpretes: Quosdam ad reconciliationem cum angelis hæc verba referre, alios divinam etiam complecti. Sed ut nihil dicamus de iis qui eam interpretantur de reconciliatione creaturarum omnium tum rationalium tum ratione destitutarum cum Deo, ita ut hic non homines tantum sed et Angelos imo et totum mundum reconciliasse dicatur Deo Christus, Homines quidem *proprie* tollendo illorum peccata et Dei iram ortam ex peccato, Angelos *analogice* tollendo possibilitatem labendi et incurrendi iram divinam, Universi hujus machinam *metaphorice* liberando eam a servitute corruptionis et restituendo nativæ suæ integritati et pulchritudini, Rom. viii. 20, 21, (quæ tamen sententia, ut obiter illud dicamus, neque Scripturæ phrasi neque huic loco videtur satis commodari posse, nam cum reconciliatio et pacificatio necessario connotent offensionem et inimicitiam antecedentem, Angeli autem beati nihil quicquam tale unquam admiserint, cæteræ vero creaturæ inanimæ et brutæ hujus non sint subjectum δεκτικὸν, vix est nisi admodum καταχρηστικῶς ut reconciliari dicantur: præterquam quod Scriptura Christum semper quidem hominum, nunquam vero Angelorum Mediatorem statuit, 1 Tim. ii. 5, Heb. ix. 15,) ut nihil, inquam, nunc quidem ulterius de hac virorum doctorum sententia dicamus: Quis nescit non paucos etiam et

non ignobiles interpretes ad reconciliationem hominum cum Deo hæc verba referre, Ita ut *per ea quæ sunt in cœlis* intelligantur fideles jam demortui et in cœlis collecti, Heb. xii. 23, per "ea vero quæ sunt in terris" fideles cæteri qui vel credebant jam et erant in vivis vel in posterum credituri erant? utrique siquidem reconciliati sunt Deo per Christum, Joh. xiv. 6. Neque hæc sententia suis caret rationibus gravissimis, non modo quod frequentissime in Scriptura hæc syncategoremata τα πάντα vel πάντες restringantur ad universam Ecclesiam a Christo redemptam quæ complectitur omnes et singulos fideles tam V. quam N. T., tam Judæos quam Gentes, ut 2 Cor. v. 18, Gal. iii. 22, Rom. xi. 32, &c. opposite scil. ad œconomiam V. T., in qua salus erat tantum Judæorum, Joh. iv. 22; Verum etiam ex eo quod addit statim *ut reconciliaret omnia* εἰς αὐτὸν id. ἑαυτῷ ut Syrus habet לה, neque novum est præpositionem *In* cum accusativo poni vice dativi cum apud Hebræos frequentissima sit τοῦ ב et ל permutatio: Nam si hoc vellet ista phrasis quod vult Adversarius *In unum* scribendum fuerat εἰς τὸ αὐτό vel εἰς αὐτό non vero εἰς ἀυτὸν vel εἰς αὐτὸν, quod ad certam personam necessario refertur. Verum obtineat sane hæc ipsa quam urget hæreticus sententia de Reconciliatione hominum cum Angelis quam non nescimus viris doctissimis post Chrysost., Theodoretum et Photium placuisse, et quam non diffitemur rationibus suis niti, cum non aliæ res cœlestes intelligendæ videantur quam quas commemoraverat ver. 16, et quas sigillatim describit per thronos, principatus, &c., quibus ut est in confesso angelos innuit, An quicquam præsidii habiturus est ad causam suam tuendam? Nequaquam; nam reconciliatio hominum cum angelis necessario supponit et infert reconciliationem cum Deo, quemadmodum subditi rebelles qui perduellionis crimine bonorum civium in se odia accersiverant non possunt ipsis reconciliari nisi prius cum principe in gratiam redierint: Ita nunquam homines cum angelis fuissent reconciliati, nisi posita hominum cum Deo per Christum reconciliatione; Itaque prior hæc tanquam basis et causa posterioris semper substerni debet et conjungi, ut sane Apost. non tantum ver. 22, de ea peculiariter loquitur speciatim applicans Colossensibus quod universim dixerat ver. 20, sed et in hoc ipso versu non obscure eam innuit his verbis εἰρηνοποιήσας διὰ του αἵματος του σταυρου αὐτοῦ, ut significet nimirum Christum non alia ratione infelix illud sustulissse dissidium inter nos et angelos quam composito eo quod nobis cum Deo intercedebat funestissimo bello et pace per sanguinem parta, nam ex quo semel Deus infensus esse desiit et noster factus est, eo etiam sequitur necessario nihil adversus nos quicquam posse, imo omnia nostra esse, 1 Cor. iii. 22, et angelos peculiariter qui jam sunt πνεύματα λειτουργικὰ ad nostram salutem, Heb. i. 14, nos amare et commodis nostris inservire, Luc. ii. 9, 10, et xv. 10.

LVI. Ad 6m Resp. Impudentem esse loci istius corruptelam quasi ἱλασμὸς Christi nihil aliud esset quam ejusdem *advocatio vel intercessio* de qua dixerat ver. 1, cum tamen manifeste ab ea distinguatur. Et sane longe lateque differunt: ἱλασμὸς factus est in terris, ἐμφανισμὸς in cœlis, ἱλασμὸν moriens absolvit, Rom. iii. 24, at ἐμφανισμὸν vivens continuo exequitur, Heb. vii. 25, illo meritus est semel salutis beneficium, hoc vero idem conservat semper et applicat. Et vero non alia de causa Apostolus intercessioni addit placationem nisi quia ea nititur tanquam fundamento suo, nec enim intercedere posset nisi virtute sanguinis semel in cruce effusi ut Pontifex sub V. T. sanguinem victimæ secum deferre debuit in sacrarium intercesserus pro populo; neque contrarium evincitur vel ex Heb. vii. 24, nam agitur ibi quidem de interpellatione Christi apud Deum

cujus effectus dicitur perfecta salvatio accedentium per ipsum ad Deum, sed non exclusa satisfactione aut sacrificii oblatione, imo ea supponitur manifeste ver. 27; ut ita duos hosce actus sacerdotales minime a se invicem divellendos Christo tribuat; quod et alibi fecit, Heb. ix. 12, 14; Vel ex Heb. ii. 17, dicitur enim *fidelis Pontifex* non tantum eo quod promissum servet inviolatum, sed potissimum quod munus suum mediatorium exequatur fideliter pro misericordia qua erga nos commotus est.

LVII. Denique ad 7^m dicimus gratis supponere advers. quod est in quæstione, Verbum ἱλάσκεσθαι nihil aliud importare quam meram veniæ et gratiæ indulgentiam a parte offensi ut סלח apud Heb. *ignoscere* est; Jam enim et ex vi vocis et ex rei natura docuimus utrumque connectendum esse, quando propitius Deus esse nequit ut condonet nisi justitiæ prius satisfactum fuerit. Deinde cum non tantum Deus dicatur ἐξιλάσκεσθαι, sed Christus ipse ἱλασμὸς noster et quidem *in sanguine*, sane iste ἱλασμὸς pro actu ipso remittendi qui a Deo est sumi non potest, sed pro causa meritoria qua remissio illa a numine placato obtinetur; non tam *active* et efficienter quod peccata tollat et remittat, quam *objective et meritorie* quia procurat merito sanguinis ut remittantur. Accedit quod Christus dicatur ista peragere, tanquam Pontifex apud Deum, πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεὸν εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ, Heb. ii. 17, quod aliud est ab eo quod inde sequitur apud homines et populum remittere illis peccata. Frustra vero hic typum *propitiatorii* veteris nobis reponit quasi Christus non alia de causa titulo hoc insigniretur quam "quia Deus in ipso se nobis placatum ostendit, et quicquid nos scire voluit per ipsum patefecit." Nam præterquam quod non omnes consentiunt Paulum, Rom. iii. 25, 26, respexisse ad Arcæ operculum, sed volunt potius ad sacrificia ἱλαστικὰ V. T. attulisse, vel ἱλαστήριον *Propitiatorem* Christum dixisse in masculi. genere non *Propitiatorium* neutro. Accedit quod ne sic quidem obtinere quicquam possunt; Quippe inter Typum et Antitypum occurrere quidem debet ὁμοιότης, sed non statim ταυτότης vel ἰσότης, *similitudo*, sed non *paritas*. Itaque etsi operculum Arcæ dictum fuisset *Propitiatorium* tantum *declarative*; non sequitur Christum non posse ita appellari *efficaciter* et *meritorie*, quia illud fuit tantum typice et *symbolice*, At Christus vere et realiter, Ideoque non dicitur tantum ἱλαστήριον, sed ἐν αὐτοῦ αἵματι *in suo sanguine*, scili. sub ratione victimæ quæ ad propitiationem procurandam offertur. Et vero cum Typi omnes V. T. inadæquati fuerint, non mirum videri debet si singuli seorsim mysterium aliquod plene et integre exhibere non potuerint, quod in omnibus simul sumptis demum repræsentatur; Operculum ergo fuerit sane propitiationis typus aliquis, at idem etiam fuit *sanguis* victimæ qui a summo Pontifice inferebatur in sacrarium, et ad operculum respergebatur, cujus vi et efficacia obtinebatur benedictio illa Dei et εὐδοκίας testificatio quæ e medio Cherubinorum dabatur populo: Sicut suo sensu ἱλαστήριον V. T. Deum iratum Israëlitis placabat nempe *typice* per illam sanguinis aspersionem, Christus id vere et realiter præstitit suo sanguine in quo et per quem et nostrum ἱλαστήριον, et noster ἱλαστήριος, et noster ἱλασμὸς plenissimus est apud Deum; Ita non tantum *declarative* qua *propheta* in quo et per quem bona verba loquitur Deus, sed et *meritorie* qua *sacerdos et victima* quæ iram numinis placat nomen hoc obtinuit. Quod et ex eo confirmatur evidenter, non modo quia dicitur ἱλαστήριον *in sanguine*, quod jam observavimus, sed etiam πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ver. 26, hoc enim et falsum foret et frustra diceretur nisi justitiæ divinæ pro nostris peccatis satisfactum fuisset Christi sanguine; Nam quod Volkelius id ideo asseri ab Apostolo pertendit quod "tunc verissime Deus se nobis placatum præbuit, cum filium

suum unigenitum salutis nostræ constituendæ causa in truculentissimam mortem tradidit," et ab omni ratione alienum est et vi vocis repugnat. Nam si antecedenter ad Christi mortem Deus nobis placatus fuisset, quid opus fuisset Patrem proprio filio non parcere, Rom. viii. 32, eumque subjicere Legis maledictioni, Gal. iii. 13, et Filium animam suam ponere in sacrificium pro peccato, Isa. liii. 10, et sanguinem effundere in remissionem peccatorum, Matth. xxvi. 28? Quæ manifeste docent *sanguinem* Christi non ut *effectum* vel signum placati muminis sed ut causam proponi; quod et ipsa vox ἱλαστήριον confirmat, nam ut σωτήριον dicitur non quod salutem datam indicat, sed quod ipsam salutem efficit et procurat, καθαρτήριον non quod purgationem declarat, sed quod eam operatur: Ita ἱλαστήριον absolute notat id cujus efficacia non indicatur tantum sed conficitur ipsa propitiatio.

LVIII. Denique ad 8m Resp. Aliam esse *placationem hominum*, Aliam *Dei*, Illa potest quandoque fieri precibus, cum iis homines se patiuntur demulceri, sed hæc nequaquam, quia justitiæ ipsius naturali repugnat peccatum plane impunitum dimittere, Rom. i. 32, nec potest magis de hoc jure suo æterno et immutabili remittere quam seipsum abnegare, vel dominium suum in creaturas non exercere. Ita *placatio* hæc non fuit mere *deprecatoria*, sed etiam *satisfactoria*, ut quæ non facta sit precibus et persuasionibus, sed reali pretio sanguinis intercedente, 1 Pet. i. 18, 19, 1 Cor. vi. 20, nec Christus diceretur factus pro nobis ἱλασμὸς nisi quatenus seipsum dedit pro nobis ἀντίλυτρον, et per seipsum purgationem peccatorum fecit, Heb. i. 3.

LIX. Ex hisce omnibus autem ita disputatis clarum jam evadit, quod quærebamus, nimirum Christum vere pro nobis satisfecisse. Nam cum mediationis inter Deum et nos munere functus sit, et hac sua mediatione nos redemerit, seipsum pro nobis in ἀντίλυτρον dando, et, hoc redemptionis pretium dando, nos Deo reconciliaverit odii et alienationis causas utrinque removendo, utique veram et plenissimam eum pro nobis satisfactionem Deo exhibuisse necessum est; quod demonstrandum fuit. Cæterum non ea tantum huic saluberrimo mysterio comprobando Argumenta sufficit nobis Scriptura. Alia sunt plura quæ, ne prolixiores simus, alias ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν sumus expensuri. Jam enim tempus est ut manum de tabula ponamus. Tibi vero Domine Jesu, potentissime redemptor et sospitator noster, qui nos dilexisti, et a peccatis omnibus nostris precioso sanguine tuo lavisti, sicut et Patri et Spiritui S., sanctissimæ et gloriosissimæ Trinitati, sit honos, laus et gloria, in secula seculorum. Amen.

EPIMETRA MISCELLANEA.

I. Scriptura sacra ita est per se αὐτόπιστος ut nullatenus vel quoad se, vel quoad nos, Authoritatem suam ab Ecclesia mutuetur.

II. Libero Arbitrio nunquam homo destituitur in quocunque demum versetur statu, recte tamen asseritur nullum esse liberum Arbitrium in statu peccati.

III. Quamvis Providentiæ divinæ subsint creaturarum peccata, tamen citra blasphemiam Deus author vel causa peccati dici nequit.

IV. Nulla datur mors naturalis.

V. In Justificationis negotio recte distinguitur imputatio justitiæ a peccatorum remissione, ut causa ab effectu.

VI. Secessio nostra ab Ecclesia Romana justissima fuit et summe necessaria.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS SECUNDA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS SECUNDA.

Respondente Johanne De Tournes, *Genevensi.*

I. Tres hactenus præcipuas argumentorum *classes* produximus et vindicavimus quibus *satisfactionis veritas* demonstrari potest, ab *officio* scilicet Christi *mediatorio*, geminoque ejus effectu *redemptione et reconciliatione. Quarta* jam succedit ea loca complectens quæ passionum mortisque causas ita recensent ut vel expresse vel per necessariam consequentiam eandem doctrinam secum trahant. Quia vero et numero sunt quamplurima, et pondere ac momento gravissima, ut facilius singulorum vis et robur expendi queat, ea in tres ordines tribuemus. In primo ea excutiemus loca quæ *substitutionem personæ* inferunt, in altero quæ *commutationem debiti* notant, in tertio denique quæ et *personæ subrogationem*, et *debiti compensationem* clarissime evincunt.

II. Et ad prius illud quod attinet, non obscure colligitur ex constanti Scripturæ sententia quæ Christum ὑπὲρ ἡμῶν mortuum esse non semel asserit: Sic Rom. viii. 32, "Deus proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus illum tradidit," Rom. v. 6, 8, "pro nobis impiis et peccatoribus mortuus est," et 1 Pet. iii. 18, "Christus semel pro peccatis passus est Justus pro injustis," Heb. ii. 9, "pro omnibus mortem gustavit," Matth. xx. 28, "Filius hominis venit ut ministraret et ut daret animam suam in redemptionis pretium pro multis." Hæc enim et alia innumera loca similia vel sensum frigidum et incommodum fundunt, vel subrogationem importare debent necessario, ita ut non *bono* et *commodo* tantum nostro, sed et *vice* ac *loco* nostro Christus dirissimam illam mortem subierit.

III. Quanquam enim non diffitemur, varium ac multiplicem esse usum præpositionis ὑπὲρ apud Græcos et *pro* apud Latinos, eamque non raro fructum atque utilitatem tantum rei aut personæ quæ connotatur, designare, quomodo Paulus ait, Col. i. 24, se "reliquias afflictionum Christi pro Ecclesia adimplere," id est in utilitatem et bonum Ecclesiæ, sive ad Ecclesiam suo illo constantiæ et patientiæ exemplo confirmandam et ædificandam, tamen ubi de Christi morte et passionibus agitur progrediendum est ulterius, et altius quid ac sublimius attendendum, ut scilicet agnoscamus passum esse Christum non tantum pro nobis erigendis et confirmandis sive utilitatis et commodi nostri causa, quatenus morte sua confirmavit doctrinæ quam tradiderat veritatem, sed etiam vice nostra, i. e. ut ea patiendo tan-

quam sponsor noster quæ nos commeriti eramus, nos a morte æterna liberaret, et liberatos porro ad æternæ vitæ possessionem perduceret, et ita cumulatissime divinæ justitiæ satisfaceret.

IV. Hunc esse sensum phrasis istius multa demonstrant: 1. *Ordinaria et frequentissima vocum istarum significatio:* nam receptum est in omni lingua ut cum aliquid aliquis fecit aut passus est vice aut loco alterius, id pro illo passus aut fecisse dicatur; profani scriptores Græci et Latini passim ita loquuntur, sic Euripid. in Alcest. sæpissime, θνήσκω ὑπὲρ σέθεν "morior pro te;" μὴ θνῆσκ' ὑπὲρ τοῦδ' ἀνδρὸς, οὐδ' ἐγὼ πρὸ σοῦ "ne moriaris pro hoc viro," i. e. pro me δεικτικῶς, "neque ego pro te," quæ non aliter quam substitutive intelligenda argumentum tragœdiæ, uxoris loco mariti jamjam morituri morientis, docet; sic Demosth. pro Corona, ἐρώτησον τούτους, μᾶλλον δ' ἐγὼ τοῦθ' ὑπὲρ σοῦ, "hos interroga vel potius id tui loco faciam:" sic apud Terentium "pro illo te ducam, ego pro te molam;" apud Virgil. "unum pro multis dabitur caput;" apud Cicer. "unus Cato est mihi pro centum millibus." Apud authores sacros nihil frequentius, David deflens obitum Absalomi filii, 2 Sam. xviii. 33, "Absalom fili mi quis tribuat mihi ut moriar pro te," i. e. utinam pro te et loco tuo mortuus essem; Gen. xlvii. 16, 17, "Dixit Joseph, date pecora vestra et dabo vobis cibum pro pecoribus vestris;" Exod. iv. 16, "Alloquetur ipse pro te populum ut ipse sit tibi vice oris, tu vero sis ei vice Dei;" Num. viii. 16, "Levitas dicitur Deus sibi assumpsisse pro omni aperiente vulvam;" &c. Ita in N. T., Rom. ix. 3, Paulus optat fieri ἀνάθεμα ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, non tantum in eorum gratiam, sed vice et loco ut qui exitio suo fratrum Judæorum redimere vellet salutem, siquidem fieri posset et Deo ita luberet, hæc enim vota conditionata sunt non absoluta, utut conditio semper non exprimatur, quæ non inferunt statim facti possibilitatem, sed petentium demum exprimunt zelum et ardorem; sic 2 Cor. v. 20, dicuntur Apostoli "legatione fungi ὑπὲρ Χριστοῦ," i. e. non tantum nomine et autoritate Christi, sed ipsius vice et loco, "ac si Deus hortaretur per nos," inquit. Denique, ne plura congeramus, Rom. v. 7, "vix pro justo quis moriatur," &c., non in gratiam duntaxat justi, sed ejus loco, ut bene reddit Syrus per vocem חלף quæ commutationem notat. Ex his vero et aliis non paucis locis istiusmodi colligimus solemnem esse et tritum in omni lingua usum hunc istarum præpositionum a quo recedere religio nobis esse debet quum nihil nos cogit, imo multa eo nos evidentissime manuducunt.

V. Nam et illud, 2. evincitur certissime ex *præpositione* ἀντὶ quæ in hoc argumento etiam adhibetur, Matth. xx. 28, dicitur venisse Christus ut daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν, et Marc. x. 45. Hæc quippe communissime et maxime proprie substitutionem et commutationem designat, ut Disp. præced. Th. xxvi. jam probavimus, et luculentius ex locis sequentibus demonstrari potest; sic 1 Cor. xi. 15, "Coma" dicitur "data mulieri ἀντὶ περιβολαίου i. e. "velamenti loco," Luc. xi. 11, μη ἀντι ἰχθύος ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ "an loco piscis dabit illi serpentem:" sic Rom. xii. 17, Matth. v. 38, &c. Potissimum vero cum de personis agitur significat ea particula alterum successisse in alterius locum ut, Matth. ii. 22, Archelaus dicitur regnasse ἀντὶ Ἡρώδου του πατρὸς αὐτου "loco Herodis patris sui;" et Matth. xvii. 27, jubetur "Petrus dare staterem pro se et Christo," αντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ, neque aliter apud prophanos scriptores εἷς ἀντὶ πολλῶν dicitur unus loco multorum; quæ tam clara sunt ut nulla sophistica possint eludi. Nam quæ Adversarii effugia hic captant ut vocis istius pondus elevent, levia sunt admodum et straminea; Crell. contra Grot. pertendit, 1°. Particulam ἀντὶ pro ὑπὲρ et ἕνεκα simpli. poni sæpe ex Doctiorum sententia, ut Luc. i. 20, et xix.

44, Matth. xix. 5, et Eph. v. 31. Sed licet concederemus aliquando eo sensu venire, cum rebus applicatur, at cum ad personas refertur non aliter quam substitutive intelligi posse jure statuimus. Addit, 2°. Nos in eo decipi quod putemus agi de commutatione inter Christum et nos in locis controversis, quasi sensus esset, cum nos animas nostras essemus daturi, Christum loco nostro animam suam dedisse, cum commutatio notetur quidem, sed inter rem et personas, inter λύτρον quod est anima seu vita Christi et inter nos tanquam captivos; quis vero dixerit sanguinem Christi pro nobis subrogatum aut in locum nostrum successisse? Sed ipse turpiter fallitur dum alios falli contendit, nam ea non sunt verba nostra, sed Scripturæ ipsius quæ commutationem illam inter Christum et nos statuit dum expresse dicit Christum "seipsum dedisse pro multis," Matth. xx. 28, vel "pro nobis," Tit. ii. 14, et "justum pro injustis passum," 1 Pet. iii. 18; itaque *commutatio* duplex hic attendenda, alia *rei* alia *personæ*, in ista Christus locum nostrum subiit, in illa mors nobis debita compensatur per mortem Christo vadi nostro impositam, et hæc quidem in sequentibus demonstrabitur, sed prior clare ostenditur ex ea phrasi qua Christus vel ἀντὶ vel ὑπὲρ ἡμῶν mortuus dicitur. Deinde cum λύτρον ipsum quod inter nos commutatum esse fatetur adversarius, aliud non fuerit quam persona ipsa Vadis nostri, seipsum enim tradidisse dicitur, frustra distinguitur commutatio inter rem et personas. Tertio, Si commutatio ea notatur quæ est inter pretium et personam pretio redemptam, vera infertur satisfactio, nihil enim nobis satisfacere aliud est quam pretium ab alio debitum persolvere ita ut debitor eo liberetur, atque hoc clare innuunt verba Pauli, 2 Cor. v. 14, "si unus pro omnibus mortuus est, E. omnes sunt mortui," non obscure scilicet designans ita Christum omnium electorum loco substitutum esse ut mors quam pro ipsis sustinuit ita iis imputetur ut eodem loco habeantur ac si ipsimet essent mortui, et morientes pro peccatis suis satisfecissent. Hoc vero posito, nimirum Christum in locum nostrum successisse et pœnas nobis debitas tulisse, facile colligitur satisfactionis veritas, quippe si loco nostro constitutus id ipsum quod debebamus, mortem scilicet, perpessus est ut nos ab ea liberaret, utique necesse est eum vere satisfecisse, nam dare id ipsum quod alter debebat ut per id ipsum a debito liberetur, et eo dato, ipso facto eum liberare, est solvere aut satisfacere.

VI. 3. Non aliter phrasim hanc in subjecta materia intelligendam esse ex eo etiam probatur clarissime quod ea proponitur tanquam *Christo propria et peculiaris* quæ ita ipsi competit ut alteri tribui haudquaquam possit sine summa in Christum injuria, dicitur enim ille "unus pro omnibus mortuus," 2 Cor. v. 14, et hoc ponitur tanquam summi amoris testimonium certissimum cui alius nullus æquiparari, nedum præferri, possit, Joh. xv. 13; unde Paulus, 1 Cor. i. 13, hoc tanquam Christo soli proprium, cæteris vero omnibus incommunicabile, longissime a se removet, "An Paulus pro vobis crucifixus est?" Jam vero si phrasis hæc tantum designaret commodum, et mors Christi utilitatis duntaxat gradu differret a morte Apostolorum non proprio fine segregaretur, falsa essent hæc Scripturæ dicta, cum certum sit et Paulum et martyres multos mortuos esse eatenus pro fidelibus, id est in eorum utilitatem et gratiam. Nam quæ discrimina hic ruspatur adversarius, li. de Serv. li. ii. c. 8, ut attributionem istam detrahat fidelibus et soli Christo eat transcriptum, vel nullius plane sunt commatis, vel argumentum fortius stringunt: contendit siquidem Christo non cæteris hanc phrasim rite tribui quia Christus primus omnium pro omnibus mortuus est, ita ut quicquid ex cæterorum morte vel afflictionibus beneficii ad nos redundat id omne Christo acceptum referri debeat. At,

inquam, si discrimen tantum est ordinis aut gradus, non negaretur statim res ipsa; non possent sane dici *primo* pro nobis crucifixi et mortui fideles aut Apostoli, sed possent tamen pro nobis dici crucifixi, siquidem finis mortis Christi non differt quoad speciem, sed tantum quoad gradum: at Paulus non negat tantum prioritatem ordinis vel gradus, sed rem ipsam tollit tanquam alienam, et soli redemptori ac domino in cujus nomen baptizamur propriam: "An Paulus pro vobis crucifixus? vel an in nomen Pauli estis baptizati?" colligens scilicet non alium pro nobis crucifixum posse dici nisi Dominum Jesum in quem ideo propter jus quod in nos acquisivit recte baptizari dicimur. Quod vero subjicit secundo, ideo proprie hoc de Christo prædicari quia "proprie et vere is pro aliquo mori videtur qui morte sua illum in vita conservat et a morte eripit, quod morte sua fecit Christus, nemo autem præter ipsum aut fecit aut facere potest," Vel nihil ad rem facit, Vel sententiam nostram luculenter confirmat: Nam cum Christus a morte nos eripere vel ad æternam traducere non posset vitam nisi pœnas nobis debitas subeundo et λύτρον dando pro nobis; utique si per mortem nos a morte eripuit et ad vitam traduxit, pro nobis satisfecisse dicendus est; neque utilitas ulla, qualiscunque demum illa sit, sine subrogatione poterit phrasim hanc Christo peculiarem reddere.

VII. Denique hanc mortis Christi pro nobis vim satisfactoriam *circumstantiæ ipsæ locorum* adstruunt evidentissime. Neque enim dicitur tantum mortuus pro nobis Christus, sed datus ut nos redimeret, Tit. ii. 14, ut nos justificaret et Deo reconciliaret, Rom. v. 10, ut a peccatis mundaret omnibus et Deo in æternum consecraret, Heb. ii. 14, et x. 10, 14, ut victima quæ peccatoris ipsius vicem subit et mortem illi debitam sustinet, Eph. v. 2, &c., quæ sane perperam dicerentur nisi substitutio et ex substitutione pœnæ inferretur compensatio. Unde jam colligere possumus argumentum: Is enim qui non bono tantum nostro et commodo sed vice etiam et loco nostro, mortem crucis perpessus est, Servator est non exemplo tantum, sed et merito, nam peccatorum vicem subire ut ipsi salventur, non est tantum exemplum dare, sed et meritum exhibere; At Christus hoc ipsum pro nobis præstitit: E.

VIII. Excip. hic, 1°. Non posse satisfactionem ex istiusmodi locis inferri, quia etiam "fideles pro fratribus animas ponere jubentur," 1 Joh. iii. 16, et Paulus de se scribit, Col. i. 24, "se implere reliquias passionum Christi ὑπὲρ τοῦ σώματος pro corpore ipsius, quod est Ecclesia;" At certum est tamen nec fideles pro fratribus nec Paulum pro Ecclesia cuiquam satisfecisse aut satisfacere posse. 2°. Si Christus loco nostro mortuus fuisset et passus, non possemus eidem mortis et passionum generi subjici, et ad animam nostram effundendam non minus illo incitari, siquidem loco nostro patiendo supponitur ab ea necessitate nos exemisse; at Christus ipse nos ad id hortatur non semel, Matth. x., et Luc. ix. 23, "si quis vult venire post me abneget semetipsum et tollat crucem suam," &c., et Apostoli exemplum hoc ad miitationem sæpius proponunt, Heb. ii. 9, 10, et 1 Pet. ii. 21, "In hoc passus est Christus relinquens nobis exemplum ut sequamur ejus vestigia." 3°. Vis istius locutionis ex alia simili colligi debet cum dicitur Christus mortuus et traditus *pro peccatis nostris;* ut ergo phrasis ista non infert Christum loco peccatorum nostrorum mortuum esse, sed tantum peccatorum nostrorum causa sive propter peccata nostra ut alibi dicitur; ita nec dicendum erit substitutum eum fuisse in locum nostrum, etsi pro nobis fuerit mortuus, sed tantum nostri gratia et *propter nos*, ut dicit Apost., 1 Cor. viii. 11.

IX. Sed peccant hic more suo hæretici falla. παρὰ το ἑπόμενον quasi eadem phrasis sensu eodem semper usurpari deberet, cum tamen nihil sit frequen-

tius quam eandem vocem diversissimas obtinere significationes pro materia subjecta et locorum circumstantiis. Quamvis ergo probarent præpositionem hanc de qua quærimus alio sensu alibi venire nec substitutionem semper notare, sed vel occasionem duntaxat vel commodum, quod facile illis largimur, frustra erunt tamen, nisi in locis citatis et hoc in argumento ita usurpandam esse evincant, quod nunquam vel ex rationibus vel ex exemplis allatis sunt consecuturi. Nam ad primum ut respondeamus; Cum sensu valde dispari dicat Scriptura *Nos pro fratribus mori* debere et *Christum pro nobis mortuum esse*, perperam ab uno ad alterum argumentantur, quasi non alio fine Christus mortuus sit pro nobis quam eo quo pro aliis si opus sit, id est si Dei gloria et proximi salus postulet, mortis periculum subire tenemur; nam pro aliis mori debemus in quantum saluti ipsorum prodesse possumus, non possumus autem hactenus prodesse ut pro iis ἀντίλυτρον pendamus vel eos ab æterna morte liberemus, Psal. xlix. 7, quod utrumque Christus et præstare potuit et revera præstitit, 1 Tim. ii. 6, Heb. ii. 14; fratres nostri non possunt sanguine nostro Deo reconciliari, at sanguine Christi Deo sumus reconciliati, Rom. v. 10; denique nemo potest morte sua proximum Deo consecrare et a peccatis mundare, quod utrumque tamen moriendo Christus pro nobis implevit, Heb. x. 14, 1 Joh. i. 7. Itaque Joh. confert mortem Christi pro nobis, et mortem nostram pro fratribus κατὰ τί non ἁπλῶς, secundum finem aliquem, non secundum omnes, secundum *charitatis exemplum*, non vero secundum *satisfactionis meritum*. Nimirum quod rite tenendum est, Christus pro variis quæ pro nobis sustinet muneribus varias etiam σχέσεις induit, et pro variis illis relationibus, mortis ejus varii esse fines possunt qui quanquam diversi, contrarii tamen non sunt sibi invicem, sed subordinati. Ut ergo tria exequi debuit ad salutis nostræ complementum: 1. *justificationem coram Deo* peccatorum reatum tollendo, 2. *sanctificationem in nobis* labem et maculam eorundem abstergendo, 3. *glorificationem* omnimodam justificatos nos et sanctificatos per bonorum operum viam ad vitam et felicitatem perducendo: Ita triplicem ille σχέσιν subiit, Primam *vadis* et sponsoris qui satisfaceret, Heb. vii. 22, Secundam *ducis et capitis* quod influeret, Eph. i. 22, 23, Tertiam *doctoris* et *fratris primogeniti* qui dirigeret et præiret, Joh. xv. 12, et Rom. viii. 29; illam qua *Sacerdos* implere debuit *merito*, istam qua *rex efficacia*, hanc denique qua *propheta doctrina* et *exemplo*. Juxta tres autem illas rationes triplicem etiam mors Christi finem obtinere potuit: 1. *Justitiæ divinæ satisfactionem* ad peccatorum jam admissorum expiationem, de qua loca sunt, Heb. ix. 15, Matth. xx. 28, xxvi. 28, Eph. i. 7; 2. "Spiritus Sancti impetrationem" ad labis inhærentis purgationem et peccatorum futurorum averruncationem, de qua mentio fit, Heb. ix. 14, 1 Pet. ii. 24; 3. "Charitatis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum ad sanctificationem promovendam perfectissimam *demonstrationem*, ad quam respiciunt loca, Phil. ii. 5, 6, 7, 1 Pet. ii. 21, Joh. xv. 12, Eph. v. 2, 1 Joh. iii. 16. Unde diversimode *mors Christi* pro variis illis finibus spectari potest: vel ut *satisfactoria* et fidei objectum, vel ut *efficax* et spei fulcrum, vel ut *idealis* et imitationis exemplum; ratione illius, justificationis causa est et fundamentum, 2 Cor. v. 14, Gal. iii. 13, 14, ratione istius, sanctificationis radix est et principium, Rom. vi. 4, 5, 1 Pet. iv. 1, 2, ratione hujus, vitæ Christianæ norma et incitamentum, 2 Cor. iv. 10, Phil. ii. 5. Quoad primum et secundum ita soli Christo propria est ut cæteris omnibus incommunicabilis merito dicatur, 1 Cor. i. 13, adoranda non imitanda, quis enim mortalium ad instar Christi vel peccati reatum tollere, vel Spiritum mereri et conferre queat? At quoad tertium tanquam *exemplaris* nobis proponitur, ut pote qui prædestinati

simus ut imagini ipsius simus conformes, Rom. viii. 29, prius in cruce quam in gloria, in sanctitate quam in felicitate, in morte quam in vita. Hinc pro variis quæ in morte Christi eluxerunt virtutibus, modo ad hanc, modo ad illam, modo universe ad omnes incitamur: 1 Pet. ii. 21, in patientiæ et tolerantiæ proponitur exemplum, quia ibi, ut ex serie patet, de passionibus fidelium agebatur; Paulus ad Rom. vi., ex ea petit argumentum ad totius sanctificationis studium commendandum, quia in eo erat, ut alterum hoc beneficium a justificatione fluens describeret; quia vero Johannes dilectus Christi discipulus totus in charitate promovenda versatur, non aliunde fortius et efficacius exemplum petere potuit quam ex ejus pro nobis morte. "In eo," inquit, "cognoscimus charitatem Dei, quod ille animam suam pro nobis deposuit, nos igitur debemus pro fratribus animas ponere," ut significet nimirum charitatem Christianam eo usque exemplo Christi extendendam esse, non solum ut in verbis consistat vel amicitiæ professione, sed ut sui etiam quisque obliviscatur ut fratribus consulat.

X. Cæterum quod Apostoli hinc hortationum suarum argumentum petunt, quod Christus pro nobis mortuus est, non propterea faciunt ut ostendant nos eodem plane modo et fine quo Christus pro nobis passus est debere etiam pro fratribus pati, nam argumentantur a simili aut exemplo: Jam autem ad exemplum sufficit si generalis quædam adsit similitudo etsi longum latumque in modo speciali intercedat discrimen. Sic perfectio Dei nobis in exemplum proponitur, Matth. v. 48, "Estote perfecti sicut Pater vester qui est in cœlis perfectus est;" quamvis certissimum sit perfectionem divinam ab humana in speciali ratione longissime discrepare; sic Johannes dum vult ad charitatem hortari, quia nullum fortius et illustrius exemplum dare potuit, dedit exemplum Christi, sed non statim in omnibus imitandum, etiam iis quæ sunt ἀκοινώνητα et illi propria, puta peccatorum expiatione et justitiæ divinæ satisfactione, (hoc enim Apostolus nunc quidem non respicit) sed in aliis communibus, puta charitatis et benevolentiæ demonstratione, qui Johannis fuit proprius ac genuinus scopus. Fateamur ergo mortem et passiones Christi cum nostris convenire posse in generalibus, ut eas adeamus non secus ac Christus ex charitate et benevolo erga fratres affectu, ut eas pariter feramus patienter et sine murmure: sed differentia semper longe maxima in specialibus occurrit, sive *causam efficientem* respicias, ille enim percussus est a Deo judice, nos a Deo patre castigamur, sive *passionum naturam et gradum*, ille enim calicem indignationis divinæ ebibit usque ad fæces, nos summis labris tantum degustamus, et quidem sublata jam maledictionis amaritudine, sive *finem*, ille ad satisfactionem, nos ad medicinam, ille ad servorum redemptionem, nos ad fratrum ædificationem; unde patet neutrum ex istis vel Petri vel Johannis locis vim phraseos illius infirmare ex qua satisfactionem elicimus.

XI. Sed nec eam infringit melius locus alter Pauli ad Col. i. 24, ubi profitetur se "reliquias passionum Christi supplere pro corpore ipsius." 1. Supponimus cum adversariis contra Pontificios nullam a Paulo præstitam fuisse satisfactionem, quod suo loco demonstraturi sumus, et passiones Christi non proprie intelligendas esse de iis quas in corpore suo naturali perferendas habuit, sed de iis quas in corpore mystico, nimirum Ecclesia, patitur; quomodo Paulus, 2 Cor. i. 5, vocat χριστοῦ παθήματα afflictiones quibus ad sui similitudinem fideles suos exercet, et ad Heb. xi. 26, abjectam populi Israëlitici sortem quam Ægyptiacæ aulæ splendori et opulentiæ prætulit Moses, χριστοῦ ὀνειδισμὸν appellare non dubitavit. 2. Fatemur Paulum dici passum *pro Ecclesia*, non *redimenda*, sed *ædificanda* et *confirmanda;* non satisfaciendo apud Deum, sed veritatem obsignando apud homines,

non Ecclesiæ loco et vice se substituendo, (sic enim unus pro omnibus mortuus dicitur, 2 Cor. v. 14,) sed commodo ac bono ipsius obeundo quod Paulus ipse explicat, 2 Cor. i. 6, "sive premimur ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, hoc fit in vestram consolationem:" quippe ut Ecclesia occasio fuit vinculorum ejus, quia dum ex imposito a Christo munere illi ministrare studet, in carcerem conjectus fuerat et Romam traductus non sine magnis et horrendis periculis, ita magna ad eam redundabat inde utilitas; non dubitandum enim quin vincula et passiones illæ quas tam constanter sustinebat mirum in modum pios confirmaverint, ut profitetur ipse, Phil. i. 12, 13. Sed a Paulo ad Christum non valet consequentia, longe enim aliter Paulus patitur pro Ecclesia, aliter Christus pro nobis; Christus enim non tantum pro nobis ædificandis vel confirmandis, sed redimendis et reconciliandis mortuus dicitur; quod procul a se removet Paulus; Christus mortuus est pro nobis ut Satana et morte devictis nos a mortis imperio liberaret, at nihil tale Paulus vel cogitavit unquam vel perfecit.

XII. Ad secundum distinguendi varii fines et formales rationes propter quas patiuntur et moriuntur adhuc fideles. Sane si Christus ea mala pro nobis perpessus est non debemus ex justitia iisdem gravari, eodem scil. modo et fine *sub ratione pœnæ et λυτροῦ* ad satisfaciendum justitiæ divinæ, hoc enim Christus ita præstitit plenissime, ut qui alium illi vel socium vel vicarium adjungeret, horribilis blasphemiæ reus esset; sed nihil obstat fideles iisdem malis exerceri, sed ad alios fines, non ad pœnam, sed *ad medicinam*, non ad supplicium, sed *ad pietatis experimentum*, non ad exitium et ruinam, sed *ad immortalitatis instrumentum*. Sic rem materialiter unam variant causæ, fines, usus, circumstantiæ: crux facinoroso sceleris supplicium est, martyri eadem non pœna sed certamen, non supplicium sed victoriæ materia est, mors impiis peccati pœna, piis quibus condonata peccata sunt pœna non est, hunc ei aculeum ademit Christus, sed ad vitam transitus. Ita quia Christus legem pro nobis implevit, et implendo jus vitæ acquisivit, exsolvimur a necessitate implendi legem quoad meritum, nec enim amplius bene operari tenemur ad justificationem consequendam; sed tenemur tamen semper ad obedientiam Legis ad sanctificationem promovendam et gratitudinem nostram contestandam. Non aliter de morte Christi et passionibus philosophandum est: Quia Christus pro nobis mortuus est et passus, non amplius morti maledictæ quam ipse tulit obnoxii sumus, nulla enim amplius est condemnatio iis qui sunt in Christo, Rom. viii. 1, nec passiones ullas pœnales justitia nobis imponit; sed castigatorias tamen vel probatorias multas immittit sapientia, ut ita membra capiti in cruce, priusquam in gloria, conformentur, quemadmodum princeps ille salutis per varias consecratus afflictiones ad summum gloriæ fastigium evasit, et vitam per mortem adiit, ita hic est sapientiæ divinæ ordo mirabilis, ut per multas tribulationes ingrediamur regnum cœlorum, nec ullus ἀμίαντον felicitatis coronam ἀναιμακτὶ sine sudore et sanguine reportare queat; Hac via primus præivit Christus, hac sequi nos omnes decet nisi degeneres tanti parentis filii haberi volumus; propterea toties Spiritus S. ad crucem fortiter post Christum et ad ejus exemplum ferendam fideles hortatur.

XIII. Quod vero tertio objicitur ex simili phrasi cum dicitur Christus mortuus *pro peccatis* nostris, vel *propter peccata* nostra, ut Rom. iv. 25, Gal. i. 4, quod tamen ad substitutionem loco peccatorum trahi non potest, huc non pertinet; Etenim cum prædicata talia sint qualia permittuntur esse a suis subjectis, sit autem ridiculum aliquem dici loco peccatorum mortuum; Res ipsa sive subjectum nullatenus fert ut Christus vice pec-

catorum dicatur mortuus sive ad ea liberanda, sed mortuus est *pro iis* scilicet *expiandis et tollendis:* est enim Agnus Dei tollens peccata mundi, Joh. i. 29, et primo apparuit ut peccata nostra tolleret, Heb. ix. 26, 28, id est ferendo auferret; at *pro nobis redimendis et salvandis* mortuus est. Itaque peccatur fallac. figuræ dictionis, quasi eadem particula vim eandem ubique obtineat, cum diversitas subjecti diversum sensum postulet, et per se pateat aliter *pro re* dici aliquem mori, aliter *pro persona;* quod ex sequentibus clarius adhuc liquebit.

XIV. Nam etsi præpositio hæc, peccatis juncta, substitutionem non inferat, suum tamen aliis addita pondus non exiguum habet ad satisfactionis veritatem comprobandam: Quippe cum bifariam usurpetur vulgo, vel pro "causa efficiente impulsiva," Rom. xv. 9, "ut Gentes ὑπὲρ ἐλέους pro misericordia sua Deum glorificent," et Phil. ii. 13, "Deus efficit velle et perficere ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας pro beneplacito," vel pro "finali," ut Joh. vi. 51. "Caro mea est quam dabo ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς pro mundi vita," hic enim hujus donationis finis est citra controversiam; alterutra significatio locum habeat hic necesse est. Posteriorem nonnulli sequuntur ita ut *pro peccatis* idem sit ac pro *expiatione peccatorum.* Sed quia non satis videtur Scripturæ phrasi convenire, nam neque peccata nostra et expiatio eorum sunt idem, sed penitus diversa utpote subjectum et accidens illius, neque significatio hæc seorsim sumpta ullo Scripturæ usu demonstrari poterit; Ideo Commodior sensus alter ut *Causa efficiens impulsiva et meritoria* mortis Christi significetur, nam cum agatur de pœna, peccata poenæ causa non sunt, nisi per modum meriti; sic apud Lati., Cicero "ulcisci pro injuriis, supplicia pro maleficiis metuere" dixit; Plautus "castigare pro commerita noxa;" Terentius "pro dictis et factis ulcisci." Trita etiam est phrasis Scripturæ ut *sacrificium pro peccato* dicatur, i. e. ob peccatum perpetratum, ut sæpissime hoc occurrit apud Mosem et præsertim Lev. vi.; sic "mori" et "perpeti pro peccatis" vel propter peccata ex stylo Spiritus S. est subire ac luere pœnam et τιμωρίαν peccati, Lev. xxvi. 18, 28, Deut. xxiv. 16, 2 Reg. xxiii. 26. Et res ipsa id evincit; nam peccata nostra quatenus ex Justitiæ divinæ rigore mortem merebantur, Christum moverunt ut se pro nobis offerret et pœnam peccatis nostris debitam in se reciperet, nec vero ostendi poterit uspiam voces istas *ob peccata,* vel *propter peccata, pro peccatis,* præsertim ubi morti et passionibus junguntur, aliter sumi in Scriptura quam in hoc meriti significatu. Nam etsi daremus priorem significatum respici, non intelligi posset tamen seorsim sine posteriori hac σχέσει, siquidem nunquam finaliter pro expiatione et abolitione peccatorum mortuus esset, nisi peccata causa fuissent impulsiva et meritoria ejusmodi passionum. Cæterum etsi peccata nostra intercedente reatu mortem mereantur; causa tamen impulsiva mortis Christi statuuntur non absolute ac per se seu vi sua respectu Christi, nihil enim peccatum in ipsum potuit qui fuit sanctissimus, sed per accidens concurrentis gratiæ Dei, et misericordiæ Christi erga nos, qua vadem se pro pœna peccato debita exhibuit tanquam sponsor et mediator N. T., Heb. vii. 22, et ix. 15. Atque hinc non obscure colligitur quod intendimus. Nam si propter peccata dicitur passus, i. e. illorum demerito et reatu, reatus autem ille sive demeritum ad mortem obligare eum non potuit, nisi in quantum ipsi tanquam vadi ex ordine Dei imputatum est, utique nequit Christus hoc sensu passus fuisse pro peccatis nostris, quin moriendo pro nobis vices nostras sustinuerit, et hanc suam passionem, quæ pœna fuit nobis debita, loco nostro adierit.

XV. Nolunt tamen eam hic agnoscere adversarii, et in omnes formas se vertunt ut pondus istius argumenti quacunque tandem ratione elevent:

Ideo 1°. Causam finalem hic urgent quasi Christus non alio sensu dicatur passus et traditus pro peccatis quam ut nos ab illis abstraheret, ad sceleris odium, et ardentissimum virtutis studium hoc pacto nos incitando, quod ex iis videtur probari locis quibus pietatis et novæ vitæ studium proponitur tanquam mortis Christi finis et fructus præcipuus, ut cum dicitur "traditus pro peccatis ut præsenti seculo malo nos eriperet," Gal. i. 4; "ab omni iniquitate redemisse et purificasse ut simus populus peculii," Tit. ii. 14; "mortuus pro nobis ut non amplius nobis vivamus," &c., 2 Cor. v. 15; "passus pro peccatis, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret, 1 Pet. iii. 18, et ii. 24, "tulisse peccata in corpore suo super lignum, ut mortui peccato vivamus justitiæ;" sic Heb. ix. 14, &c. 2°. Finaliter dici potest pro iis mortuus, quia moritur ut de eorum condonatione nos certos faciat, et ejusdem nobis largiendæ amplissimam potestatem consequatur. 3°. Licet causa antecedens hic esset intelligenda, occasio tantum connotaretur, sed quæ nec satisfactionem importat nec pœnam proprie dictam; non satisfactionem ut vel ex hoc, 1 Reg. xiv. 16, loco patet ubi dicitur "Jehovah traditurus Israëlem propter peccata Jeroboam qui peccavit et peccare fecit Israëlem," neque enim plectitur Israël ut satisfaciat pro peccatis Jeroboam sed tantum ejus peccatorum occasione et causa. Quod si quis regerat saltem punitum posse dici Israëlem propter peccata Jeroboam, respondetur statim hoc non ex vi phraseos posse exsculpi, sed ex materia subjecta; nam sæpe castigationes hujusmodi propter peccata inferri, quæ nec satisfactionem nec pœnam involvunt, ut David non leviter propter adulterium et homicidium a Deo punitus est, qui tamen pro ipsis non satisfecit; sic Psal. xxxix. 11, "In increpationibus propter iniquitatem corripis hominem," non hoc vult puniri hominem a Deo ut divinæ justitiæ satisfaciat pro iniquitate sua, sed tantum eum causa et occasione iniquitatis a Deo affligi ut discat ab iniquitate recedere; sic Soci. lib. ii. c. 7, Volkel. lib. iii. cap. 28.

XVI. Sed quis non videat mera esse subterfugia quibus eadem semper oberrant chorda, quasi necesse sit phrasim aliquam ubique eodem sensu usurpari, quod innumeris exemplis confutari posset; Neque vero causa finalis eo quem intendunt sensu sine gravissima absurditate urgeri potest. 1. Quia non dicendus esset pro peccatis passus, sed pro eo quod maxime peccato repugnat ejus scili. destructione vel remissione, quis vero dixerit unquam pharmacum sumi propter morbum, id est morbum esse finem vel medicamenti vel medici, etsi illud misceatur sanitatis restituendæ et morbi expellendi gratia; non dicitur agere propter morbum medicus in ordine causæ finalis, sed e contra propter morbi expulsionem et sanitatem si finis οὗ spectetur, et propter ægrum si finis ᾧ attendatur. 2. Omnis finis habet rationem boni, et sub illa ratione expetibilis est, at peccata nullam talem σχέσιν induere possunt cum Christus dicitur pro iis mortuus. 3. Finis nondum est actu quum efficiens propter eum operatur, at peccata jam existebant, vel ut existentia considerabantur in causæ ratione, nec enim mortuus est ut sint vel fiant peccata, sed quia erant, ut destruantur. 4. Non negamus studium novæ vitæ et sanctificationis esse consequentem fructum mortis Christi, nam cum venerit ad destruenda opera diaboli non poterat ea tollere plane nisi cum reatu tolleret etiam labem et maculam, ideo non cum sanguine tantum dicitur venisse, sed et cum aqua, 1 Joh. v. 6, cum sanguine expiationis, et cum aqua ablutionis, ita ut in ejus morte habeamus et λύτρον et λουτρόν; justitia factus est et sanctificatio, atque eo respiciunt illa omnia loca quæ pietatis studium deducunt ex Christi morte: Sed non sequitur, etsi mors Christi etiam ad præcavenda peccata quæ possent committi extenditur, E. peccatorum commissorum illa non fuit Satisfactio et ex-

piatio proprie dicta; Aliter enim respicit peccata commissa ut remissionem eorum nobis impetret, aliter ea quæ futura sunt et possunt committi, ut ab illis nos abstrahat: Illorum remissio debetur morti Christi ut *sacrificio propitiatorio* in quo pœnas luit ipsis debitas, horum præcautio et remotio eidem morti debetur, ut *sacrificio meritorio* quo nobis sanctificationis gratiam et Spiritus donum obtinuit; ad priora mors Christi est remedium therapeuticum, ad posteriora nonnisi prophylacticum, qui duo usus notantur, Tit. ii. 14, "redemit ab iniquitate" admissa, "et purificat ut inposterum simus populus peculii," Rom. v. 10, "reconciliat per sanguinem et salvat per vitam," quod sicubi secundarius finis notatur pro loci circumstantiis, non excluditur tamen sed supponitur primarius ex quo alter necessario pendet, siquidem nullum donum a Deo obtinere potuit nisi posita prius satisfactione.

XVII. Quod si dici non potest mortuus pro peccatis ut nos scilicet ab iis abstraheret, multo minus ut nos de eorum remissione certos redderet; quia aliud est pro peccatis mori, aliud pro certitudine remissionis peccatorum demonstranda; neque unquam dictum fuit aliquid fieri finaliter pro aliquo malo quod fit propter certitudinem ingenerandam mentibus nostris de illius mali cessatione et ablatione: fiducia sane illius obtinetur quidem ex morte Christi, sed eatenus tantum quatenus eorum remissionem reapse in cruce obtinuit pœnas nobis debitas ferendo, ita ut jam persuasi simus nos redemptionem habere in ipsius sanguine, hoc est remissionem peccatorum, ut inquit Apost., Eph. i. 7. Quod vero addunt insuper mortuum esse pro peccatis ut remissionis peccatorum nobis largiendæ amplissimam potestatem consequeretur, longe est absurdius: nam si ad fidem faciendam remissionis peccatorum Christus mortuus est, ut jamjam dicebant, certe remissio illa debet esse prior, saltem ratione, morte Christi, id enim de quo per aliquid aliud certiores reddimur, ordine naturæ prius est sui ipsius certioratione; at si duntaxat mortuus est ut consequeretur potestatem largiendæ remissionis, utique hæc remissio posterior debet esse morte, quia omnis effectus posterior est sua causa. Quid quod si Christus pro obtinenda illa potestate mortuus esset non habuisset illam antea, at certum est Christum in terris agentem hanc potestatem non sibi vindicasse tantum, sed etiam præsentissimo et potentissimo miraculo comprobasse, Matth. ix. 5, 6, quod factum ab eo non fuisset, nisi jus illud atque autoritatem obtinuisset. Fateor exercitium remissionis pendere ex mortis Christi vel jam præteritæ vel adhuc futuræ efficacia, nemini enim remitti possunt actu peccata nisi Christus id morte sua meritus sit; at jus et potestas haudquaquam fructus est mortis, sed proprietas divinitatis, non potest remittere quia moritur, sed quia filius Dei est, imo Deus ipse cui soli condonare peccata competit, Marc. ii. 10.

XVIII. Ad tertium Resp. 1. per retorsi., Si Christus occasione peccatorum mortuus est, E. non tantum finaliter pro peccatis, occasio enim antecedit et finis sequitur rei executionem. 2. Christus mortuus est pro peccatis ut sacrificium fiebat pro peccato, at peccatum non occasio duntaxat, sed vera causa fuit hominem impellens ad sacrificii oblationem; occasio enim non connectitur nisi per accidens cum effectu, at effectus hic sequitur per se et peccati sensus hominem eo impulit necessario, E. et Christus mortuus dici debet propter peccata non *occasionaliter* tantum sed et *demeritorie*. 3. Falsa hypoth. nititur quasi ex hac phrasi præcise eliciamus satisfactionem Christi, cum hic tantum causam impulsivam meritoriam urgeamus, ex qua legitima consequentia deducimus postmodum sententiæ nostræ confirmationem, ut antea dictum et dicetur adhuc plenius in se-

quentibus. Neque contrarium potest evinci ex locis allatis; nam ad primum quod attinet, 1 Reg. xiv. 16, sive per "peccata illa Jeroboami" propter quæ traditurus erat Deus Israëlem, intelligamus peccata Jeroboami ipsius qui turpiter a Deo defecerat, sive genus ipsum peccati, Idololatriam scilicet cujus author populo fuerat Jeroboamus, quod notant sequentia, "quibus peccavit et peccare fecit Israëlem," hæc enim verior et commodior est expositio quam altera Socini dum vertit "qui peccavit et peccare fecit," sive utrumque, quod omnino verius est, complectamur, non desinit tamen causa impulsiva hic locum habere, nam peccatum illud cujus author erat Jeroboamus, et imitator populus, traditionis istam pœnam omnino merebatur, unde Deus jure populum hunc et propter sua et propter aliena peccata quorum imitator erat castigare potuit, neque mirum hoc videri debet aut insolitum Adversariis, cum et ipsi fateantur "Puniri aliquem posse etiam ob peccata aliena dummodo culpæ fit affinis," Soci. lib. ii. cap. 7.

XIX. Alter vero quem urgent locus tantum abest ut causæ eorum faveat ut potius nostram non parum juvet, nam dum ait Psaltes, Psal. xxxix. 11, "In increpationibus propter iniquitatem corripuisti aliquem," id. si corripis illum, "liquefieri fecisti ut tineam desiderium ejus," nihil aliud sibi vult quam si Deus ex rigore justitiæ quantum meretur peccatum punire quempiam velit, peccatorem de medio statim sublatum iri, neque vitam ipsam homini illi vitalem fore, qua ratione David ut alibi non raro Deum ad miserationem vult permovere ut si castigare velit castiget paterne et moderate virgis humanis ex misericordia, ratione habita nostræ infirmitatis, non rigide et severe ex justitia secundum ipsum peccati demeritum, ut, Psal. cxxx., "Domine, si iniquitates observaveris quis stabit? sed apud te venia est ut colaris." Cæterum quod subjiciunt non omnem pœnam esse satisfactionem, nec omnem animadversionem pœnam, damus libenter in hominibus meris, nam et impii puniuntur nec satisfaciunt tamen, et pii castigantur qui non puniuntur propterea; siquidem peccatis eorum semel condonatis non amplius ulla superest illis ferenda condemnatio vel pœna; et si malis exerceantur, porro afflictiones illæ non ad pœnam, sed vel ad μαρτύριον vel δοκιμασίαν vel παιδείαν a Deo misericorde diriguntur: Sed respectu Christi alia plane res est, nam hic nec castigatio a pœna sejungi potest, quippe nec venia ulla concessa Christo legitur, ut fidelibus, nec a Patre, ut ipsi, castigatus est ex amore et misericordia, Heb. xii. 6, sed ab eo ut Judice ex justitia propter quam maledictio dicitur factus et peccatum: nec vero pœna a satisfactione divelli, cum eam ita tulerit Christus plenissime ut eam pertulerit omnino et penitus exhauserit, quod de aliis dici nequit; Quicquid sit, certum est nuspiam dici pro peccatis vel propter peccata quempiam passum quin peccata statuantur eo ipso causa impulsiva ac meritoria ejusmodi calamitatum: quod nobis nunc quidem sufficere potest ut sciamus *commutationem debiti* factam fuisse inter nos et Christum; nam cum antea ex altera phrasi cum dicitur pro nobis mortuus jam evicerimus substitutionem personæ, hinc necessario sequitur Christum loco nostro ita mortuum esse ut pœnas nobis debitas in se receperit.

XX. Verum et hoc luculentius liquebit 3. ex iis locis quæ utrumque simul complectuntur, et "personæ subrogationem et debiti ipsius compensationem," ut quum Christus dicitur factus pro nobis "execratio et peccatum," Gal. iii. 13, 2 Cor. v. 21, quæ duo loca quia maximi sunt in hac controversia momenti ad veritatis confirmationem non levi brachio a nobis et obiter tantum sunt attingenda, sed paulo plenius excutienda. Et ut de priori loquamur, extat apud Paulum ad Gal. iii. 13, "Christus" inquit, "nos redemit ab execratione legis dum pro nobis factus est execratio,

scriptum enim, Execrabilis est quisquis pendet in ligno:" quæ verba ut imprimis erant apposita ad justificationem fidei demonstrandam, qui fuit scopus Apostoli, ita maximam habent emphasim ad redemptionis mysterium explicandum, quod breviter quidem, sed nervose tamen et accurate hic, si uspiam alibi, describit; connotans, 1. quid Christus fecerit in nostri gratiam, *nos redemit*, 2. unde, *ab execratione legis*, 3. quomodo, *factus pro nobis execratio*. Primo, quod redemisse dicitur, satisfactionem non obscure jam indicat, ut antea demonstratum est, siquidem emptio sive redemptio, propria ac primaria acceptione relationem habet ad pretium, et sicubi emptio quædam proponitur facienda a fidelibus gratis, ut Isa. lv. 1, Apoc. iii. 18, non proprie sed metaphorice intelligendam esse res ipsa docet, propter nonnullam quæ inter donorum cœlestium acquisitionem, et bonorum terrenorum emptionem intercedit, convenientiam; nam ut emptor rem quam quærit permutare debet cum pretio, et ut eam sibi comparet aliquid de facultatibus suis dare vel amittere: Ita in emptione hac spirituali felix quædam et salutaris debet esse commutatio, ut peccato, mundo, cupiditatibus nostris, quæ res sunt nobis charissimæ, nuncium remittamus (quod alibi dicit Christus "vendere quotquot habemus," Matth. xiii. 44,) ut thesaurum hunc possideamus. Cave tamen hic rationem ullam meriti cum Pontificiis imaginando fingas, nam si per particulam *gratis* longissime jam non removeretur, satis tamen ex ipsa hominis profligaretur consideratione, quid enim pro gratia hac comparanda dare posset ille qui bona omnia a Deo, ex se nihil nisi peccatum, habet? Verum hic alia longe redemptio a Christo facta innuitur, non figurata et metaphorica, sed vera et propria; quippe non dicimur tantum empti, sed "empti pretio," 1 Cor. vi. 20, "redempti sanguine," 1 Pet. i. 19, dum Christus ipse pro nobis ἀντίλυτρον datus est qui Chirographum nobis adversum delevit, Col. ii. 14, et quæ non rapuit solvit, Psal. lxix. 4.

XXI. Illud vero clarius etiam colligitur, 2. Ex mali a quo redempti dicimur notatione, redemisse enim Christus nos dicitur ἐκ τῆς κατάρας τοῦ νόμου "ab execratione Legis," quam docuerat antea, ver. 10, omnibus in universum hominibus incumbere, eo quod nemo mortalium reperiatur qui maneat in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis. Hæc autem Legis execratio tum *active* tum *passive* intelligi potest: priori modo nihil aliud est quam ipsa Legis seu potius Dei judicis sententia peccatores et legis transgressores execrans et condemnans, ut innuitur ver. 10, posteriori pœnas omnes notat in transgressores Lege statutas sive corporeæ sint sive spirituales, sive quoad damnum per privationem boni, sive quoad sensum per inflictionem mali, has enim omnes creatura rebellione sua merita est; quia vero pœnarum omnium maxima procul dubio et durissima est ipsius Dei maledictio et ira quæ cæteras omnes post se trahit, ideo sub *execratione* pœnas omnes, quæcunque tandem illæ sint, complexus est, ut sub benedictione opposita beneficia omnia quæ ad felicitatem et æternæ vitæ consecutionem necessaria sunt et justificationem imprimis connotavit; Cum autem sententia hæc Legis fuerit immutabilis nec apex ullus aut iota præterire possit usque dum omnia facta sint, nec Christus venerit ad eam dissolvendam sed implendam, Matth. v. 17, non poterat nos redimere ab execratione Legis et pœnis nobis debitis nisi eas in se recipiendo, non per potentiam, sed per justitiam, ut docet Paulus, Rom. viii. 3, 4.

XXII. Atque hoc, 3. loco Evidentissime demonstrat Paulus redemptionis istius modum notando, redemit enim nos ab execratione Legis, "factus pro nobis execratio," ubi quot sunt verba tot sunt rationum pondera: 1. Execratio dicitur metalepsi abstracti pro concreto quæ ἐπίταριν et

emphasim maximam habet, ut cum *scelus* vocamus scelestissimum hominem qui totus in sceleribus jacet, ita execrabilis dicitur *execratio ipsa*, ut Aquinas monet, *factus est ipsa maledictio* quia scilicet omnem maledictionem et calamitatem quam Lex minabatur transgressoribus, subiit et pertulit. At quomodo, inquies, filius Dei dilectus et omnis benedictionis author fieri potuit execratio? Ita horrida visa est hæc locutio et dura Hiero. et aliis, ut tropicam eam existimarint et aliquo interpretamento leniendam, ideo subaudiri volunt particulam ὡς ut significet eum ita tractatum fuisse quasi esset Deo ἐπικατάρατος. Sed si cui durum hoc videtur pudeat ipsum Crucis Christi cujus confessione gloriamur: Imo in eo posita est tota nostra spes, ab eo pendet solatium nostrum et salus, quod Deus omnem iram in filium effuderit, ut nos in gratiam reciperet, quod maledixerit ut benediceret, quod dereliquerit ut in patrocinium et tutelam reciperet, quod condemnarit ut nos absolveret, alias si ficta fuisse hæc Christi exinanitio et Patris execratio, ficta quoque esset et inanis spes gloriæ et benedictionis quam ab eo expectamus. Sed vero ne hic impingamus distinguenda est imprimis gemina illa σχέσις sub qua Christus considerari potest, *primaria* et *naturalis* qua *filius* Dei, *secundaria* et *forensis* qua est *Mediator* et *Vas* qui pro nobis spopondit; quoad primam Deo charissimus semper fuit et summe dilectus, in quo voluntas et amor Patris plene acquievit, Isa. xlii. 1, Matth. iii. 17, quoad secundam inter peccatores numeratus est, et maledictionis reos, non in *se* sed *in nobis* quorum personam sustinebat; Itaque nec extra gratiam Dei esse potuit, et tamen sustinnit ejus iram; Nam si extra gratiam fuisset quomodo patrem quem habuisset infestum et cui exosus fuisset, reconciliare nobis potuisset? Rursus quomodo nos ab ira Dei liberasset, nisi eam a nobis in seipsum transtulisset? ideo percussus fuit propter peccata nostra et Deum expertus est tanquam iratum judicem, quod recte August. lib. xiv. cont. Faust. c. xcvi., expressit, "semper benedictus in sua justitia, maledictus propter nostra peccata in morte suscepta ex pœna nostra." Itaque majestati Christi nihil derogat, quod sine culpa reatum et pœnam in se susceperit ut nos a pœna et culpa simul liberaret. Denique sic Christus maledictionem nobis debitam in se transtulit, ut ea non fuerit obrutus sed eam vicerit, superaverit, aboleverit, ut esset fons jugis et inexhaustus benedictionis iis qui crediderint in eum.

XXIII. Atque hinc liquido patet quo jure vel potius quanta cum injuria Pontificii tanta stili diritate exagitent quod ab integerrimo Theologo Calvino nostro, sectione x. Catechis., dictum fuit de doloribus et pœnis Christi satisfactoriis, eum scil. *in tali fuisse damnatione constitutum* ut a Deo se derelictum conquestus sit; quasi inde sequeretur, quod nonnisi summa cum impietate dici, ut illis quidem videtur, potest, *Christum fuisse damnatum*. Nam ut non dicamus non esse quod propter illam vocem tantopere in nos excandescant et debacchentur, cum Scriptura ipsa non abhorreat a *damnationis* voce, nam latro conversus alterum blasphemias eructantem sic compescebat: "Ne Deum quidem times cum in eadem sis damnatione;" cum et Patres ea non semel legantur usi, Tertull. li. iii. contra Marci. c. ii., "non erit indignior morte nativitas, et cruce infamia, et carne damnatio;" Cyprianus de passione Christi, "damnatus est ut liberaret damnatos;" Gregor. magnus, moral. li. iii. c. 2, "Qui Patri est æqualis per Divinitatem, venit propter nos ad flagella per carnem, quæ nimirum flagella non susciperet nisi formam" damnati "hominis redimendo sumpsisset," Et postea, "Eum qui sine peccato est pro peccatoribus damnat:" Imo varii ex adversariis ipsis, teste Suaresio in 3, q. 53, Art. 8, disp. xliii. sect. 1, "Refert Medina," inquit, "sensisse aliquos Catholicos Christum passum fuisse aliquas

damnatorum pœnas, non tamen eodem modo quo damnati." Cardinalis Cusanus, li. 10. Exercit., "Passio Christi, qua major dari nequit, fuit instar pœnæ damnatorum qui magis damnari nequeunt scil. usque ad pœnam infernalem; In ejus nomine dicit propheta, Dolores inferni circumdederunt me, eduxisti tamen ab inferno animam meam." Ferus in Matth. xxvii. agens de verbis illis "Deus mi," &c., "Exuit," inquit, "Christus hac hora Deum, non abjiciendo sed non sentiendo, seposuit patrem, ut hominem ageret, sic et Deus Pater nunc non patrem, sed tyrannum agit, quamvis interim amicissimo sit in Christum animo;" Item "Christus ut peccatores liberaret constituit seipsum in locum omnium peccatorum, non quidem furans, adulterans, occidens, sed stipendium, pœnam et meritum peccatorum (quæ sunt frigus, calor, esuries, sitis, tremor, horror mortis, horror inferni, desperatio, mors infernus ipse) in se transferens, ut famem fame, horrorem horrore, desperationem desperatione, mortem morte, infernum inferno, Satanam Satana vinceret." Quis hoc in Calvino ferret? Ut, inquam, hæc et alia id genus plurima nunc quidem non afferantur quæ tamen os calumniæ penitus occludere possunt, hic unus locus Pauli quem præ manibus habemus sufficit ad vanitatem accusationis demonstrandam: Nam si dicitur factus *maledictio*, cur non pariter eo respectu vel *damnatus* vel condemnatus dici queat, quum vox maledictionis gravius aliquid importare videatur, modo sano sensu locutio hæc intelligatur; Nam *damnatus* bifariam dicitur: 1. *absolute* qui pœnis addictus est pro peccatis suis quas tamen nunquam superavit et ex quibus nunquam emergere potuit, hoc modo reprobi et diaboli dicuntur damnati in inferis, At hoc pacto Christus Dominus noster nec damnatus est unquam neque vero damnari potuit: 2. damnatus dicitur etiam ille, sed *hypothetice* tantum, qui pœnas peccatis alienis debitas idque ex ordine divinæ justitiæ sustinet, quas tamen vincit et eluctatur, hoc pacto nihil prohibet quominus Christus dicatur damnatus siquidem portavit pœnas peccatis nostris debitas easque ex ordine justitiæ divinæ, *Deus* enim "filium suum in mortem tradidit," Rom. viii. 32, quas tamen infinita meriti sui virtute et efficacia ut patientia admirabili sustinuit, ita invicta fortitudine superavit. Ita condemnationi vel maledictioni obnoxius recte dicitur *antecedenter* non *consequenter*, quoad *causam*, non quoad *terminum*; *in nobis*, quorum peccata tulit, non *in se* qui sanctissimus semper fuit. Unde facile colligi potest quid sibi voluerit Calvi. in prædicto loco; non quod Christus vel pœnas damnatorum absolute sustinuerit vel in desperationem inciderit, quod utrumque removetur ibid. expresse a Christo, sed tantum quod fuerit in eo statu constitutus ut iram et maledictionem Patris senserit quæ nobis erat debita; quod Paulus in hoc nostro loco expresse tradit.

XXIV. Cæterum quomodo factus sit execratio docet Apost. in sequentibus, in quibus supplicium maledictum et execrabile luisse probat ex Deut. xxi. 23, ubi suspensio de ligno maledicta pronunciatur, "ἐπικατάρατος πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου maledictus est qui pendet in ligno." Hebræa vero paulo aliter כי קללת אלהים תלוי quæ Aquila et Theodotio recte vertunt *quia maledictio Dei est suspensus;* sed Paulus pro ea qua pollebat παῤῥησίᾳ quod et alibi etiam non raro fecit, sensum non verba præcise reddit, et quæ obscuriora videbantur illustravit; Nam pro *maledictione* quæ metonymice posita fuerat reposuit proprie *maledictum*, vocem *Dei* omisit quæ ex loci circumstantia et opposita benedictione satis colligebatur, addit vero *in ligno* expressa ellipsi ἀπὸ κοινοῦ ex præcedentibus, et indefinitam universalem particula *omnis* eadem ratione definivit. Quæri vero hic potest, Primo, quam bene Paulus sententiam hanc Legis divinæ quæ de simplici suspensione

in ligno agit accommodet ad crucis supplicium, quod veteribus Hebræis in usu non fuisse sed a Romanis desumptum, quicquid Baronius et Lipsius contendant, rationibus variis demonstrari potest, quod fecit doctiss. Casaubonus contra Baronium, Exerc. xvi., Ubi ex Judæis ipsis observat quatuor tantum pœnarum et mortis genera ab antiquo tradita fuisse Concilio Sanhedrin: סקילה *lapidationem* quæ λεύσιμος μόρος tragicis Græcorum, שרפה *καῦσιν vivi comburium* ut vocat Tertull., הרגה vel הרג בסיף *occisionem per gladium* seu *decollationem, et* חנק *strangulationem θάνατον δι' ἀγχόνης*, nullam vero crucis apud eos mentionem fieri, imo expresse illam rejici, "דבר זה לא היה בישראל לתקוע המסמרות ברגלי וידי אדם הסקלים והנתלין non fuit hic mos," inquiunt, "in Israële ut clavos figerent in pedibus aut manibus hominum qui lapidati aut suspensi fuissent," et paulo post, "non invenitur quod homo clavis figi debeat ad crucem, sed suspendendus est blasphemus et Idololatra juxta id quod dicitur, Maledictus Dei est suspensus." Et illi quidem hoc argumento utuntur ut historiæ evangelicæ de Christi passione fidem detrahant; sed frustra, siquidem constat supplicii hanc formam non ab ipsis Judæis, sed a Pilato Romano fuisse irrogatam, juxta vaticinium ipsius Christi qui judicium contra se a Gentibus reddendum prædixerat, Matth. xx. 19. Neque ipsi Judæi diffiteri possunt, cum agnoscant quadraginta annis ante Templi secundi destructionem potestatem judiciariam ipsis exemptam fuisse, eo quod homicidæ invaluerant et dissipaverant judicia animarum de Israël ut inquiunt ipsi, quod testati sunt coram Pilato dicentes *non licere ipsis quemquam interficere:* Ex quibus colligere est crucifixionem Romanum supplicium fuisse non Hebræum, quemadmodum Sozome. Histo. Eccles. li. i. c. 8, vocat νενομισμένην Ῥωμαίοις τιμωρίαν. Et sane nullum veteris linguæ Hebræorum verbum est quod crucem proprie dictam significet aut crucifigendi actum; nam et תלה et יקע et עץ generalia sunt quæ suppliciis variis accommodari possunt, quibus rei in altum tollebantur et fiebant μετέωροι ad majorem ignominiam. Cum E. ignota fuerit Judæis crux ista Romana, merito quæritur cur Apostolus ad crucem transferat quod de hac dici non potuit? Verum facile respondetur, optime Paulum potuisse ea quæ de suspensione in genere dicta sunt ad crucifixionem peculiariter applicare, cum genus complectatur sub se species omnes, nihilque de illo dicatur quod istis applicari non possit, unde si suspensio de ligno est maledicta, omnino et ipsa crucifixio quæ suspensionis est species: Itaque etsi damnatos Judæi crucifigere non solerent, sed vel de ligno suspenderent, vel lapidatos palo affigerent, vel extinctorum corpora ad majorem infamiam in patibulum tollerent, quod Philoni, lib. de Legib. est ἀνασκολοπίζεσθαι, et perperam a multis ad crucifixionem viventium refertur, quia tamen quod ad rem ipsam attinet idem semper est ignominiæ genus ex ligno suspendi quomodocunque id fiat, utique non abs re Apost. ad institutum suum transfert quod a Deo olim dictum fuerat, atque eo magis quod Spiritum S. ad mortem crucis jam tacite respexisse cum hoc enunciaret dubitari vix potest.

XXV. Secundo quæritur cur maledicti dicantur suspensi et quamobrem hoc supplicii genus præ cæteris divina Lege fuerit speciali quadam infamia notatum? Judæi quidem altius assurgere non possunt quam ut dicant triste et fœdum esse spectaculum hominem conditum ad obambulandum in terra de ligno pendulum in aëre ventis agitari, ideo execrabile a Deo pronunciatum; ut tum supplicii fœditate tum execrationis metu homines territi a sceleribus tali supplicio dignis abstinerent: Atque huc pertinet ipsorum effatum *suspensio hominis in ligno est vilificatio Dei*, unde quotquot infami hoc plectebantur supplicio execrabiles merito habebantur, et in al-

tum sublati, Solique ac omnium oculis expositi tanquam horrenda piacula et exempla statuebantur, quibus ne terra aërque ipse pollueretur, debuerunt eorum cadavera eo ipso die de medio tolli et sepeliri, Deut. xxi. 23, quod si nondum fuissent mortui, mors σκελοκοπίᾳ *crurifragio* vel alia via fuit acceleranda, quod factum fuisse in latronibus una cum Christo crucifixis innuit Joh., c. xix. 31. Nec inter Judæos tantum, sed et Ethnicos supplicium hoc infame habitum, quo scelestissimi quique apud Rom. et grandium atrociumque criminum rei, servi imprimis, afficiebantur, unde *servili supplicio affici* est agi in crucem, quia servorum plerumque fuit hoc supplicium; Juvenal. Saty. vi., "Pone crucem servo," et Servus ita loquitur apud Plautum in Milite glorioso, "Scio crucem mihi futurum sepulchrum, ibi majores mei siti sunt, pater, avus, abavus." Quod si liberi aliquando sunt in crucem dati, fuere vilissima capita, et ob gravia crimina, ut latrocinium, crimen seditionis, et regni affectati; Paulus Jurisconsultus lib. i. sentent. ti. xxii, "Authores seditionis aut tumultus pro dignitatis qualitate aut in Crucem tolluntur aut bestiis objiciuntur;" sic Pilatus Christum hoc supplicio puniri jussit, quasi res novas moliretur, turbas cieret, et regnum affectaret, ut patet ex accusatione facta apud ipsum, Luc. xxiii. 2, et ex ipso Crucis titulo. Porro liberi homines aut cives Romani hoc supplicio affici non poterant nisi prius servi pœnæ fierent, i. e. nisi libertas verberibus servilibus, flagellis puta, iis adimeretur, quod et erga Christum præstitum; supplicii autem fœditatem indicant illa Ciceronis in Verrem: "facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res appellari nullomodo potest;" unde crux "infelix arbor" vocatur apud Livi. in Carmine horrendo "Lictor caput obnubito, infelici arbori suspendito," et apud Lati., "abire in malam crucem" ii jubentur quibus exitium imprecamur summo cum dedecore conjunctum.

XXVI. Itaque hoc supplicii genus merito execrabile fuit et ex *Natura* et ex *Lege: Natura*, quia sævissimum et fœdissimum habitum est, nec temere Cicero crudelissimum et teterrimum dixit, et Jurisconsulti nomine *summi supplicii* velut ob eminentiam istud designant, Paulus lib. v. sent. ti. xxii., "summo supplicio, i. e. Cruce afficiuntur:" ideo Apulei. li. i. de Asi., "crucem damnatam" dixit; "Damnatæ" inquit "jam crucis candidatus." Ita passim supplicium hoc in horrore fuit et vilitate; tria enim in eo conjungebantur, *tormentum*, *infamia*, *diuturnitas pœnæ; Ex Lege* vero, quia a Deo fuit maledictum, non quidem absolute respectu reorum ipsorum coram Deo ac si desperata eorum esset salus qui suspensi sunt, contrarium enim patet in latrone converso; neque etiam supplicii hujus in specie, nam suspensio coram Deo non magis ex se quam mors alia maledicta est; sed resp. sceleris quod hac ratione ex mandato Dei plectendum fuit; nimir. ut non pœna sed causa martyrem facit, ita non supplicium sed crimen maledictum reddit; transgressio pendentis maledictionem contrahit; neque enim cuilibet crimini pœna hæc statim imponebatur, sed atroci et publico quod iram Dei in universum populum concitaret, quodque ideo ad eam placandam expiari debuit vel reorum ipsorum morte, vel eorum qui peculiariter a Deo notabantur, ut, Num. xxv. 4, propter gravissimum peccatum quod admiserunt Israëlitæ copulando se Baalpeor, jubetur Moses assumere Principes populi et suspendere eos Jehovæ coram sole ut sic averteretur ira exscandescentiæ Jehovæ ab Israële: sic 2 Sam. xxi. 6, actis in crucem per Gabaonitas septem filiis Saulis ob fidem publicam ab ipso violatam, et istud scelus fuit expiatum, et Deus ita placatus ut fames quam ideo Israëlitis immiserat cessarit: Ita genus hoc mortis quemadmo-

dum fuit maledictioni obnoxium, fuit etiam suo sensu peccati expiatorium et propitiatorium iræ divinæ. Verum præter has rationes qnibus constat effatum hoc Domini, Deut. xxi., veritatem suam in litera et typo ohtinuisse, ulterius proculdubio respexit Spiritus S. et alia suberat mystica ratio et supernaturalis, quatenus jam olim hoc symbolo, mortis Christi genus quod cum divina execratione conjungi debuit ad redemptionem nostram, adumbrare quadantenus voluit, et Christus hanc mortis speciem in tempore selegit, non modo quia ignominiosissima in se fuit et acerbissima, ut ita in forma servi existens servili supplicio affectus infamiam et tormenta omnia nobis debita perferret; verum etiam ut implendo quod de ea prædictum fuerat, suscipiendo maledictionem nobis propter peccatum imminentem nos ab ea liberaret, atque ita gravissima illa scelera quæ nos omnes reatu suo obstringebant expiaret: Sic argumentum Pauli a posteriori est, non a priori, neque enim crux causa fuit ut primo Christus maledictus fuerit, sed demonstrat crux utpote maledictionis symbolum, illum jam ante fuisse a Patre maledictum. Cur vero maledictus sanctissimus et dilectissimus Dei filius? nisi quia reatum in se nostrum susceperat qui sine penitissimo iræ et maledictionis divinæ sensu expiari non potuit, unde non tantum dicitur *factus execratio*, sed *pro nobis*, ut nos ab ea eximeret, nostro scil. loco et vice, quia eandem quam eramus commeriti maledictionem insons ipse tulit, "suscepit maledictionem" inquit Chrysost. in Gal. iii., "atque ita illam sustulit, perinde faciens ac si morti adjudicato quopiam, alius justus illius damnati vice sponte mori volens eripiat illum." Hinc Oecumenius, "Eam execrationem suscepit cui obnóxius non erat, cum suspensus fuit in ligno, ut execrationem solveret quæ adversum nos erat." Ex quibus ita disputatis certissimum pro veritate orthodoxa deducitur argumentum; Nam qui ita pro nobis mortuus est ut in se susciperet execrationem nobis debitam et ab ea nos liberaret benedictionem suam in nos derivando, utique non bono tantum ille nostro, sed et vice mortuus est, nec exemplo duntaxat, sed merito et satisfactione Servator est dicendus, quid enim ad exemplum, quid ad doctrinæ confirmationem facere potuit execratio? fecit vero quam maxime ad justitiæ satisfactionem, et reatum peccatorum tollendum; At Christus hæc præstitit: E.

XXVII. Reponunt hic tria adversarii: 1°. Christum non posse dici factum pro nobis execrationem subeundo execrationem nobis debitam, quia execratio illa non alia fuit quam mors æterna, quam tamen Christus minime ferre potuit siquidem resurrexit; 2°. Paulum nihil aliud significare voluisse quam Christum, dum ipse nostri causa in quandam Legis *execrationem* incidit, *judicialem* scil. quatenus mortem crucis subiit quæ a Deo maledicta fuerat, nos a vera legis execratione interea liberasse; sic enim Apostolum ut in aliis sæpe solet in execrationis voce argutum esse voluisse, ut collatio inter id a quo Christus fideles redemit, et id quod ipse pro iis hunc in finem sustinuit, esset elegantior, et concinnior fieret oratio, etsi in Christo hoc supplicii genus execrationis divinæ rationem vere et proprie non haberet, ut nec in Apostolis et aliis martyribus qui e ligno fuerunt suspensi et capitis supplicio affecti; 3°. Quæcunque vel in hac epistola, vel alibi a Paulo de Lege et liberatione ab ea sive ejus execratione disputantur, ad Judæos tantum qui sub ea erant non autem ad cæteros pertinere; sic Soci. li. ii. c. 1, Crelli. adu. Groti.

XXVIII. Nihil hic tamen est quod vim argumenti infringere possit: Nam ad Primum quod attinet, falsum supponitur Christum non potuisse execrationem nobis debitam subire, Imo per retorsionem si ab execratione nobis debita nos liberare debuit ut Paulus testatur, utique et eam in se

suscipere tenebatur, alias maledictione nobis debita non persoluta liberatio nostrum omnium nulla esse potuit; neque obstat quod Execratio hæc importet mortem æternam, cum et Christus hanc tulisse sano sensu recte dicatur; nimi. *mors æterna* seu maledictio illa quam Lex transgressoribus intentabat spectari potest vel *intensive* quoad extremitatem dolorum et cruciatuum cum desertione et sensu penitissimo iræ Dei, vel *extensive* quoad æternam et nunquam finiendam pœnæ et cruciatuum durationem; et prior illa quidem *σχέσις* primaria videtur esse in pœna quam justitia Dei exigebat, adeo ut qui vel ad exiguum aliquod tempus cruciatus illos subiret morte æterna rite defunctus censendus esset, at posterior secundaria est ex infirmitate Creaturæ orta, quia enim ipsa pœnas quoad atrocitatem immensas quas justitia reo imponebat ferre non poterat quin fatisceret, ideo ex ordine sapientiæ pœnarum hac in parte commutatio facta est, ut quoad durationem infinitæ essent; at si aliquod subjectum occurreret quod gravissimas pœnas illas semel ferre et exhaurire potuisset, utique nihil opus fuisset istud in omnem æternitatem affligi et puniri. Hoc vero in Christo deprehenditur, quemadmodum enim persona fuit divina, *pœnas infinitas* ferre potuit constantissime, non quidem *infinitas in se*, nihil enim actu infinitum in naturam humanam quæ finita fuit cadere potuit, sed respectu *subjecti* ob infinitam personæ patientis dignitatem; quemadmodum peccatum natura sua finitum infinitum evasit tamen resp. *objecti* ob infinitam quam offendit Dei majestatem. Itaque quamvis mortem æternam non tulerit quoad durationem et extensionem, siquidem a morte detineri non potuit, Act. ii. 24, ut nec sane debuit, quippe ab ea nos liberari oportuit, recte tamen eam tulisse dicitur quoad pœnarum a persona hac divina latarum acerbitatem et intensionem, adeo ut mors ejus licet triduana tantum tempore, vere nihilominus æternæ æquivalens fuerit valore et pondere; Atque ita illam ipsam maledictionem nobis debitam si non numero, saltem specie, in se recepit. Quid enim terribilis illa execratio importabat quam acerrimum iræ Dei sensum et pœnas omnes tum corporis tum animi quæ ex Dei judicio infligendæ erant peccatori, eatenus ut justitiæ ipsius litaretur? at eas omnes ita tulit Christus ut nihil hac in parte desiderari potuerit; nam corporeas quidem quod attinet, præter omnis generis miserias et ærumnas quibus conflictatus est, in crucem tandem ignominiosissimum et atrocissimum supplicium actus est; in animo vero quos non dolores, quos cruciatus non sensit propter immensum iræ Dei pondus ipsi incumbens? *ἐκθάμβησις* et *ἀδημονία* illa quæ sanguineum illi sudorem expressit, quæ animam ad mortem usque afflixit et tam alte illum occupavit ut se lamentabili voce a Deo derelictum quereretur, satis superque, si nihil aliud occurreret, demonstrat plane ab ipso Legi hac in parte fuisse satisfactum.

XXIX. Atque hinc etiam liquet quid ad Secundum respondendum sit, falsa scil. peccari hypothesi, quasi Christus non eandem quæ nobis debita fuit *execrationem* Legis moralis sustinuerit, sed aliam quandam *judicialem*, eo quod mortem crucis quæ a Deo maledicta fuerat tulerit, licet respectu Christi hæc rationem execrationis non habuerit. Nam ut antea jam insinuavimus cum de execratione Legis moralis agatur hic, non potuisset ea a nobis tolli nisi in Christum translata fuisset, neque Legi Morali per judicialem satisfieri potuit; quid quod Paulus dicere non potuisset Christum ab execratione Legis nos liberasse, factum pro nobis execrationem, nisi illam ipsam execrationem, quæ nobis imminebat, in se suscepisset, atque ita firmum fiduciæ et solatii argumentum nobis præberet, quod nullum esset omnino si aliam quandam et non nostram sustinuisset execrationem. Hoc viderunt Patres, ideo passim eum vere male-

dictum fuisse factum tradunt ut nobis debitum maledictum aboleret; Athana. de passi. et cru., "Pœnam nostram solvendam in se suscepit quia factus est pro nobis maledictio;" Augusti. contra Felici., "quomodo suscipiendo mortem interfecit mortem, sic suscipiendo maledictum solvit maledictum;" Eusebi. Cæsari., "Execratio pro nobis factus, execrationem quæ nobis debebatur ad seipsum attraxit." At secundum Adversarios, eatenus tantum dicitur factus maledictio quia supplicium crucis tulit quod sub Lege fuit a Deo maledictum, licet respectu Christi maledictionis rationem non habuerit; quid vero est vim facere verbis Apostoli si hoc non est? nam quod pertendunt iidem Apostolum in execrationis voce argutum esse voluisse, absit ut dicamus, indignum esset tanto Apostolo ludere in re tam seria, et inanes vocum sonos captare ubi gravissima rerum tractantur momenta; imo ex rei veritate locutus est, et maledictionem ipsum factum fuisse dicit quia sensit quicquid maledictionis Deus in peccatores interminatus fuerat: non ergo hujus maledictionis causa sed symbolum fuit Crux, neque ideo Christus maledictus fuit quoniam in cruce pependit, sed ideo pependit quia fuit maledictus et omnem iram Dei in se vadem sponsoremque nostrum sensit effusam, ut Hiero. in c. 3, ad Gal. bene observat.

XXX. 2. Falsissimum mortem crucis Christo inflictam execrationis rationem non habuisse; Nam etsi respectu fidelium benedicta vere sit et pretiosa, quia ex funestissima mortis arbore dulcissimos vitæ fructus colligimus, tamen respectu Christi maledictam fuisse quis negare sustineat, diserte id testante Spiritu Sancto, si non quoad *terminum* et *exitum*, saltem quoad *causam* et *argumentum*? Et sane cur tanto ad Crucis cogitationem horrore filius ille Dei perculsus fuisset, ita ut consolatione etiam angelica indiguerit, cur tanta cum anxietate calicis istius amarissimi remotionem etiam cum lachrymis et clamoribus deprecatus esset, si nihil nisi mortem corpoream quam gregarii homines alii innumeri non constanter tantum, sed cum gaudio et exultatione adiverunt, vidisset? Aliud E. proculdubio vidit et tulit in ea Christus propter quod tanto metu et tristitia dejectus fuit, scil. iram ipsam Dei et maledictionem cum qua illi certandum fuit. 3. Frustra hic exemplum martyrum affertur quasi eadem esset ratio mortis ipsorum et Christi, at longum latumque discrimen inter utramque intercedit, ut ex jam dictis liquere potest, et ex dicendis in sequentibus clarius adhuc patebit, nam istorum supplicia etsi gravissima in corpore tamen hærebant, at Christi dolores et cruciatus cor ipsius animamque transfixere, illi extrinsecus patiendo interius divinæ gratiæ rore et dulcedine recreabantur, at Christus a Patre se derelictum queritur quia ad momenta quædam influxum solatii et gaudii illi substraxit ut posset pœnas omnes nobis debitas ferre, denique Christi mors juridica fuit et pœnalis ad placationem numinis et peccati expiationem inflicta, at istorum nequaquam, sed ad testimonium veritatis et explorationem fidei; unde licet crudeliter excarnificarentur et adhiberentur ad eos torquendos gladii, aculei, flammæ, craticulæ, θηριομαχία, aliaque priscæ crudelitatis instrumenta, nullius tamen martyris mors dicta unquam fuit cum maledicto, quia non fuit conjuncta cum sensu iræ divinæ, ut mors Christi, de ipsis nunquam legitur eos factos fuisse pro nobis maledictionem vel peccata nostra tulisse, ut de Christo quam sæpissime dicitur.

XXXI. Ad Tertium Resp. falsissimum esse quod supponunt quoties Paulus in hac epistola vel in aliis de Lege et de liberatione ab ejus execratione agit, hæc ad Judæos duntaxat respicere, nam innumeris argumentis contrarium evinci posset, et vel ex eo luculente patet quod Apost. non de Lege tantum cæremoniali quæ propria fuit Judæorum loquatur, quod

contra Pontificios constanter defendimus, sed de morali præsertim cui gentes etiam subjiciuntur: nam Legis moralis propria hæc est vox, *Qui fecerit hæc vivet in eis*. Item *maledictus omnis*, &c. Ita non Judæos tantum sed et gentiles maledictioni divinæ pariter obnoxios respexit quia utrique sunt in reatu, utrique non alio medio quam fide salvandi, quod fuse prosequitur Apost. ad Rom. Sed quid opus probatione cum Paulus seipsum clarissime interpretetur, ver. 8, 14, dum ait propterea maledictionem fuisse factum Christum "ut benedictio Abrahami contingeret gentibus in Christo," nimirum eos omnes redemit a Legis maledictione quos benedictione Abrahamitica, id. cœlesti et spirituali, donat, at non Judæos tantum sed et gentes hoc mactat beneficio, ut in sequentibus multis ostendit. E. non ad Judæos tantum sed pariter ad gentes quæcunque dixit pertinent.

XXXII. Huic priori loco non absimilis est alter ejusdem Pauli, 2 Cor. v. 21, "Eum qui peccatum non noverat peccatum fecit ut simus Dei Justitia in ipso," ubi non minus perspicue idem mysterium aperit ut ex singulorum verborum examine accuratiori demonstrari facile potest. Nam hic nullum verbum occurrit quod pondus suum non habeat. 1. Quod *factus dicitur peccatum* miræ est emphaseos ad notandam hanc et personæ et pœnæ subrogationem, peccatum enim ea notione sæpissime venire in V. T. ut et pœnam ipsam peccati et victimam cui imponitur ferenda connotet, notius est quam ut probatione indigeat: nam ex primaria et propria significatione oritur impropria et figurata duplex: 1. *metonymiæ efficientis pro* effecto, ut non ipsum peccatum sed pœnam peccato debitam designet; Gen. iv. 13, "peccatum meum majus est," id est pœna peccati, et ver. 7, "peccatum ad fores cubat," id est pœna imminet et certo ventura est; sic Zach. xiv. 19, "hoc erit peccatum Ægypti" et "omnium gentium quæ non ascenderint ad festum Tabernaculorum," id. supplicium et pœna, sic ad Heb. ix. 28, dicitur "Christus apparitūrus sine peccato" non tantum ab omni ejus labe immunis, siquidem et hoc ab initio habuit semper, utpote sanctus et segregatus a peccatoribus, sed ab omni ejus reatu et pœna liber quam in primo adventu in se receperat laturus eam et ablaturus; 2. *metonymiæ adjuncti pro subjecto* ut non tantum pœnam peccati designet, sed *victimam ipsam piaculiarem* et hostiam pro peccato connotet, sic sæpissime in Lev., אשם et חטאת pro Sacrificio pro peccato usurpantur, Lev. v. 9, "aspergito de sanguine illius peccati," id. victimæ; et statim additur חטאת הוא *hoc est peccatum*, scil. hostia pro peccato; sic apud Hoseam sacerdotes dicuntur *comedere peccata populi*, id. sacrificia. Paulus ergo ad consuetum et receptum hunc loquendi modum respiciens Christum hic dicit factum fuisse peccatum non tantum quia peccator ab hominibus habitus est, quod quibusdam sed perperam videtur, hic enim de Dei non hominum judicio agitur, neque etiam quod factus fuerit *in specie carnis peccati*, ut alibi Paulus loquitur, Rom. viii. 3, quod aliis visum est, dilutius enim hoc est quam ut vim phraseos Paulinæ reddere queat, aliud enim est similitudinem carnis peccati gestare, aliud vero peccatum fieri, sed quia ipse pœnas peccati omnes tanquam piacularis victima sibi impositas tulit, ut sacrificio crucis εὐωδεστάτῳ summum numen placaret et peccata nostra purgaret.

XXXIII. 2. Atque hoc ipsum clarius evincitur ex eo quod non tantum dicitur *factus* sed *factus a Deo*, eum quippe designari ex præcedentibus liquet, ubi postquam dixit Apostolos nomine Christi legatione fungi et velut Deo per ipsos precante rogare ut reconcilientur Deo, jam fundamentum illius hortationis ostendit in redemptione a Christo ex Dei ordine nobis parta, quasi diceret non esse cur dubitemus ad Deum ac-

cedere et reconciliari cum ipse reconciliare se nobis voluerit per Christi mortem, *fecit enim eum qui non noverat peccatum peccatum pro nobis:* Hic itaque notatur ordinatio illa Dei secundum quam Christus Vas et Sponsor noster constitutus est illique propterea imposita sunt omnia peccata nostra plane, ut, Isa. liii. 6, Deus dicitur "conjecisse in eum iniquitates omnium nostrum" eumque percussisse, ver. 10, illi "non pepercisse," Rom. viii. 32. Τὸ ποιεῖν ergo hic non proprie *facere* aut producere est, sed *ordinare, constituere, τιθέναι, καθιστάναι,* ut sæpissime hoc sensu usurpatur, Marc. iii. 14, "καὶ ἐποίησε δώδεκα Christus fecit duodecim," id. ordinavit et constituit; sic Joh. vi. 15, "facere Regem," Act. ii. 36, "facere Christum," quod refertur non ad *naturam* et substantiam sed ad *statum* et conditionem. Quem ad modum ergo absoluto Redemptionis opere in terris, Deus in acceptationis testimonium Salvatorem nostrum in cœlos evectum dicitur *fecisse Christum* id. summa gloria donasse et constituisse in mundi et Ecclesiæ regem et dominum; Ita idem ille Deus et Pater cœlestis qui œconomice summam Numinis majestatem læsam refert, dicitur Filium suum *fecisse peccatum,* id. illum ordinasse in piacularem victimam ut opus redemptionis exequeretur. 3. Ne quis vero existimaret his pœnis Christum propter se factum fuisse obnoxium, apposite ejus innocentiam et sanctitatem periphrastice commendat dum ait, *eum non novisse peccatum,* eleganti utens antanaclasi, aliter quippe non novit peccatum, aliter peccatum factus est; non *novit peccatum practice, notitia experimentali* et *approbativa,* ut *nosse* Heb. sæpe est diligere, habere, usurpare, quia ab omni vitii labe immunis prorsus fuit, nullumque illi unquam cum peccato fuit commercium, vel ut admitteret vel ut probaret: at *peccatum* tamen recte *factus* dicitur *constitutione juridica et forensi,* quia pœnæ peccati illi ut vadi sunt impositæ, non novit peccatum *inhæsive,* sed factus est *imputative,* nimirum ut peccatum bifariam spectari potest, vel quoad *labem* et vitiositatem inhærentem, vel quoad *culpam* et *reatum* ex judicio Dei consequentem, prius ut est in prædica. *qualitatis* quia inficit ipsum subjectum, posterius ut est in prædicamento *relationis* quia σχέσιν habet ad Dei judicium scelera ulciscentis, priori sensu non novit Christus peccatum quia ἄκακος fuit et ἀμίαντος, sanctus, imo sanctitas ipsa, cujus in ore fraus nulla fuit, et in quo peccatum nullum inventum est; sed posteriori peccatum factus est, quia etsi istud non fecit et labem non habuit, reatum tamen et pœnas ejus tulit. Unde non obscure colligitur veritas quam quærimus; Nam si insons plane et nihil tale commeritus ex se, pœnas tamen gravissimas instar victimæ piacularis pro nobis sustinuit, utique non ad exemplum tantum, nihil enim opus fuisset propterea peccatum fieri, sed ad Satisfactionem mortuus est dicendus.

XXXIV. 4. Denique hoc ipsum comprobat finis propter quem factus dicitur peccatum *ut essemus justitia Dei in ipso,* scilicet ut justi apud Deum compareamus, et quidem justitia non nobis inhærente, sed quæ cum in Christo sit nobis tamen per fidem a Deo imputatur, neque enim temere addit Apostolus ἐν αὐτῷ, sed ut significaret non propria nos seu inhærente justificari justitia, sed aliena tantum et imputata, quod fuse Apost. probat ad Rom. c. iii. et iv., in Epist. ad Gal. c. ii. et iii. Quemadmodum E. justitia dicimur fieri in Christo ex imputatione quia ob justitiam Christi per fidem a nobis apprehensam et a Deo imputatam justi coram ipso pronunciamur; Ita vicissim, ut antitheseos ratio constet, peccatum factus est pro nobis imputatione, quia reatus noster quo in Dei judicio obstringebamur illi ut sponsori nostro est impositus ut pœnas illi debitas ferret: eximie Aug. in Ench. ad Laur. cap. xli. locum hunc ex-

ponit; "Ipse peccatum, et nos justitia, nec nostra sed Dei, nec in nobis sed in ipso, sicut ipse peccatum, non suum sed nostrum, nec in se sed in nobis factus est." Ista scil. mirabili permutatione mala nostra in se recepit ut bona sua nobis largiretur, recepit miseriam, ut largiretur misericordiam, recepit maledictionem ut benedictionis suæ compotes nos faceret, recepit mortem, ut vitam conferret, recepit peccatum, ut justitiam impertiretur. Quanquam vero hæc commutatio duplex inter se in eo conveniat: primo quod in utraque alienum quid judicii divini æstimatione in personam transfertur, quæ translatio non est judicii aberratio, sed ea dispositio qua propter aliquid ab alio præstitum tibi nonnihil adscribitur ac si ipse ea persona esses a qua ortum est id factum, propter peccatum nostrum mors Christo imposita ac si peccasset, et propter justitiam Christi vita et hæreditas nobis collata ac si justi essemus legemque implevissemus; deinde quod utrobique nexus debuit esse inter has personas, nam neque Christo imputari potuissent peccata nostra nisi tum naturæ ejusdem vinculo, tum voluntaria sponsione nobiscum unitus esset, neque justitia Christi nobis imputaretur nisi in unum cum ipso corpus coaluissemus; Tamen in eo longe differunt, quod Christo imputatio facta est ex justitia, nobis ex misericordia, in illum peccatum transfertur sed abolendum, in nos justitia sed conservanda, in illum maledictio sed absorbenda, in nos benedictio sed continuanda, in illum sordes sed abjiciendæ in profundum, in nos vestis nova primogeniti, sed induenda; hinc est quod nos vere justi et filii Dei dici possumus, at non propterea Christus vel peccator vel filius iræ, quia nec peccatum ex se habuit nec ira Dei mansit, sed transiit tantum super ipsum.

XXXV. Licet vero luce meridiana clarius fulgeat hic cœlestis veritas, non desunt tamen sua adversariis cavilla, quibus eam obscurare et si fieri posset extinguere conantur: Aiunt ergo: 1°. Non posse ex eo quod Christus peccatum dicitur subrogationem vel pœnæ vel personæ inferri, quia ut *peccatum* cum denotat afflictionem, interdum notat afflictionem tantum ejusmodi quæ delicti quidem alicujus occasione cuipiam infligatur, interim tamen pœnæ proprie dictæ rationem non habeat, ita etiam cum pro voce concreta peccatoris usurpatur, etiam eum qui *occasione tantum peccati* alicujus affligitur significare posse. Imo ut quis peccatum vel peccator dici queat, ne hoc quidem omnino requiri ut afflictio quam subit delicti alicujus occasione ipsi infligatur, satis esse eum ita tractari quemadmodum peccatores tractari solent et merentur, atque adeo id perferre quod alias pœnæ materia esse solet, sic vocem *peccatoris* usurpari 1 Reg. i. 21, ubi Bathseba ad Davidem, "Et erit cum dormierit Dominus meus Rex cum patribus suis et ero ego et filius meus Salomon peccatores," id. tanquam peccatores tractabimur et perdemur; Idem etiam occurrere in voce *justitiæ* peccato opposita, quæ cum alias pro effectu seu præmio justitiæ usurpetur, iis quoque tribuitur qui id quod alias justitiæ effectus et præmium esse solet, accipiunt, seu qui similiter tractantur ut justi, nulla habita ratione ejus quod id fiat occasione justitiæ ab aliquo præstitæ, vel pietatis alicujus compensandæ gratia, et hanc significationem ubique locum habere ubi de justificatione nostra per fidem sermo est. 2°. Contendunt E. Christum ideo dici factum peccatum quia tanquam peccator habitus est, Deo ita permittente ut ab hominibus atroci et infami morte tanquam hominum pessimus occideretur. Sic Soci. l. i. c. 8, et Crell. con. Groti.

XXXVI. Sed nebulas hasce quas lucifugæ ad obscurandam veritatem obducere nituntur fugare non est difficile. Nam 1°. gratis supponitur, non probatur, peccatum afflictionem non notare, quæ delicti occasione infliga-

tur quidem, sed quæ pœnæ tamen rationem non habeat; Nuspiam enim istius modi apud scriptores sacros significatio occurrit, imo constanter pro calamitate ea sumitur quæ in pœnam peccati imponitur, consulantur loca Gen. iv. 7, Num. xii. 11, et xxxii. 23, Lam. iii. 39, et iv. 6, et v. 7, Zach. xiv. 19. Neque contrarium evinci potest ex 1 Reg. i. 21, nam patet ex totius capitis serie Bathsebam id velle, non tantum se tanquam peccantem cum filio suo male habitum iri, sed involvere etiam criminis alicujus quamvis ficti et falsi considerationem tanquam causæ meritoriæ pœnarum ab ipsis ferendarum, regni scil. occupandi adeoque læsæ majestatis regis Adoniæ, ut patet ex ver. 10, 12, 13. Falsum pariter justitiæ vocem pro beneficio sumi quod alias justitiæ effectus aut præmium esse solet, licet conferatur sine ullo respectu justitiæ ab aliquo præstitæ, nam cum judicium Dei sit secundum veritatem, Rom. ii. 2, non potest justos pronunciare vel pro justis habere, qui omni justitia vel sua vel aliena destituuntur; neque enim unquam probare poterunt id in justificationis nostræ negotio obtinere, imo quæcunque loca de ea loquuntur ea omnia vel justitiam imputatam Christi et meritum exprimunt aperte vel supponunt; ut ex locorum collatione patere potest.

XXXVII. Perperam E. addunt 2°. verba hæc nihil aliud connotare quam Christum tanquam peccatorem habitum fuisse et tractatum: frigida enim hæc expositio ex eo, 1. satis retunditur, Quod non dicitur tantum habitus peccatum, sed *factus*, id. constitutus, nec factus ab hominibus sed ab ipso Deo, An vero Deus fecit eum haberi peccatum et impium ab hominibus? imo voce cœlesti editisque miraculis hoc egit ut omnibus testatam faceret Christi innocentiam: aliud E. est loqui de judicio et æstimatione hominum, aliud de judicio et ordinatione Dei, illud intendit tantum adversarii glossa, sed phrasis Paulina istud diserte connotat; adde etiam quod, Isa. liii. 10, Christo ipsi hoc tribuatur "quod posuerit animam suam אשם," sive quod peccatum se fecerit, an vero id egerit ut pro execrabili et scelesto haberetur? Absit. 2. Refellitur etiam id ipsum ex antithesi Pauli, opponit scil. *peccatum* et *justitiam* ut perinde nos factos justitiam dicat in Christo quomodo peccatum ille factus est pro nobis: ut justitia simus non tantum per falsam hominum æstimationem quia pro justis habemur, imo tanquam retrimenta mundi et sacra ac devota capita censemur, sed per veram certamque Dei declarationem quatenus ille nos propter justitiam Christi nobis imputatam reipsa justificat, et a pœnis imminentibus liberat: ita pari plane pacto Christus peccatum factus est, non quia instar peccatoris habitus, sed quia vere ex Dei judicio reatus noster in eum conjectus est, ut eum ferendo ab eo nos liberaret. Atque hæc hactenus dicta sunto.

Bernardus Epist. cxc. ad Innocent.

"Homo qui debuit, Homo qui solvit: Nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit, nec alter jam inveniatur qui forefecit, alter qui satisfecit; quia caput e corpus unus est Christus," &c.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. An Christus ut pro nobis satisfaceret debuerit esse verus Deus? *Aff.*

II. An fundamentum Justificationis nostræ coram Deo sit sola Jus-

titia Christi nobis imputata, nulla autem justitiæ habitualis et inhærentis vel infusio ex parte Dei vel præstatio ex parte nostri? *Aff.*

III. An recte sola fide dicamur justificari, licet ipsa sola nec sit unquam nec esse possit? *Aff.*

IV. An fides satisfactionem Christi apprehendens sit causa impulsiva Electionis? *N.*

V. An justificatio fidelium sit immutabilis? *Aff.*

VI. An fidelis certus esse possit de justificatione et salute sua? *Aff.*

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS TERTIA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS TERTIA.

Respondente DAVIDE WYS, *Bernensi*.

I. Inter ea S. Scripturæ testimonia quæ *personæ subrogationem* et *commutationem Pœnæ* inter nos et Christum factam docent ex quibus 4ª argumentorum Classis pro *satisfactionis veritate* ducta est, Disput. præcedenti, nullum videtur luculentius eam confirmare eo quod petitur ex cap. liii. Isaiæ, et loco altero Petri parallelo 1ª c. ii. 24, ubi divini scriptores supra quam dici potest apertissime totum hoc negotium nobis pandunt. Ideo peculiarem horum locorum disquisitionem hac exercitatione instituere visum est, antequam ad alia transeamus, ne quid prætermissum videatur, quod alicujus sit ponderis ad sanctissimi hujus mysterii elucidationem et sententiæ nostræ confirmationem.

II. Et ad primum quod attinet, propheta μεγαλοφωνότατος ita perspicue et graphice utrumque Christi statum nobis ob oculos ponit, et exinanitionem et exaltationem, passiones et gloriam, pugnas et victoriam, mortem et vitam, ut quasi ex postfacto omnia historice referre, et ut bene observavit Hiero. non tam prophetam futura prædicendo, quam evangelistam, præterita narrando agere videatur: imprimis vero satisfactionis mysterium de quo agimus tanta cum evidentia connotat, ut nuspiam ferme illustrius de eo testimonium deprehendi queat, neque enim passiones varias et mortem ejus commemorare satis habuit, causas etiam tum efficientes tum finales mira dexteritate interseruit quæ aperte illud ipsum important, atque ita non semel aut bis, sed decies et quater hylasticum hoc Christi officium διαῤῥήδην asseruit.

III. Ne autem gratis illud ita præfidenter statuere videamur, rem ipsam paulo accuratius excutiamus. Primo extra controversiam ponimus de *Messia* apud prophetam agi; Nam etsi scrupulus hic multum fatigaverit eunuchum Candaces reginæ Æthiopum præfectum, proselytum, et Judæorum mysteriis tantum initiatum, Act. viii. 27, qui negabat se scire nunquid de se an de alio aliquo loqueretur propheta; nobis tamen in clara Evangelii luce jam versantibus post tot illustria Apostolorum, evangelistarum, imo Christi ipsius testimonia, qui identidem ad hoc caput alludunt ut in eventu prædictionum veritatem et complementum, et ex præ-

dictionibus eventus certitudinem demonstrent, Matth. viii. 17, Luc. xxii. 37, Rom. x. 16, 1 Pet. ii. 22, 24, dubium nullum superesse potest nisi sponte cæcutire et ad tantam lucem caligare velimus; Neque hic moramur Judæorum hodiernorum deliria qui hæc vel Josiæ Regi, ut Abrabaniel, vel Jeremiæ, ut R. Saadiah a Gaon, vel Abrahamo aut Mosi, ut R. Alscech, vel populo Judaïco ad captivitatem Babylonicam redacto, ut R. Salomo Jarchi, D. Kimchi et alii applicare magno molimine nituntur; Cum ex suis magistris revinci queant, qui sincerius loquentes jam olim hoc Messiæ vindicarunt, ut patet ex Chaldaica paraphrasi Jonathanis ubi verba Prophetæ, c. lii. 13, "Ecce intelliget servus meus" reddit הא משיחא עבדי יצלח "Ecce prosperabitur servus meus Messias," et ab hoc loco usque ad caput liv. omnia refert ad Messiam; sic R. Salomo in hunc locum, "Magistri nostri piæ memoriæ affirmant hæc de Messia dici," &c., sic in Midrasch Ruth et Bereschit Rabba loca varia ex isto capite Messiæ transcribuntur, vid. Raymund, Marti. pugio. fid. p. 3, disp. 3, c. 10, et qui ferme omnia ab eo hausit P. Galati. de arca Catho. verit. lib. viii. cap. 15, &c. Nihil etiam nos movere debent Hugonis Grotii Viri cæteroquin magni, sed in rebus fidei, inconstantis et ἀλλοπροσάλλου, observationes, qui etsi in libello de Relig. Christia., totum illud caput ad Christum commoda ac vera interpretatione retulisset, et ad nullum alium congruere affirmasset, et in tractatu eximio de Satisfactione adversus Socinum varia ex eo ad orthodoxæ sententiæ confirmationem argumenta petiisset, nihilominus in notis suis ad Isaiam de Christo vel parum vel nihil plane dicit in tota capitis illius expositione, dicam verius depravatione, et id unice quæsivisse videtur ut ostenderet hæc omnia de Jeremia commodissime posse intelligi, atque ita in gratiam Judæorum testimonia hæc omnia clarissima Christianis eriperet, quod et alibi non semel eum fecisse deprehendimus in illustrium oraculorum V.T. explanatione; hæc inquam nos movere haudquaquam debent: Nam præterquam quod ipsa verba alio torqueri sine vi manifesta non possunt, quis enim vel regum vel prophetarum fuit unquam de quo dici potuerit eum "non fecisse iniquitatem neque dolum fuisse in ore ejus," cum nemo etiam justissimus sine peccato vivat, Prov. xx. 9, 1 Joh. cap. i. 8? quis de quo perhibeatur merito, eum non sua sed aliena luisse scelera? quis tantarum virium ut totius populi iniquitates ferre potuerit, et quidem ita ut ex castigatione ejus pax illi, ex livoribus sanatio et salus ipsi contigerit? quis denique ita mori ut resurgat et semen videat æternum, quæ omnia de hoc nostro dicuntur? Accedit etiam quod illi cum quibus jam agimus rei veritatem diffiteri non possint, nobisque hac in parte adstipulari cogantur; remota itaque a cardine hac de subjecto totius vaticinii controversia, ad peculiarem ejus applicationem transeundum est.

IV. Ut vero facilius vis argumentorum in hoc oraculo pro sententia nostra latentium deprehendatur, brevem analysim et ἐξήγησιν verborum quibus hoc mysterium potissimum describitur instituere prius necesse est. Postquam ergo propheta, ver. 2. et 3., tenuitatem et infirmitatem Christi, abjectissimamque ejus speciem descripsit sub similitudine "virgulti teneri" aut "radicis de terra arenosa et sterili surgentis," imo et calamitates varias attigit quibus exerceri debuit quibus fieret ut in contemptum hominum veniret, qui prædicationi evangelicæ propterea fidem derogaturi erant, eo quod in Christo nihil nisi dolor et infirmitas appareret, "despectus," inquit, "et rejectus inter homines, vir dolorum, peritus infirmitatis, quasi abscondimus faciem ab illo et nihili reputavimus eum." Jam ver. 4, rationem reddit humiliationis et calamitatum Christi ut occurrat scandalo quod ex ea consideratione oriri poterat, "sane lan-

guores nostros ipse tulit," &c., nam particula אכן quæ hic adhibetur non solum est affirmantis, sed causæ redditionem simul continet, maxime cum aliquid præcessit quod novum et insolens videri possit. Erat autem hoc vere instar portenti eum ita prosterni ac dejici cui Deus summum in omnia imperium daturus erat, quemque ut servum electum et in quo anima ejus acquiescebat summo amore complectebatur, Isa. xlii. 1. Id vero nisi causa redderetur absurdum omnes judicare poterant, Itaque causa jam subjicitur quod "languores et dolores nostros tulerit," id est pœnas omnes et ærumnas nobis propter peccatum debitas: Ille non talia meritus, mala tulit quæ nos eramus meriti, quod Symmachus clare reddit ὄντως τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνέλαβε καὶ τοὺς πόνους ὑπέμεινεν, ut innuat *languores* ac *dolores* Christo impositos nihil aliud fuisse quam *peccata* nostra et *pœnas* iis debitas. Ea cæteroquin futura erat Judæorum totiusque populi incredulitas ut non agnituri essent rationem veram cur tam duriter affligeretur Christus, sed ob sua propria scelera cæsum et percussum a Deo essent reputaturi, quem tamen innocentissimum noverant, cuique Judex ipse innocentiæ testimonium erat perhibiturus; Unde addit "Et nos" id. "sed" (ו enim hic est adversativum) existimavimus eum percussum a Deo, vulneratum et humiliatum;" Verum perversum et falsum hoc ac temerarium judicium redarguit, causam proximam meritoriam istorum dolorum pressius notando, ver. 5, "Atqui ipse vulneratus est propter iniquitates nostras," &c., id. quicquid præpostere et perverse judicet mundus, quasi propter propria peccata a Deo affligeretur, certum tamen est eum non suo sed nostro merito punitum fuisse, nostra illi peccata quorum reatum in se susceperat tanti doloris et cruciatus causam et materiam attulisse.

V. Porro quia Christus ut perfectus esset Servator non tantum mala depellere et auferre debuit, sed et bona conferre, non tantum a morte et exitio liberare, sed et salutem vitamque acquirere, ideo subdit statim propheta, "Castigationem pacis nostræ super eum positam fuisse et nos ejus livore sanatos fuisse." Vox מוסר qua hic utitur proprie *disciplinam* et *institutionem* notat, quia vero pueri et rudes ac ignavi discipuli non verbis tantum sed et verberibus nonnunquam opus habent ut ad officium impellantur, hinc fit ut secundario et metaphorice pro *castigatione* ponatur, imo et materialiter pro ipsa *pœna* seu supplicio propter peccatum inflicto, Hos. v. 2, "Et ego מוסר correctio seu castigatio omnibus illis," id. castigabo eos propter suas prævaricationes. Ita notatur afflictio quæ habet rationem pœnæ, sive illa sit νουθετικὴ sive παραδειγματικὴ; neque reperire licet in Scriptura vocis istius usum quum afflictionibus tribuitur sepositum ab omni culpæ respectu. Non simpliciter autem dicitur *castigatio*, sed *castigatio pacis nostræ;* scilicet ut finis ejusdem notetur, id. quæ pacem nobis conciliet, phrasi Hebraica, quæ innuit calamitates et pœnas illi impositas non alium finem habuisse quam pacem nostram et salutem; sive per pacem qualemcunque felicitatem intelligamus, ut *pacis* nomine Hebræi omnigenam benedictionem et prosperitatem interpretantur, sive speciatim fœdus pacis et reconciliationem nostram cum Deo cum quo gravissimæ nobis propter peccatum intercedebant inimicitiæ, qui primarius fuit mediationis scopus. Ita quia dissidium illud tolli non potuit nisi prævia satisfactione, qua ira Numinis placaretur et peccata expiarentur, castigationem intercedere necesse fuit non tantum ut afflictionem, sed ut pœnam ac λύτρον proprie dictum. Atque id ipsum alia similitudine persequitur, *plagarum* et *sanationis*, quemadmodum peccata spectari possunt vel ut *crimina* quæ Deum offendunt, vel ut *vulnera* ab antiquo serpente inflicta quæ gravissime hominem sauciant et lædunt,

ita sub illa prima σχέσει opus est pœna castigatoria ad tollendum reatum, in ista vero livoribus et plagis utitur mirabiliter ad sanitatem restituendam: חברה sive μώλωψ *livor* est, id. verberum in cute vestigium, vel cutis ex incussione vulnerum sugillata, Lati. Vibex, et metony. pro *vulnere* ponitur, quia a vulnere provenit et ejus nota est et vestigium: dicit E. Christum sanitatem nobis attulisse plagis suis, livorem ejus nostram factum fuisse medicinam, ejus dolores nostram sanitatem, ejus vulnera vulnerum nostrorum emplastrum. Quæ sane salvandi ratio eo admirabilior videri debet quod ex ipsis malis nostris remedium adversus ea salutare petit, et Diabolum illis ipsis armis quibus nos devicerat debellat: Peccatum mortem nobis intulerat, at Christus moriendo mortem ipsam destruxit, et peccatum abolevit, Heb. ii. 14, Rom. vi. 6; Lex maledictioni divinæ nos mancipabat, at per maledictionem benedictionis cœlestis author nobis fuit, et ita in cruce Legis chirographum delevit, ut nulla sit amplius adversus nos condemnatio, Gal. iii. 13, Col. ii. 14, Rom. viii. 1; Diabolus sævissimam suam tyrannidem per metum mortis in nos exercebat, et Christus in morte ipsa, quæ ultimum fuit Satanæ propugnaculum, Diabolum ipsum funditus delevit et de eo triumphavit, Col. ii. 15, Heb. ii. 14, 15; Denique gravissima scelera nostra lethale vulnus nobis intulerant, et ex ipsis vulneribus ut ex ipsa vipera theriacam saluberrimam ad sanationem nostram confecit, dum plagis suis remissionis peccatorum et sanctificationis fontes nobis aperuit: quis ergo non miretur et venerabundus suspiciat admirabilem illam sapientiæ divinæ rationem qua ex malis bona, ex miseria felicitatem, ex maledictione benedictionem, ex morte vitam, ut olim ex tenebris lucem, educere novit?

VI. Sic propheta mortem Christi ejusque causam tum impulsivam tum finalem connotavit, inde iniquitates, hinc pacem et sanationem nostram; Ut autem melius infigat mentibus hominum beneficium hoc mortis Christi eximium, ostendit quam necessaria fuerit salus illa cujus prius mentionem fecerat, et a quo procurata, nisi enim perspecta nobis fuerit miseria et necessitas nostra, nunquam intelligemus quam expetendum sit remedium quod Christus attulit, neque ea quæ par est reverentia et gratitudine summum illud beneficium excipiemus, nisi primarium ejus authorem intelligamus. Itaque utrumque attingit, ver. 6, et prius quidem cum ait, "Nos omnes tanquam oves errasse, quemque in viam suam declinasse," id. perditos omnes fuisse donec ab ipso vindicaremur, posterius vero cum addit "Jehovam traduxisse in eum nostras omnium iniquitates:" quæ verba imprimis ad rem nostram faciunt, tum quia iniquitates nostræ dicuntur in Christum *traductæ*, non sane quoad *culpam* a qua immunis ille semper fuit, sed quoad *reatum* tantum et pœnam quam sustinere sponte voluit, tum quod traductæ dicantur *a Jehova* quatenus sapientissimo consilio has illi pœnas ut judex sponsori nostro imposuit, nihil enim hac in parte factum ab hostibus Christi quam quod "manus et consilium Dei," id. decretum efficacissimum et potentissimum, antea *præstiterat*, Act. iv. 28. Hic vero adversarius nullum non lapidem movet ut genuinum horum verborum sensum nobis extorqueat, aliam præposteram interpretationem comminiscendo quasi nihil aliud vellet propheta quam "Deum occurrisse per ipsum vel cum ipso iniquitati omnium nostrum," nempe "prædicatione et dulci credentibus facta promissione. Sed corruptela hæc per se corruit: 1. Quia repugnat aperte vox Hebræa הפגיע conjugationis Hiphil quæ non unicam sed duplicem actionem significat, Ideo, cum פגע in Kal proprie sit *occurrere*, sequitur ut הפגיע in Hiph. sit *fecit occurrere;* Cum autem alicui occurratur, vel in malum nocendi causa, vel in bonum ad intercedendum et deprecandum ut infr., ver. 12, לפשעים

מפגיע, id. "pro peccatoribus intercedet." Ideo duplici sensu hæc vox usurpatur in Scriptura, sed posterior hic locum habere nequit, nam tum diceretur, "Deum rogare fecisse pro eo iniquitates omnium nostrum," quod est longe absurdissimum vel ipso Socino judice; accedit etiam quod omnia quæ proxime antecedunt et sequuntur ad afflictionem non ad deprecationem pertinent. Ergo non ferunt verba alium sensum quam hunc, "Fecit Deus in illum occurrere," id. impegit, incussit, transtulit in ipsum pœnas iniquitatum omnium nostrarum: sic intellexerunt LXX. Καὶ Κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν "tradidit eum Deus iniquitatis nostris;" Symmachus, Κύριος καταντῆσαι ἐποίησεν εἰς αὐτὸν τὴν ἀνομίαν πάντων ἡμῶν, "Dominus fecit occurrere in ipsum peccatum omnium nostrum;" Vulgata, "posuit Dominus in eum," quasi respiciens ad hircum emissarium; Syrus, "Dominus fecit ut irruerent in eum peccata omnium nostrum." Nam quod hæreticus hoc ad prædicationem Christi et promissiones ejus refert satis ex ipsa orationis serie refellitur, ubi de præconio vel promissionibus nihil, sed de supplicio et pœnarum latione multa habentur.

VII. Quod potissimum, 2. ex sequentibus liquet ubi fusius rem eandem exequitur: ver. 7, "mulctatus et afflictus, nec aperuit os suum," Traductio quippe illa et velut occursus iniquitatum non potuit aliter fieri quam per imputationem, qua constitutus est pœnarum debitor pro nobis omnibus; debitum vero illud ita volente Deo contractum et filio impositum effecit ut mulctaretur et affligeretur; Quia vero pœna illa nullius fuisset ponderis et momenti apud Deum nisi liberrime a Christo lata fuisset, nisi enim voluntariam mortem subiisset inobedientiæ nostræ culpam expiasse non videretur, Ideo ne quis hæc a Deo Patre ita disposita esse arbitraretur ut filio invito acciderint, aut qui conquereretur injuste secum agi, propterea summam ejus patientiam et obedientiam commendat, qui inter medias ærumnas et probra quibus impetebatur ne os quidem suum aperuerit. Notanda est autem verborum vis, eoque magis quod difficultate carere non videntur נגשׂ והוא נענה. Vulgata ita reddit "oblatus est quia ipse voluit;" sed coactior hæc est interpretatio quam ut admitti possit, nam etsi נגש per ש sign. *adducere* et *admovere*, tamen per שׂ aliud plane designat. Itaque commodior est sententia Tremellii et aliorum qui per *exigitur* interpretantur, nam cum verbum נגשׂ duos tantum significatus obtineat in scriptura, primum proprium *exigendi*, ut 2 Reg. xxiii. 35, Zach. ix. 8, alterum figuratum et metaph. *opprimendi* et *affligendi* (quia in exactione sæpe est oppressio), alteruter hic obtineat necesse est; posterior vero locum habere non potest, siquidem in eodem commate additur והוא נענה quod de ea afflictione et calamitate intelligendum esse patet ex ver. 4, ubi dicitur מענה id. *attritus*, voce ab eadem radice derivata, at inanis esset tautologia si de eodem diceretur "opprimitur et ipse affligitur;" superest ergo ut vox illa proprie sumatur ut significet *exactionem pœnæ* et referatur ad nomen proxime antecedens *peccatum*, quod hic subaudiendum; *exigere* autem *peccatum* nihil aliud est quam exigere pœnam peccati, atque ita optime cohærebunt, exactio pœnæ a Christo et ejusdem afflictio; nam a Christo sponsore debitum nostrum exegit Pater severissime unde ipse afflictus est; Exigitur ergo pœna propter quam ipse affligitur. Ita τὸ נענה ad afflictionem et perpessionem referetur. Non male quidam volunt vocem posse sumi in proprio significatu *respondendi* quod eodem recidit, ut sic respondeat exigenti; quasi dicas "ab eo exactum est," scilicet peccatum, et *ipse respondit* id. persolvit pro nobis, respondit, inquam, *re* solvendo ut fidejussor, non *ore* obloquendo: quid enim ille interea an re-

luctatur aut moras nectit? imo contra sponte se judicio Dei subjicit, et "ne os quidem suum aperit, quasi ovis ad mactationem deducta:" nam et ipse agnus erat Dei qui tollere debuit peccata mundi; Quæ patientia admirabilis et a Petro commendatur, et ab evangelistis non semel describitur, dum ipse nihil ad falsas Judæorum excusationes reposuit; etsi justa suppeteret defensio, tacuit tamen coram tribunali Pilati, Matth. xxvii. 12, 14; nimirum quia reatu nostro se obstrinxerat, voluit tacitus judicio acquiescere, ut nobis pleno ore gloriari liceret in ejus absolutissima justitia. Ita mortem ipsius verum fuisse sacrificium docere voluit vates sacer in qua victima sponte et lubenter sese stitisset, quo pertinet illud, Psal. xl. 6, 7, *Ecce venio*, nam alias litatum non fuisset, quomodo apud Ethnicos non litabatur et ἄθυτον ἱερὸν existimabatur si victima sese retraheret ab aris aut mugitum ederet, unde illud Ovidii, "mugitus victima diros edidit." At noster Agnus ne balavit quidem licet humeris suis ferret peccata omnium nostrum.

VIII. Ex hac autem analytica verborum ἐξηγήσει jam proclive est agnoscere quanta exurgat argumentorum seges pro satisfactionis veritate. 1. Quum Christus dicitur, "languores et dolores nostros atque iniquitates tulisse," ver. 4, 6, 8, 11, 12, pœna hæc vicaria non obscure indicatur, nam si non suos sed nostros dolores tulit, utique innocens respectu sui, sed nostra culpa tantum reus percussus est, adeo ut peccata nostra fuerint causa meritoria et impulsiva cruciatuum quos tulit: qui vero pœnas alteri debitas in se recipit et transfert, in alterius locum et vicem subrogatus merito dicitur atque adeo eadem vel æquivalentia patiendo pro ipso satisfacere: Nam præterquam quod is est frequentissimus et tritissimus scripturæ usus ut *peccata portare* is dicatur qui pro peccatis punitur et plectitur, vide Lev. v. 1, et xix. 8, et xx. 17, 20, et xxiv. 13, Num. xiv. 33, Ezech. xviii. 20, et alibi sæpius; repugnat etiam ipsa ratio ut is alicujus peccatum portare dicatur, qui sola peccati occasione patitur, nisi pœnas etiam peccati perferat ac in se recipiat; quis enim dixerit dominum qui ex furis peccato damnum patitur illius peccatum portare, cum etsi occasione furti affligatur in bonis suis, furti tamen pœnas non sustineat nec pro furto puniatur. Hanc vero lationem esse pœnalem et satisfactoriam evincitur, 2. ex ver. 10, "ubi dicitur animam suam positurus in sacrificium pro peccato, תשים אשם נפשו; nam אשם hic *piaculum* sive victimam piacularem notare dubitari non potest; quemadmodum vero victima in Rei locum substituta pœnam peccatoris sustinendo, reatum ejus expiabat, quod manuum impositione significabatur, et peccatum portare propterea dicebatur; ita pariter Christus agnus Dei qui peccatum pro nobis factus est, peccata nostra tulit vere, quia mortem nobis debitam in se recepit ut ab ea nos eximeret; cur vero positum "sacrificium pro delicto" si delictum potuit expiari, vel expiatum est reipsa sine sacrificio hylastico?

IX. Accedit 3. quod non tantum dicatur dolores nostros tulisse, sed "et attritus fuisse et percussus a Deo propter peccata nostra," quod disp. præced. causam meritoriam notare probavimus. Item quod, "Deus in ipsum conjecerit et transtulerit iniquitates omnium nostrum," ver. 5, 6, quod, "voluerit Jehova eum conterere," ver. 10, ubi talis innuitur peccati latio quæ perpessionem conjunctam habet gravissimam et judiciariam peccatorum imputationem; peccata autem ferre patiendo, atque ita ut inde alii liberentur, quid aliud indicare potest, quam pœnæ alienæ susceptionem voluntariam et justam inflictionem? Nam quod adversarii hoc ad occasionalem Christi calamitatem referunt, quia Deus voluit eum iniquitatum nostrarum occasione mori, dilutius est quam ut vim phra-

seos propheticæ reddat, quæ non occasionalem tantum, sed veram et proprie dictam causam meritoriam importat; rursus quo pacto diceretur Deus conjecisse in eum iniquitates omnium nostrum, quod non alio quam ad pœnæ transgressionem referri potest, si non alium in finem mors illi est illata quam ad doctrinæ confirmationem, vel constantiæ exemplum? 4. "Castigatio pacis nostræ" dicitur "posita super ipsum," ut scilicet haberemus pacem eum Deo a quo per peccatum aversi fuimus, at quid opus fuit hac intercedente castigatione ad pacem obtinendam, si remissionem liberam absque satisfactione nobis indulgere constituerat; quare ex livore nobis sanitas et plaga propter prævaricationem populi illi imposita, si satisfactio hic nulla fuit necessaria, hoc est nec livor nec plaga? sane summus ille quo filium suum prosequitur amor Pater, non patitur nos credere illum vel nulla vel levicula aliqua de causa durissimæ morti exponere voluisse, sed gravissimam aliquam et summe necessariam rationem intercedere necesse fuit ad id ut hoc consilium iniretur, hæc vero nulla dari potest alia quam Justitiæ divinæ satisfactio, ad cujus placationem nostra ille peccata in cruce portare et a Deo atteri atque vulnerari debuit.

X. Denique si totam contextus prophetici seriem attendimus, videbimus distincte omnia et singula quæ ad hoc negotium pertinent connotari, tam quæ spectant Christi in locum nostrum substitutionem, quam ea quæ ad ejus pro nobis satisfactionem referuntur. Nam si ad veram et proprie dictam satisfactionem hæc vulgo requiri dicuntur: Ut sit in eo qui satisfacit calamitatum et miseriarum omnium nobis debitarum *latio*, ut lationis illius *causa impulsiva* et meritoria sint peccata non sua sed nostra, *causa efficiens* Dei justa imputatio et Vadis voluntaria susceptio, *finalis* peccati expiatio, et plena debiti persolutio, *effectum* denique ac fructus perfecta redemptio et æterna salus, Hæc omnia sigillatim hic commemorantur: 1. Pœnarum lationem, "ille morbos nostros tulit et dolores portavit," ver. 4. 2. Causa impulsiva meritoria, nam "ipse dolore affectus fuit a defectionibus nostris, &c., a prævaricatione populi plaga ipsi," ver. 5, 8, cum ipse interim insons plane et absque peccato, "violentiam non fecerit nec dolus fuerit in ore ejus," ver. 9. 3. Dei justa imputatio, "nam Jehova fecit in eum incurrere iniquitatem omnium nostrum," ver. 6, et "Deo ipsum placuit conterere," ver. 10. 4. Christi voluntaria susceptio, nam "afflictus fuit nec aperuit os suum, sicut parva pecus ad occisionem ductus est," ver. 7. 5. Peccati expiatio et debiti plena persolutio, nam "posuit animam suam hostiam pro delicto," ver. 10, et "a coarctatione et judicio assumptus est," ver. 8. 6. Denique ipsa redemptio et salus, "ex castigatione pax, ex vibicibus sanitas," ver. 5, et "ubi posuerit animam suam reatum, videbit semen, prolongabit dies, et beneplacitum Domini prosperabitur in manibus ejus," ver. 10, "Pro labore animæ suæ satiabitur, servus ille Justus justificabit plures cognitione sui," &c., ver. 11. Quid clarius et significantius dici potuit pro nostra sententia? sane nullis verbis magis emphaticis exprimi a nobis nunc quidem posset aut declarari. At si alia plane fuit Prophetæ mens, si nihil minus in animo habuit quam satisfactionem Christi nobis commendare, cur iis verbis usus est, quæ apertissime et propriissime eam designant atque ita occasionem periculosissime errandi toti Ecclesiæ præbuit? Sed non patitur sanctissimus divini Vatis zelus et ingenuus candor ut quicquam tale de eo cogitemus; Imo hæc plane nos persuadere debent non aliam fuisse ejus a nostra hac in parte sententiam. Ex quibus omnibus fortissimum jam colligitur argumentum: Qui subiit et præstitit omnia a reis et debitoribus peragenda, sic ut ipsius castigatio cesserit in

imponentis satisfactionem, ipsius sacrificium in delictorum expiationem, ipsius vibices et vulnera in delinquentium sanationem; qui ita peccata omnia tulit nostra, humeris suis Deo ita volente imposita, ut ea a nobis abstulerit, qui ea tanquam piacularis victima expiavit et hoc pacto homines redemit et salvavit, Is revera non exemplo tantum aut præconio, sed et merito ac satisfactione Servator est dicendus; At hoc ipsum pro nobis Christus implevit, ut ex ante dictis patet: E.

XI. Ita locus hic invicte militat pro sententia nostra; non dissimulanda tamen sunt quæ effugia hic captare conantur adversarii, quanto major enim est vis istius argumenti tanto majores sunt eorum conatus ad illud eludendum. 1°. Hinc facile probare se posse putant satisfactionis veritatem nulla ratione ex isto colligi loco, quia phrasis *portandi peccata*, qua nititur præcipue argumentum, ambigua est et πολύσημος, et licet aliquoties pœnæ lationem significet, tamen non raro etiam pro simplici *ablatione* ponitur, quemadmodum *ferre et portare* per metonymicam quandam translationem *auferre* nonnunquam designat, cujus translationis hæc fuisse videtur ratio quod qui aliquid aufert aliunde, tantisper dum illud deponat aut abjiciat, portare soleat; sic, Exod. xxxiv. 7, Deus dicitur "portare iniquitatem et peccata," non utique ferendo, sed auferendo et condonando, "Jehova servans misericordiam millibus, portans iniquitatem et peccata," ubi occurrit verbum נשא quod hoc in loco legitur; sic Num. xiv. 18, et alibi; nihil ergo absurdi esse pertendunt si dicatur Christus hoc sensu portasse languores et iniquitates, non quod sustinuerit universas pœnas nobis debitas, sed quod a nobis omnes dolores et languores abstulerit, et nos ab omnibus nostris malis liberaverit. 2°. Non posse locum aliter intelligi quam de peccati et pœnæ remotione probant ex Matth. viii. 16, 17, ubi impletum dicitur istud vaticinium quando ægros sanabat et varios morbos curabat, "vespere autem facto," inquit Matth., "obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit; ut adimpleretur quod dictum est per Isa. dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit et morbos portavit;" ut ergo morbos portasse dicitur non in se transferendo, sed a nobis auferendo, idem etiam de peccatis intelligendum esse. 3°. Confirmant eandem hanc expositionem ex typo hirci emissarii, unde videtur petita hæc loquendi ratio, de quo, Levi. xvi., dicitur quod super eum Aaron jussu Dei omnia populi delicta confitebatur et ejus capiti imponebat, quæ deinde emissus in desertum secum asportabat; non enim illi hirco vere peccata populi imputari potuisse, neque eum abeuntem vere secum illa portasse: sed Dominum innuere tantum voluisse non minus a populo ablata fuisse omnia peccata, quam si hircus ille super se universa habens in desertum illa asportasset; non potuisse dici satisfecisse pro peccatis, quia nihil de ejus morte quæ tamen secundum nos necessaria erat, perhibetur. 4°. Quod si locutio hæc urgeatur et ad calamitatis inflictionem referatur, ne sic quidem satisfactionem posse elici contendunt, quia non semper pœnæ lationem connotat, sed simplicem afflictionem occasione peccati illatam, ut patet ex Num. xiv. 33, Thren. v. 7. 5°. Vellicant etiam verba ver. quinti, ubi dicitur "castigatio pacis nostræ super eum," quasi nihil aliud significent quam Christum flagella et afflictiones subiisse quæ nobis pacem, id est felicitatem et quietem, pepererunt; Nam מוסר pro flagello tantum et afflictione poni, non pro vera punitione, innuere vocem *pacis* quæ ei non obscure opponitur, nempe quia antithesis non est inter punitionem et pacem quemadmodum est inter pacem et afflictionem. 6°. Denique ver. 6, ubi dicitur quod Jehova הפגיע "fecit occurrere iniquitatem nostram super ipsum," reponunt dupliciter reddi

posse commodius quam a nobis fieri soleat, aut "et Jehova occurrit per eum iniquitati omnium nostrum," ita ut Deus per Christum omnes iniquitates vel iniquitatum pœnas a nobis, illis quodammodo per ipsum vel cum ipso occurrendo, depulerit; vel "et Jehova occurrere fecit ei iniquitatem omnium nostrum," id. ut Deus effecerit ut omnium nostrum iniquitates Christo obviam fierent et ipsum quodammodo aggrederentur cum nostrarum iniquitatum causa mori eum voluerit: sic illi perversissime locum hunc detorquere conantur in propriam perniciem. Vide Socin. de Serva. p. 2, c. 4, 5, Catech. Racon. c. 8, q. 33, Crell. adv. Groti; Smalz. contra Frantzi.

XII. Nos vero eorum pestifera sed imbellia tamen tela sic repulsum imus. Nam in 1°. se prodit solitus eorum *paralogisimus* a *particulari*, *Portare* interdum significat *auferre* et removere, et vox Heb. נשׂא aliquoties eo sensu usurpatur, Ergo et hic pariter intelligenda venit. Quamvis enim daremus hunc significatum quibusdam in locis occurrere, tamen ut in omnibus, et eo præsertim de quo inter nos controvertitur Isaïæ loco, pro sola peccatorum remotione et ablatione, non vero pro eorundem receptione et translatione in Christum accipi debeat, nunquam a nobis impetrabunt. Nam cum occurrit vox ambigua, Ex circumstantiis, orationis serie, et materia subjecta, significatio genuina petenda est, atque ita statuendum est primariam et propriam significationem quantum fieri potest retinendam esse, nec ad tropicam et impropriam temere et sine gravi causa recurrendum esse; Hic vero gravissimæ sunt causæ cur juxta receptam sententiam verbum hoc de *gestatione* vera, non de simplici remotione intelligamus, quia est "primaria et maxime propria vocis istius significatio," quæque frequentissima est ubivis in Scriptura, consulantur loca apud eundem prophetam, Isa. c. xxx. 6, et xl. 11, et lii. 11, et lxvi. 12; hic enim ut et alibi sæpius vere significat aliquid portare, maxime cum peccato adjungitur; nam ut Hebræi significent id quod Latini dicunt *pœnas pendere* nullam phrasim habent magis receptam quam hanc *ferre peccatum*, ut Latini etiam dicunt *luere delicta*, hoc est delictorum supplicia; sic ex ordinario usu scripturæ sumi probavimus antea; nec diffitetur Socin. Prælecti. c. 21, "Fatemur," inquit, "locutionem hanc *portare* seu *ferre* peccatum sive iniquitatem idem significare solere, quod peccati pœnas dare, sive ut verbum verbo reddamus peccati pœnam ferre, peccati enim et iniquitatis pœna potissimum significatur." Cum ergo usitatissima hæc sit et communissima istius verbi acceptio, cur nulla ratione cogente ad aliam rariorem et insolentiorem confugeremus, maxime cum hanc esse retinendam non paucæ nec leves ex ipsius textus visceribus petitæ demonstrent rationes?

XIII. 1. Prima petitur ex conjunctione verbi סבל quod priori annectitur, "languores nostros ipse tulit et dolores nostros bajulavit," סבלם, quod repetitur etiam, ver. 11, "et iniquitates eorum portabit," יסבל, quanquam enim ipsa peccatorum susceptio et latio ex priori voce satis colligeretur, ne quis tamen argutaretur τὸ נשׂא de simplici *ablatione* vel *remotione* intelligendum esse, ideo Propheta addere voluit verbum סבל ἐξηγητικῶς, quod non alium quam portandi seu onus impositum bajulandi significationem obtinet, unde quem *bajulum* vulgo vocamus Scripturæ vocant סבל, id. νωτοφόρον dorso ferentem, ut lxx. vertunt, 2 Chron. ii. 2, et onus quod gestatur humeris ita ut portantem premat dicitur סבל סבלה Exod. i. 11, et Psal. lxxxi. 6, unde nonnulli *sabulum* Latinis dictum volunt, quod arena valde sit ponderosa. Cum ergo vox hæc quæ unicum significatum bajulandi obtinet addatur præcedenti quæ πολύσημος est et ambigua, patet priorem ex posteriori esse interpretandum. Nec sine cau-

sa Spiritus S. videtur duas hasce voces conjunxisse ut perfecta peccatorum latio innueretur, quippe τὸ נשׂא ipsum actum tollendi onus in humeros atque adeo susceptionem proprie designat, סבל vero gestationem oneris impositi ac suscepti. Ita Christus gemina hac phrasi portasse peccata dicitur quia non ita suscepit imposita sibi peccata nostra, ut sub onere fatiscens ea deposuerit et abjecerit impar oneri tanto, sed suscepta rite portavit et pertulit. Itaque sive consideretur conjunctio utriusque vocis, sive relatio et σχέσις unius ad alteram, necessario vera peccatorum susceptio et latio, non simplex ablatio colligitur; Neque ullius est momenti Crellii instantia qua *auferendi* significationem etiam in verbo סבל locum habere debere contendit, ver. 11, quum de Christo dicitur, "de labore animæ videbit et saturabitur, cognitione sui justificabit servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit," ubi iniquitatum bajulatio commemoratur tanquam aliquid quod extiturum sit post mortem Jesu Christi et tanquam præmium laboris quem is mortem subeundo pertulerit, quod profecto esse non potuit puniri in ipso peccata nostra, id enim neque mortem consecutum esset, sed una cum ipsa morte peractum fuisset, neque præmium laboris dici posset sed labor ipse, ver. 11. Nam etsi bajulatio peccatorum referatur a propheta post justificationem quam per fidem in ipsum consecuturi erant fideles, et post satietatem, id. præmium quod ipse ex labore suo relaturus erat, non sequitur tamen contigisse postea, imo debuit reipsa antecedere, quia his verbis causa redditur præmii quod obtinere debuit, et fundamentum ponitur justificationis quam electis conferre debuit, quare enim justificare potuit servus ille dilectus per cognitionem sui fideles, nisi quia portando eorum peccata in cruce pro iis satisfecerat? Itaque copula ו, quæ hic apponitur, *causaliter* est intelligenda ut sæpe alibi, quod observatum Tremellio qui vertit in præterito, "quorum iniquitates ipse bajulaverit;" falsum etiam quod supponit portationem iniquitatis statui a propheta præmium laboris Christi, cum potius recenseatur tanquam ipse labor qui fuit præmii causa, nam statim, ver. sequenti, addit commemorans gloriam quæ illam calamitatem erat secutura, "Ideo partem ei dabo in multis et dividet spolia," &c., nim. propterea quod animam suam morti exposuerit et portaverit multorum peccata, ut ibid. additur.

XIV. 2. Ex modo portandi, qui est "vulneratio" et "attritio," ver. 5, 6, "labor animæ," ver. 10, neque enim dicitur simpli. peccata vel languores tulisse, sed ita tulisse ut propterea fuerat vulneratus et contritus, ut propter prævaricationes nostras plaga affectus fuerit, atque adeo laboraverit anima ejus; quis vero hinc non videat non loqui prophetam de nuda et simplici peccatorum et pœnarum remotione, sed de onerosa et molesta portatione ac gestatione qua Christus pœnas peccatis nostris debitas in corpore suo sustinuerit ut ab illis liberaremur? quid enim attinebat hic commemorare summam ejus ignominiam et exinanitionem, extremos cruciatus et dolores quos perpessurus erat, si nihil aliud præstiturus erat Christus in hac iniquitatum portatione quam quod eas suprema sua authoritate et gratia removeret et auferret? Accedit etam quod non tantum portasse dicatur peccata, sed et in se recepisse; castigatio enim pacis nostræ dicitur fuisse עליו *super eum* et Deus conjecisse *in eum* iniquitates omnium nostrum, quod utique frustra diceretur, si auferendo tantum et non etiam ferendo et in se recipiendo pœnas iniquitatum portasset.

XV. 3. *Ex simili* ibidem allato, nam eodem modo dicitur portasse peccata quomodo victimæ portabant peccata, nam phrasis illa per istam exponitur, ver. 10, dum dicitur posuisse animam suam sacrificium pro delicto; peccata vero victimis ita fuerunt imposita ut non tantum ea

auferrent per expiationem typicam, sed et iis typice imputarentur per æstimationem juridicam, quo pertinebat ritus impositionis manuum super caput hostiæ et confessio peccatorum quæ fieri solebat; Ita cum Christus vere sit victima nostra piacularis qui propterea *peccatum* dicitur factus a Deo, 2 Cor. v. 21, ut antea visum, portatio ista non potest sine vi quadam ad *portationem activam* tantum vel authoritativam, si fas ita loqui, id. meram ablationem referri, sed optime ad *gestationem passivam* et satisfactoriam accommodatur. 4. Denique ex ipsa Adversariorum sententia, nam si auferre debuit Christus peccata, utique et ferre debuit, nunquam enim ea auferre potuisset ut Mediator, nisi eorum pœnas sustinuisset ut sponsor, primariis debitoribus indemnitatem et immunitatem a pœna præstando. Ita hæc tanquam contraria et ἀντιδιῃρημένα non sunt opponenda, sed componenda ut subordinata, peccatum ferre et auferre, quia ut non tulit nisi ut auferret, ita non abstulit nisi ferendo.

XVI. Atque hinc luculenter patet quid ad illa loca respondendum sit in quibus "Deus dicitur portare iniquitatem" non "satisfaciendo," sed simpli. "condonando," Exod. xxxiv. et Num. xiv., nim. disparem esse plane rationem, et dissimilia conferri. Nam aliter *Deus* dicitur portare peccata, aliter *Christus*, Christus ita fert ut propterea dicatur peccatum et execratio fieri, propterea atteratur, vulneretur, occidatur, quod de Deo nuspiam perhibetur, quid mirum ergo si Christus ferat peccata pœnas luendo, Deus contra reatum condonando, et pœnam removendo? Ita pro ratione subjectorum phrasis diversimode explicari necessario debet, ne sensum fundat absurdum et alienum. Deus enim cum sit ἀπά-θητος et doloris omnis expers non potest portare peccata eorum pœnam suscipiendo, ideo manifesta ratio compellit nos deserere significationem propriam et figuratam assumere; at in Christo nihil tale occurrit; nam ex quo particeps factus est carnis et sanguinis, obnoxius factus est iisdem infirmitatibus et tentatus in omnibus nobiscum excepto peccato, unde nihil obstat quominus vere in se pœnas peccatorum receperit ad patiendum pro ipsis, quemadmodum constat eum gravissimis doloribus et cruciatibus exercitum fuisse.

XVII. Secunda exceptio petita est ex collatione evangelistæ cum Propheta, in qua mire sibi plaudunt quasi nodus plane ἄλυτος sit et inexplicabilis, quia oraculi illius complementum apud Matth. viii. refertur ad morborum sanationem quos Christus non tulit sed abstulit. "Quid," inquit Ostorodus, "an Christus infirmorum morbos in se recepit et loco eorum ægrotavit et sic eosdem sanavit? nemo hoc affirmabit, sed potius dicet Christum morbos illorum potentia sua divina abstulisse et abjecisse." Difficultas hæc in speciem gravis et ardua, sed varie tamen responderi potest: 1. Vel Adversarii pertendunt prophetam de morbis tantum corporalibus loqui vel non: illud ut opinor ne dixerint quidem, istud vero eorum hypothesim destruit, nam ut diversi sunt languores, ita diversimode eos tulisse dicitur, et rei naturæ et statui suo convenienter, corporeos quidem removendo non ferendo, spirituales vero et ferendo, et auferendo, quia ita rei natura postulabat; quod si quæritur qua tandem ratione applicatio hæc convenienter facta fuerit a Matthæo, diversimode huic scrupulo satisfieri potest. Primo, non male quidam hæc *anagogice* applicari a Matthæo pertendunt, quia enim Christus multa hic miracula edere incipiebat, facile contingere poterat ut vulgus existimaret eum tantum excellentem esse medicum aut præstantissimum chirurgum; ideo ad hoc præcavendum Matthæus hominum mentes per ἀναγωγὴν elevare et altius de Christo sperari voluit, nimi. hæc miracula ideo facta esse ut impleretur quod de eo prædictum fuerat, non ut in externis illis

et visibilibus beneficiis hærerent, sed ut sublimius quid et salutarius attenderent, tam potentem scilicet eum esse et promptum ad tollendas spirituales et æternas nostras miserias, quam promptum et potentem se exhibuerat in tollendis et sanandis corporis morbis, ideoque in sanatione animæ potius quam corporis meditanda et quærenda quæ illius umbra erat tantum et exiguum specimen, occupatos esse debere; Ita docere nos voluerit Matth., quis scopus et usus præcipue in miraculis Christi spectandus sit et in quem finem sanaverit Christus eorum morbos, non ut se corporum medicum proderet, atque ita in caduco beneficio eos detineret, sed ut a terrenis ad cœlestia, ab externis ad interna, a corporalibus ad spiritualia eos eveheret, et sub hac figura verum se animarum medicum demonstraret; Ita cæcos illuminavit, ut se mundi lucem esse ostenderet, restituit vitam mortuis ut se probaret vitam et resurrectionem esse, atque ita in cæteris. Hæc porro sententia de sensu anagogico et accommodatitio non caret suis fundamentis, nam si Matth. nihil aliud intendisset quam corporalium morborum curationem hinc stabilire, potuisset alia luculentiora laudare loca ubi expressa mentio morborum corporis fit, ut, Isa. xxxv. 5, 6, "Tunc aperientur oculi cæcorum, aures surdorum patebunt, claudus saliet, et muti loquentur," et sic alibi non semel; deinde usum istum anagogicum Christus ipse non semel in sanationum miraculis requirit, ut Matth. ix. 2, Joh. v. 14.

XVIII. Ad hanc primam solutionem accedit secunda non minus commoda eorum qui verba hæc *analogice* interpretantur et per metonymiam exponunt quod dicitur *ut impleretur*, id. ut significaretur per eum impletum iri quod dictum est per Isaiam, &c., quia sanatio morborum corporalium erat instar *signi* et *symboli* sanationis morborum spiritualium per hunc Jesum suo tempore in cruce perficiendæ, ac proinde non fuerit tunc impletum hoc Isaiæ vaticinium, sed tantum data veluti arrha et symbolum futuræ impletionis in morte Servatoris, nam in miraculis istiusmodi quæ circa corporum sanationem edebantur specimen exhibebatur salutis quam animis allaturus erat; sic Rupert. lib. vii. in Matth. c. vii., "suum opus quod est ægritudines animarum sanare Christus cœpit ab ægrotatione corporis operari, ut dum prius illas visibiliter curaret, medicus verus innotesceret, et tum denique ad curandas ægritudines animarum perveniret." Neque novum est ut verba quæ actionem vel passionem notant declarationem tantum vel significationem importent, et hoc in verbo *implendi* præsertim eo sensu occurrit, Jac. ii. 23, "Itaque impleta est Scriptura quæ dicit, Credidit Abraham Deo et illi imputatum est ad justitiam;" non sane quod tunc demum impleta fuisset, nam multo antequam filium suum obtulisset, fides dicitur imputata Abrahamo in justitiam, sed quia impletam hanc esse hac insigni obedientia tanquam certissimo testimonio declaratum est; Quod si respectu præteriti ita usurpari potest, quidni et respectu futuri? maxime si inter res illas varias intercedat aliqua analogia, et ex ea significatio; quemadmodum hic occurrit; non quidem ratione *modi* quo Christus peccata nostra sustulit, sed ratione *finis* qui utrobique idem fuit, ablatio scilicet mali; nimi. ut divina sua virtute potenter sanavit morbos corporeos, quibus homines vexabantur, ita mortis merito et efficacia spiritus morbos spirituales nostros tollit et aufert; unde pictura hic est expressa beneficii spiritualis in speculo rei materialis et externæ; sic *impletio* imtelligenda esset *improprie* in sensu *transumptivo* et *analogico* quomodo, Matth. ii. 15, dicitur impletum oraculum Oseæ, c. xi. 1, "ex Ægypto vocavi filium meum," quæ verba primario et proprie referuntur ad eductionem populi ex Ægypto, sed propter quandam analogiam typicam bene accommodantur postea ad

reditum Christi ex Ægypto quo propter Herodis persecutionem a Josepho fuerat delatus. Sic alibi sæpe verbum istud in N. T. sumitur.

XIX. Licet vero utraque hæc sententia vim exceptionis allatæ jam satis elidat, siquidem utrobique statuitur propheta ulterius quam ad morbos corporeos respexisse, tamen facilius adhuc videtur nodus posse solvi si addamus cum aliis hæc a propria significatione haudquaquam transferenda esse, et Matthæum apposite applicasse Isaiæ verba; quippe propheta loquendo de languoribus et doloribus nostris generaliter complexus est ea omnia mala tum animi tum corporis quibus affligimur post peccatum, quemadmodum dicitur Christus "sanare omnes infirmitates nostras," Psal. ciii. 3, quia "Sol est Justitiæ ferens sanitatem in alis suis," Mal. iv.; primario quidem et directe de morbis animi locutus est, qui scilicet fontes sunt et caussæ cæterorum, at secundario et minus principaliter per quandam subordinationem et consequentiam nihil obstat quominus respexerit languores corporis, sive quia illorum morborum plurimi propter peccata infliguntur, tum etiam et imprimis quia a peccato omnes proveniunt, sicut mors, et fructus sunt peccatorum per quæ morbis et morti obnoxii sunt homines, ut Chrysost. observat in h. l. Jam vero Matthæus quod generaliter dictum fuerat a propheta applicat peculiariter ad certam morborum speciem, morbos scilicet corporis, non negat tamen propterea Isaïam agere de morbis animi, vel excludit eorum curationem, imo potius includit et supponit ut sublata causa effectum tolli demonstret, neque enim sanare potuisset morbos corporis, nisi vim habuisset sanandi languores animi, et in hunc finem sanavit illos ut sanationis spiritualis argumenta et testimonia daret, primario venit ad profligandas animæ infirmitates, secundario ut earum effectus tolleret, itaque ab illis rite ad istas argumentum procedit; Unde hæc non sunt opponenda sed componenda, morbi animi corporis non seponunt morbos, sed morbi corporis supponunt morbos animi, quod in sanatione paralytici, cap. seq., ostendit Salvator, Matth. ix. 2, "Confide fili, remissa sunt peccata tua," quæ sunt scilicet causa infirmitatis tuæ; et ibidem adversus blasphemantes defendit, "Utrum facilius est dicere Remissa sunt tibi peccata, an dicere Surge et ambula." Ejusdem sunt ista authoritatis et de utrisque textus recte intelligitur apud Isaïam, Matthæus morbis corporis, Petrus animi peccatis applicat; quia ista se invicem vel ponunt vel supponunt; utrosque E. tulisse dicitur Christus, sed diversimode pro diversa natura subjecti, illos quidem amovendo tantum non ferendo, quia ad eorum sanationem potentia tantum requirebatur, at istos ferendo et in se recipiendo ut auferret, quia ad eorum expiationem cum potentia etiam justitia exigebatur; ut illos curaret non opus fuit Christum ægrotum fieri; at ut tolleret peccata debuit ipse peccatum fieri; Et sane quod non in morborum corporis sanatione sit immorandum, quasi de ea tantum sermo fieret, vel illud luculenter evincit quod in ea languorum gestatione quæ illi tribuitur dicitur a Deo percussus et vulneratus et ita de eo sensisse Judæos, at ridiculum prorsus esset dicere homines existimasse Christum esse a Deo percussum et humiliatum, eo quod morbos omnis generis curaret et dæmones ejiceret, cum ex opposito si nihil aliud in eo homines vidissent, consentaneum erat potius existimare Christum esse Deo gratum et ab eo exaltatum: E. hoc potissimum referendum est ad lationem pœnalem, quæ in morte et passionibus ejus locum habuit.

XX. Huic responsioni hoc unum videtur regeri posse quod si mens fuisset prophetæ utrosque morbos complecti et primario spirituales respicere, non potuisset Matth. dicere tunc *impletum fuisse* illud oraculum, et Christum hæc miracula præstitisse ut illud *impleretur*, siquidem non-

dum potuit compleri. Verum facilis est solutio, sæpe *res* dici *impleri* in Scriptura non tantum cum perfecte et absolute complentur; sed cum impleri incipiunt quoad aliquam sui partem; Nimirum cum certum sit *oracula* maxime *composita* et mixta diversas res significare modo habeant aliquam σχέσιν ad se invicem et subordinationem, ita dubitari nequit quin secundum varias illas res diversis etiam gradibus successive impleantur, quemadmodum unicus eorum sensus varios gradus continet, primum in typo, alterum in antitypo: Sic Isa. ix. 2, in illustri vaticinio quod proponitur a propheta, "Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam," tres gradus impletionis notari possunt: 1. *In liberatione a captivitate Babylonica*, nam eo respicere Isaiam constat ex sequentibus ubi de *sceptro exactoris* et *jugo confracto* fit sermo, et revera tunc populus in calamitosissima constitutus conditione quæ per tenebras et umbram mortis denotatur in Scriptura, visurus erat lucem providentiæ paternæ et gloriosæ Dei potentiæ qua liberandus erat; 2. *In prædicatione evangelica* et temporibus N. T., ut constat ex Luc. i. 29, et Matth. iv. 16, ubi impletum dicitur hoc oraculum cum Christus concionatus est circa oram maritimam Galileæ; 3. In *resurrectione ultima* cum ex tenebris mortis in quibus jacebimus in sepulchris nostris traducemur ad lucem æternam gloriæ et immortalitatem qua in communione Dei et Christi fruituri sumus, quo videtur respicere Paulus, Col. i. 12, Eph. v. 14. Sic mysterium Paschatis diversis momentis et gradibus impleri debuit: 1. *Sub Lege* in immolatione et manducatione Agni, Exod. xii.; 2. *Sub gratia* in oblatione Christi in cruce et ejusdem manducatione in Eucharistia, 1 Cor. v. 7, 8; 3. *In gloria* in communione Christi et participatione ejus beneficiorum cum accumbentes mensæ ejus cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo, saturabimur pinguedine domus Dei, et potabimur torrente deliciarum ejus, et nuptias Agni celebrabimus, Luc. xxii. 15, 16, 30, Apoc. xix. 9. Ita in aliis typis et figuris id ipsum demonstrari facile posset. Quemadmodum vero vel oracula vel typi illi dicuntur impleri etiam resp. primi gradus vel secundi, licet nondum accesserit tertius et ultimus: Ita hic pariter vaticinium hoc dictum est impleri a Matthæo quia implebatur quoad alteram sui partem, duos enim gradus habuit secundum quos impleri debuit: primum in morborum sanatione, cum Christus semet defatigans ad vesperam usque aliorum morbis levandis vacaret non sine gravi molestia et labore; secundum cum crucis supplicium perferens remissionem peccatorum nobis impetravit, et tunc multo perfectius in ipsa morte quæ animi morbos sustulit impletum fuit. Nam quod vaticinatio Prophetæ non fuerit tunc plane impleta cum male habentes curaret, patet; 1. Ex eo quod Christus instante passione quædam ex hoc capite sibi applicat et implenda adhuc esse dicit, Luc. xxii. 37, "Dico vobis," inquit, "adhuc oportere scriptum illud in me impleri, Et cum iniquis reputatus est," Isa. liii. 12; 2. Quod Evangelista, Act. viii. totum hoc caput de Christo toti mundo tunc innotescente per crucifixionem et resurrectionem suam interpretatur, quod fieri commode non potuisset si in primo tantum gradu immorandum esset. Itaque inchoata quidem fuerit impletio et operibus illis tanquam signis et symbolis promissa et ostensa, sed non absoluta et consummata donec alter gradus in morte accesserit.

XXI. Ad 3ᵐ Except. de hirco ἀποπομπαίῳ Resp. 1. Peccare falsa hypothesi quasi phrasis ista *portandi peccata* quæ habetur apud prophetam petatur tantum ex ea cæremonia quæ circa hunc hircum peragebatur in anniversario illo festo expiationum, cum in genere referri possit ac debeat ad omnia sacrificia hylastica in quibus res eadem locum habebat,

victimis enim imponi solebat peccatum ut illud ferendo expiarent, quod fusius demonstraturi sumus in Disp. sequentibus; atque huc facit quod ver. 10, dicitur "Messias positurus animam suam sacrificium pro delicto." 2. Etsi hirco isti proprie peccata imposita non fuerint, quia non fuit subjectum δεκτικὸν pœnæ ut nec peccati, sed tantum ut asportare censeretur, non secus ac si super illum universa posita fuissent, non sequitur pari ratione hoc in Christo fieri, quia discrimen est longe maximum inter figuram et veritatem, umbram et corpus, de typis bene illud dicitur quia in illos non cadebat propria illa et realis impositio, at de Christo qui fuit subjectum capax, nunquam tale quid vel in V. vel in N. T. occurrit, eum peccata nostra asportasse non aliter atque si super se iniquitates nostras habuisset, imo ubique absolute hoc de Christo asseritur, nulla addita similitudinis nota diminuente, quasi per similitudinem tantum et non vere Christus nostra in se suscepisset peccata. 3. Falsum etiam quod supponitur hircum illum nullo modo posse dici tulisse peccata populi, nam etsi ea non tulerit *vere* et *spiritualiter*, tulisse tamen *typice* et *cæremonialiter* evincitur: Primo ex disertis Scripturæ verbis, Levit. xvi. 21, &c., "Imponet Aaron ambas manus suas super caput hirci vivi et confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israël, &c., et ponet eas super caput hirci ac emittet illum per manum viri parati in desertum et portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in terram inhabitabilem, et abire sinet hircum illum in desertum;" Unde luce meridiana clarius liquet et peccata hirco revera imposita fuisse et illum ea tulisse; Quod et secundo colligitur ex eo quod hircus iste *impurus* habebatur ob peccata ipsi imposita, unde quicunque hunc hircum tangebat pollutus erat et ablutionis ut mundaretur indigebat, Levit. xvi. 26; Tertio non magis potest ablatio peccati per Christum facta ex hirco illo ostendi quam ejusdem latio, imo clarius latio probatur, siquidem diserte dicitur portaturus peccata in desertum, at non ita expresse quod ea esset ablaturus.

XXII. Instabis forte hircum hunc interimi non solitum, ad peccatorum autem remissionem fusionem sanguinis sive mortem requiri ex nostra sententia; non posse ergo cum ratione dici peccata tulisse ad eorum expiationem. Verum respondeo: 1. Nullum locum fore huic exceptioni si audiatur Hebræorum sententia; Tradunt enim hircum hunc e loco sublimi per eum a quo abductus fuerat præcipitatum fuisse atque ita neci datum; et observant filum vel funiculum rubrum quod לשׁון שׁל זהורית *linguam coccineam* vocant, ad cornu hujus hirci alligatum fuisse, quod si Deum propitium et placatum haberent, mox in albedinem, quod gratiæ et benevolentiæ signum erat, converti solitum, quo respexisse volunt Isa. c. i, 18, "Si peccata vestra rubra fuerint sicut coccinum similia lanæ erunt:" sin secus foret, rubrum mansisse, unde vir ducens hircum in solitudinem cum hanc coloris mutationem in filo videbat illico cornu inflabat, quod ubi alii ordine quodam Hierosolymam usque constituti audiebant, statim et ipsi cornibus suis quæ in hunc usum habebant sonabant, ita ut brevissimo tempore intra horam fere non tantum Hierosolymis, sed in totâ terra Israël sonus iste audiretur; ut ista ratione populus sciret sibi Deum placatum esse, et ad laudandum et celebrandum nomen ejus excitaretur; Si vero filum rubrum non mutaretur, quod irati et offensi Dei signum erat, silebant cornua nullusque sonus terram personabat, atque tum universus populus per totum annum affligi, pœnitentiam agere, et precibus ac jejuniis Deum sibi rursum placare tenebatur; vide Codic. Thalmud. Ioma, ubi aliæ habentur plures istius cæremoniæ circumstantiæ. Quod si huic traditioni fidem minus adhibere velimus, tamen illa in vastam et inhospitam solitudinem abactio satis videbatur inferre mortem

minime naturalem aut ex fame aut ex ferarum laniatibus. Sed non opus est ut eo deveniamus, facilius enim hoc quicquid est difficultatis tolletur, si dicamus emissionem istius hirci non fuisse totum sacrificium hylasticum, sed partem ejus tantum et vim expiationis a sacrificio alterius hirci pependisse; nam debebat præcedere oblatio hirci pro Domino ejusque sanguis fundi ad expiationem peccati populi, ver. 15, 16, ut ejus virtute posset hircus vivus in desertum emitti; Itaque hic tenendum cæremoniam hanc non uno actu, aut una re absolutam fuisse, sed ad ejus complementum tum oblationem hirci mactati, tum emissionem vivi pertinuisse; in prima notabatur *vera peccati expiatio* quæ per sanguinis fusionem et pœnæ lationem fiebat, in altera vero *effectus hujus expiationis*, ex latione scilicet *ablatio* et remotio *peccati*, eatenus ut nunquam in conspectum Dei contra nos veniret; nam dum hircus mactabatur et sanguis effundebatur super sanctuarium et tabernaculum, purgatio iniquitatis et satisfactio pro eadem fiebat; at cum alter onustus peccatis populi amandabatur in desertum et terram longinquam unde non amplius rediret, fructus satisfactionis præcedentis notabatur, gestatio nim. et cum gestatione ablatio peccati quod a peccatoribus longissime amovebatur: utrumque quidem præstabatur in sacrificiis ordinariis, sed quia posterius non ita conspicuum erat in cæteris, peculiari hoc symbolo Deus adumbrare illud voluit in solenni hoc festo ad majorem populi consolationem. Simile quid præceptum a Deo legimus in leprosorum mundatione, Levit. xiv. 6, 7, 52, 53, ubi duæ aves jubentur assumi, altera ad mactationem, altera ad dimissionem sed quæ prius sanguine avis mactatæ tingi debuit, ut ita et ipsam purgationem et ejusdem certissimam demonstrationem in lepræ remotione ostenderet. Nec novum debet hoc videri aut insolitum ut ad eandem rem significandam plures assumantur typi; siquidem ut antea observatum est unum idemque mysterium varias σχέσεις obtinet quæ una aliqua pictura reddi et repræsentari non possunt; ideoque plures necessario assumendæ sunt ad ipsum aliqualiter in tota sua latitudine exhibendum.

XXIII. Scio mysterium hoc *duorum hircorum* diversimode exponi, dum alii *duas* hic *naturas* Christi, alteram humanam quæ affligitur, alteram divinam quæ, impatibilis cum sit, libera manet et vivit in æternum, connotari contendunt; quod visum Theodoreto, Isychio, et Cyrillo; Alii *duos status* ejusdem indicari ante et post resurrectionem, Christum in cruce morientem et in resurrectione viventem; immolationem unius hirci testatam esse in morte Christi satisfactionem pro peccatis quærendam esse; Alterius autem vivi discessum ostendisse Christum ex quo pro peccatis oblâtus est et hominum maledictionem sustinuit, vivum tamen manere et superstitem; quod Augustino, Procopio, et aliis placuit; Alii denique duplicem σχέσιν significari arbitrantur quam sustinere Christus Mediator debuit ad opus redemptionis exequendum, primam erga *Deum Judicem*, cui satisfaciendum erat per meritum mortis, alteram adversus *Diabolum hostem* cui colluctandum fuit per potentiam vitæ, respectu prioris jaciebatur sors pro Domino in hircum mactandum, ratione posterioris jaciebatur sors ad Azazel in hircum emissarium, ut princeps ille tenebrarum experiretur quid posset cum eo qui omnium peccatis erat onustus, quemadmodum in plenitudine temporis in desertum traductus est ut ab eo ibidem tentaretur. Sed quod antea retuli videtur simplicius, ut duo hirci nihil aliud notent quam perfectam expiationem a Christo factam, qui non tantum tulit peccata moriendo, sed et abstulit resurgendo, non modo satisfecit per sui oblationem, sed et satisfactionis perfectionem et veritatem demonstravit per sui dimissionem, qua certiores facti sumus peccata nostra a nobis in ipsum translata procul abacta eva-

nuisse; ita ut nulla sit amplius condemnatio iis qui sunt in Christo, Rom. viii. 1, et impleatur illud Pauli, "traditum esse propter peccata nostra et suscitatum propter nostri justificationem," Rom. iv. 25.

XXIV. Cæterum si quæritur nomenclationis ratio et cur hircus ille vocaretur עזאזל Azazel, non una est omnium sententia. Quidam ex Judæis recentioribus, quos sequuntur Vatablus et Oleaster, existimant esse nomen montis in deserto non procul a monte Sinai qui hoc nomen a capro illo qui eo mittebatur, obtinuit. Sed præterquam quod hoc nullo certo probari potest argumento, quamvis dari posset nomen montis inde petitum esse, ex occasione hirci eo missi, primigenia tamen hæc non esset vocis origo; Commodior est aliorum sententia qui volunt vocem proprie hirco isti competere, esseque compositam ex duabus, ex voce עז quæ *caprum* significat et radice אזל id. *abiit*, q. diceres *caprum abeuntem* seu *emissarium*, eo quod in desertum dimitteretur, sic R. D. K. in radice Azazel, sic Symmachus et Aquila vertunt *caprum qui emittitur in solitudinem*, teste Theodor., lxx. vocant ἀποπομπαῖον, quo nomine Græci vocant *malorum depulsorem* ἀποτροπαῖον, ἀλεξίκακον, λύσιον, φύξιον, quomodo vocabant Deos quos colebant ad fuganda et averruncanda mala quibus vexabantur, Apollod. li. vi. de Diis; hinc et *depulsoria sacra* dicta sunt quæ diis depellentibus mala et averruncis fieri solebant, vide Gyrald. Syntag. Respexisse ergo videntur eo Græci, non tantum quod in desertum mitteretur, sed etiam quod esset vere malorum depulsor, qui peccata populi malorum omnium causam in desertum auferebat; atque ita propriissime Christum repræsentavit qui iram Dei ac pœnas æternas ab Ecclesia amovet et arcet, ut vere sit ἀποτροπαῖος, ἀλεξίκακος, et ἀποπομπαῖος noster. Porro notatu dignum est ritum hunc imprecandi peccata omnia populi capiti hirci ad Ethnicos etiam pervenisse; hinc de Ægyptiis Herodotus testatur in Euterpe, quod victimas offerentes καταρῶνται τάδε λέγοντες τῇσι κεφαλῇσι, εἴ τι μέλλοι ἢ σφίσι τοῖσι θύουσι ἢ Αἰγύπτῳ τῇ συναπάσῃ κακὸν γενέσθαι ἐς κεφαλὴν ταύτην τραπέσθαι, "Imprecantur illis in hæc verba, ut si quid mali aut ipsis immolantibus aut universæ Ægypto futurum sit, id in caput hoc convertatur." Huc pertinet etiam non solum quod Gentiles iidem in magnis periculis et publicis calamitatibus præcipue placandæ iræ divinæ causa homines Diis devovere soliti sunt ut sua morte iram numinis offensi placarent, quod in Curtio, Deciis, Codro, &c. patet, sed et quod de Massiliensibus refertur anniversariam, urbis suæ expiationem facere solitos esse homine sacro, quem verbenis vestibusque sacris ornatum, et more victimarum redimitum, per urbem circumducebant, et capiti ejus omnia quæ urbi impenderent mala imprecantes, in mare Neptuno immolantes præcipitabant, additis his solennibus verbis περίψημα ἡμῶν γενοῦ sis *pro nobis piaculum*.

XXV. Sed hoc obiter dictum esto, non tamen præter rem omnino; redeamus ad argutationes adversariorum: *Quarta* jam sequitur *Exceptio*, quæ non difficilius præcedentibus solvitur, Eo enim tandem redeunt ut dicant, etsi peccata diceretur portasse, neque hinc posse colligi Christum vere satisfecisse, quia recte dici potest ille ferre peccatum qui peccatorum occasione grande malorum cruciatuum ac mortis denique fert onus, etiamsi nulla vera in ea re sit pœna sive vindicta; atque id probant ex Num. xiv. 33, ubi Dominus ait, "filii vestri pascent in deserto quadraginta annos et portabunt fornicationem vestram donec consumantur corpora vestra," at, inquiunt, Deus hoc non vult quod filios Israëlitarum vere puniturus esset, cum nihil tale ex loco colligi possit, nec ullo pacto sit verisimile, sed quod illi occasione delicti parentum suorum damnum non leve essent sensuri. Sic Thren. v. 7, "Patres nostri peccaverunt et non supersunt, nos vero pœnam eorum ferimus;" hoc vero verba non

innuunt, istos pertulisse omnes pœnas debitas sceleribus patrum suorum, aut minima etiam ex parte Deo pro patrum iniquitatibus satisfecisse; sed occasione tantum iniquitatum ipsos afflictos fuisse, et ex illis iniquitatibus non leve damnum ad eos rediisse; hanc porro vulgarem loquendi consuetudinem esse pertendunt ut qui occasione iniquitatum alicujus affligitur illius iniquitates perferre et sustinere dicatur. Verum frustra sunt ita argutando, nam licet forte vulgaris loquendi consuetudo aliquando obtineret ut *portare peccatum* diceretur qui occasione tantum peccati patitur, hanc tamen primariam et propriam non esse phrasis istius significationem diffiteri opinor non audebunt, quare ergo mirum videbitur si propriam retinemus, maxime cum et rei natura et loci circumstantiæ exigant? primo Christum non passum esse occasionaliter sed necessario et meritorie pro nobis probavimus antea; deinde damnum quod quis occasione alicujus patitur perperam vocaretur pœna proprie dicta, at mors Christi talis, siquidem *execratio* dicitur, qua pœna major nulla dari potest; accedit tertio quod qui occasione alterius patitur damnum, non statim expiat illius delictum et eatenus res proximi sui promovet ut a miseriis et morte impendente ipsum liberet; at Christus moriendo peccata omnia nostra expiat, et ab eorum reatu et suppliciis eximit, sanitatem afferendo vibicibus suis, et pacem in castigatione; Itaque dici nequit Christum occasione tantum peccatorum nostrorum damnum aliquod esse passum.

XXVI. Non favent vero adversariis loca citata, nam in primo nihil obstat quominus usitatam significationem retineamus, cum certum sit damnum illud respectu filiorum Israëlis habuisse rationem pœnæ ex fornicatione parentum divinitus ipsis imputata; neque tamen immerito castigasse eos dicetur Deus, quia etsi pœnam alienam luerent, non erant tamen ipsi per se innoxii; In altero vero non major veri species, nam dubium non est quin Israëlitæ pœnas avitorum et paternorum scelerum portarint, sed ita ut proprias etiam luerent, ut testatur idem propheta, ver. 16, "væ nobis quia peccavimus:" Agnoscit autem Socinus quoties filii patrum vestigia sequuntur, non propria tantum, sed et paterna delicta ipsis imputari; negat tamen hoc in loco, sibi dissimilis, imputata illis fuisse peccata patrum, ratio negationis est quod id eo loco commemorare, quamvis paulo inferius fateatur populum peccasse, ei quod animo intendebat Jeremias vehementer adversatum fuisset, Deum enim verbis illis ad misericordiam flectere curabat; Sed in eo graviter fallitur; nam propheta ut eorum qui tum vivebant miserias exaggeret atque ita flectat Deum ad misericordiam, ostendit ipsos non tantum propriorum delictorum pœnas ferre, sed et paternorum et avitorum, eoque multo meliorem ipsorum sorte fuisse parentum sortem qui, pariter cum essent rei, ante tamen a vivis excesserant quam ista acerbissima supplicia effunderentur. Cæterum etsi volumus in illis locis lationem pœnæ includi, non tamen statim inde infertur satisfactio, ut fit respectu Christi, quia et subjecta diversa et diversa adjuncta id non patiuntur, nemo enim ita tulisse dicitur iniquitates patrum ut inde ipsi redimerentur, quod fecit erga nos Christus.

XXVII. Ad quintam excep. Resp. gratis supponi (non probari) vocem quæ hic adhibetur afflictionem tantum quandam, sed sine punitione designare, nam tota orationis series sive antecedentia sive consequentia spectentur, clamat pœnam proprie dictam notari, quia dicitur *afflictus propter prævaricationes nostras et attritus ab iniquitatibus* ut a causa meritoria impulsiva; deinde castigatio non tantum dicitur fuisse ei, sed *nostra* et *super eum;* tertio ita castigatus est ut peccatis omnibus nostris in eum conjectis reputatus fuerit מכה אלהים *cæsus Dei* et afflictus; denique ita castigatus ut salus

et pax per id nobis fuerit acquisita, quod nulla cujusquam simplici castigatione fieri unquam potuit. Quod vero addunt vocem *pacis* cogere nos intelligere simplicem afflictionem sine pœna, quia non est antithesis inter pacem et punitionem, quemadmodum inter pacem et afflictionem; inane est et absurdum, nam si per pacem reconciliatio cum Deo venit intelligenda, ut primaria hæc est ejus significatio in hoc negotio, nonne qui pacem illam nobis conciliat supponit iram Dei antecedentem quæ placanda fuit; et quare major est oppositio inter pacem et afflictionem quam inter pacem et pœnam? imo multi gravissimis possunt exerceri afflictionibus qui non desinunt dulcissima pace semper in animo frui, ut in Martyribus visum.

XXVIII. Non melius vero se expediunt quarta quam addunt exceptione ad ver. 6. Imo versatile et dolosum suum ingenium in detorquendo Scripturæ genuino sensu palam produnt, quid enim aliud sibi vult præpostera ista loci perversio, qua contendunt Deum dici occurrisse per Christum iniquitatibus nostris, cum tamen non occursum Christi iniquitatibus, sed occursum iniquitatum in Christum verba aperte innuant, הפגיע בו את עונותנו "occurrere fecit in ipsum peccata nostra;" Altera etiam quam subjiciunt expositio, vel nihil dicit, vel sententiam nostram confirmat plenius: nam quid sibi vult omnium nostrum iniquitates Christo obviam factas eumque aggressas cum earum causa moreretur, nisi statuamus imputatas ei fuisse et propterea mortuum? sic revera fecit Deus ut occurrerent in Christum et conjectæ ac translatæ in eum fuerint; non quoad culpam, sed quoad pœnam, neque enim aliter fieri potuit.

XXIX. Ita satisfactum putamus exceptionibus illis quæ afferebantur adversus illustrem Isaïæ locum. Quia vero luculentius etiam confirmari potest hoc quicquid est mysterii ex loco altero Petri parallelo, 1[æ] c. ii. ver. 24, Ideo breviter antequam finem faciamus et proponendus est et vindicandus. Postquam Petrus multa de Christi patientia admirabili retulit, addit *ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν, οὗ τῷ μώλωπι ἰάθητε*, "qui peccata nostra ipse sustulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui Justitiæ vivamus; cujus vibice sanati estis;" ubi Apostolus ad Isaïam ita respicit ut ejus quoque adducat verba et clarius etiam interpretetur, nam quod ille de doloribus dixerat, peccatis iste peculiariter applicat, quod de conjectis a Deo in Christum iniquitatibus fuerat vaticinatus, id ad crucis supplicium vel potius sacrificium accommodat. Hæc autem non de simplici ablatione posse intelligi sed gestationem simul includere multa probant: 1. Vox ipsa *ἀνήνεγκεν* qua utitur, nam cum primo et proprie significet *sustollo* et *sursum fero*, tum ex eo *perfero* et *patior*, nihil causæ dici potest cur propria vocis acceptione relicta aliam minus usitatam sequamur, maxime cum plura nos cogant non aliter eam hic accipere; nam, 2. Illa verba quæ sequuntur, *in corpore* et *super lignum*, nemini non persuadebunt sensu proprio sustollendi vocem accipi omnino debere, nec aliter posse, ita ut non loquatur Petrus de simplici ablatione, sed de ablatione tali qua in oblatione corporis sui peccata nostra tanquam onus gravissimum et nobis *ἀβάστακτον* in se recipiendo sursum in crucem tulit, secumque cruci affixit; 3. Et id ipsum scopus Petri et verborum *ἀλληλουχία* evincit, nam hortatur ille fideles ut patienter ferant calumnias et convitia, et subsannationes impiorum, licet injuste traducantur; argumento ab exemplo Christi ducto qui non suas, sed nostras calamitates tulit, et tamen æquo animo et patientissime illas semper sustinuit; Ad amplificationem autem patientiæ Christi ostendit ulterius quidnam Christus pertulerit, nimirum peccata nostra, id est, pœnam peccatis nostris debitam, metonymice, et qui-

dem in ligno crucis morte maledicta, ne quis de gravitate injuriarum non ferenda, ut fieri nimium solet, conqueratur. Jam vero si τὸ ἀνήνεγκεν exponitur per simplicem remotionem, connexionis nulla erit ratio, vel admodum frigida, Patienti animo ferte injurias &c., quia Christus peccata nostra abstulit: at ex sententia nostra consequentiæ necessitas evidens est, Si Christus licet insons, et omnis peccati expers, nostra in se peccata recepit, et eorundem pœnam lubentissime pertulit, annon æquum est etiam nos ad illius instar injurias quasvis et calamitates æquo animo ferre? Porro non sine ratione Petrus non tantum ἤνεγκεν dixit sed ἀνήνεγκεν ut et exaltationem Christi in crucem notaret quæ a Christo ipso prædicta fuerat, Joh. iii. 14, et xii. 32, et alluderet ad sacrificandi ritum, et ad victimas quæ in aram ceu locum editiorem attollebantur, unde dicebantur ἀναφέρεσθαι, Heb. vii. 27, quia offerebantur in altum sublatæ; Nihil ergo præpositio de vi sententiæ detrahit, imo potius aliquid superaddit, non lationem tantum pœnæ, sed modum etiam ejus peculiarem designando, quod et optime a Syro expressum qui duo hæc simul connectit, "qui portavit et ascendere fecit peccata nostra," id. ita bajulavit peccata nostra ea secum in crucem ferendo, ut maledictionem pro iis nobis debitam sustinendo, a nobis ea abstulerit et longissime removerit.

XXX. Argutantur hic pro more adversarii: 1°. Petrum non usum simplici verbo φέρειν sed composito ἀναφέρειν quod non tam lationem quam ablationem significet, et patere id ex Heb. ix. 28, ubi Christus dicitur semel oblatus εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, quod V. V. reddit "ad multorum exhauriendа peccata," et Interpretes de ablatione interpretantur; 2°. Verba sequentia non posse urgeri, eo quod præpositio *In* ex Hebræi sermonis proprietate non aliud significet quam *Per*, ita ut vertendum sit, Christum peccata nostra abstulisse *per corpus* suum super lignum; 3°. Proprium istius gestationis finem notari in sequentibus, nimi. sanctificationem "ut mortui peccato vivamus justitiæ," at hæc duo, pœnas peccatorum persolvisse, et nos peccato mortuos justitiæ vivere debere, natura esse admodum separata, et non nisi ex accidente hoc illius consequens esse, sicut ex eo quod quis alicujus debita solverit, non sequitur statim eum velle nullum æs alienum ab ipso contrahi; 4°. Sanationem illam quæ facta est per vibices Christi referri tantum ad conversionem, ver. 25, "nam," inquit "eratis sicut oves errantes, sed conversi estis ad Episcopum et Pastorem animarum vestrarum:" itaque non pertinere ad satisfactionem ab ipso præstitam, sed tantum ad præconium verbi ab eo institutum.

XXXI. Ad 1um Resp., Dictum antea quorsum Apost. verbo composito potius quam simplici usus fuerit, non ad simplicem remotionem notandam, quod est contra naturam usumque vocis, sed ad oblationem sacerdotalem designandam; neque contrarium probat locus, Heb. ix., imo facile demonstratur hic etiam propriam significationem ferendi retinendam esse, nam certum est Apost. in illis verbis conferre inter se et opponere duos adventus Christi et fines diversos eorundem, In primo dicitur sese obtulisse εἰς τὸ ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας πολλῶν, in altero vero appariturus dicitur χωρὶς ἁμαρτίας "sine peccato in salutem expectantibus ipsum." Itaque ex posteriori phrasi de sensu prioris judicium ferri debet siquidem hæc proponuntur tanquam ἀντίστοιχα, Jam vero esse χωρὶς ἁμαρτίας. *absque peccato* nihil aliud innuere potest quam non esse gravatum aut oneratum ullis peccatis, sed ab iis solutum et immunem. E. vicissim ut antithesis constet prior phrasis debet lationem aliquam peccati proprie dictam designare, non quidem quoad *culpam* a qua Christus semper immunis fuit quocunque in statu fuerit etiam in media morte, sed quoad *reatum* et *pœnam* quæ illi im-

posita est, quo sensu peccatum ipse dicitur factus; alias si hæc ad simplicem ablationem referimus, sibi hæc duo non respondebunt, *auferre peccata* et esse χωρὶς ἁμαρτίας. Sic ergo priori adventui, quo advenit sese oblaturus omnis infirmitatis et peccati pœnæ, excepta ejus labe, onere depressus, opponitur posterior quo advenit gloriossime triumphans, non ut sese iterum offerat nec ulla infirmitate vel languoribus circundatus, sed plenus gloriæ, et, semel abjecto illo peccatorum nostrorum sibi impositorum onere, ad consummandum opus salutis in fidelibus suis; Cæterum non negamus hunc etiam fuisse finem Christo propositum et mortis effectum ut auferret peccata, quod notatur ver. 26, ubi dicitur sese semel obtulisse εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, sed ablationem illam necessario lationem aliquam antecedentem supponere ex qua pendeat pertendimus, nunquam enim auferre potuisset per condonationem et abolitionem nisi prius ea tulisset per Satisfactionem. Itaque sese obtulit ut ferret peccata, et eadem tulit ut auferret. Atque hinc patet, etsi nonnulli Interpretes hoc in loco utantur voce *auferendi* vel *exhauriendi* peccata, non tamen eos excludere sed includere potius et supponere præcedentem lationem, sine qua remotio illa obtineri non potuit; Quanquam neque omnes ita reddiderunt; Syrus plane ad mentem nostram "in seipso mactavit multorum peccata;" Junius, Beza, "ut in seipso attolleret multorum peccata," alludendo ad holocausti ritum; Theodo. ad hunc locum optime, "Christus Dominus pro nobis semel oblatus nostris susceptis peccatis."

XXXII. Quod vero, 2. loco, cavillantur de præpositione *In* quæ non non aliud hic significet quam *per* ex idiotismo Hebræorum, mera vitilitigatio est: 1. Etsi certum sit apud Hebræos nonnunquam ita sumi, quare hic eum sensum urgent, vel quo argumento usurpandum esse evincent, proferant vel unum Scripturæ locum ubi ἀναφέρειν ἐν τῷ σώματι de ablatione per corpus intelligendum sit, annon vero longe melius fluit sensus si proprietatem vocis retineamus nullam verbis vim inferendo, maxime cum id exigant verba sequentia; nam si mens adversariorum sequenda esset, quorsum adderetur *in lignum*, quod tamen hoc in loco tanti est ponderis et efficaciæ ut cogitationes nostras ad crucem trahat et factam ibi peccatorum expiationem inferat? quorsum subjiceret *per vibices ejus nos esse sanatos*, quod plagas et vulnera quæ Christo ut *servo* inflicta sunt manifeste notat ad pœnæ lationem? 2. Quanquam daremus posse verba *per corpus* verti non in corpore, nihil inde contra nos pro Adversariis elici posset, imo non minus nobis faverent, quo enim sensu tandem diceretur Christus *abstulisse per corpus* nisi in corpore ipso quodammodo gestasset? Alias si sententia ipsorum retinenda esset, sequeretur, Christum non modo peccata per corpus et super lignum abstulisse, sed ne abstulisse quidem, nam si secundum eos abstulisse tantum dicitur quatenus doctrina sua viam monstravit qua a peccatis liberemur ut sic ea a nobis auferantur et remittantur, quis non videt ne abstulisse quidem, cum innumeri viam illam non sequantur, nec ab iis liberentur? ne nunc dicamus, de omnibus qui martyrio coronantur posse dici pariter eos peccata auferre, quia doctrinam illam sanguine confirmant quæ rationem ostendit ablationis peccatorum et liberationis ab iisdem; quod tamen neque dixit unquam Scriptura, neque dici cum ratione potest.

XXXIII. Ad 3um, Non negamus Petrum mortis Christi finem notare sanctificationem, cum ait tulisse pecccata ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν, ubi eleganti utitur verbo opposito τῷ γίνεσθαι quod bene per *denasci* Varro olim reddidit, atque ita duas partes sanctificationis nostræ indicat, mortificationem et abolitionem veteris hominis, et vivifica-

tionem novi, aversionem a malo, conversionem ad bonum, peccati odium et fugam, et justitiæ amorem et studium. Verum ergo est hunc finem inter alios Christo propositum fuisse et nos ex mortis ejus contemplatione ad illius executionem incitari, sed falsum supponitur ab adversariis sanctificationem hanc et studium pietatis connecti tantum per accidens et non necessario cum morte Christi et ea quæ inde pendet satisfactione, nam hæc beneficia tam arcto et indissolubili connexa sunt inter se vinculo, ut divelli unquam a se invicem nec possint nec debeant, nam idem Christus qui nobis factus est justitia, factus etiam est sanctificatio, 1 Cor. i. 30, et eadem mors quæ λύτρον est ad expianda peccata coram Deo, est etiam λοῦτρον ad ea in nobis purganda, non tantum sub ratione *Causæ exemplaris* quæ normam et modum officii exhibet, sed et sub ratione *causæ meritoriæ* quæ virtutem et efficaciam ad ejus impletionem impetrat: hinc passim sanctitas proponitur tanquam finis mortis Christi, Luc. i. 74, 75, 2 Cor. v. 14; Tit. ii. 14, 1 Cor. vi. 20, Rom. vi. 3, 4, 5, 6, non tantum Christi sed et fidelium respectu, Christi quidem quia utrumque intendit in morte nobis promereri, et justificationis gratiam et sanctificationis donum, Fidelium vero quia ad id peculiariter vocantur, neque enim *pro iis* mortuus censendus Christus nisi *cum eo* id. ad similitudinem ejus moriantur, nunquam ex morte ejus justificationis beneficium sibi applicare poterunt, nisi ex vi spiritus quem in eadem morte impetravit sanctificationem suam promovere pro virili annitantur. Tantum abest ergo ut liberum sit et integrum iis pro quibus mortuus est Christus, denuo in peccata prolabi et qualemcunque libuerit vitæ rationem sequi, quod impie colligunt adversarii, ut contra ea lege tantum redemptionis et remissionis beneficium indulgeatur, ut priori vitæ instituto nuncium remittentes ad meliorem frugem redeamus, et in novitate vitæ ambulemus, ut Christus dicebat paralytico, Joh. v. 14, "Ecce sanus factus es, ne pecca amplius ut nequid deterius tibi fiat." Hoc postulat fœdus gratiæ quod duabus istis partibus absolvitur, promissione gratiæ Dei quæ se in remissione peccatorum et spiritus dono exerit, et restipulatione obedientiæ nostræ, Jer. xxxii. 39. Hoc gratitudinis vinculum quo Deo et Christo obstricti sumus exigit, 1 Cor. vi. 20. Hoc ipsius Dei vox statuit, Psal. lxxxv. 8, et cxxx. 4, De pace loquitur, sed ut non revertamur ad stultitiam, venia est apud ipsum sed ut colatur: ita qui aliter de eo censeret et evidentissimæ veritati reluctaretur, et se indignum tanto beneficio demonstraret.

XXXIV. Denique ad 4um. Dicimus peccari fallaci. παρὰ τὸ ἑπόμενον; etsi sanatio probetur ex conversione, non tamen eo ipso in conversione tantum sita esse dicitur, quippe eam hic affert tanquam *instrumentum sanationis* nostræ, quo scili. remedium a Christo in morte præparatum nobis applicatur; et hoc indicat ex Isa. cap. liii., oppositione eleganti conditionis prioris et præsentis, "Nam eratis," inquit, "velut oves errantes, nunc vero conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum" id, ad Christum Servatorem pastorem illum bonum qui vitam suam pro ovibus posuit, Joh. x., et per eum sanati. Porro ut *malum* a peccato ortum duplex fuit, *labes* et *reatus*, ita duplici opus fuit remedio, *justitia* quæ reatum tolleret, *sanctitate* quæ labem elueret, Utramque Christus nobis promeruit in morte, utramque nobis actu confert in Evangelio, fides enim quæ respondet evangelio, et instrumentum est justificationis meritum Christi sibi applicando, et radix et principium sanctificationis corda nostra purificando. Ideo recte sanatio hæc nostra spiritualis tribuitur et vibicibus Christi et conversioni ac fidei nostræ, illis quoad *meritum* et *remedii ipsius præparationem* quatenus fuerunt causa meritoria gemini istius beneficii

quod per evangelium nobis communicatur, istis vero quoad *efficaciam* et *remedii* applicationem, quatenus per vocationem ad Deum conversi fructum meriti Christi recipimus et actu sanamur, tum a *reatu* perfecte per justificationem quæ per fidem nobis intimatur, tum a *labe* successive per sanctificationem quæ per spiritum in cordibus nostris ingeneratur; unde patet optime Petrum hæc duo conjunxisse ut alterum ex altero probaret, et pessime adversarios hæc divisisse ut alterum ex altero negarent; quod nobis nunc quidem ad illius quod intendimus demonstrationem sufficere potest; Ex quibus omnibus jam concludimus et Isaïam et Petrum *satisfactionis veritatem* in locis illis de quibus quæstio fuit efficacissime asseruisse: *ὅπερ ἔδει δεῖξαι.*

CORONIDIS VICE QUÆRITUR,

I. An evangelii Vox jam sub V. T. audita fuerit? *Aff. contra Socinianos.*

II. An Oraculum Isaiæ c. vii. 14, "Ecce Virgo concipiet," &c., bene ad Christum Jesum a Matthæo accommodetur? *Aff. contra Judæos.*

III. An Christus veram naturam humanam assumpserit in utero B. Virginis in tempore, quemadmodum veram naturam divinam a Patre accepit ab æterno? *Aff. contra Anabaptistas.*

IV. An Christus sit Mediator secundum utramque illam naturam? *Aff. contra Pontificios.*

V. An Sanctorum invocatio vel probata fuerit unquam in Scriptura, vel probari possit? *N. contra Pontificios.*

VI. An cælibatus ab Apostolis fuerit annexus Ministerio Ecclesiæ? *N. contra Pontificios.*

VII. An mendacium sub quocunque tandem prætextu licitum sit? *N. contra impium Loyolitarum commentum, qui mentales reservationes, vel æquivocationes verbales, hoc est pejerandi et fallendi artem et στρεψοδικοπανουργίαν, impuris scriptis suis publice docere, et pessimo exemplo ut licitas approbare et usurpare non erubescunt.*

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS QUARTA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS QUARTA.

Respondente PETRO SECRETANO, *Lausanensi.*

I. Varia jam in antecedentibus vidimus argumenta pro *veritate satisfactionis Christi*, potissimum vero ea quæ ex *mortis passionumque Christi causis* peti poterant: Nunc alia depromenda sunt ex *ipsis passionibus*, *earumque adjunctis*, quæ non minori evidentia et certitudine idem mysterium comprobant. Quia vero inter ea omnia quæ hac in parte ab evangelistis recensentur, nihil memorabilius videtur vel efficacius ad veritatis illius quam quærimus confirmationem ea quam in horto sensit *Agonia*, et quam in cruce expertus est *desertione*, Ideo peculiariter utrique immorantes, demonstrare jam aggredimur, neutram in Christo locum habituram fuisse, nisi pro nobis satisfaciendi munus in se recepisset. Quæ *quinta* nobis erit argumentorum *classis*.

II. Ac ut de *Agonia* dicamus primum, qua inchoata fuit animæ passio et quam in *horto* experiri voluit, ut peccatum quod in horto Paradisi primus Adam commiserat deleret; natura ejus et qualitas paucis est expendenda antequam veram ac genuinam ejus causam investigemus, ut enim maximi fuit ad consolationem nostram momenti rem totam cognoscere, accurate a Spiritu S. nobis in evangelio descripta fuit; Extat vero ejus descriptio tum apud Matth. xxvi. 37, 38, 39, tum apud Marc. xiv. 33, 34, 35, tum apud Luc. xxii. 42, 43, 44, tum apud Paulum, Heb. v. 7, 8. Ubi notamus tria: 1. *Gradus* et *partes*. 2. *Adjuncta*. 3. *Effectus*. Partes duæ sunt, *tristitia* et *timor*, illa ex intuitu mali præsentis, iste ex apprehensione mali futuri originem trahit; *Tristitia* designatur per λύπην, Matth. xxvi. 37, per τάραξιν, Joh. xii. 27, et xiii. 21, per ἀγωνίαν, Luc. xxii. 44, per ἀδημονίαν, Marc. xiv. 33; Timor per εὐλάβειαν, Heb. v. 7, et ἐκθάμβησιν, Marc. xiv. 33. Adjuncta duo, 1. *Sudor sanguineus*, Luc. xxii. 44, 2. *Præsentia Angeli* eum corroborantis, Luc. xxii. 43. Effectus hujus tristitiæ et timoris fuerunt *preces* illæ ardentissimæ quas Patri ter obtulit de Calice a se transferendo, Matth. xxvi. 39, Marc. xiv. 36, Luc. xxii. 42, quarum fervor notatur cum non tantum orasse dicitur ἐκτενέστερον, sed cum clamore valido et lachrymis, Heb. v. 7. Sic per varios gradus gravissima Christi lucta nobis ob oculos ponitur ut sciamus non umbraticam et ἀνώδυνον, sed

acerrimam fuisse hanc pugnam quam pro nobis sustinere voluit; quod melius ex singularum partium brevi examine patebit: sed priusquam hoc facimus amoliendum est falsissimum eorum commentum qui passionum istarum inficiatione impia salutarem hanc agoniam obscurare sunt conati.

III. Fuerunt enim jam olim nonnulli qui cum divina Christi gloria indignum censerent quod mœstitia et pavore correptus fuerit, eo usque progressi sunt ut senserint Christum non vere sed κατὰ δόξαν et apparenter tantum timuisse et contristatum fuisse, quo pertinet hæresis Aphthartodocetarum et Gajanitarum qui corpus Christi incorruptibile et impassibile fingebant; de quibus Niceph. hist. Eccles. lib. xvii. c. 29, et Damasc. de hæres. c. 84. Ad eos videtur accessisse Hilarius, qui, lib. x. de Trin., disputat humanam naturam in Christo propter personalem unionem cum Verbo nullis passionibus obnoxiam fuisse, sed, sicut telum transit per aquam vel per ignem, et facit quidem distractionem sed sine sensu vulneris, Ita Christum non sensisse illam quæ in passione facta est corporis lacerationem, atque ita nullum sensum doloris verum fuisse in Christo etiam in acerbissimis illis passionibus; quamquam Petrus Lombardus, li. 3°. senten. dist. xv., opinionis hujus suspicionem ab Hilario sedulo amoliri conatur, ut non tam verum timorem, doloris ac passionis sensum, Christo ademerit, quam causam et meritum patiendi, timendi, et dolendi, quod in nobis est, quia in nobis est naturalis patiendi necessitas propter Adæ peccatum inducta, in Christo vero ultio ex ejus libera voluntate suscepta; sic Epiphanius, hæres. 69, varias quærit expositiones ut doceat qui tam ingens consternatio Christo tribui possit in hoc agone, maxime quia Ariani hoc argumento divinam Christi naturam oppugnabant. Justinianus Imperator, teste Evagrio histo. lib. iv. c. 38, Christum vere sensisse tristitiam, dolores et angores in passione negavit, et edictum proposuit in quo corpus Domini incorruptibile sanxit, naturaliumque et inculpatarum passionum haudquaquam capax fuisse dicit, nec sacrosanctum illius corpus aliquam mutationem aut alterationem inde ab eo quo in utero formatum est, neque in voluntariis neque in naturalibus passionibus, accepisse asserens.

IV. Verum utut hæc opinio quorundam fuerit, a pluribus tamen et longe sanioribus rejecta est semper; audiatur vel unus Ambrosius, li. x. in Luc. c. xxii., cujus aurea verba quia imprimis ad rem nostram faciunt describere hic non pigebit; "Hærent," inquit, "plerique hoc loco qui tristitiam Salvatoris ad argumentum inolitæ potius a principio quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, et naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem ejus majestatemque demiror, minus enim contulerat mihi nisi meum suscepisset affectum, Ergo pro me doluit qui nihil habuit quod pro se doleret, et sequestrata delectatione æternæ divinitatis, tædio meæ infirmitatis afficitur, suscepit enim tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur, et vestigiis nostris descendit, usque ad mortis ærumnam, ut nos suis vestigiis revocaret ad vitam, confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico, neque enim speciem incarnationis suscepit sed veritatem. Debuit ergo et dolorem suscipere ut vinceret tristitiam non excluderet." Nec aliter August. l. 14, de Civ. Dei, c. 9, "Neque enim in quo erat verum hominis corpus et verus animus, falsus erat humanus affectus." "Φύσει καὶ ἀληθείᾳ τὰ πάντα ἐγένετο," inquit Athanasius. Et sane si Christus vere et non δοξαστῶς naturam nostram assumpsit, Quidni et cum ipsa omnes affectus innocuos et ἀδιαβλήτους qui eam comitantur eum suscepisse credamus? Sed de eo dubitare nos non sinit et oraculum propheticum, Isa. liii., quod vere languores nostros portaturum et dolores bajulaturum Messiam præ-

dixerat, et ipsa historia evangelica quæ gravissimos illos Christi dolores graphice nimis describit, quam ut externæ tantum speciei, non vero et interno animi motui adscribi possint: quid quod hoc semel posito corruit totum redemptionis nostræ mysterium, nam si Christus non vere, sed simulate tantum dolores istos sensit, utique etiam nostra redemptio non vera sed simulata fuerit, quod vel cogitare impium, Unde opinio illa vetus Aphthartodocetarum publico Ecclesiæ consensu jam olim explosa et damnata est.

V. Sed nec admitti potest recentior Pontificiorum error qui si agoniam hanc non tollunt penitus, admodum tamen extenuant; dum Christum in corpore quidem, sed non in anima passum esse contendunt, vel si quid doloris sensit in anima, id partem inferiorem et sentientem duntaxat passam esse non autem superiorem et rationalem: Sed utrumque istud commentum facili negotio refellitur: Primo quod Christus non corpore tantum sed et anima passus sit, vix opus est ut probetur cum et Scripturæ vox et salutis nostræ necessitas illud tam clare prædicet; ecquid enim vel animam ponere diceretur, Joh. x. 15, vel eam in sacrificium pro delicto tradere, Isa. liii. 10, vel cur eadem tristis et conturbata perhiberetur, Matth. xxvi., cur ἀδημονία illi et ἐκθάμβησις quæ proprie sunt animæ affectiones tribuerentur, si corpoream tantum mortem externosque cruciatus sensisset? Deinde qui animas debuit æque redimere ac corpora, nonne utraque assumere et in utrisque loco nostro pati debuit ad pœnam nobis in utroque debitam persolvendam? Nec diffiteri tandem potuerunt adversarii, sed eo se recipiunt ut dicant vel in anima tantum *sympathetice* propter dolores et cruciatus corporis esse passum, vel in parte tantum inferiori non superiori. Et de priori effugio nihil nunc ulterius addimus, quia in sequentibus pluribus erit discutiendum; posterius vero satis superque ex eo retunditur quod Christus non tantum in hac vel illa parte animæ tristis dicatur, sed animam habuisse tristitia undique occupatam et obsessam, quis vero dixerit tantum angorem hæsisse duntaxat in inferiori, non vero penetrasse ad superiorem animæ partem? Viderunt hoc non pauci ex Pontificiis, qui ideo Thomæ sententiam rejiciendo Christum in utraque animæ parte passum esse agnoverunt, Maldo. in Matth. xxvi., "Eorum subtilitas qui voluntatem hic interpretantur partis sentientis appetitum probanda non est: melius alii dispensatione quadam factum fuisse, ut cum Christus beatus esset, tristitiam etiam in superiorem animæ partem admiserit, nam sicut beatitudinem suam cohibere potuit ne deflueret in corpus, ut pati posset, ita premere eam potuit et quodammodo occultare ut ad tempus tristitiæ cederet, quæ una passionis suæ pars futura erat." Sic Canus. loc. com. lib. xii. c. 13, Ferus in Matth. xxvi., alii. Nec alia Catechismi Romani fides, cujus ista verba sunt in arti. 4, symb., postquam de externis passionibus egisset, de internis sic ait, "quod vero ad intimum animi dolorem pertinet, nemo dubitare potest quin summus in Christo fuerit;" quid summo majus dici potest? rationem addit, "Christus Dominus amarissimæ passionis calicem quem bibit nulla suavitate permixta temperavit, humanæ enim naturæ quam assumpserat sentire omnia tormenta permisit, non secus ac si homo non etiam Deus fuisset." Sed clarius hoc ipsum ex distincta singularum partium et circumstantiarum istius agoniæ consideratione patebit.

VI. Hic vero primo loco occurrit λύπη quæ Christo tribuitur; nam appetente gravissimi certaminis tempore cœpit λυπεῖσθαι, inquit Matth. xxvi. 37. Licet quibusdam præludiis filium suum exercuisset Dominus, nunc tamen propiore mortis conspectu eum vulnerat gravius et insolitum terrorem incutit; unde non tantum dicitur contristatus, sed ipse mœroris sui magnitudinem discipulis suis aperiendo ait περίλυπός ἐστι ψυχή μου μέχρι

θανάτου, "Tristis est anima mea usque ad mortem," non *tristis* tantum, ut vertit V. V. nimis molliter, sed *undique tristis*, ut recte Beza noster vim vocis compositæ reddit, quod observavit etiam Franciscus Lucas, "περίλυπος valde tristis, auget enim præpositio περὶ quasi dicat Tristitia undique obsessa et circumvallata est, ita ut nullus pateat exitus:" quo sensu passim occurrit apud scriptores. Plut. in libro de edu. lib. dum lætitiæ et tristitiæ excessum prohibet, μήτε ἐν ταῖς εὐπραγίαις περιχαρεῖς μήτε ἐν ταῖς συμφοραῖς περιλύπους ὑπάρχειν. Tertio, non tantum περίλυπος dicitur sed "usque ad mortem," quo bene significari dicit "pondus tribulationis" Glossa interlinearis, nec enim hic terminus sive duratio tristitiæ notatur *extensive* quod voluit Orig. et post eum Hiero., sed ejus magnitudo et gravitas *intensive* quæ talis fuit ut lethale illi doloris vulnus infligeret et ad ipsius veluti Orci fauces eum deduceret, quomodo eandem phrasim alibi usurpari constat, Isa. xxxviii. 1, de Ezechia qui ægrotasse refertur *ad mortem*, item de Jona qui iratus dicitur fuisse *ad mortem*, Jon. iv. 9, id. gravissime.

VII. Ut autem gravitas illius tristiæ designetur, non tantum dicitur fuisse τάραξις, Joh. xii. et λύπη, sed etiam ἀγωνία, Luc. xxii., quo nomine Græci exprimunt anxietatem illam et animi angorem quo percellimur opus aliquod arduum aggressuri, potissimum vero de iis dicitur qui acerrimum aliquod certamen sunt inituri, deducitur enim a voce ἀγὼν quæ *certamen* notat, unde Hesych. ἀγωνία palæstra est imo et bellum; ἀγωνιῶ, κινδυνεύω; et Orion apud Etymolog. ἀγωνία ἐπὶ τοῦ εἰς ἀγῶνα μέλλοντος κατιέναι, "de eo qui in certamen descensurus est;" Cum ergo acerrimum Christus cum Diabolo et inferis imo et cum ipso Deo certamen esset initurus mirum non est in agonia dicatur fuisse. Denique eadem tristitia per ἀδημονίαν graphice describitur, talis enim motus animi exprimitur hac voce ut animus veluti præ horrore concidat et sub pondere mœroris quasi fatiscat: sic apud Hippoc., qui in morbo lethali sunt constituti ἀδήμονες dicuntur et Xenoph. lib. 4, hist., dicit ἀδημονῆσαι τὰς ψυχὰς pro *gravissime angi* et pene præ dolore exanimari; unde Eustat. deducit a voce ἄδος *satietas*, ut sit quasi nimia dolorum satietate fatiscere, nisi malis ἀδημονεῖν idem esse quod ἐν ἄδῃ μένειν, ea tristitiæ mole gravari ut videri possis apud inferos agere.

VIII. 2. Cum *tristitia timor* jungitur, Heb. v. 7, ubi dicitur Christus exauditus ἀπὸ τῆς εὐλαβείας *a metu* et timore, quod dici non posset nisi in hoc agone constitutus metu aliquo perculsus fuisset. Quia vero Bellarm. et cæteri ex eadem communione grandem litem nobis intentant de corrupto et falsato hoc loco quasi perperam εὐλαβείας vocem per metum reddiderimus, quæ potius per *reverentiam* et *pietatem* reddenda erat, quod imprimis ursit etiam Cotonus plagiarius; age videamus quam inepta et absurda sit tota hæc accusatio, quippe et apposite vocem hanc per metum reddi posse, nec aliter hoc in loco debere manifeste demonstraturi sumus. Non imus quidem inficias vocem εὐλαβείας nonnunquam pro pietate, religione, reverentia seu metu reverentiali, ut ipsi loquuntur, sumi, quemadmodum *timor* non raro totum Dei cultum notat, atque eo sensu usurpatur, Heb. xii. 28, inde etiam fit ut viri pii et religiosi dicantur εὐλαβεῖς, Luc. ii., Act. ii, sed unam vel præcipuam istius vocis esse significationem pernegamus, imo primarium et longe frequentissimum ejus usum esse pertendimus ut timorem significet, metum scilicet impendentis alicujus mali quod vitare optemus; nec istud ignorare possunt qui Græce aliquid sciunt; sic Phavori., εὐλάβεια φυλακὴ ἐπὶ κακοῦ, εὐλαβεῖσθαι ἀντὶ τοῦ φοβεῖσθαι. Glossarium, εὐλαβὴς ὁ δειλὸς pavidus, εὐλαβοῦμαι revereor, vereor, formido. Etymologici magni author, εὐλαβὴς τινὲς τον δειλὸν καὶ δειλαῖον *quidam timidum aut pavi-*

dum sic appellant; sic Hesychius, Varinus, Aristoteles in tractatu de virtutibus et vitiis agens περὶ τῆς δειλίας ὕπεστι δέ τις εὐλάβεια, "subest ei," inquit, "quidam timor." Philo de vita Mosis dicit, "Mosem fuisse natura ἐυλαβῆ, timidum." Plutar. de Pericle περὶ τὸν λόγον ἦν εὐλαβής, "timide ad dicendum accedebat." Sic in sacris lxx. sæpius ἐυλαβείας vocem usurpant ad timorem et pavorem designandum quam ad religionem et pietatem connotandum, Jos. xxii. 24, ἐυλάβεια respondet. Heb. דאגה quæ anxietatem notat; 1 Sam. xviii. 15, εὐλαβεῖσθαι ponitur pro יגר; et Jer. xxii. 25; Exod. iii. 6, pro ירא; sic Act. xxiii. 10, εὐλαβηθείς pro φοβηθεὶς ponitur "tribunus timens ne Paulus discerperetur." Cum ergo tritissima sit et usitata istius vocis significatio, quid mirum si hic retineatur?

IX. Hanc autem non tantum retineri posse sed necessario hoc in loco retinendam esse multa sunt quæ probent: 1. Scopus et ἀλληλουχία *verborum*, nam præcesserunt illa, *Obtulit preces et supplicationes cum lachrymis et clamore valido*, at certe qui nihil metuunt neque precantur neque inter precandum exclamant, vel vociferantur et lachrymas fundunt, imo cum preces ad eum dirigeret qui poterat eum servare ex morte, utique metu aliquo constrictum fuisse necesse est; itaque ut sequentia respondeant prioribus non aliter εὐλάβεια quam per timorem reddi potest. 2. *Aliorum locorum collatio* quæ metum eundem et longe graviorem Christo tribuunt quum dicunt ἀδημονῆσαι, ἐκθαμβῆσαι, contristatum fuisse usque ad mortem, an vero hæc gaudium et fiduciam, annon potius metum et anxietatem important? ecquid ergo timeamus dicere metum filio Dei adscribi ab Apostolo, cum idipsum de eo jam antea efficacius prædicassent evangelistæ? 3. *Natura phraseos* hic usurpatæ quæ alium sensum commodiorem non potest ferre, cum dicitur εἰσακουσθεὶς ἀπο τῆς εὐλαβείας, nam si vertamus *pro reverentia* vel *pietate*, quod V. V. et Erasmus habent, non aliud declarabit *Pro* quam *propter* vel *secundum* vel aliquid ejusmodi quod significet quo respectu sit exauditus; ita ut sensus sit Christum exauditum fuisse a Patre propter reverentiam suam, quia illi in omnibus obediens fuit tanquam filius dilectus; sic reverentia causa erit cujus gratia Pater eum exaudierit. At si hoc voluisset Apost. usus fuisset potius præpositionibus διὰ, κατὰ, et ὑπὲρ, quam præpositione ἀπὸ, cujus insolens plane est usus hoc sensu apud probatos authores, nam quæ exempla congerit Bellarm. l. iv. de Christi anima, c. 8, ut doceat præpositionem ἀπὸ nonnunquam sumi pro διὰ *propter*, aliena sunt, ut illa, Matth. xiii., ἀπὸ τῆς χαρᾶς ὑπάγει, "præ gaudio abit," et xxviii. 4, ἀπὸ δὲ του φόβου ἐσείσθησαν, Luc. xxiv. 41, ἔτι δε ἀπιστούντων αὐτῶν ἀπὸ χαρᾶς, καὶ θαυμαζόντων "adhuc ipsis non credentibus præ gaudio, et mirantibus;" Sic Act. xii. 14, et Luc. xxii. 45: nam in his omnibus exemplis ἀπὸ significat *præ* et notat *causam intrinsecam* a qua movebantur agentia: at hic nihil tale, non enim ipse Christus exaudivit seipsum præ pietate, sed cum ipse pius esset, vel potius quia pius esset, statuitur exauditus ab alio, nim. a Patre; et hæc ratio Chrysostomum movit procul dubio ut reverentiam hanc Patri potius quam Filio tribueret, ita ut Deus eo in honore et reverentia filium habuerit ut eum exaudierit, sensu tamen incommodo, quia reverentia de honore potius dicitur inferioris erga superiorem; præterquam quod si de Patre intelligenda esset addendum fuisset pronomen αὐτου. Itaque cum nec de reverentia filii erga Patrem, licet pia sit sententia, phrasis intelligi possit, nec de reverentia Patris erga filium, superest ut timor hic notetur et metus, non ἄλογος et brutus sed rationalis, a quo Christus liberatus sit. Neque nova videri debet, aut inusitata hæc phrasis ut *exaudiri aliquis* dicatur *ex metu*, pro eo quod est *ab eodem liberari*, posito antecedente pro consequenti, nam, Psal. xxii. 21, totius phraseos exem-

plum habemus, "a cornibus unicornium exaudias me," id. me ab iis liberando. Sic lxx. ex idiotismo Hebræorum, Jer. xxvi. 9, ἡ πόλις αὕτη ἐρημωθήσεται ἀπὸ κατοικούντων, "urbs ista desolabitur ab habitantibus," non hoc sensu quod desolent eam habitatores ipsi, sed ut desoletur ita ut nulli sint habitatores, quod notant Hebræa מאין יושב, nec aliter Paulus, Col. ii. 20, εἰ ἀπεθάνετε συν Χριστῷ ἀπό τῶν στοιχειῶν του κόσμου, "Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi," Justinianus παραφράζει, "mundi elementis liberi estis et soluti." 4. Syrus interpres eandem vocem per metum reddidit, licet enim syntaxim perturbet et verba ἀπὸ εὐλαβείας a verbis præcedentibus separando cum sequentibus connectat, vertit tamen מן דחלתא *ex metu.* Quæ omnia luculenter probant metum inter agoniæ istius partes ab Apost. numeratum esse.

X. Sed hoc clarius adhuc evincitur ex altera illa voce quæ apud Marcum et Lucam occurrit cum dicitur ἐκθαμβῆσασθαι, nam ut θαμβος aliquid est plusquam metus, nimi. metus cum horrore, ita ἐκθάμβησις intendit significationem τοῦ θαμβεῖσθαι quum ita percellitur animus ut pene detur in stuporem ac mens eripiatur; est enim omnium facultatum ex vehementissimo et acerrimo mali vel præsentis vel futuri sensu obstupefactio, quod fieri solet in subita vel gravi aliqua consternatione; hoc Homerus, Iliad. o., exprimit cum ait,

> Θάμβησαν, καὶ πάντας ὑπὸ χλωρὸν δέος εἷλε,
> *Obstupuerunt et omnes pallidus timor cepit;*

Quod Virgilius reddidit,

> *Obstupuere animi gelidusque per ima cucurrit*
> *Ossa tremor.*

Unde θαμβεῖν derivant a θήπω quod est stupeo, admiror, attonitus sum; sic quod 2 Sam. xxii. 5, dicitur χειμάῤῥοι ἀνομίας ἐθάμβησαν, id Psal. xviii. 4, est ἐτάραξαν, ita redditur vox בעת quam alias lxx. vertunt ἐκταράττειν, καταπλήττειν, στροβεῖν, id. *perturbare, exterrere, circumagere,* unde בעותים φοβερισμοὶ *terrores,* Psal. lxxxviii. 16, Job. vi. 4.

XI. Utriusque vero et tristitiæ et timoris magnitudinem ulterius demonstrant adjuncta duo, *sudor sanguineus* et *Angelus* Christum corroborans; De primo ita scriptor sacer, Luc. xxii. 44, καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ, ἐκτενέστερον προσηύχετο, ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν, "Et ipse constitutus in agone intentius orabat, et erat sudor ejus sicut grumi sanguinis decidentes in terram." Θρόμβος, *grumus,* proprie est rei in unam massam concretæ frustum, dicitur ἀπό τοῦ θρέψαι ὅ ἐστι πῆξαι, teste Eustath., unde θρόμβοι αἵματος, αἷμα πεπηγὸς, ut Varin. reddit apud Diosc. lib. iii. cap. 44, et Hesych. θρόμβοι αἷμα παχὺ πεπηγὸς ὡς βοῦνοι, sanguis crassus concretus instar grumorum. Quid porro de *sudore* hoc *sanguinis* statuendum sit non constat inter doctos. Primo certum est hunc versiculum a temerariis nonnullorum unguibus quondam fuisse erasum, adeo ut in multis codicibus tum græcis tum latinis nulla vel sudoris sanguinei vel Angeli confortantis fieret mentio, ut observat Hilarius, lib. x. de Trin, et Hier. lib. ii. contra Pelagium, et ex iis Erasmus et Sixtus Senensis, Bibl. l. i. c. 22, idque ab iis præstitum fuisse potissimum quod Ariani abuterentur hoc loco ad detrahendam Christo divinitatem, quodque ipsis videretur fieri non posse ut in humanam Christi naturam divinitati personaliter unitam tam ingens consternatio caderet; Sed temerariam imo sacrilegam istorum audaciam merito execramur, cum cœ-

teri omnes codices constanter hoc retineant. Alii non delent quidem sed obscurant ejus veritatem, quasi non revera Christus sanguinem sudarit, sed hoc tantum παροιμιακῶς dictum sit, sicut qui amare flent sanguinem flere, et qui valde laborant sanguinem sudare dicuntur, sic Euthym. et Theoph., quod præcipue colligunt ex voce ὡσεὶ quæ hic usurpatur, quæ similitudinem notat non rei veritatem; quos sequitur Grotius in h. l. Sed perperam proverbialem locutionem hic inducunt elevaturi magnitudinem istius miraculi; quia non tantum dicitur sudor fuisse instar grumorum sanguinis, sed instar grumorum sanguinis decidentium in terram, quod plane dici non posset nisi verus sanguis in terram decidisset; neque obstare potest particula ὡσεὶ, siquidem ut notum, hæc ut et similes particulæ non tantum comparationem, sed et rei veritatem, significant, ut apud Hebr. est כ חדמין et כ חאמת, modo *similitudinis*, modo *veritatis* ut Joh. i. 14, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, ubi recte Theophyl. τὸ Ὡς ἐνταῦθα οὐκ ὁμοιώσεως ἐστιν ἀλλα βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ. Ergo extra omnem controversiam positum esse debet Christum verum sanguinem sudasse.

XII. Quis vero sanguineus iste sudor fuerit, naturalis an extraordinarius et supernaturalis, disquiritur. Quidam naturalem ex eo fuisse colligunt quod non dissimilia exempla aliquando contigisse legantur, Arist. lib. iii. de part. anima. cap. 5, et lib. iii., de hist. anima. cap. 19, refert accidisse aliquando ut quidam cruentum aliquod excrementum sudarent, quod ipse vocat αἱματῶδες περίττωμα διὰ καχεξίαν propter vitiatum corporis habitum, fluxo nimirum laxoque corpore inopia et imbecillitate caloris in venis qui cum sanguinem non probe concoquat, humescit tandem et serosior redditur; Quod confirmatur a Theophr. lib. de sudoribus. Fernelius lib. vi. de partium morbis et symptomatis de hepatis ἀτονίᾳ agens, ait se interdum animadvertisse sanguinem ab extremis venis quæ in cutem desinunt multis in locis effundi, et Sennertus Instit. lib. ii. p. 3, sect. 1. notat ex Benivenio cuidam singulis mensibus per cutem qua ima pars jecoris subjacet sanguinis libram effluxisse, cum tamen nullum foramen nulla cicatrix in cute appareret. Huc facit quod de Scanderbergo Heroë narratur ex labiorum ejus venulis sanguinis guttulas effluxisse quoties in acie hostem adoriretur, et quod Maldo. in Matth. refert quendam Lutetiæ audita in se capitali sententia sudore sanguineo totum perfusum fuisse. Ex his concludunt nihil obstare quominus sudor iste Christi naturalis pariter dicatur. Verum alii alienum plane et diversum ab his aliisque similibus exemplis existimant, ex quibus quædam incerta et sublestæ fidei, alia longe lateque ab isto differunt. Nam cum ex sententia Aristotelis duæ præcipuæ sint hujus symptomatis causæ, cutis nempe raritas cum corpore fluido, ac sanguinis tenuitas et serosa nimis substantia, quibus ex sententia aliorum addas licet facultatum nutritioni famulantium imbecillitatem, retentricis puta languorem et expultricis vehementiam, nulla harum causarum hic afferri potest in Christi corpore temperatissimo quod nulla καχεξίᾳ vel δυσκρασίᾳ laboravit, sed optima constitutione et summa primarum qualitatum harmonia procul dubio fuit præditum. Atque huc pertinet quod cum hoc ipsi contigit, ἐν ἀγωνίᾳ fuisse dicitur qui cœperat ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, hi enim affectus contrarium plane in corpore motum efficiunt, in metu siquidem calor omnis et spiritus ac sanguis exteriora deserunt et ad cor subito revocantur, in mœstitia vero seu mœrore spiritus dissolvuntur et corpus refrigeratur ac siccatur. Causam itaque plane miraculosam et supernaturalem esse oportuit quæ per densatos frigore cutis poros sanguinem concretum ac grumosum extraxerit. Quidquid sit, (nos enim litem hanc nostram non facimus, sed medicorum filiis discutiendam relinqui-

mus,) certum est hoc effectum fuisse diri cujusdam et insoliti timoris et anxietatis. Nam cum sudor aqueus extremum metum, et animi angustiam jam arguat, quam immanem fuisse dolorem illum necesse est qui sudorem sanguineum ipsi expressit?

XIII. Sed et hunc non minus evidenter testatur angeli eum corroborantis præsentia, quod est alterum istius ἀγωνίας adjunctum, de quo Luc. xxii. 43; quantum enim et qualem oportuit esse hunc angorem in quo angelo consolatore opus habuit, Dominus a Servo, Creator a Creatura, Deus ab Angelo solamen petiit? Angelos quidem ut tanti regis satellites et ministros ab initio incarnationis Christo adfuisse videmus, nativitatem nuntiasse, post tentationem ministrasse, sed ut cœlitus ad corroborandum Dominum suum et principem descenderent nunquam antea visum, nunquam antea auditum fuerat. Itaque gravissima Christi lucta notatur et profundissima ejus exinanitio qua præ angelis ipsis ad tempus minoratus fuit, ut Psaltes jam antea prædixerat, Psal. viii. 5, et ita minoratus ut eorum etiam solatio indiguerit. Quod ita tamen intelligendum est ut non confortaverit eum *communicatione virtutis* et *potentiæ* quasi partem oneris Christo impositam angelus in se recepisset vel vires ad illud ferendum Christo suppeditasset, sic enim Christus solus calcavit torcular, Isa. lxiii. 3, solus tulit peccata mundi, (unde Veteres "Angelus confortat sed non portat,") sed repræsentatione efficacissima auxilii divini promissi et gloriæ ac victoriæ quæ Christi certamen certissime erat secutura.

XIV. Denique hujus tristitiæ et angoris summi testimonium luculentum fuerunt preces illæ et supplicationes ferventissimæ quas cum clamore valido et lachrymis Patri obtulit ad id ut calix ille ab ipso transiret, nam si necessitas aliqua vel impendentis mali sensus vel metus homines ad precandum impellit, utique gravissimum fuisse timorem necesse est quo Christus æternus Dei filius ad orandum impulsus est, et quidem ita orandum ut non semel iterumve, sed ter easdem preces iterarit, non manibus in cœlum elatis, sed corpore in terram prostrato, non submisse aut tacite, sed cum clamore valido, cum lachrymis et summa quadam animi contentione: quæ omnia non ordinarium et levem, sed maximum et intensissimum dolorem et anxietatem notant ex præsentis vel imminentis gravissimi alicujus mali apprehensione ortam. Quod et Calicis vox non obscure indicat, tralatitium enim est, ut per calicem metaph. sors hominis quæcunque vel bona vel mala, vel prospera vel adversa, denotetur, metaphora ducta a more in conviviis olim usitato in quibus patrisfamilias vel symposiarchæ hoc munus erat singulis cibi et potus demensum assignare; quia vero modo ad necessitatem tantum vel modestam hilaritatem apponebatur, modo ulterius urgebantur convivæ ad intemperiem usque quod non poterat non esse ipsis ingratum et molestum, hinc factum ut calix vel portio calicis modo in bonam, modo in malam partem sumeretur, vel ad *beneficia* Dei erga homines, vel ad *calamitates* et pœnas ab eodem immissas designandas, unde duplicis calicis apud scriptores sacros mentio, "Calicis gratiæ et benignitatis" de quo Psal. xvi. 5, "Dominus est portio calicis" mei, et Psal. xxiii. 5, "Calix meus exundat," et Calicis iræ et indignationis de quo toties Prophetæ, Isa. li. 17, Jer. xxv. 15, 16, 17, Thren. iv. 21, Psal. lxxv. 8. Eadem phrasi utitur Christus sæpius ad passionem et mortem notandam; Joh. xviii. 11, "Nonne bibam ex calice," &c., et hic in oratione "transfer a me poculum istud." Cujusmodi autem fuerint istæ preces et quomodo in filium Dei absque ulla peccati labe vel ἀταξίᾳ cadere potuerint dicemus inferius.

XV. Ex ipsis vero agoniæ Christi effectis omnium maximis merito

concludimus terrorem et tristitiam in eo fuisse omnium quæ fuerunt unquam maximam. Quænam vero istius causa vera et genuina fuerit jam inquirendum superest ut ad veritatis quam quærimus demonstrationem deveniamus: Dubium enim nulli esse potest quin gravissimum aliquod malum vel præsens vel futurum has in eo voces motusque concitarit, sed quodnam illud sit non omnes consentiunt, aliis aliam rationem assignantibus. Quidam angoris Christi causam fuisse volunt Apostolorum fugam et dispersionem, ut Hilar. c. 21, in Matth., "Dominus non timuit propter se, sed propter discipulos quos prævidebat fugituros et negaturos." Alii Judæorum peccatum et rejectionem et Judæ proditoris casum, quod Hiero. placuit in xxvi. Matth. Alii nudam hominum pereuntium commiserationem. Alii denique mortis corporeæ et quidem acerbissimæ necessitatem. Sed facile est ostendere omnes istas causas vel nullas esse omnino, vel non solas et præcipuas. Nam quod ad discipulorum dispersionem attinet, cum eos calidissime protectioni patris commendasset, Joh. xvii. 11, eosque denuo congregandos esse certissime novisset, Luc. xxii. 32, nihil erat cur propterea tantopere angeretur, sed illi hac in parte jam quieto esse licuit. Judæorum vero rejectio neque hac hora accidit a qua se servari petit, Marc. xiv. 35, nec in ea exauditus fuit quemadmodum ab agoniæ metu tandem est liberatus, Heb. v. 7, præterquam quod ingratos Judæos justissimas scelerum suorum pœnas luituros non ignorabat. Non potuit etiam turpissimus scelestissimi Judæ vel lapsus vel exitus animum suum adeo graviter sauciare, quia jam ante filium esse perditionis morti et exitio devotum et noverat et prædixerat, Joh. xvii. 12. Denique hominum pereuntium commiseratio etsi procul dubio affecerit animum Christi, non tamen huc pertinere potest, siquidem et aliorum temporum communis fuit et tantos motus excitare non potuit. At hæc agonia passio fuit singularis et huic horæ propria; quæ proinde peculiarem aliquam causam habere debuit.

XVI. Sed forte metus fuerit mortis corporeæ impendentis quam naturali affectu horruerit et deprecatus sit. Ita quidem nonnulli ex Veteribus sensisse videntur; Ita Pontificii qui solam mortem et cruciatum Christi corporalem nullum vero animæ agnoscunt, vel si quæ fuit animæ passio ortam demum fuisse ex condolentia et sympathia cum corpore, non autem ex proprii alicujus mali sensu vel metu contendunt. Nos vero non imus quidem inficias inter metus et angoris Christi causas hanc etiam esse reponendam, τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως (inquit Theophy.) τὸ δειλιᾷν θάνατον, διότι καὶ παρὰ φύσιν εἰσῆλθεν ὁ θάνατος, καὶ διὰ τοῦτο ἡ φύσις φεύγει τοῦτον. Natura non potest non horrere mortem tanquam sui destructionem et interitum, unde philosophus vocat eam τῶν φοβερωτάτων φοβερώτατον, atque eo gravior est anxietas cum mors illa et cum dolore acerrimo et cum maxima infamia conjuncta est, a quibus duobus natura vehementer refugit et boni omnes maxime percelluntur. Cum ergo mors Christo esset sustinenda, nec tantum mors ordinaria, sed omnium acerbissima et ignominiosissima, dubium non est quin ad ejus vel cogitationem, vel præsentiam vehementer commotus fuerit. Verum audacter tamen pronuntiamus non eam solam, nedum præcipuam istius metus tanti tristitiæque causam fuisse. 1. Quia Christus tanquam sponsor eam pœnam et mortem pro nobis sustinuit quæ peccatis nostris debebatur, Isa. liii. 4, 5, 6, at utraque debebatur et animæ et corporis, cum utraque hominis pars peccaverit. Ergo non tantum sympathetice sed proprie et idiopathetice anima pati debuit, imo et præcipue pati debuit anima ut anima principaliter peccaverat; unde Iren. l. v. c. 1, et ex eo Theod. dial. 3, "Dominus dedit animam suam pro animabus nostris et carnem suam pro carnibus nostris." 2. Atque hujusce

proprii doloris animæ Christi argumentum fuit, quod multa jam passa sit anima, cum neque doleret neque quicquam adhuc pateretur corpus, Joh. xii. 27, et Matth. xxvi. 38. Huc etiam pertinet quod scriptura loquens de passione Christi non tantum *mortem* in singulari memoret, sed *mortes* in plurali, Isa. liii. 9, ut utraque hæc pœna et animæ et corporis connotetur. Neque hic objiciendum Scripturam semper tribuere morti Christi corporali ejusque sanguini in cruce effuso redemptionem nostram, nam morti quidem et sanguini ac cruci attribuit scriptura redemptionem, sed morti soli corporali et exclusive nequaquam: Imo cum de Christi oblatione et sacrificio loquitur, sæpius animæ mentionem facit, Isa. liii. 10, Joh. x. 15, 17, 18, neque cum mors crucis memoratur, sola mors corporea intelligenda est, sed mors maledicta, maledictionis autem nomine veniunt potissimum summi illi angores quos in anima Christus pertulit.

XVII. Quamvis autem non aliunde constare posset Christum in anima proprie aliquid perpessum fuisse, vel ex hoc uno demonstrari posset evidentissime non solos corporis cruciatus vel mortis horrorem hanc illi tristitiam ingenerasse, quia alias longe mollior et timidior videretur Christus innumeris hominibus qui non tantum patienter sed et læto promptoque animo mortem cruciatusque dirissimos sustinuerunt: Nam ut profanorum gentilium ἀναισθησίαν vel insaniam non commemorem qui imperterrita mente mortem adventantem exceperunt, imo et ipsi sponte adiverunt, quis nescit multa martyrum millia, fidelissimorum nubem testium, sævissimis tormentis et crudelissimæ morti exposita, fortissimo tamen et lætissimo eam animo pertulisse? ita ut non tantum nullum metus dolorisque testimonium darent, sed lætitiam potius summam atque exultationem etiam in mediis flammis proderent, non illos ignes accensi terrebant, non enses districti, non craticulæ ardentes, ungulæ, cruces, bestiæ, aculei, cæteraque priscæ crudelitatis instrumenta quæ ad eos torquendos adhibebantur, nemo ex iis lugere visus est, nemo poculum a se removeri postulavit, imo summa alacritate ad supplicium ut ad triumphum properant et tortoribus etiam ignoti ultro se offerunt, Deo gratias agentes cum Apostolis quod digni judicati sint qui paterentur pro nomine Jesu. Quænam tanti discriminis ratio subesse potest? Infirmi et miseri homunciones summam constantiam et gaudium in mediis tormentis præ se ferunt, Petrus crucifigitur, Paulus decollatur, excoriatur Bartholomæus, torretur Laurentius, laniatur Ignatius, alii aliis dirissimorum tormentorum generibus sine ullo doloris et tristitiæ signo cruciantur: At Christus æternus Dei filius vel ad primam mortis cogitationem expavescit, consternatur, lachrymas fundit, clamores edit, in faciem procumbit, sudorem sanguineum emittit. Quid E.? alterutrum ex hisce duobus fuerit necesse est, vel ut in Christo aliquid mollius et timidius fuerit quam in cæteris hominibus, vel sane in hisce tormentis quæ perpetiebatur aliquid fuerit plane extraordinarium et gravius ipsa morte corporis quæ in sensus incurrebat; At prius illud vehementer falsum et blasphemum quod Christianæ aures ferre nequeunt: Ergo posterius verum esse necesse est.

XVIII. Itaque eo tandem deveniendum est ut dicamus veram et genuinam doloris et anxietatis istius causam fuisse non mortem simpliciter, sed *mortem maledictam* quæ illi obversabatur ante oculos, horrendum illud et terrificum irati Dei judicium; Peccata non unius hominis aliqua, sed omnium electorum omnia quæ homo unus ipse fragilis et imbecillis ex sponsoris officio portare debuit: Videbat scil. formidabile Dei tribunal cui sistendus erat ut quæ non rapuerat solveret, Psal. lxix. 4, Judicem ipsum incomprehensibili vindicta armatum, Legem fulmina execrationum et anthematum vibrantem, Diabolum et potestatem tenebrarum cum omnibus inferorum portis immi-

nentem, denique Justitiam ipsam inexorabilem et rigidissmam cui ad ultimum usque quadrantem satisfieri oportuit: Hæc sunt quæ Christo metum pavoremque non immerito incusserunt, hæc quæ gemitus, suspiria, lachrymas expresserunt. Timuerit ergo mortem, quomodo solemus omnes ex instinctu naturæ humanæ, ut ostenderet τὸ ἀνθρώπινον, ut ait Chrysost. non diffitemur, sed ut tanta consternatio animum ejus subiret ut nullum unquam talis commotionis exemplum usquam occurrat, nunquam ratio sufficiens reddi poterit nisi ascendamus ad Dei judicium cui satisfaciendi pro nobis onus in se receperat: Non illum premebant vincula et catenæ Judæorum quibus vinciri debuit, sed vincula et compedes peccatorum nostrorum quibus onerandus fuit; Non terrebant cohortes Romanorum quæ eum captivum abducturæ erant, eas enim si libuisset potuisset uno oculi nictu prosternere et fugare, prout ipse satis demonstravit, Joh. xviii. 6, sed principatus et potestates, princeps mortis cum copiis omnibus infernalibus cum quibus certandum fuit; Non angitur propter injustam Pilati sententiam, noverat enim nullam ipsi esse potestatem, nisi cœlitus data esset, sed propter severissimum et justissimum Patris cœlestis judicium, qui pœnas a nobis debitas ab ipso exposcebat; Non horret manus hominum quantumvis duras et crudeles, sed ipsam Dei manum in quam cadere est horrendum; Non fremit propter separationem animæ et corporis, sed propter desertionem Patris quam brevi experturus erat.

XIX. Rem autem ita se habere non uno argumento demonstrari potest, sive prophetica de morte et passione Christi vaticinia, sive complementum eorundem historicum apud Evangelistas intueamur, legatur vel unum, Isa. c. liii. de quo antea. An non majus quid aut atrocius omni corporali communive cruciatu, quod "Christum propter transgressionem et iniquitates nostras plaga affectum, a Deo percussum, vulneratum" testatur, ver. 4, 5, quod iniquitatum omnium nostrarum pœnam atque ita Deum ipsum punientem hostiliter *in ipsum* dicit *incurrisse*, ipsique ut sponsori luendam eam fuisse, ver. 6, 7, quod *sublatum* docet *ex angustia* sive anxietate animæ propter sensum iræ Dei, itemque *ex judicio*, ver. 8, quod deprecantur fideles et in quod nunquam venturi sunt, Joh. v. 24, quia Christus in illud venit? An mors ulla quantumvis aspera et violenta talis esse potuit ut in ea adeunda et ferenda ipse filius Dei in persona Davidis conquestus sit, "desertum se esse a Deo, Deum longinquum a salute sua recessisse, se verba rugitus sonare et non exaudiri," Psal. xxii. 1, 2, &c., et Psal. lxix. "se cœno profundissimo immersum, fluento inundante abripi, pervenisse aquam usque ad animam, et quæ non rapuit rependere cogi," ver. 1, 2, &c.? Sed dubitationi locum non relinquit Apostolus cum dicit factum fuisse *κατάραν*, Gal. iii. 13, maledictio enim illa cum opponitur *benedictioni* Abrahæ, id est justificationi et vitæ æternæ Abrahæ promissæ, non potest ad mortem corpoream tantum restringi; sed simul etiam æternum vel æternæ æquivalentem complecti debet.

XX. Unde jam liquido patet quid discriminis intercedat inter mortem Christi et mortem martyrum, et cur tantopere ad ejus præsentiam consternatus sit, cum ipsi ea potius lætati et gloriati fuerint. Nimirum: 1. Martyres licet essent peccatores, sciebant tamen se Deo esse per Christum reconciliatos, adeoque nihil condemnationis in se habere; quod si patiendum ipsis aliquid imponeretur, non propter sua peccata se pati ut pro iis satisfacerent, sed propter gloriam Dei ut sanguine suo veritatem Evangelii obsignarent. At Christus licet in se sanctus et innocens, inter peccatores tamen reputatus est, Isa. liii. 12, et tanquam reus coram tribunali Dei habitus, ut alienorum peccatorum sibi impositorum pœnas lueret. 2. Martyres ab homini-

bus patiebantur, sed Deum semper benignum et propitium experiebantur qui certaminibus ipsorum præerat, virtutemque ferendi crucem suppeditabat: At Christus non tam ab hominibus quam a Deo percussus est, cujus manum ultricem sentire debuit, unde dicitur מכה אלהים, Isa. liii. 4, et desertus a Deo. 3. Martyres extrinsecus cruciabantur in corpore, sed intus recreabantur solatio Spiritus S. qui in media fornace rorem gratiæ et gaudii affundebat, quo perfusi refocillabantur, ne sub onere fatiscerent: At Christus totus et anima et corpore passus est; nullum illi solatium, nulla mitigatio doloris extrinsecus accessit, vere assatus ad ignem iræ divinæ ut olim in Agno Paschali adumbratum, ita ut absque ulla consolationis et refrigerii guttula, solo propriæ justitiæ et sanctitatis, si fas ita loqui, succo in mediis ardoribus judicii divini sese sustenstarit. 4. Martyres mortem quidem sibi ferendam sciebant, sed corporalem tantum, nam ab æterna se liberatos per Christum noverant, Joh. v. 24: At Christo cum utraque luctandum fuit, quia utraque peccati nostri fuit stipendium. 5. Martyres calicem bibere debuerunt, sed cujus amaritudo per Christum sublata fuerat, ita ut nihil lethale et mortiferum in eo amplius subesset, sed Christus calicem indignationis divinæ ad fæces usque ebibit, mortem enim gustare debuit pro omnibus, Heb. ii. 9. 6. Illi mortem et tormenta patiebantur, sed singuli pro singulis, ut loquitur Leo, pro se unusquisque moriebatur, non pro aliis: At Christus omnium peccata unus portabat et publice pro iis satisfaciebat. 7. Martyres denique cum morte, Satana et inferis pugnabant, sed jam a Christo devictis et prostratis, Col. ii. 14, 15, Heb. ii. 14, ita ut ἐπινίκιον in medio certamine cantare possent., 1 Cor. xv. 55, "O mors ubi est victoria tua," &c: At Christus eos omnes adhuc integros et vegetos adoritur, imperio mortis etiamnum stante et vim suam in homines exerente; quod non potuit melius explicari quam factum a Basilio Seleuciensi, Χριστὸς σὺν ἀγωνίᾳ τὸν σταυρὸν ὑποδέχεται, καὶ προλαμβάνει φόβος τὸ πάθος. Διὰ τί; ὅτι Χριστὸς μὲν κατὰ ζῶντος ἔτι θανάτου στρατεύεται, οὔπω λελυμένης τῆς τυραννίδος συμπλέκεται, ἔτι γὰρ τὴν ἐξ Ἀδὰμ κατ' ἀνθρώπων δυναστείαν ὁ ᾅδης ἐκόμπαζε, "Christus cum angore crucem excipit passionemque pavor anticipat. Quamobrem? nimirum quia Christus contra viventem mortem adhuc armatur, cumque nondum soluta tyrannide manus conserit, etenim imperium quod in homines jam inde ab Adam obtinebat etiamnum ostentabat." Quæ omnia luculenter testantur mortem Christi toto genere diversam fuisse a morte martyrum, sive *principium*, sive *modum*, sive *finem* passionum attendas: Nam illi a Deo Patre ex amore castigabantur in corpore ad gloriam Dei, et obsignationem veritatis: At Christus a Deo judice ex justitiæ punitur et corpore et in anima ad peccatorum expiationem: in illis *passiones* erant vel *probatoriæ* vel *medicinales*, at in Christo *pœnales* et *satisfactoriæ*.

XXI. Huic argumento nihil hactenus a Socinianis directe, quod quidem nobis visum fuerit, responsum est. Crellius tantum adversus Grotium, p. 24 et 25, c. 1, aliquid reponere conatur: Christum scilicet cum preces illas fudit in horto, vel in cruce se a Deo derelictum exclamavit, respexisse procul dubio ad illos dolores et cruciatus quos tum perpetiebatur cum ea verba proferret, dolores scil. crucis, qui per se corporis erant, inde vero ad animum ut fit redundaverint, quibus addi possunt contumeliosæ voces et insultationes hostium calamitates ipsi acerbissime exprobrantium; De tanta tristitia quæ græcis verbis exprimitur nihil legi ab eo tempore quo ex horto Getsemane fuerit abductus, cessasse istam animi perturbationem postquam ei apparuit Angelus; Hunc fuisse calicem de quo Christus Patrem tam sollicite rogavit ut a se transiret, non vero mortem; Earum autem precum statim secutum fuisse effectum apparente Angelo; Ideo Chris-

tum animo imperterrito reliqua mala excepisse, nec quicquam post id tempus fecisse aut dixisse quod pavorem et consternationem istam animi argueret, licet dolores et cruciatus acerrimos sustineret.

XXII. Sed multifariam hic peccat Hæreticus: 1. Dum supponit tristitiam et preces illas ardentissimas Christi non alio respexisse quam ad dolores corporeos quos perpessurus erat vel etiam ludibria et insultationes hostium quibus impetebatur; At jamjam ostendimus non eam fuisse sufficientem talis anxietatis causam nisi in Christo Dei filio principe gloriæ eam animi constantiam desiderari volumus quæ in miseris homuncionibus sese tam luculenter prodidit, quod Christianus nemo dixerit: Ergo durior quædam manus illum premebat, gravius illi incumbebat onus sub quo fatiscere veritus est. 2. Supponit etiam gratis Christum post agoniam illam quam passus est in horto nullum amplius dolorem et animi perturbationem sensisse, nullum sane ejus signum dedisse. Nam licet certum sit Christum non semper eo animi angore pressum fuisse, sed dilucida (ut ita dicam) habuisse intervalla, prout scil. obversabatur animo promissio Patris et certa spes victoriæ; quod et fideles ipsi experiuntur non semel, qui in maximis suis angustiis querimonias suas miscent consolationibus, ut Psal. lxxvii. et xlii., et Job. xix. 11, 25, et alii de quibus August. in Psal. x., "Interdum clausis Dei oculis exercentur ut quærant, interdum apertis illuminantur ut gaudeant." Quis tamen nescit in cruce etiam gravissime perturbatum esse cum in hæc flebilia erumpit verba ut se a Deo derelictum quereretur? Itaque fortiter quidem et constantissime mortem tulit, sed tamen cum exquisitissimo mali sensu, ita ut voces pugnæ et doloris cum vocibus constantiæ et victoriæ permixtæ semper fuerint, donec absolutissimo redemptionis operi hac triumphi voce Τετέλεσται colophonem imposuit. 3. Falsum etiam est quod statuit, calicem pro cujus remotione tam sollicite orabat non fuisse ipsam mortem, sed tantum istam animi perturbationem quæ post apparitionem Angeli cessaverit; nam contrarium liquet ex Joh. xviii. 11, ubi Christus captus esset a militibus et Petrus vim facere vellet; "Annon bibam" inquit, "calicem quem Pater mihi dedit?" manifeste innuens mortem cui destinabatur; Et sane cur tanta perturbatio animum ejus subiisset nisi ad hanc mortem impendentem respexisset? Et certum est Christum propter mortem imminentem timuisse, non corpoream tantum sed spiritualem imprimis et maledictam.

XXIII. Quia vero varia hic quæri possunt circa hanc Christi agoniam precesque ab eos fusas, quasi indignum sit Christo vel sensisse Deum iratum et infensum, vel eas preces illi obtulisse quæ decreto ipsius aperte repugnarent; breviter ea expedienda sunt antequam ad alia transeamus. Primo, quæritur quomodo talis metus et agonia in Christum cadere potuerit qui fuit semper in gratia et amore Patris, quique adeo iratum eum et infensum sibi experiri non potuit? Resp., Christus duplicem *personam* sustinuit, et *suam* et *nostram*, suam ex natura, nostram ex officio, Et secundum geminum illum respectum potuit metus et fiducia in eo locum habere, potuit gratia et ira Patris erga ipsum sese exerere. Nam respectu sui Patri semper dilectus fuit et gratissimus, nec aliter potuit, cum enim Deus non irascatur creaturæ nisi ob peccatum, in Filio autem nullum unquam viderit vel videre possit, utique non potuit illi ullatenus succensere, sed anima ejus in eo sibi complacuit: Sed quia idem ille filius personam nostram suscipere voluit et peccatorum reatum sustinere, sub hac σχέσει nihil obstat quo minus dicamus Deum iratum sensisse non sibi, sed peccatis nostris quæ in se receperat, quomodo dicitur κατάρα pro nobis factus; ita hic optime concurrunt et amor et indignatio, Amor in filium, Indignatio

in mediatorem, Amor propter justitiam et sanctitatem propriam ipsi inhærentem, Indignatio propter peccata aliena nempe nostra ipsi imputata. Quod ergo hic clamitant adversarii, Bellarm., et alii, grandem nos cum Calvino injuriam Christo facere, cum dicimus Deum metuisse iratum et infensum, atque adeo non fuisse eum in gratia Dei, vel impudens ēst calumnia, vel crassissimus error qui confundit ea quæ in Christo sunt distinctissima. Nam si id volunt Deum iratum fuisse filio suo qua tali et in se considerato, eam nobis sententiam affingunt, quam toto pectore aversamur, ut qui sciamus Christum nunquam non gratissimum et dilectissimum Deo fuisse; quod et ipse Calvinus apertissime docuit, Instit. l. ii. c. 6, s. 11, "Neque tamen innuimus Deum fuisse unquam illi vel adversarium, vel iratum, quomodo enim dilecto filio in quo animus ejus acquiescit irasceretur? Aut quomodo Christus Patrem aliis sua intercessione placaret quem infensum haberet ipse sibi?" At si negant Deum iram suam et maledictionem effudisse in filium quatenus nostra in se peccata receperat, non nobis, sed Scripturæ ipsi aperte repugnant quæ eum a Deo percussum et attritum, peccatum et maledictionem factum docet. Hoc vidit Ferus in Matth. c. xxvi., "Hic" inquit "si personam ejus attendas, videbis eum innocentissime passum, ipse enim peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. At si attendas eos in quorum persona patitur, videbis eum nocentissimum, ut qui peccata totius mundi in humeris suis habeat," &c. Deinde distingui debet τὸ *Esse in gratia Dei*, nam vel illud intelligitur quoad amorem et omnia effecta ejus tam ea quæ sanctitatem quam quæ felicitatem important, vel quoad quædam tantum. Ille qui in gratia Dei est, utique amorem ejus experiri debet si non in omnibus saltem in plerisque ejus effectis, et ita Christus nunquam non sensit hanc Patris gratiam: at non statim qui est in amore fruitur ejus effectis quoad plenissimam beatitatem, v. g., qui castigantur fideles sunt sub sensu miseriæ nec desinunt tamen a Deo diligi: Ita nihil obstabat Christum et diligi a Deo ut filium suum, et affligi ab eodem ut vadem et sponsorem nostrum, potuit amare ut patrem, et suam in eo fiduciam collocare, et timere ut judicem atque ejus iram et indignationem deprecari.

XXIV. Secundo Quæritur, Qui timere potuerit et expavescere cum certa et indubitata victoria esset ex Dei consilio immutabili? Resp., Ut hic scrupulus tollatur, meminisse oportet utrumque hunc affectum metus et spei in homine sæpe reciprocari et alternantes experiri vices pro ratione objectorum sese ingerentium, nam si res grata et læta objiciatur continuo spes inde efflorescit, sin vero tristis et molesta fuerit, metus subito enascitur: Cum vero duæ istæ res usque adeo contrariæ sese ingerunt eodem tempore, tum fieri nequit quin gravis inter eas pugna et conflictus oriatur, altera faciente metum et dolorem, altera spem et consolationem excitante; rursus cum in isto conflictu altera alteri prævalet, v. g., malum præsens bono futuro acrius se ingerit, et quod præsens est natura sua vehementius homines afficit quam quod est futurum, metus et dolor ita videtur totum hominem occupare ut nihil in eo spei sit reliquum, quia ita defixus hæret in malo quod intuetur ut cætera quæ aliquatenus illius dolorem lenire vel metum minuere possunt eo momento non attendat, quemadmodum ea est naturæ nostræ conditio ut ingentia visa, cum vehementius ingruunt, ex nobis eo momento abigant omnem aliam cogitationem, sic in omni vehementi commotione ita totus occupatur animus ut velox illa facultatum animi progressio multum impediatur, dum singulæ facultates præsenti objecto affixæ rem totam diutius suspendunt. Ex quibus facile tota hæc difficultas expeditur quippe Christus nobis ὁμοιοπαθὴς

tale quid in seipso expertus est, nam ut duplex objectum Christi animo sese ingerebat, primo, mors illa maledicta et passio ad quam ferendam missus fuerat, deinde eventus et finis lætissimus qui promissus erat, malum præsens et imminens gravissimum, et victoria certa et gloriosissima, duplicem etiam affectum in ipso excitavit, inde timoris et tristitiæ, hinc spei et fiduciæ; cum enim in malum impendens oculos reflectebat, non poterat non timere et consternari, videbat quippe mortem et mortem dirissimam ipsi paratam, at cum idem attendebat ad finem passionum, et consilii divini immutabilitatem, prævidebatque adeo et victoriam quam reportaturus erat de Diabolo et morte, et redemptionem quam acquisiturus erat Ecclesiæ, non poterat non in spem erigi et lætari; hinc fit ut in hoc agone alternantes et sibi invicem succedentes hos affectus subinde videamus, si timet et angitur cum petit calicem removeri, at confidit statim cum in beneplacito Patris acquiescit, si fremit cum queritur se a Deo derelictum, at spem illico prodit cum Deum suum compellat et spiritum suum in manus ejus commendat: Sed cum instantis mali cogitatio animum subit ita totus occupatur animus ut eo momento circa aliorum objectorum apprehensionem quiescat, hinc cum ait, Joh. xii. 27, "nunc anima mea turbata est, Pater quid dicam?" animus in illam iræ infinitæ cogitationem ita defixus est ut singulæ facultates pro se nihil decernant, sed toto interrupto progressu fluctuent. Ita cum petit liberari ab hac hora et removeri calicem, cum se derelictum esse postea vociferatur, in illa eadem cogitatione ita occupatur ut in unam partem totus vergens, pene sibi persuadeat de se actum esse, nec fieri posse ut tantum pondus sustineat: Non tamen in illa cogitatione ita hæsit quin mox invicta spes illum erigeret, idem enim qui perculsus "libera me," inquit "ex hac hora," eodem tempore subjicit, "sed propterea veni in hanc horam," qui ter petit ut transferatur calix, addit statim "non sicut volo, sed sicut tu vis fiat," qui clamat se derelictum a Deo, idem tamen ad Deum ut patrem Deumque suum accedit. Unde patet quomodo Christus et timere potuerit et angi dum certa spes victoriæ facta fuerat.

XXV. Tertio quæritur, Quomodo Christus ejusmodi preces Deo offerre potuerit quæ aperte videntur consilio et voluntati divinæ repugnare, atque adeo pietati et obedientiæ quam patri constantissime exhibuit? Quid enim? nonne propterea natus erat et mediator factus ut calicem hunc pro salute nostra ebiberet: nonne noverat hoc esse decretum patris ut ipse non semel testatus est oportere se multa pati et occidi, Matth. xvi. 21. Imo cum caperetur a militibus Petrum iis obsistentem increpat, "Annon bibam poculum istud quod mihi dedit pater?" Qui ergo, sibi contrarius et patri, tanto molimine calicem a se transferri postulat? Resp., Hic vero multa sunt quæ reponi possunt: 1. Supponimus contra Monotheletas geminam fuisse in Christo voluntatem ut et naturam, divinam et humanam, easdem non adversas quidem et sibi repugnantes, sed diversas tamen fuisse prout in objecta diversa ferebantur. Divina voluit mortem quia sic constitutum fuerat apud Patrem ad redemptionem nostram, Humana vero horruit et deprecata est, quia eam intuebatur ut naturæ destructionem et malum omnium quæ esse poterant dirissimum; nec tamen humana voluntas bene dicitur repugnasse divinæ, quia non absolute, sed conditionate petiit, non voluntate deliberata et electiva, sed velleitate potius inefficaci et naturali. Itaque observandum est, 2. *Voluntatem* multifariam dividi posse, alia enim *efficax* dicitur, alia *inefficax; Efficax* dicitur ea quæ principium est agendi, hominemque movet et impellit ad exequenda ea quæ vult et amolienda quantum potest quælibet operationis impedimenta; *inefficax* quæ in effec-

tum non deducitur, sive propter impedimenta aliunde accedentia, sive quia simplex est vel boni complacentia, vel displicentia mali, nec ulterius pergit ut sit operandi principium, nec ad rei executionem re ipsa impellit, quæ velleitas potius quam voluntas dici meretur. Cum ergo Christus dicitur voluisse ut transiret calix, non debet hoc intelligi de voluntate efficaci quæ in seipso produxerit aliquem evadendi conatum et se expediendi ex istis laqueis, imo videmus eum ductum "fuisse ut ovem ad mactationem," Isa. liii. 7, ut ipse nulla ratione obstiterit, vel mortem refugere tentaverit, sed de voluntate inefficaci quæ nihil aliud significat quam simplicem displicentiam ortam ex naturali inclinatione qua voluntas abhorret a malo naturam destruente.

XXVI. 3. *Voluntas* alia est *naturalis* et *indeliberata*, alia *deliberata* et *electiva*. Illa dicitur voluntas per *modum naturæ*, Ista per *modum rationis*, sic Thom. p. 3, q. 18, art. 5. *Voluntas ut natura* sive per modum naturæ est facultas physica habens inclinationem naturalem ad conservationem totius compositi, seu est desiderium commodi, vocatur voluntas indeliberata quia fertur ad objectum absolute consideratum citra ullam rationem circumstantiarum, At *voluntas per modum rationis* est facultas rationalis ad prosequendum bonum generale totius hominis, ut homo est, vel ad sequendum dictamen intellectus practici recta et justa monentis, vocatur *voluntas electiva* quia est desiderium et affectus justitiæ potius quam utilitatis propriæ, dicitur et *voluntas deliberata* quia respicit objectum omnibus suis circumstantiis vestitum, et hæc voluntas refertur ad cognitionem rationalem tanquam ad causam, quia non naturæ instinctum sed rationis dictamen sequitur. Voluntas naturæ naturaliter fugit ea quæ naturæ sunt contraria, ut mortem, cruciatus, &c ; Voluntas per modum rationis potest ferri etiam in ea quæ naturæ adversantur dummodo justa et honesta sint vel necessaria, sic v. g., is qui voluntate naturali potionem amaram refugit et aversatur, eandem tamen voluntate rationali suscipit, quia scit non aliam esse salutis recuperandæ rationem, ita martyres mortem natura non possunt non horrere, sed iidem tamen eam ut gloriosissimum benevolentiæ Dei testimonium ex ratione alacres adeunt, et in ea gloriantur. Pari plane pacto Christus mortem voluit et noluit diverso respectu, Voluntas per modum naturæ eam noluit, at eadem per modum rationis voluit ipsam, noluit quatenus naturalis appetitus desiderium erat ut viveret mortemque absolute et in se ut naturæ destructionem intuebatur, At quatenus eandem spectabat cum circumstantiis suis, id. ut a Deo decretam et ad salutem electorum necessariam, in ipsam propensissimo ferebatur affectu, prout alibi testabatur "cibum suum hunc esse ut faceret voluntatem patris sui," Joh. iv. 34.

XXVII. 4. *Voluntas* distinguitur in *simplicem* et *absolutam*, et *hypotheticam* seu *conditionatam*. Illa est qua quis aliquid vult absolute et efficaciter ita ut nihil reliqui faciat ut ea voluntas in effectum deducatur, ista qua quis aliquid vult sub conditione, quæque intra certos limites se continet. Sic absoluta voluntate petunt fideles remissionem peccatorum suorum, et si quæ sunt necessaria ad eorum salutem, at voluntate conditionali ea quæ salutem non attingunt per se, neque vel data promovent, vel negata removent, puta opes, sanitatem, robur, pacem externam, in quibus petendis eam semper conditionem addere debent expresse vel implicite, Si ita fert Dei voluntas. Hujus conditionatæ voluntatis geminum exemplum suppeditat nobis Scriptura, alterum in Mose, Exod. xxxii. 32, dum optat deleri de libro Dei, alterum in Paulo, Rom. ix. 3, dum cupit anathema fieri pro fratribus, utrumque enim istud votum non absolute, sed conditionate tan-

tum est intelligendum, Si possibile esset et liceret, si Deo ita liberet, ita ut non rei ipsius possibilitas, sed petentium tantum zelus et ardor innuatur. Idem in Christo observari potest, nam voluntate absoluta ac simpliciter dicta Christus mori voluit, prout se moriturum prædixerat, Matth. xviii. 11, et xx. 18, 19, Joh. xiii. 21, ita ultro et libentissime se morti exposuit, *Annon* (inquit) *bibam calicem;* &c. E. quod mortem refugiebat referendum est ad voluntatem conditionalem et hypotheticam. De quo ne quis dubitare posset, voluit ipse Christus conditionem, eamque geminam apponere: Prior est conditio *possibilitatis rei*, *Pater si possibile est*, non utique per absolutam Dei potentiam, quia non nesciebat omnia Deo esse possibilia, ut apud Marcum profitetur, sed per æterni Patris decretum, quod etsi non ignorabat scindi non posse, tamen libenter per φυσικὴν στοργὴν optasset aliter institui. Altera est *conditio voluntatis divinæ* cui se Christus illico submittit, *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, ut agnoscamus omnes istos motus desiisse tandem in absolutam voluntatem moriendi.

XXVIII. Etsi igitur inter geminam hanc Christi voluntatem aliqua diversitas occurrit, nulla tamen est pugna et contrarietas proprie dicta, quia nec sunt ad idem, nec eodem respectu. Altera est simplex et absoluta, altera tantum conditionalis, altera bonum naturæ, altera gloriam et consilium patris repicit, altera se habet per modum naturæ et velleitatis inefficacis, altera per modum rationis et voluntatis plenæ. Hic ergo attendenda sunt *duo volita* Christi, seu objecta duo in quæ ferebantur diversæ volitiones Christi: primo, *bonum naturæ*, et immunitas ab omni malo, natura enim per inclinationem omnibus creaturis adeoque et homini ipsi inditam, Eph. v. 29, non potest non refugere malum et inclinari in sui bonum et conservationem, siquidem, teste Aristotele, *bonum est quod omnia appetunt*, Secundo, *gloria et voluntas patris* cum salute nostra; utrumque objectum ab intellectu monstratum volebat, sed modo et respectu longe diverso, Illud simpliciter et præcise in se absque circumstantiis consideratum volebat voluntate naturali conditionata, et velleitate potius seu voluntate imperfecta, secundum hanc petebat conditionaliter rem ex hypothesi impossibilem, et optabat quod illi denegandum erat, ut hoc pacto testaretur quid sentiret, pateretur, et appeteret misera et egena natura, et a quo maxime refugeret; at vero Istud cum omnibus circumstantiis, causis, et effectis consideratum, voluntate absoluta per modum rationis ad finem qui mediis, in se malis, amabilitatem solet conciliare, quomodo potio amara appetitur propter sanitatem, quam voluntatem Christus declarat ea quam apposuit statim limitatione et conjunctione πλὴν, ἀλλά. Ita etsi votum primum voluntati patris quadantenus adversum concepisset, quia tamen sub conditione illud ita concepit ut velleitati huic suæ statim frænum injecerit, eamque Dei arbitrio subjecerit, non potest ulla culpabilis hic occurrere diversitas.

XXIX. Instabit tamen aliquis, Si correctio aliqua addita fuit a Christo in postrema precationis parte, omnino modum excesserit oportet, atque adeo non satis composita fuerit. Hinc Calvinus in Commentario suo in Matth., dixit "Christum votum illud subito sibi elapsum castigare et revocare," quod dici non potest quam proterve Bellarminus exagitet quasi Christum peccati alicujus et vitiositatis insimularet, qui aliquod votum fuderit quod correctione opus habuit. At ut de Calvino primum dicamus, Jesuita more suo satis prodit calumniandi œstrum quo percitus est dum ea integerrimo viro affingit quæ ab ejus mente sunt alienissima; quod vel idem ipse commentarius luculenter docet, ubi variis in locis, pluribusque rationibus hos Christi angores, querelas, preces et affectus purissimos

fuisse omnisque vitii expertes solide evincit. Quod vero vim facit in correctionis voce de nihilo est; quia nemo negare potest particulas ἀλλὰ, πλὴν, quibus utitur Christus esse correctionis formulas, sed in eo hallucinatur Adversarius quod *correctionem* omnem supponere errorem præcedentem arbitretur, quod etsi de *Correctione Logica* et *Ethica* verum sit, falsum tamen est de *Rhetorica; Logica* pro falso verum, *Ethica* pro malo bonum reponit, sed *Epanorthosis Rhetorica* non est semper emendatio ejus quod male dictum sit, sed limitatio rei conditionalis in absolutam, vel repositio ejus quod magis videtur idoneum pro eo quod prius etiam non male, sed vel indifferenter vel conditionaliter dictum fuerat. Sic Cicero ad Quirit. contra Verrem exclamat, "O summam vestram clementiam, vel potius patientiam," et autor ad Herennium "quod si iste suos hospites rogasset imo innuisset modo, hoc facile perfici posset," &c. Paulus, 1 Cor. xv. 10, "amplius laboravi quam omnes Apostoli, non ego tamen sed gratia Dei quæ mecum est," correctio est verum apponens pro vero sine errore, nam et ipse laboraverat, sed sub gratia tanquam causa primaria et principali. Sic correctio hæc Christi non est emendatio erroris sed remotio conditionis antea positæ seu conversio precationis conditionalis in simplicem: Non ergo reponit verum pro falso sed categoricam voluntatem bonam loco hypotheticæ itidem bonæ in suo genere: non corrigit prius effatum tanquam incompositum, sed exponit quod dixerat ne quis nostrum id male cogitatum aut dictum autumaret, et voluntatem illam conditionatam quæ ex recto sui amore mortem horrebat subjicit voluntati patris, ideoque amorem sui amori Dei tanquam primo et maximo mandato, rectum ordinem servans, submittit.

XXX. Quarto, quæritur Quomodo Christus æternum Patris decretum rescindi postulet cujus minime ignarus erat, et quomodo pura fuerit ab omni vitio hæc ipsius voluntas quæ tamen cum Dei voluntate minime congruebat? Resp. Ad primum, Noluisse Christum absolute rescindi consilium Patris quod immutabile noverat, sed quia defixus erat totus in contemplatione instantis mali, eo momento facultates erga aliorum objectorum apprehensionem quiescebant, itaque non ex dubitatione vel ignorantia loquitur, sed omisso consilii divini intuitu ad breve momentum desiderium hoc quo æstuabat in patris sinum deponit, quomodo fideles in fundendis precibus et gravissimis tentationibus non semper ad speculanda Dei decreta ascendunt, sed votorum fervore interdum celeres feruntur, in malorum quibus premuntur acerbitatem unice intenti, eorum liberationem naturali propensione ardentissimis votis expetentes, licet cæteroquin alia sit Dei voluntas et consilium. Atque hinc patet solutio secundæ difficultatis, Quomodo pura et vitii expers illa voluntas Christi esse potuerit quæ voluntati divinæ repugnabat; Nam primo certum est non omnia quæ voluntati occultæ sive decreto non congruunt statim peccata esse, quippe cum hæc non sit actionum nostrarum norma et regula, sed revelata, non potest quod adversus illam admittitur statim peccatum censeri; sic Paulus, Phil. i., cupit dissolvi et esse cum Christo, idque arbitratur sibi esse longe optimum; at hoc voluit contra voluntatem Dei occultam quæ diutius voluit eum Evangelio ministrare; sic filius probus orat pro vita patris ægroti quem tamen Deus certo mori vult, nec peccat filius, imo peccaret adversus debitum parenti amorem si non præstaret; sic fideles plerumque florentem et tranquillum expetunt Ecclesiæ statum, cuperent ærumnis liberatos esse Dei filios et sublata omnia scandala et regni Dei obstacula, et hæc cum per se recta sint, pie possunt a fidelibus expeti, quamvis aliter Deo constitutum sit qui vult filium suum regnare inter hostes suos, exerceri sub cruce, et evangelii ac fidei victoriam contrariis Satanæ et mundi molitionibus illus-

trari. Hoc August. erudite observat, Enchir. ad Laur. c. 100 et 101, "Propterea namque magna" (inquit) "opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem quod etiam fit contra ejus voluntatem," &c., Et paulo post, "Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult etiam ipse bona amplius multoque certius voluntate," &c. Christus ergo potuit absque ullo peccato et petere et velle quæ voluntati divinæ repugnabant.

XXXI. Sed inquis, Christus non ignoravit hanc patris voluntatem, itaque non potuit non peccare cum illi restitit. Resp., Peccaret is qui contra voluntatem Dei cognitam peteret aliquid absolute et sine submissione tacita vel expressa: Quod fecit Christus; nam voluntas absoluta conditionatam statim superavit et absorbuit, unde æstimandum est obsequium ex eo quod prævalet et superius est, non vero ex eo quod obruitur et corrigitur, ea enim demum veri nominis est voluntas quæ absoluta et determinata est ita ut hominem efficaciter impellat ad rem volitam prosequendam, voluntas vero ac desiderium inefficax non tam voluntatis quam velleitatis appellationem meretur: at voluntas Christi absoluta fuit semper conformis voluntati divinæ in volito formaliter spectato cum omnibus suis circumstantiis, Imo et velleitas ipsa Christi conformis recte illi dicitur ratione causæ dirigentis, voluit enim Christus semper quod et quomodo pater voluit eum velle, Pater enim volebat ut Christus vellet vivere secundum inclinationem naturæ ut hoc modo demonstraret se vere affectus nostros naturales suscepisse, licet hoc ipsum desiderium videretur quoad cætera quodammodo arietare in consilium æternæ prædestinationis. Fateor in nobis istiusmodi motus non esse sine aliqua ἀταξίᾳ et peccati labe, quia cum immundi simus natura, ex sordido fonte non possunt rivuli nisi sordidi et lutulenti fluere, quemadmodum si aquam in vitro sordido et impuro agitaveris et ipsa sordida et impura reddetur. At in Christo aliter se res habuit, cum enim purus esset ab omni labe, sic tristitia et metu turbatus fuit ut nunquam tamen modum excesserit vel adversus Deum murmure vel impatientia fremuerit, sed ita potentiam Dei imploravit, ut voluntati patris illico se reverenter submitteret, ut aqua quæ in vitro puro est et nitido quantumlibet agitetur non impurabitur tamen, quia nihil fæcis sordiumve admixtum habet. Ita turbatus fuit, sed non perturbatus, concussus, sed non excussus, oppugnatus sed non victus, naturæ motibus ad deprecandam mortem innocentissime excitatus, sed rationis consilio ad eam suscipiendam statim revocatus. Unde notandum multiplex discrimen inter affectus Christi et nostros, quadrupliciter enim potissimum solent nostri aberrare: 1. Quoad *originem*, quod rationem præveniant eaque inconsulta sæpius oriantur. 2. Quoad *terminum*, quod longius digrediantur quam par est et sese sub imperium rationis minime contineri patiantur. 3. Quoad *modum*, quod rationem ipsam captivent et transversam agant ut accidat nobis poëticum illud, *Fertur equis auriga nec audit currus habenas.* 4. Quoad *objectum*, quia in nobis plerumque ejusmodi passiones feruntur ad illicita et injusta. At ab hisce omnibus immunes fuerunt affectus Christi. Nam nec quicquam illiciti unquam appetiverunt, nec oriebantur nisi ex dictamine rationis, unde dicitur *seipsum turbasse*, Joh. xi. 33, neque latius divagabantur quam oportuit, nec rationem unquam obscurarunt et abripuerunt, sed illi semper obtemperarunt. Non æstimandum ergo querulas hasce Christi voces vel a dubitatione et diffidentia ulla profectas esse, vel ab aliquo alio affectu inordinato et vitioso, sed tantum a penitissimo doloris sensu qui naturam non potuit non afficere, sed qui tamen statim a ratione in ordinem coactus est et Dei arbitrio submissus.

XXXII. Quæritur tandem hic Quomodo Christus in ea oratione exauditus possit dici a metu, ut testatur Apostolus, Heb. v. 7, et alibi Christus profitetur se semper a Patre exaudiri, Joh. xi. 42, cum tamen mors subeunda illi fuerit necessario. Resp., 1. Quod Christus simpliciter et absolute voluit, in eo nunquam repulsam tulit, sed quod voluit sub conditione tantum, nihil mirum si non obtinuit, quando ea non tam erat voluntas quam velleitas, nec tam rationali illud desiderio erat deputandum quod primas semper obtinere debet, quam inclinationi naturali et appetitui sensitivo cujus nunquam præcipuæ sunt in oratione partes. 2. Christus exauditus est a metu mortis non absolute quidem quasi a mortis obeundæ necessitate liberatus esset, sed secundum quid, quatenus nempe Deus qui illum exaudivit timorem illum ita excussit ut mortem constantissime exciperet, seque totum voluntati divinæ submitteret, atque ita fuit confirmatus ut omnem pavorem mortis deposuerit. Christus quippe duo timebat potissimum: 1. Ne malis obrutus succumberet quæ videbat gravissima esse. 2. Ne morte absorberetur, ita ut nullus inde pateret exitus. Deus vero eum *exaudivit*, id. liberavit ab utroque illo metu. 1. Quia eum ita virtute Spiritus sui corroboravit in medio agone ut constantissime et invicte sustinuerit gravissimum illud certamen. 2. Quia eum a morte liberavit solutis doloribus inferni gloriosa ejus resurrectione, itaque verissime hac in parte exauditus fuit, non quidem ne mortem lueret, sed ne ab ea absorberetur, non ne gustaret, sed ne in ea periret, non in pœnarum subterfugio, sed in earundem constanti tolerantia et forti atque invicta liberatione et victoria. Atque hæc de *Agonia* Christi dicta sunto. Cætera quæ pertinent ad ejus *Desertionem*, ne ulterius protrahatur hæc Disputatio, in aliam mox secuturam cum bono Deo differuntur.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. Scriptura S. ita plene et perfecte continet omnia creditu et factu ad salutem necessaria ut nullis traditionibus ἀγράφοις post verbum scriptum locus jam esse possit aut debeat.

II. Etsi idem verbum Evangelii omnium externe vocatorum auribus insonet, non eundem tamen in omnibus eventum sortitur, nec eodem fine simpliciter proponitur.

III. Ut vera et salvifica fides acquiri nequit propriis viribus ab homine, sed unius Dei donum est: ita nec potest ab eodem jam fideli amitti, cum dona et vocatio Dei sint ἀμεταμέλητα.

IV. Hinc ut nec David, nec Salomon, nec Petrus a salvifica ista fide exciderunt, utut gravissime sint lapsi, Sic nec Saul impius, nec proditor Judas, nec profanus Simon magus ea unquam donati sunt.

V. Justificatio gratuita non excludit opera fidei, sed ea potius stabilit.

VI. Nullus hominum a lapsu Adami, solo Christo excepto, Legem perfecte implere potuit.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS QUINTA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS QUINTA.

Respondente Samuele Viollerio, *Genevensi.*

I. Cum in tota humiliatione et passione Christi Servatoris et peccatorum gravitas, et iræ divinæ pondus, et misericordiæ immensitas luculenter se prodant, nullibi tamen clarius elucent, quam in summis illis animæ cruciatibus quos pro nobis sustinere non recusavit, Quia vero in duplici gradu spectari vulgo solent; vel ut *inchoati* in horto per agoniam, vel ut *completi* in cruce per *desertionem*; et de priori gradu novissime a nobis actum est: Ordo jam postulat ut ad secundum transeamus, atque adeo demonstremus tristissimam hanc derelictionem certissimum fuisse *satisfactionis* quam præstare debuit ex munere sibi demandato argumentum.

II. Hujus autem *desertionis* testimonium præbet luctuosissima Christi in cruce querela, cujus, primo, notanda temporis circumstantia quæ ab evangelistis observatur quum dicitur clamasse circa *horam nonam*, Matth. xxvii. 45, et Marc. xv. 33, id. tertiam nostram pomeridianam, post solemnes scil. illas tenebras quæ a meridie cœperant: Nam "ab hora sexta tenebræ factæ sunt super universam terram," ver. 45, sive per universam terram intelligas tantum terram Judæam, quod variis visum, quomodo Romanum imperium vocatur πᾶσα οἰκουμένη, Luc. ii. 1, sive, quod aliis placet, totum orbem, ut œcumenica Eclipsis fuerit, quod videtur amplecti Tertull, in Apol. c. 21, solis hoc deliquium vocans *mundi casum* quem Romani in suis Archivis habeant; Et huc facit quod ipsis Ethnicis non videtur plane ignota fuisse qui ejus meminerunt, ut Phlegon Trallianus Adriani libertus Chronographus accuratissimus, teste *Eusebio* in Chronicis ad annum Dominicæ passionis, qui eam refert ad annum quartum 262 Olympiadis, qui incidit in annum 18 Tiberii quo Christus est passus, sic Dionysius testis ejus αὐτόπτης dicitur fuisse in Ægypto, et eam intuitus in hæc verba erupisse εἰ ἡ φύσις εἰ τὸ θεῖον τι πάχει, ut habet in episto. ad Polycarpum, "Aut natura, aut Deus aliquid patitur." Quicquid sit, certum est non naturalem sed plane extraordinariam et miraculosam fuisse hanc Eclipsim utpote quæ non tempore novilunii quod alias fieri solet, sed in plenilunio contigerit, Deumque portentum hoc non secus ac cætera non sine gravissimis causis immisisse, sive ut gravitatem et horrorem sceleris Judæorum ostenderet quasi nefas

foret solem tantum scelus aspicere, sive ut portenderet genti Judaicæ excæcationem et calamitates illas quæ non multo post populo isti erant immittendæ, et terror ac metus judicii divini incuteretur, sive ut Christi in cruce morientis majestatem ex tantis prodigiis indicaret, sive denique ut passionum Christi magnitudinem innueret quibus scilicet fiebat, ut oriens ex alto tenebris densissimis iræ Dei immergi, et Sol justitiæ eclipsim pati et occumbere, deberet; hinc tenebras istas externas statim excepit amarissimus dolor internus quo se a Deo derelictum queritur, nam tenebris illis depulsis circa horam tertiam dicitur alta voce exclamasse, "Eli, Eli, lamma sabactani, Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?"

III. Quia vero verba hæc ex Psal. xxii. petita esse constat, hinc quæstio primo nascitur, an bene ad Christum referantur quæ David de se olim protulerat, Judæi enim hæc ita ad Davidem vel alium quempiam ex sua gente restringunt ut alio referri nec posse nec debere arbitrentur. Sed missa proterva hac Judæorum incredulorum cavillatione, qui nihil intentatum relinquunt ut clarissima quæque loca nobis eripiant: Nobis pluris esse debet evangelistarum omnium et Christi ipsius testimonium qui sibi verba Psaltis applicando non obscure Davidem ad se respexisse demonstrat; consulantur loca, Matth. xxvii. 35, 39, 46, Luc. xxii. 33, 34, Joh. xix. 23, 35, Heb. ii. 11. Et sane non opus hic est operosa aliqua demonstratione, vel sola enim verba Psalmi si paulo accuratius expendantur satis docent in neminem accommodatius quadrare quam in Christum, et in eo solo perfectum complementum sortiri. Itaque licet David ut typus Christi de se potuerit loqui proxime, dum occasione suarum tribulationum et persecutionum ad has querelas redactus est, certum tamen est in seipso non hæsisse, sed spiritu prophetico abreptum fuisse ad contemplationem Christi patientis in cruce, cujus passionem, tormenta, crucifixionem et omnium cruciatuum sensus juxta singulas circumstantias tam exquisite, et tanta verborum luce et *ἐνεργείᾳ* describit, ut non tam prophetiam quam historiam, ut Cassidorus ait, scribere videatur; quod facile ex singularum partium examine ostendi posset si id nunc ageremus. Unde colligimus verba hæc prima Davidis etsi in ipso ut Christi typo fundamentum aliquod habere possint, quatenus summis pressus angustiis et auxilio Dei tantum non desperans, in querulas hasce voces prorupit, quibus non absimiles alibi occurrunt non semel, Psal. xliii. 2, et xliv. 24, 25, &c., tamen ad Christum primario et principaliter esse referenda, prout ipse Christus complementum istius Oraculi verba eadem iterando in cruce exhibuit.

IV. Verba autem referuntur a Christo juxta Hebraïcam veritatem et non juxta lxx. versionem quæ nonnihil hic a fonte recedit additis vocibus duabus quæ in Hebræo non leguntur, *ὁ Θεός ὁ Θεός μου πρόσχες μοι, ινα τι ἐγκατέλιπές με;* quam V. V. secuta est "Deus mi, Deus mi, respice ad me, quare me dereliquisti?" sive lxx. אלי *ad me* pro אלי legerint, quod nonnulli conjiciunt, sive alia quæpiam causa fuerit. Chaldæus tamen et Syrus plane cum Hebræo faciunt, quod Christus hic sequitur omissa lxx. versionis additione (quod satis docet, ut hoc obiter dicam, non raro ab ea discedere scriptores N. T. atque adeo ipsis non fuisse authenticam.) Porro fatendum est verba illa ex Hebræo paulisper immutata referri, nam verba Psal. ita se habent אלי אלי למה עזבתני hic vero legimus שבקתני, sic quippe communis ferebat tunc temporis loquendi ratio, quæ nec fuit vetus Hebræorum sermo, nec Syriacus merus, sed mixta dialectus ex utroque quæ tum in Judæa vigebat, quæ quædam retinebat avitæ pronunciationis ut אלי pro quo Syri dicere solent אלהי, quædam cum Syris habebat communia ut שבק pro עזב quod Hebræum est: *Eli* autem a Christo pronunciatum fuisse ipse

sonus ad Eliam proxime accedens evincit, unde sumpta est acerba illa paronomasia irrisorum Christi, qui ex dictione Eli materiam sumebant Christum calumniandi ac si abjecta fiducia in Deum converteret se ad sanctos demortuos et præsertim Eliam, Marc. xv. 35. Ideo verisimile est in Syriaca versione quæ אילי אילי habet transpositas esse literas, et quod אלי scriptum fuerat mutatum fuisse in אילי, inde nato errore quod אלי minus Syris esset notum: Neque aliter scriptum fuisse a Syro indicio est ipsius interpretatio apud Marcum quæ habet אלהי cum affixo primæ personæ, unde non male Drusius in textum Syriacum אלי reponendum esse statuit, quamvis Ludo. de Dieu contrarium sentiat.

V. Sed parum interest quomodo legerit aut scripserit hæc aut illa versio, cum textus Græcus Evangelist. interpretationem subjiciat a qua discedere est nefas, Θεέ μου, Θεέ μου, ἵνα τί με ἐγκατέλιπες; Videndum ergo potius cujusmodi fuerit ista *desertio* de qua tam lamentabili conqueritur voce. Neque hoc difficultate gravi carere videtur, quo tandem enim pacto Deus Christum deseruisse dici potest vel Christus a Deo desertus qui intime et arctissime illi unitus fuit semper? Nonne ἀδιάλυτος fuit divinæ et humanæ naturæ conjunctio, nonne Filius fuit semper in Patre, et Pater in Filio? ut ipse testatur, Joh. xiv. 11, 20. Fateor altissimum hoc mysterium intellectus nostri captum longissime superare, ut hic si uspiam alibi sapere nos deceat ad sobrietatem, et longe tutior sit docta ignorantia quam temeraria scientiæ præsumptio. Non me latet etiam hinc inde periculosissima præcipitia occurrere, ne Christum vel ex vulgi opinione magis quam ex rei veritate locutum existimemus, vel, si ex propriæ calamitatis sensu loquitur, desperasse et de salute dubitasse arbitremur. Quia tamen maximum afflictæ conscientiæ solamen bene intellecta hæc Christi oratio afferre potest, videamus quid hac in parte sentiendum sit, et facem verbi divini nobis allucentem sequentes pro virili hoc explicare aggrediamur. Ut in Deo hæc præcipue attendimus τὸ ἅγιον καὶ τὸ μακάριον *sanctitatem* et *felicitatem*, ita duo hæc creaturæ rationali, quam beare vult, communicare solet, *sanctitatem* quæ in bono *Ethico*, *felicitatem* quæ in *physico* versatur, *sanctitatem* in gratia, *felicitatem* in gloria. Ita autem hæc duo comparata sunt ut nunquam felicitatem et gloriam det sine sanctitate, quia sine sanctitate nemo videbit Deum, Heb. xii. 14, Sed aliquando sanctitatem largiatur sine felicitate, cum nimirum creaturam ad aliquod tempus sub crucis et calamitatis pondere vult exerceri. Quum ergo Deus vel utramque, vel alterutram creaturæ subtrahit, tum eam deserere merito dicitur. Christo autem denegatam fuisse *sanctitatem* impius est qui dixerit, cum sanctissimus fuerit semper, ab omni peccati labe vel consortio immunis, fidesque et charitas absolutissimæ in eo fuerint omnibus numeris. Itaque derelictum fuisse tantum quoad *felicitatem* et gloriam necesse est, quatenus ad breve temporis spatium gaudium illud ἀνεκλάλητον et radiantem gloriam qua coruscabat subtraxit Deus ut iræ suæ nobis incumbentis pondus experiri posset.

VI. Sed ut plenius res tota cognoscatur, observandum est variis modis Christum Deo adhæsisse, quæ fuerunt totidem vincula istius mirabilis conjunctionis: 1. Primo, fuit *Unio naturæ* quatenus non modo per intimam illam ἐμπεριχώρησιν filius est in Patre, Pater vicissim in filio, Joh. x. 30, in S.S. Trinitatis mysterio, sed et beneficio incarnationis in unam eandemque personam humanitas cum divinitate coaluit, cum Immanuel factus est. 2. *Communio amoris* quo Pater complectitur Filium et Filius vicissim Patrem, Joh. iii. 35, "Pater amat filium et omnia dedit in manus ejus." 3. *Communicatio sanctitatis*, nam plenus fuit gratia et veritate, nec admensus est illi spiritum Pater, sed ἀμέτρως in illum dona sua et gratias effudit, Joh. iii. 34,

"ut ex ejus plenitudine hauriamus omnes," Joh. i. 16, "placuit enim Patri omnem plenitudinem in eo habitare," Col. i. 19. 4. *Sustentatio virtutis*, dum expertus est continuo potentiam Dei quæ illi præsto fuit in gravissimis illis certaminibus quæ sustinenda illi fuerunt, prout ipse agnoscit se non esse solum, sed Patrem secum, Joh. xvi. 32. Sic Deus dicitur *adesse* iis quos tuetur, protegit et potenti brachio sustinet, ut sæpe in Psalmis. 5. *Participatio felicitatis* quatenus unitus divinitati intime visione beatifica frui poterat, et summo ex ea gaudio et solatio perfundebatur; nam et iis se præsentem testatur Deus quibus se propitium exhibet, quosque adeo dulcissimis præsentiæ suæ gratiosæ et salutaris radiis recreare et solari dignatur, ut non semel hoc Psaltes profitetur.

VII. Dicamus adhuc clarius, Christus adhærebat Deo, Deus aderat Christo per *Spiritum*, Spiritus autem quinque hæc effecta potissimum operari solet: 1. *Vitam*, unde *Spiritus vitæ*, Rom. viii. 2, dicitur. 2. *Pacem* et tranquillitatem ex amoris et benevolentiæ divinæ testimonio, unde *Spiritus gratiæ* nominatur, Zach. xii. 10. Et evangelium quod ministerium est spiritus, est evangelium pacis, Eph. vi. 15. 3. *Sanctitatem* et *fidem* quapropter *Spiritus Sancti* denominatio illi assignata, item *Spiritus sanctificationis*, Rom. i. 4, *Spiritus fidei* 2 Cor. iv. 13. 4. *Fortitudinem* et *robur*, hinc Spiritus roboris dictus, 2 Tim. i. 7, et Virtus Altissimi, Luc. i. 35, et xxiv. 49. 5. *Beatitatem et gaudium*, unde Oleum lætitiæ, Psal. xlv. 7, Paracletus, Joh. xiv. 26, Spiritus gloriæ, 1 Pet. iv. 14, indigitatur. *Vita* opponitur morti in qua jacemus, *Pax diffidentiæ* et trepidationi qua agitamur, *Sanctitas vitiositati* qua inficimur, *Robur infirmitati* cui obnoxii sumus, *Felicitas miseriæ* in quam decidimus. Spiritus E. in Christo quinque hæc perfectissime operatus est, unde quinque istis modis Deo adhærere potuit, sed non pariter potuit istis omnibus ab eo deseri.

VIII. 1. Primo, Non derelictus est Christus quoad *unionem naturæ*, nam quod semel Filius Dei assumpsit nunquam dimisit; nunquam separata fuit et revulsa humanitas a divinitate, vinculum istud arctissimum nec solutum est unquam nec poterit in æternum solvi, siquidem ut bene Synodi Chalcedonensis Patres sanciverunt, Unio hypostatica facta est ἀχωρίστως καὶ ἀδιαιρέτως ut ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως, mors ipsa quæ corporis et animæ vinculum diremit, non abrupit tamen vinculum divinitatis cum humanitate, quæ perpetuo unita mansit hypostatice cum anima et corpore licet divulsis; Et sane si divinitas ab humanitate sejuncta fuisset, neque ista tanto oneri ferendo par fuisset, neque dici posset Dominus gloriæ crucifixus, 1 Cor. ii. 8, vel Deus acquisivisse Ecclesiam sanguine suo, Act. xx. 28. 2. Non derelictus est quoad *amorem*, semper enim dilectus fuit Patris, in quo anima ejus acquievit, Eph. i. 6, Isa. xlii., nec aliter esse potuit, quando enim filius est ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, perfectissimum ejus exemplar et ipsissima ejus natura, non potest non quocunque in statu intense eum diligere et summa benevolentia prosequi. Imo si crescente obedientia crescit amor, nunquam ardentius dilexit filium quam in cruce, quia nusquam tam illustre obedientiæ et humilitatis testimonium dedit, Phil. ii. 7, Joh. x. 17, "propterea" inquit, "ipse amat me Pater quia pono animam meam pro ovibus." 3. Non quoad *sanctitatem*, ex quo enim Spiritus in eum illapsus est, nunquam desiit efficacitatem suam exerere, unde semper sanctissimus fuit et purissimus, qui nec fecit nec novit peccatum; neque vero alius esse potuit: nam personæ quæ Deus est conditio pati non poterat ut a sanctitate vel levissime descisceret, ratio muneris vero quod salutis nobis impetrandæ causa constitutum erat finem suum non esset assecuta, si ab ea vel tantillum descivisset; debuit

agnus ille esse ἄκακος et ἀμίαντος, Heb. vii. 26, et talem decebat nos habere Pontificem qui innocens esset et separatus a peccatoribus: potuit scil. filius Dei cum miseria conjungi quæ est malum physicum quod miseratione non vituperio dignum, non potuit cum peccato quia est malum Ethicum quod labem et maculam vitiositatis infert, quodque adeo in eo qui Deus est ne ad momentum quidem esse potuit. 4. Non quoad *auxilium* et virtutem et præsentiam providentiæ, nam Deus illi semper fuit a dextris, Psal. xvi., "Dominus a dextris meis, non movebor," et Psal. cx. 5, unde Christus ad discipulos "me reliquistis solum, sed non sum solus, nam Pater est mecum," Joh. xvi. 32, ut Dominus antea per Isa. xlii. 1, testatus erat: sic divinitas in ipsa Christi morte mirifice operata est, vimque et efficaciam summam contulit cum humanitate ad hoc opus exequendum, unde brachium ejus ipsi dicitur operatum salutem, Isa. lxiii. 5, et "se obtulisse per Spiritum æternum," Heb. ix. 14. Hinc opera redemptionionis Θεανδρικὰ dicuntur ad quorum omnino præstationem divinitas simul cum humanitate concurrere debuit, Et revera hoc imprimis necesse fuit, nam nisi divinitas influxu continuo roboris et virtutis humanitatem sustentasset, præterquam quod λύτρον sufficiens, id. pretii infiniti, dare non potuisset, ipsa etiam succubuisset statim oneri, neque summa illa et extrema tormenta nobis debita potuisset perpeti.

IX. Superest E. ut *derelictus* dicatur tantum quoad *participationem felicitatis* et *gaudii*, quoad communionem gloriæ et visionis beatificæ in qua lætus antea exultabat et solatio plenissimo perfundebatur. Nimirum ut Humanitas dolores omnes et cruciatus tum externos tum internos animi et corporis nobis debitos sentire posset, ac potissimum indignationem illam et iram accerrimam Dei qua peccatum persequebatur, Divinitas radios lucis et felicitatis paulisper continuit, et sensum favoris sui atque influxum gaudii et solatii ad momentum suspendit, licet de cætero eadem divinitas virtutem roburque subinde suppeditaret ut eos posset perferre et vincere. Sic derelictio hæc non infert humanæ naturæ a divina separationem, nec sublationem totalem aut recessum interni principii et objecti omnis gaudii, æternæ scilicet Deitatis cum qua humanitas ὑποστατικῶς semper fuit unita, sed tantum desitionem aut potius suspensionem influxus gaudii, haud aliter ac in eclipsi Solis, lumen ejus non cessat nec in se inhibetur, sed nobis propter interpositionem alieni corporis subtrahitur. Fuit ergo *desertio* quoad *actum secundum*, non quoad *primum*, quoad *sensum* potius quam *rem ipsam*, ad *substractionem visionis* non ad *dissolutionem unionis*, ad suspensionem effectus *gaudii* ac *solatii*, non ad *principii et radicis* eversionem, ad carentiam sensus suavitatis divinæ, non ad ablationem omnimodam gratiæ ex unione personali promanantis. Neque aliter intellexerunt Patres; Bernardus de verbis Isaïæ Serm, 5, "Dicerene audebimus quod aliquando fuerit etiam sine Patre? nemo id præsumeret si non prior ipse dixisset, Deus meus, Deus meus, ad quid me deseruisti? Habemus itaque Christum ex patre nascentem, in patre cubantem, cum patre sedentem, a patre ambulantem, sub patre pendentem, sine patre quodam modo morientem. Quædam ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla majestatis ostensio." Et alibi "Continuit radios Deitatis ut humanitas pateretur." Sic Iren. li. iii. 21, "Quemadmodum homo erat ut tentaretur, ita et Sermo fuit ut glorificaretur, ἡσυχάζοντός μεν τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σταυροῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν, συγγινομένου δε τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾶν καὶ ὑπομένειν καὶ ἀνίστασθαι, "Quiescente quidem Sermone cum tentaretur, crucifigeretur, et moreretur, assistente vero homine cum vinceret, toleraret et resurgeret." Ambrosius in Luc. lib. x., "Sequestrata delectatione

divinitatis æternæ tædio meæ infirmitatis afficitur." Sic Leo. 1., "Non solvit unionem, sed substraxit visionem." Hoc voluit Catechista noster, Secti. x., cum ait "paulisper interea delituisse divinitatem ejus," h. e. vim suam non exeruisse. Scotus in iv. sen. d. 46, q. 4. In Dei amissione duo insunt: 1. *Carentia virtutis* illius per quam Deo adhærescere anima debuit. 2. *Carentia illius beatitatis* quæ in Deo reperiri solet; hanc, non illam, pro nobis Christus experiri debuit. Quid igitur? *Affectione Justitiæ* separatus a Deo Christus non fuit, sed *Affectione commodi* fuit a patre derelictus.

X. Rursus *desertio* alia est *absoluta*, *totalis*, *æterna* qua Deus ita hominem derelinquit et quoad gratiam et quoad gloriam ut prorsus a facie Dei abalienetur, et in æternum exclusus a regno Dei tormentis horribilibus addicatur; hanc reprobi magno suo malo experiuntur, hanc David deprecatur sollicite, Psal. xxvii. 9, "Ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas ex ira servum tuum, auxilium meum fuisti, ne igitur deseras me, neve relinquas me, o Deus salutis meæ." Alia est desertio temporalis, partialis, et secundum quid, non per totalem Dei recessum ab homine, sed per gratiosæ ejus præsentiæ ocultationem et auxilii seu potentis liberationis dilationem, hac Deus nonnunquam vel castigat fideles, vel probat, unde illa Judaïcæ Ecclesiæ querela, "dereliquit me Jehova," Isa. xlix. 14, et Deus ipse "ad momentum parvum dereliqueram te," ibidem c. liv. 7. Sic passim fideles queruntur se a Deo deseri quum vel externam differt liberationem et auxilium quo eripiantur a malis, vel interno solatio destituit faciem suam abscondendo, ut Psal. xiii. 2, et lx. 3. Primam desertionem absolutam et æternam Christus experiri non potuit propter dignitatem personæ, sed hanc debuit ex officio. Derelictus ergo vere dicitur quia ad quædam momenta dulcissimo paterni favoris sensu caruit, dum sub pondere nobis ἀβαστάκτῳ acerrimæ iræ ingemuit, non quoad corpus tantum, sed et quoad animam. Derelictus fuit quia Pater cœlestis non solum externam liberationem aliquandiu distulit. sed etiam interioris solatii dulcedinem ei tum temporis denegavit ut dolores omnes nobis debitos persentiret. Ita autem verba intelligenda esse quæ sequuntur manifeste evincunt: Cum enim vocet *Deum suum* et bis illud repetat ad majorem fiduciam denotandam, cum ibidem subjiciat ver. 9, "Tu es spes mea ab uberibus matris meæ," testatur satis se non plane et omnimode desertum a Deo, sed tantum queritur se non liberari ex angustiis eo modo quo patriarchæ, prophetæ, et alii pii sæpe miraculose sunt liberati. Ideo statim addit post prima verba, *remotus a salute mea et a verbis rugitus mei*, ut innueret se propterea derelictum dicere quod Deus eum non liberaret a gravissimis quibus premebatur malis.

XI. Sed quomodo, inquies, deseri potuit manente unione? Nam si apud Deum est fons vitæ, Psal. xxxvi. 9, utique si Christus Deo semper unitus fuit, mori non potuit, sed vitam, et gloriam semper eum habuisse necesse est. Resp., Sic liceret de corpore argumentari, Si corpus Christi semper unitum fuit divinitati, mori ergo non potuit, sed semper habuisse vitam necesse est; quod tamen nemo non videt absurdissimum esse. "Mortuus" inquit Aug. cont. felic. cap. 14, "Christus est, non discedente vita, sicut passus est, non pereunte potentia." Vidit scil. vir acutissimus mori potuisse Christum et pati subtrahente Deitate virtutem suam et operationem, quanquam essentialiter a vita et potentia divina separatus Christus minime sit. Quod eo clarius patet quod divinitas non vivificat *formaliter* ut anima, qua præsente et unita formaliter necesse est corpus esse vivum, sed *effective* tantum, ideoque non ex necesse ut manente unione divinitatis ad carnem caro sit viva, quia Deus non ex necessitate agit, sed ex volun-

tate, ut bene Thom. p. 3. q. 50. art. 2. Ita respectu animæ dicimus potuisse divinitatem unitam illi manere quoad *vinculum personalitatis,* licet eam deseruerit quoad *influxum suavitatis:* Neque hic reponendum participationem Dei in Christo consistere in effectis absque quorum communione unio duarum naturarum in Christo non possit subsistere : Nam 1. Aliud est privari sensu istius communionis, aliud carere communione ipsa, caruit corpus in morte sensu omni conjunctionis divinæ, quidni et anima in pœna hac sua carere hoc sensu potuerit, ut interim illa personæ unio non dissolveretur ? 2. Aliud est carere omnibus effectis istius conjunctionis, aliud quibusdam tantum, ubi est carentia omnium effectorum, ibi etiam conjunctionem esse non posse facile damus, sed hic quædam effecta semper sunt, si non omnia; influxus sanctitatis, sustentatio virtutis, licet defuerit communicatio felicitatis : Ita *derelictus* est *dispensative* et ad tempus ut *Sponsor*, sed *amatus* semper *naturaliter* ut *Filius.*

XII. Hic vero ulterius quæritur quomodo hanc derelictionem sentire potuerit Dominus sine peccato, cum ex sensu ejusmodi consequi videatur, ut in peccatum diffidentiæ et desperationis prolapsus sit. Hinc adversarii tanta styli diritate exagitant quod a nostris de hac derelictione Christi dicitur, quasi et fremitum Christo et desperationem tribueremus. Sed quam iniqua ea sit accusatio jamjam liquebit; Nunc de peccato paucis respondemus, Christum derelictionem hanc sine peccato omnino ferre potuisse ut alios angores tulit in anima et dolores in corpore, *pœnam* nimirum *ferens sed nesciens culpam* (ut Bern. loquitur). Separari a Deo per virtutis et officii defectum *crimen* est, At ab eo separari per defectum beatitatis, per sensum aliquem tristitiæ et ignominiæ non crimen est, sed *pœna.* Peccatum est privare se Dei gratia per culpam, sed per se sensu divini favoris carere peccatum non est, etsi in nobis vitium sit, qui hanc carentiam culpa nostra contrahimus, quique fidei debilitate eandem polluimus, et in ea ipsa semper peccare solemus adversus promissiones divinas quæ nobis in Christo exhibentur. Christi alia ratio fuit, non hanc carentiam sua culpa contraxit, sed eam propter culpas nostras perfert, non debilitatus fide erat in illa naturæ puritate qua pollebat, non promissionem hic aliquam habuit qua contra ejusmodi derelictionem se ejus fides erigeret, sed mandatum potius habebat ut ad eam patiendam se per obedientiam submitteret non sua culpa, sed merito nostro quorum causa sponsor erat. Sicut in Adamo labente fuit desiderium beatitudinis cum summa injustitia, ita in Christo illum et nos erigente oportuit esse damnationem seu miseriam cum summa justitia: Cæterum quia horribilis fuit ille iræ seu derelictionis divinæ sensus, Christus, Non ex impatientia, vel ignorantia ulla, quasi ignoraret causam suæ passionis, aut non libenter ferret se a Patre in illis doloribus derelinqui, sciebat enim hoc ita constitutum esse propter hominum salutem, Sed in declarationem acerbissimæ et durissimæ passionis suæ, exclamat, *Cur me dereliquisti?* vulgata in Scripturis sacris loquendi ratione hac interrogationis formula a Deo se derelictum conquerendo.

XIII. Ut autem omni peccato caruisse eum dicimus, ita potissimum ab ipso *fremitum* et *desperationem* alienissimam fuisse credimus, ita ut neque ille neque ista in eo locum habere potuerit. Non *fremitus,* quia sicubi exoritur, ex odio Dei et impatientia pœnæ tanquam non juste inflictæ oritur; At Christus non odit, sed dilexit semper Deum in mediis etiam cruciatibus, quinimo mera Dei dilectione inductus lubens volensque mortem adiit et subiit, ut ipse testatur, Joh. xiv. 31, "Ut norit mundus patrem a mé diligi, et prout præcepit mihi pater facere, surgite, abeamus." Non desperatio, inde enim est, vel quod Dei auxilium nullum sentientes fidem omnem

illi detrahimus, vel quia ex malis nostris nullum elabendi modum animadvertentes spem sinimus nostram obrui, et omnem de salute cogitationem abjicimus; At neutrum in Christo locum habere potuit: Non prius, quia in mediis angoribus Christus Deum ut patrem et deum suum compellare non destitit atque in ejus manus animam suam commendat, quod fidei et spei argumentum est evidentissimum, Sciebat Deum esse patrem suum, etsi rigide secum ageret tanquam judex et vindex peccatorum. Hinc a quo *judice* se deseri vociferatur *sponsor*, eum in horto *Patrem* suum, Matth. xxvi. 39, in cruce *Deum* suum, c. xxvii. 46, appellat *Filius;* Non etiam posterius, quia si natura mali magnitudinem exhorruit, at sciebat tamen fides impossibile esse ut a morte detineretur, Act. ii. 24, partim quod peccatum merito mortis plene esset expiaturus, partim quod virtute Deitatis suæ mortem esset superaturus et ab ea resurrecturus, ut passim se solatur, Joh. ii. 19, Matth. xx. 18, 19, ubi autem certa est liberatio, ibi locum non invenit desperatio, itaque non est vox desperantis, Absit, sed luctantis contra desperationem propter sensum iræ Dei et dilationem liberationis, ut testantur verba sequentia, "longinquus," ait, "a salute mea," ver. 1. E. hic habemus *fiduciam* et spem Christi, et *tristitiam* ejus et terrorem, terror est ex sensu derelictionis, fiducia ex amoris persuasione quo impellitur ad Deum compellandum ut Deum suum, ita ut non tam *de Deo* quam *ad Deum* querimoniam suam instituat, in sinum ejus paternum effundendo dolorem animi sui quem omnium maximum facile concipiebat.

XIV. Hinc liquido patet quam strenue calumnientur adversarii dum Christo desperationis vocem elapsam fuisse a nostris et Calvino imprimis dictum pertendunt, sic enim Maldo., Genebr., Bellarm. loquuntur. "Occludendæ sunt hoc loco hæreticorum blasphemiæ," inquit Maldo. in Matth. xxvii., "quorum magister Calvinus desperationis vocem hanc fuisse dicit, impium errorem impio etiam errore confirmans." Similia habet Genebrardus, "Calvinistas hinc colligere Christum in cruce de Deo desperasse, vel desperantis vocem emisisse," &c. Quæ omnia fusius et virulentius exaggerat Bellarm. li. iv. de Chr. c. 8. Sed meræ calumniæ sunt. Cum enim constans sit Ecclesiarum nostrarum sententia fidem Christi firmam et inconcussam stetisse semper in medio agone, quomodo desperatio illi tribueretur? Neque tale quid ex verbis Calvini in Matth. xxvii., elici potest; verba ejus sunt in Harmonia, "Sed absurdum est Christo elapsam esse desperationis vocem," quæ verba non ut sua proponit, sed μιμητικῶς suscepta adversariorum persona, sibi objiciens quæ sibi a male feriatis hominibus objicienda prævidebat, nim., Si tales fuerint Christi angores quales descripserat, videri desperationem Christo affingi, quod tamen ibidem solidissime refellit; "Solutio," inquit, "facilis est, quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in ejus corde, qua Deum præsentem intuitus est, de cujus absentia conqueritur." Sic et Instit. li ii. c. 16, s. 12, "Quanquam sese ad momentum occultavit divina vis spiritus, ut locum infirmitati carnis cederet; sciendum tamen est talem fuisse tentationem ex doloris et metus sensu quæ cum fide non pugnaret; Et hoc modo impletum est quod habetur in concione Petri, Non potuisse eum teneri a doloribus mortis; quia se quasi derelictum a Deo sentiens ne tantillum quidem deflexit a bonitatis hujus fiducia. Quod docet celebris illa invocatio, in qua præ doloris vehementia clamavit, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? nam etsi supra modum angitur, non tamen desinit vocare Deum suum a quo se derelictum exclamat," &c. Unde patet quam falso tribuantur sincerissimo interpreti quæ ipse a se longissime repellit et toto pectore aversatur; Ne jam dicamus Ferum et alios ex suis longe durius esse locutos.

XV. Cum E. ex pathetica hac Christi exclamatione derelictum eum fuisse a Patre constet, et ex dictis liqueat quomodo desertio hæc sit intelligenda, superest inquirenda propria istius desertionis ratio, et causa cur Deus Christum deseruerit; hoc enim non fecisse sine gravi quadam et memorabili causa extra controversiam esse debet. Cum E. triplici potissimum de causa Deus deserere soleat creaturam: 1. Vel ad *explorationem*, quomodo Deus dicitur a quibusdam Adamum deseruisse cum novam illi ad perseverandum gratiam non contulit, ad explorandam obsequii fidelitatem, Deo quasi eminus concedente; sic, 2 Chron. xxxii. 31, dicitur Ezechiam deseruisse cum legati ex Babylonia venerunt ut eum exploraret, "Dereliquit eum Deus tentando eum ut experiretur quidquid erat ei in animo;" 2. Vel ad *correctionem*, quo sensu dicitur derelinquere fideles et Ecclesiam nonnunquam, ut hoc pacto ad humilitatem, pœnitentiam, et peccati odium magis ac magis inciterentur, cum scilicet ab iis subtrahit ad tempus gratiosæ suæ præsentiæ testimonia, opem suam ad eos liberandos statim non exerens, sed sinens eos in afflictione diutius versari quasi eos non curaret, quomodo intelligenda sunt Isaiæ verba, c. liv. 7, &c., "Deserui te per momenta aliquot, sed colligam te in miserationibus æternis," et illa Thren. v. 20, "Quare in æternum oblivisceris nostri, derelinqueres nos quandiu longa erunt tempora;" 3. Vel ad *vindictam* et *pœnam*, ut deseruit Saulem, 1 Sam. xxviii., dum ei nec per Urim, nec per Tummim respondebat, deseruit Judæos, Rom. xi., deseruit gentes profanas, Rom. i., dum tradidit eas εἰς ἀδόκιμον νοῦν, deserit reprobos omnes in hoc mundo et deseret in æternum in inferis: Videndum quæ ratio Patrem movere potuerit ut Christum desereret, an fuerit tantum desertio *explorationis*, aut *correctionis*, aut etiam *pœnalis*.

XVI. Et ad *explorationem* quidem quod attinet, etsi non diffitemur Christum in horum cruciatuum perpessione luculentissimum dedisse patientiæ et constantiæ suæ admirabilis experimentum, quo spectat Apostolus, Heb. v. 8, cum dixit "didicisse ex iis quæ passus est obedientiam," tamen non facile adduci possumus ut credamus non alia de causa inflictum fuisse istum dolorem quam ad explorandum ejus constantiam. Neque enim videbatur convenire optimi patris sapientiæ et bonitati ut dilectissimum filium non alia de causa tam diris cruciatibus exponeret quam ut eum duntaxat tentaret. Accedit etiam quod cum Christus nec sibi ipsi, ut sunt sæpe homines ex inani virium præsumptione, neque patri ignotus esset, nihil opus erat eum propterea hoc modo exerceri. Neque audiendi sunt Socinistæ qui hanc desertionem, ut et cæteras calamitates, Christo inflictam statuunt tantum, ut in exploratione obedientiæ exemplum nobis imitandum præberet; Quamvis enim certum sit Christum patiendo nobis dedisse absolutissimum exemplar ut sequamur ejus vestigia, 1 Pet. ii., quis tamen dixerit propter hoc unum debuisse filium dilectissimum a Patre hoc cruciatu qui omnium maximus est affligi? Quid quod proprie non possumus aut debemus imitari hac in parte Christum per omnia, nam si crux ferenda est, non debemus horrere amplius Deum tanquam Judicem iratum, qui sese Patrem in castigationibus nostris nobis ostendit. Itaque non fuit ista desertio tantum *exploratoria* vel *exemplaris*.

XVII. Sed nec potest dici *desertio correctionis*, nisi respectu *nostri* quatenus "correctio pacis nostræ fuit super eum," Isa. liii. 5. Nam quoad Christum ipsum cum purus et immunis ab omni labe fuerit semper, qui nec peccatum novit, nec fecit, quid tandem in sanctissima illa natura corrigendum vel castigandum Pater haberet? Superest E. ut fuerit *Desertio pœnalis*, ad ultionem peccatorum nostrorum sumendam et satisfactionem justitiæ suæ exigendam, nam hic Christus non in propria persona spectan-

dus quasi causam ullam in se habuerit propter quam a Deo deseri mereretur, sed in persona Sponsoris cujus officium pro nobis susceperat: Deseritur E. Christus ut satisfaciat pro omnibus desertionibus nostris. In Adamo peccante Deum omnes deserueramus, imo singula peccata nihil aliud sunt quam desertio et aversio a Deo, et conversio ad creaturam, Jer. ii. 13. Cum igitur homo per culpam suam id meritus esset ut in pœnam a Deo desereretur, Christus ipse deseri voluit ne nos desereremur; separari voluit ab ipso ne ulla amplius esset inter nos et Deum separatio, sed ut æternum cum ipso vivamus. *Causa E. impulsiva* fuit *separatio* nostra a Deo, *finalis* nostra cum Deo *conjunctio*, desertus est quia deserueramus eum olim, et ne in posterum eum desereremus: derelinqui debuit, quia id a Deo merueramus, et voluit idem, ne unquam ab eo pro merito derelinqueremur. Hinc desertio ista utut Christo acerbissima, nobis tamen dulcissimum suppeditat solatium, quemadmodum enim maledictio Christi nostram post se traxit benedictionem, paupertas ejus nostras divitias, vulnera sanitatem, ignominia gloriam, mors vitam, ita desertio hæc nostram cum Deo communionem obtinuit et operatur. Ambr. de Incarn., c. 5, "Quoniam delicta aliena suscepi, etiam delictorum alienorum verbera suscepi, ut me derelictum a Patre dicerem."

XVIII. Hinc colligitur quantum a veritate discedant qui hujus querimoniæ causam Vel ad humanæ naturæ declarationem referunt, ut Epipha., qui existimat hæc dici a Christo ἀνθρωποπαθῶς ἐν προσώπῳ τῆς αὐτοῦ ἐνανθρωπήσεως, et Euthym. in hunc locum, "Hoc dicit, confirmans quod sicut in veritate assumpsit naturam humanam, ita quoque vere crucifixus sit et non phantastice, neque enim nisi doleret ita clamasset;" Vel ad mortis corporeæ tantum metum et horrorem, ut Pontificii; Quamvis enim utriusque evidens argumentum in hac exclamatione præbeat quo constat non fuisse eum ἀναίσθητον, sed verum hominem nobis ὁμοιοπαθῆ, non erat tamen quod tam flebiliter et amare conquereretur si nihil aliud eum ursisset: nam si dolores corporis spectemus, aut eosdem aut etiam majores vel certe prolixiores sensit aliter ille latro, qui tamen non conquestus est se a Deo deseri. Petrus etiam fertur crucifixus et quidem inverso capite quod crudelitatis augmento tribuunt, confidit tamen se a Deo sustineri. Ergo necesse est præter dolores corporis aliquid longe majus fuisse et gravius in anima Christi quod Christo hanc vocem magnam et hunc clamorem expresserit; Non potest autem aliud esse quam hic iræ divinæ sensus quem desertio ista secum trahebat, quid enim horribilius quam Deum sentire judicem cujus ira mortes omnes superat? Ut E. cum variis certandum Christo fuit, Diabolo, mundo, et Deo ipso ut judice, ita diversimode erga ipsos affectus fuit. Diaboli quidem potentia etsi terrifica nihil eum movit, imo confidenter illi insultat cum testatur Principem mundi ejici foras, Joh. xii. 31, et venisse eum, sed nihil habere in se, Joh. xiv. 30. Sic mundum ejusque conatus omnes despicit, quia scit eum jam a se victum esse, Joh. xvi. 33, ideo cum captus est, flagellatus, convitiis affectus, non clamat, imo obmutescit, quia tunc videbat rem sibi esse cum hominibus. At cum Dei manum sentit et cum justitia ipsius luctatur, tum clamat, et clamat *voce magna*, quia scit horrendum esse in manus Dei viventis cadere, Heb. x. 31.

XIX. Non ergo desertio ista extrinsecus tantum est intelligenda quod Pater eum dereliquerit in manibus Judæorum, præstito ei adversus ipsos auxilio nullo quominus morti traderetur, quod vellet Bellarm. li. de anima Chr. c. 8, neque enim statim derelinquuntur qui persecutoribus permittuntur; "Persecutionem patimur" (inquit Paulus) "sed non derelinquimur," 2 Cor. iv. 9. Deinde derelictum se ad mortem corpoream horum

hominum sensu quiritari Christo opus non erat, semota quam nos tuemur satisfaciendi necessitate, cum vitam illi Judæi eripere non potuissent si ipse se ex manibus illorum eripere voluisset; unde Chrysost, "Nisi seipsum tradidisset nihil etiam tunc ipsi potuissent." Itaque ulterius omnino extendenda est, et ascendendum ad Dei judicium coram quo se sisti Christus intelligebat, ut ex sponsoris munere quod susceperat ea patiendo quæ commeriti eramus satisfaceret justitiæ divinæ, et æternam salutem nobis promereretur.

XX. Ista porro Christi *derelictio* non male ad *pœnas infernales* peccato debitas refertur, quatenus in ea circundederunt eum dolores mortis et angores inferni obvenerunt ei, ut habetur Psal. xviii. 6, et virtus divina se ad tempus cohibendo permisit ut secundum carnem sentiret quicquid mors habet acerbitatis et maledictionis non tantum per *pœnam damni* seu carentiam et privationem gaudii et delectationis quam ei visio et fruitio Dei afferebat, sed etiam per *pœnam sensus* seu immissionem gravissimi mali injucundi, degustationem scilicet iræ et maledictionis divinæ, quæ per calicem denotatur: sic enim non raro *inferni* nomen pro abjectissima, miserrima et luctuosissima conditione ponitur, quod annotavit Arias Monta., lib. de arca. serm., "Sæpe inferni nomine non tam sepulchrum aut animarum sedem, quam extremam miseriæ et calamitatis conditionem exponimus." Quo pacto Latini dicunt eum Orci faucibus ereptum, et ab inferis extractum, Græci ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ Ἀχέροντος qui capitali aliquo periculo vel summa miseria liberatur, sic Psal. cxvi. 3. חבלי שאול, *dolores inferni*, acerrimos quosque vel animi vel corporis dolores exprimunt.

XXI. Et vero cum Christus *dolores nostros* portasse dicatur, Isa. liii., nulli autem sint acriores, nulli vehementiores quam qui in penitissimo illo iræ divinæ sensu versantur, negari non potest, eum ex acerrimo iræ divinæ sensu, mortisque horrore maximos in anima dolores et vere infernales sustinuisse. Rursus cum dicatur factus *maledictio* pro nobis, debuit illos omnes cruciatus sustinere quos Lex stringit in transgressores dum intonat horrendum istud carmen, "maledictus qui non perstiterit," &c.; at hi non externi tantum et corporei ab hominibus infligendi fuerunt, sed interni et penitissimi. Denique cum damnati in inferis nihil patiendum habeant præter cruciatus corporis et angores animi, adeoque personæ totius infamiam et maledictionem, pœnas infernales non immerito tulisse is dicitur qui iisdem rebus eadem de causa, ab eodem Judice obnoxius factus est, etsi quoad locum in inferis nunquam fuerit. Neque hic dicendum pœnas infernales nonnisi in inferis sentiri posse, quasi locus ipse inferni pars aliqua debiti fuerit; falsum est enim locum carceris ullam partem debiti facere; In foro sponsor creditori satisfacit, hinc debitor ipse liberatur a carcere, quid obstat etiam quominus debitas infernales pœnas persolvere Christus potuerit ut interim inferni carcerem ipsum adire minime cogeretur. 2. Infernus etiam hic inchoatur ut et paradisus. Infernus animæ et carcer quidam, rea conscientia est; ut non spem tantum cœlestis gaudii prælibare pii solent, sed et cœlestis hujus gaudii primitias quasdam. Annon in illa Christi cohabitatione nobiscum et convivatione plus quam spes est? Joh. xiv. 23. Annon in illo jugi bonæ conscientiæ convivio, ut ait Sapiens, Prov. xv. 15, deliciæ quædam præsentes sunt? "Ecclesia et sanctus quisque cœlum est," dixit Ambrosius in Psal. cxviii., serm. 12. "Tu si vis cœlum eris," dicit Aug. in Psal. xcvi., et "anima justi cœlum est," in Psal. cxxi. Quod in ipsis Scripturis fundamentum habet, cum πολίτευμα nostrum dicatur esse in cœlis, Phil. iii., et in Apocalypsi Ecclesia in terris militans *Cœli* nomine designetur. Si E. fideles cœli gaudia hic præ-

gustare possunt etsi nondum in cœlum ascenderint; Cur non et impii infernum gestare secum dicentur cum conscientiæ tormentis vexantur? Cur non et Christus cum maledictionem Dei sensit, quæ gravissima est inferni pœna, etsi nunquam inferos viderit, gehennalem pœnam tulisse dici potest?

XXII. Non me latet hic clamitare adversarios gravem fieri Christo injuriam si *pœnas infernales* dicatur passus, sic enim sequi: 1°. Christum *desperasse* cum desperatio pœnis damnatorum necessario conjungatur, 2°. *Damnatorum locum subiisse* et proinde damnatum posse dici, 3°. *Damnationi æternæ* addictum fuisse siquidem hæc nobis reservabatur pœna et hanc experiuntur reprobi. Sed hæc omnia gratis supponuntur, non probantur, et eæ consequentiæ sententiæ nostræ tribuuntur quæ nullis fidiculis exsculpi ex ea unquam poterunt; ut ex singularum refutatione constare poterit. Nam ad 1^m^. De *desperatione*, præter ea quæ a nobis modo sunt observata, distinguendum est accurate inter ea quæ sunt de ipsa ratione pœnæ quatenus a judice infligitur, et ea quæ sunt de ejus adjunctis quæ ex vitio et imbecillitate subjecti in quod recipitur proficiscuntur, sive quæ vel *essentialiter* includuntur in ipsa pœna, vel *accidentaliter* eam consequuntur; Christus illa in se recipere debuit pœnas nobis debitas ferendo, sed non statim ista; At desperatio est ex posteriorum genere, non enim est de ipsa pœnæ essentia, sed de vitio subjecti patientis quod perpetuitatem mali ferendi cognoscit et defectum mediorum ex eo emergendi, hoc vero in reprobis et damnatis locum habere potest, et habet revera, qui omnem elabendi modum sibi præclusum vident; at in Christo qui certus erat de futura resurrectione et de proximo Dei auxilio, neutiquam; pœnæ autor est Deus, Diabolus et peccator desperationis; Desperatio non respicit proprie pœnam ipsam, sed tantum ejus continuationem in æternum, nullum E. locum habere potest in eo qui eandem pœnam subit ad tempus breve constitutum et ipsi notum, cum certa spe liberationis, imo cum potestate illam amovendi cum ipsi placet.

XXIII. Ad 2^m^. Resp., Christum non tam *damnatorum* quam *damnandorum* pœnas tulisse et locum subiisse, eos scilicet cruciatus qui electis ex Dei justitia perferendi veniebant, nisi Christus loco ipsorum sese substituisset; unde colligitur falso dici Christum *damnatum* fuisse, si damnatum intelligas simpliciter *et absolute*, eum nim. qui pœnas peccato debitas ita sustinet ut nunquam superet vel eluctetur, quomodo reprobi damnati dicuntur, quando Christus a morte detineri non potuit et propter dignitatem personæ et propter perfectionem meriti, Act. ii. 24. Fatendum est tamen nihil obstare quominus *damnatus*, id. condemnatus dicatur *hypothetice*, quomodo damnari sponsorem illum æquum est, qui electorum delicta et pœnas in se recipit; non aliter quam cum et ipse dicitur factus maledictio, ut nos a maledictione eximeret; quanquam verum sit Christum non tam *damnatum* esse, quam *nostrum peccatum* in ipso, ut diserte Apost. notat, Rom. viii. 3, cum ait, "Deum misso filio suo in similitudine carnis peccati et pro peccato condemnasse peccatum in Carne," ut pœna et condemnatio non tam ad Christum, quam ad peccatum quod susceperat referatur.

XXIV. Ad 3^m^. Resp., Non necesse fuit Christum *æternitatem* pœnæ subire, sed tantum ejus *extremitatem*, neque propterea censendum est defuisse quicquam ejus passionibus, quia æternitas durationis abunde ex dignitate personæ et gravitate supplicii compensata est; Neque hoc de substantia pœnæ infernalis est ut sit æterna, sed de infirmitate creaturæ patientis quæ non potest pœnam ferendo satisfacere et vivere, imo peccata peccatis cumulando et in ipsa pœnæ latione fremitu et impatientia Deum

offendendo continuationem pœnæ in se accersit; at si ea virtute aliquis hominum esset præditus, ut pœnam totam simul et semel exhaurire et plene satisfacere posset, nihil opus foret eum in æternum puniri; hoc ipsum vero in Christo deprehenditur; itaque mirum non est si infernales quidem pœnas tulerit, non æternas tamen, sed temporales et brevi finitas et circunscriptas spatio.

XXV. Antequam manum de tabula ponamus huic ex *desertione Christi* petito argumento, Aliud ex ipsa ejusdem *morte* attexere libet, quo eadem satisfactionis veritas evidentissime colligitur. Si Christus mortem pro hominibus tulit, utique et pro ipsorum peccatis satisfecit; Ratio consequentiæ duplici fundamento nititur: Primum est quod mors est pœna et stipendium peccati, Itaque qui eam fert, pœnam peccati ferre censendus est. Alterum quod Christus θεάνθρωπος non tantum potuit pœnam eam ferre, sed et perferre et exhaurire, propter summam suam dignitatem et potentiam; Ergo mortem ferendo ut pœnam, eam etiam absorpsit, et sic plene pro nobis satisfecit. Socinus, lib. iii. de servat. c. 7, subdole argumentum nostrum proponit, ut eo facilius vim ejus eludat, ita enim nos inducit argumentantes, Quicunque moritur, aut pro suis aut pro alienis peccatis moritur, at Christus non pro suis quæ nulla in ipso fuerunt mori potuit peccatis, Ergo pro nostris. Ita totum facile concedit argumentum quasi nihil contra se faciens, qui contendit etiam Christum pro peccatis nostris, id. *eorundem causa* mortuum esse. Sed ne ulterius fucum faciat in præpositione *Pro* de cujus vero sensu dictum fuit a nobis Disput. iv., sic argumentum formamus, Qui mortem sustinet peccati pœnam, eam sustinet, vel peccati sui pœnam, vel alieni, At Christus sustinuit mortem pœnam peccati, E. vel sui, vel alieni, non sui, E. alieni, scil. nostri.

XXVI. Varia hic excipit adversarius: 1°. Falsum esse mortem omnem esse peccati pœnam; nam hoc neque in *morte naturali* neque in violenta locum habere posse; Non in *naturali* quod ea non sit peccati stipendium, sed naturæ nostræ quam ipsemet Adamus in creatione accepit propria sequela, Cum enim corpus animale habuerit et ex pulvere terræ formatum, mortale fuisse natura sua. 2°. Hoc etiam ex eo colligi quod Christus qui ab omni prorsus peccato, i. e. peccati pœna et reatu, nos liberavit, mortem tamen hanc naturalem non ademit, sed tantum mortem æternam et moriendi necessitatem; Itaque Christum naturali huic morti quoque subjectum fuisse, non quidem propter peccata ulla vel sua vel aliena, sed quia homo natus erat, Mortuum quidem esse propter peccata nostra, non quatenus illi alioqui, postquam homo natus fuerat, naturaliter moriendum erat, sed quatenus violentam mortem subiit volens. 3°. Mortem naturalem non esse pœnam ex eo liquere, quod fideles quotidie moriantur, nec tamen mortem ut pœnam peccati sui ferant. 4°. Non etiam *in morte violenta* semper obtinere, ut quicunque eam sustinet, ferat eam ut pœnam peccati vel sui vel alieni, innumerabiles enim reperiri, qui nec propter sua nec propter peccata aliena interficiuntur, quales sine dubio sunt martyres Dei et Christi omnes, et quicunque innocentes cum sint tamen occiduntur. Soci. li. iii. de Serva. c. 7, 8.

XXVII. Sed nihil hic est tamen quod facile refelli non possit. 1°. Supponitur gratis *mortem* aliquam dari *naturalem*, quæ non sit peccati stipendium, sed naturæ sequela, quod πρῶτον est ejus ψεῦδος; Nos contra nullam mortem censemus naturalem dici posse eatenus ut naturæ integræ sit sequela, sed omnem esse violentam ex Dei judicio promanantem. 1. Quia Deus homini mortem in peccati pœnam comminatus est, Gen. ii. 17, "quo die comederis, morte morieris," quæ verba cum indefinite loquantur de morte,

ad omnes pariter extendenda sunt mortis species, mortis autem nomine etiam mortem corporalem intelligendam esse, nemo ut opinor inficias iverit. 2. Quia Deus hanc ipsam mortem Adamo post peccatum jam admissum in pœnam denunciavit, Gen. iii. 19, "Pulvis es et in pulverem reverteris;" frustra vero hoc, si jam ex naturæ suæ conditione, in pulverem rediturus erat. 3. Quia hanc mortem Scriptura passim ut peccati stipendium proponit, Ezech. xviii. 4, 20, Rom. v. 12, et omnium clarissime, Rom. vi. 23. Nec hic audiendus Socinus qui pertendit Apost. loqui de morte æterna, non vero corporali; Nam cum Apost. simpli. mortis meminerit, nostrum non est ea restringere quæ non restrinxit; imo scopus est cap. vi. probare in omnes homines peccatum transiisse quia omnes moriuntur, non utique morte æterna simpli. sed corporali quæ in sensus incurrit, cap. vi. vero utramque innuit, quia utraque a Deo denunciata fuerat: moriuntur E. homines non qua *homines*, sed qua *peccatores*, qua ab Adamo inquinati, non qua ab illo propagati.

XXVIII. Vana vero et futilia sunt quæ contra objiciuntur de *mortalitate et corruptibilitate Adami*, aliud enim est Adamum *mortalem* fuisse et corruptibilem *potentia remota* respectu materiæ ex qua constabat, aliud mortalem et corruptibilem *potentia proxima*, id. ita dispositum ut certo moriturus et corrumpendus esset, Prius in eo fuisse concedimus resp. *corporis*, sed posterius negamus resp. *personæ*, quandiu enim perstitisset in integritate anima justa et sancta, corpus terrenum hominis præstitisset immune ab interitu, ita ut homo etsi potentia mortalis, tamen nunquam fuisset actu moriturus, quomodo Concilium Milevita., c. 1, bene sancivit olim contra Pelagianos. Hinc *immortalitas* Adamo in primo statu recte tribuitur, non ea quidem *absoluta* et *necessaria* quæ in *impotentia moriendi* versatur, et quæ *immortalitas patriæ* dicitur, sed *conditionata* et *possibilis* quæ dicebat tantum *potentiam non moriendi* non interveniente peccato, et *immortalitas viæ* vocatur, illa potentiam simul et actum moriendi abolevit, ista actum quidem impedivit, at potentiam non sustulit. Ita *mortalis* et *immortalis* κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο bene dici potuit; *mortalis* per materiæ ex qua constabat imbecillitatem, et qualitatum elementarium ipsi adhærentium conditionem, *immortalis* vero per originalis justitiæ et gratiæ singularis firmitatem. Sic poterat mori ut etiam posset non mori. Unde patet etiam longe alia ratione mortalem fuisse hominem ante lapsum et post lapsum, tunc ita erat mortalis ut posset mori et non mori, poterat enim ut non peccare ita non mori; at nunc ita est mortalis ut necessario sit moriturus, et non possit non mori.

XXIX. Non est solidius quod afferunt, 2°., De liberatione per Christum facta ab omni pœna peccati, nam si formetur argumentum, facilis erit responsio, A quo Christus nos non liberat illud non est pœna peccati, Atqui a morte naturali nos non liberat Christus, E. Resp., 1. ad *maj.* per distinct: A quo Christus nos non liberavit nec liberabit, illud non est pœna peccati: Concedo, nam etsi Christus de *jure* et quoad meritum liberationem perfectam a peccato ejusque pœna in morte sit consecutus, tamen *de facto* et quoad efficaciam nos actu non liberat simul et semel, sed per varios gradus et intervalla, ut, respectu peccati, primo nos liberat a reatu, postmodum a tyrannide, tertio a labe et reliquiis, ita quoad pœnam non statim totam tollit, sed paulatim et successive, ita ut eam plene sit tandem ablaturus quando absterget omnem lachrymam ab oculis nostris et mortem absorbebit in victoriam, sic falsa erit *Minor*. Unde per retorsionem ita colligo, A quo Christus vel jam nos liberat vel tandem liberaturus est, id a peccato et non a natura originem traxit; At nos liberaturus est Christus a morte

etiam corporali, cum traducet nos de morte ad vitam; E. 2. *Minor* nega. Christus enim a *morte* nos liberavit quatenus illa *pœnæ* rationem habet, ita ut si moriendum sit nobis, non moriendum sit amplius ut pœnas feramus peccati nostri, sed ut a sordibus peccati repurgati in cœlestem felicitatem traducamur, ideo mors nostra non est amplius maledicta, sicut maledictio est omnis pœna peccati, sed beata, Apoc. xiv. 13, preciosa in oculis Jehovæ, Psal. cxvi. 15, dulcis somnus, requies laborum, depositio sarcinæ peccati et transitus in vitam æternam; a peccato est quidem quod homines etiam fideles moriuntur, non morerentur enim nisi peccatores essent, sed ex merito et gratia Christi est, quod homines per mortem ad vitam traducuntur, quia ita immutavit ejus naturam Christus, ut etsi peccatum semper sit occasio moriendi, non sit tamen ejus pœna, vel λύτρον finis propter quem morti obnoxii sumus.

XXX. Hinc liquet quam falso pertendat adversarius Christum morti naturali quatenus homo natus erat fuisse subjectum, nam cum ubique testetur Scriptura eum non propter se, sed propter nos mortuum esse, et constet eum sanctissimum et justissimum semper fuisse, illi vita tantum ex præscripto Legis, non mors, debebatur, ita ut detestandum sit merito impium adversarii dogma quod Christum per se mortalem statuit: Non melius dicit etiam Christum nos a morte non exemisse, sed tantum a moriendi necessitate, nam cum omnibus adhuc incumbat moriendi necessitas, teste Apost., Heb. ix. 27, quomodo ab eadem liberati censeri possumus? Neque huic veritati derogat, quod illi qui in extremo judicio superstites sunt futuri non morientur, Etsi enim non *morientur*, *mutabuntur* tamen, 1 Cor. xv. 51, et hæc *immutatio* illis erit instar mortis, qua deposita et abolita terreni Adami imagine quam nunc portamus subito in cœlestis imaginem sunt transformandi; Adde quod si hinc colligendum esset, Christum nos liberasse a moriendi necessitate, sequeretur eos solos fuisse liberatos, alios autem qui antea obierant nequaquam, quod absurdissimum.

XXXI. Ad 3^{m}. *mors* bifariam consideratur, vel *in se* prout infligitur iis qui sunt extra Christum, vel respectu fidelium *in Christo*. *In Christo* si spectatur non est amplius mors, ut diximus, id. pœna peccati, hunc illi aculeum ademit Christus, Rom. viii. 1, quod locum dedit gloriationi Paulinæ, "Ubi est mors victoria tuæ," &c. 1 Cor. xv. 55, 56. At *in se* et extra gratiam, naturam retinet suam, et nemini incumbit nisi in pœnam, reprobis quidem propter peccata propria, at Christo propter aliena, nim. nostra ipsi imputata. Non valet E. consequentia, Fideles mortem non sustinent ut peccati pœnam, E. mors non est semper peccati pœna, quia quæstio est de natura mortis in se spectatæ, non vero prout in fidelibus per Christum est immutata, quia enim semel hanc pœnam luit pro ipsis Christus, non patitur justitia eam rursus ipsis eum in finem imponi, sed in aliis omnibus qui hoc beneficio non fruuntur primarius finis semper obtinet, ita ut nemo nisi vel propter sua vel propter aliena moriatur peccator.

XXXII. Neque ullius est momenti quod 4°. loco affertur de *morte violenta*. Nam 1. Distinctio inter mortem naturalem et violentam non satis est accurata, siquidem nulla mors proprie est naturalis, ut ante dictum, id. naturæ sequela, sed omnis violenta et contra naturam. 2. Si per mortem violentam intelligat eam quæ foris per vim infertur dico, Primo, non satis firmam esse consequentiam, Nemo propter aliena peccata violenta morte, jure occiditur, E. nemo propter aliena peccata violenta morte jure moritur, Aliud quippe est *mori*, aliud *occidi*, potest quis morte violenta propter vel sua vel aliena peccata non injuste mori, qui tamen injuste occidetur,

verbi gratia si quis impius ab alio interficitur, ex privato odio ac vindicta, jure quidem respectu Dei moritur propter sua peccata, sed non jure tamen ab alio sed iniquissime occiditur; sic Christus jure quidem morti traditur a Deo propter nostra peccata in se suscepta, sed injuste tamen a Romanis occiditur. Secundo, axioma illud quod nemo propter aliena peccata jure moriatur, vel intelligitur de *judiciis humanis* vel *de divino;* in illis fatemur ordinarie locum hoc non habere, quia leges non permittunt alium pro alio occidi, quanquam et nonnunquam hoc usu venire soleat ut in crimine læsæ majestatis et aliis atrocissimis hæredes et posteri in partem veniant pœnæ cum principalibus reis, quod probatum fuit antea Disp. ii. de necessitate satisfactionis; sed resp. *Dei* qui summum jus vitæ et necis habet in creaturam, nihil obstat quominus alii pro aliis plectantur justissime, maxime si inter eos intercedat aliquod communionis vinculum, ut ex variis exemplis constat, Jos. vii. 5, 2 Sam. xxi. 5, 6, quod et antea in Lege sanxerat se visitaturum peccata parentum in filios. Itaque etsi hoc non obtineret inter homines, quia tamen in judicio divino non semel occurrit, falsum ex eo deprehenditur hoc adversarii axioma et quod illi superstruitur dogma, Christum scil. jure propter aliena peccata non posse morti tradi ex Dei dispensatione.

XXXIII. Hic vero excipitur rursus, Sed demus, inquit, omnia peccata nostra Christo imputata fuisse, et ob eam rem ipsum esse mortuum, num idcirco eum pro ipsis peccatis etiam satisfecisse credendum erit? Minime, inquit, quia sequeretur sic, quod quilibet nostrum qui Christiani sumus ideo morimur quia imputantur nobis delicta nostra, nemo tamen nostrum pro suis delictis moriendo satisfecit. Resp., Sed nititur falsa hypoth., quasi fideles cum moriuntur, ideo moriantur, quod ipsis peccata sua imputentur, at vero licet occasione peccatorum moriantur, non ipsis tamen imputantur amplius ad pœnam, quia Christo imputata fuerunt, qui peccatum pro ipsis factus est ut essent justitia Dei in ipso, 2 Cor. v. 21. Ita si moriuntur non moriuntur amplius ut pœnas ferant et satisfaciant, sed ut corpore mortis liberentur et per mortem ad vitam transeant. De cæteris qui sunt extra Christum damus mortem illis in pœnam cedere, eosque mori in peccatis et reatu suo qui ipsis imputatur et pro quo quidem singulis pœnis quas patiuntur solvunt, sed non satisfaciunt tamen, quia ita eas ferunt ut nunquam perferant, ita eas patiuntur ut nunquam propter infirmitatem suam queant ex iis eluctari, ideoque quia nunquam solutio est perfecta, nunquam etiam satisfactio potest illis tribui. In Christo vero aliter, quia semel plenissime solvit, *vere* etiam patiendo *satisfecit.*

XXXIV. Denique pertendit non satis accurate posse dici Christo peccata nostra fuisse imputata, quia alias immerens non fuisset mortuus, quod tamen in persona Davidis de se palam profitetur, Psal. lxix. 4, "Quæ non rapui tunc reddidi;" item quod antea dixerat "oderunt me gratis," quod ad se transfert, Joh. xv. 25, quæ verba nullam juridicam causam fuisse demonstrant cur Christus eam mortem ferre teneretur, quod omnino falsum esset, si nostra illi imputata peccata fuissent; siquidem jure et merito posset dici interfectus. Sed peccat falla. a dicto secundum quid. Non posset dici *Christus immerens* mori, respectu *nostri* concedo, respectu *sui* nego; nam etsi pro nobis solvat, pro se tamen nihil debuit. Deinde aliud est *Christum immerentem* interfici *a Judæis* hostibus qui eum gratis oderant, aliud immerentem morti tradi *a Deo* Judice, prius verum, sed non posterius. Nec aliud innuunt verba Psaltis; nam ut nulla fuit causa justa propter quam eum hostes persequerentur, ita revera non debuit ipse quod solvit pro nobis, "justus" enim "pro injustis passus est," 1 Pet. iii. 18.

Verum etsi nihil pro se debuerit Christus, non obstat tamen quominus jure ab ipso pœnas repetierit Pater, postquam nostrum sponsorem eum fecit.

XXXV. Itaque cum fit mentio *addictionis Christi in mortem* duo isti actus imprimis sunt distinguendi : 1. *Destinatio Christi in vadem* qui pro nobis satisfaceret. 2. *Inflictio pœnarum* nobis debitarum in Christum sponsorem constitutum. Prior non est *actus justitiæ*, sed tum *supremi dominii* erga Christum hominem, tum *misericordiæ* erga nos ; nulla siquidem ratio fuit in Christo propter quam teneretur hoc officium suscipere, et se pro nobis sistere ; at alter bene dicitur *actus justitiæ*, justum enim fuit Christum sponsorem constitutum pro nobis satisfacere, imo aliter fieri non potuit ex ordine Dei. Ita licet *personaliter* et *intrinsece* seu *inhærenter* fuerit innocentissimus, et hoc pacto puniri jure non potuerit, tamen quia *substitutive* et *judicialiter* fuit nocens, propter peccata nostra in se recepta, justitiæ ratio omnino postulabat, ut pro iis pro quibus spoponderat plecteretur, et sic *vere* pro ipsis *satisfaceret.* Et de his quidem hactenus.

EPIMETRA RESPONDENTIS.

I. Sicut contra Fanaticos Anabaptistas Christum ita naturam humanam assumpsisse ut revera nobis fuerit ὁμοούσιος certo asserimus ;

II. Ita contra Pontificios Christi Corpus omnes veras et essentiales veri corporis proprietates semper habuisse, adeo ut neque fuerit invisibile, neque illocatum, neque ubique diffusum, confidenter asseveramus.

III. Unde licet veram idiomatum communicationem in concreto resp. personæ facile admittamus ; eandem tamen in abstracto resp. naturæ humanæ quasi ipsa omnipotens, omnipræsens, et omniscia facta fuerit, constanter negamus.

IV. Nomen שילה sive simplex statuatur ut nonnullis placet derivatum a radice שלח, id. mittere, mutato ח in ה, vel a radice שלה, hoc est quietum et felicem esse ; sive compositum dicatur ex nomine שיל, id. filius, et pronomine affixo ו, id. ejus, mutato ו in ה, ut Jonathan et Aben Ezra exponunt בנו filius ejus, vel quod non minus verisimile ex pronomine relativo ש pro אשר et præpositione ל et affixo ו, ita ut sit idem quod אשר לו ᾧ ἀπόκειται, cui repositum est, supple regnum, ut Onkelos, Hierosolymitanus Paraphrastes, et lxx. vertunt, quocunque tandem modo explicetur, Nomen hoc ut et ipsum Oraculum Gen. xlix., apprime Christo competere censemus.

V. Nomen τετραγράμματον יהוה, non ex superstitione aliqua Judaïca, sed ex mera ejus punctorum ignorantia, (nihil tamen temere a nobis definitum volumus) exercitii causa ἀνεκφώνητον esse defendemus.

VI. Hoc nomen ita Deo soli proprium esse, ut nulli creaturæ possit vere tribui, contra Socinianos bene statuimus.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS SEXTA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS SEXTA.

Respondente Benedicto Calandrino, *Genevensi.*

I. Quamvis varia illa argumenta quæ Disputationibus superioribus allata sunt sufficere possent adstruendæ sententiæ orthodoxæ, *De satisfactionis Christi veritate*, Quia tamen Spiritus S. tantam in ea tradenda ἀκρίβειαν adhibuit, ut nihil omiserit quo fidem ejus in animis nostris plene stabiliret et contradicentium impietati occurreret, Mirum videri non debet si momentosissimam quæstionem, de qua hactenus multa satis jam verba fecimus, denuo retentemus, et rationibus præcedentibus nonnullas adhuc auctarii vice adjiciamus, necnon ab adversariorum exceptionibus vindicemus.

II. Ut ergo quam orsi sumus telam pertexamus, *Sexta* nobis argumentorum *classis* hac disputatione instruenda venit, quam ex *sacrificiorum V. T. collatione* petimus, utpote quæ multifariam et subrogationem quam quærimus, et satisfactionem doceant. Argumentum principale nobis hoc esto, Qui tanquam sacerdos et victima sub Vet. Test. præfiguratus, et sub Nov. oblatus, peccata nostra super lignum tulit, utique is non bono tantum nostro, ad confirmationem puta doctrinæ et patientiæ exemplum, mortuus est, sed *loco* etiam *nostro* substitutus, plenissime peccata expiando, *vere* pro nobis satisfecit; At hoc ipsum pro nobis præstitit Christus: E. Cujus ratiocinii veritas duobus fundamentis nititur, Prius est Christum vere sacerdotem fuisse et victimam et ut talem se obtulisse, Posterius hanc utramque σχέσιν necessario importare peccati expiationem et ex consequenti satisfactionem.

III. Et ad illud quidem quod attinet, vix opus est ut immoremur in eo demonstrando. Nam præterquam quod hoc non diffitentur ipsi adversarii cum quibus res nobis est, adeo diserta est hic Scriptura ut lucem sit in meridie quærere de eo adhuc dubitare. Nam ut jam non dicamus hanc esse muneris mediatorii non minimam partem, quæ expressa Dei sanctione imo et jurejurando ad ejus æternitatem contestandam Christo commissa legitur, Psal. cx. 4, quis nescit hunc fuisse præcipuum finem totius sacerdotii Levitici et sacrificiorum quæ sub Lege subinde offerebantur; ut sub hisce veluti umbris et figuris Christus summus Pontifex Ecclesiæ et Sacrificium ejus expiatorium quod in morte peragere debuit adumbraretur? ut

fuse Apost. docet in Epist. ad Heb. Nec alia de causa ipsi toties et *Sacerdotis* et *Agni* nomen tribuitur quam ad utramque hanc muneris sui partem designandam quæ necessaria fuit ad redemptionis et reconciliationis nostræ opus perficiendum; cum enim ad placandam numinis iram et gratiam ejus conciliandam et *pœnæ* essent ferendæ quæ a *sanctionibus* Legis imponebantur, et *actiones* exequendæ quas Legis *mandata* ad vitam consequendam postulabant, Ut ex utrisque simul *satisfactio meritoria* sponsoris nostri exurgeret, quæ et liberationem a morte impendente, et jus ad vitam deperditam impetraret, debuit utraque in Christo concurrere et sacerdotii et victimæ ratio: sacerdos esse debuit qui offerret, victima quæ offerretur; sacerdos qui ageret, victima quæ pateretur; sacerdos in spiritu, victima in carne; quod utrumque in ipso revera impletum videmus cum per Spiritum æternum se obtulit, Heb. x. 5, ix. 14, siquidem non opus habuit sanguine alieno taurorum et hircorum ut sacerdotes Levitici, sed ipse et sacerdos et victima per proprium sanguinem æternam redemptionem adeptus aditum sibi fecit in cœlum, ibid.; et alibi dicitur se tradidisse προσφορὰν καὶ θυσίαν Θεῷ, Eph. v. 2, "et sanguine suo nos redemisse," 1 Pet. i. 19, quod utique dici non posset nisi geminus ille respectus et sacerdotis et victimæ in Christo moriente locum habuisset.

IV. Alterum autem de quo disceptatur potissimum non una ratione comprobari potest. Primo, *sacerdotii* natura hoc postulat, Nam si sacerdos fuit, non tantum docere debuit et revelare voluntatem Patris doctrinamque ejus confirmare, sed et aliquod Deo offerre sacrificium ad expiationem peccati: sunt enim aliæ sacerdotis, aliæ prophetæ partes, prophetici muneris ratio proprie consistit in iis quæ pro Deo agenda sunt apud homines, est enim interpres voluntatis Divinæ, cui id curæ est ut homines intelligant quid sit ipsis ad salutem et credendum et faciendum necessarium: Itaque cum Scriptura de prophetico Christi munere loquitur, docet Deus se in ipsius ore verba sua positurum et jubet audiri reverenter, pœnasque reposcendas minatur ab eo qui ipsi non auscultaverit, Deut. xviii. 18, 19. At sacerdotis munus proprie et contradistincte ad Propheticum in iis occupatur quæ agenda sunt apud Deum, καθίσταται inquit Apost. Heb. v. 1, et viii. 3, τὰ πρὸς τὸν Θεόν, ut scil. "offerat dona et sacrificia pro peccatis" atque adeo aliquid operetur quo Deus homini propitius fiat et reconcilietur. Quum itaque Christus sit veri nominis sacerdos, non id tantum habet quod doceat homines, vel quod intercedat pro nobis apud Deum, sed quod etiam verum et reale sacrificium obtulerit pro peccatis nostris, unde consequitur aliud omnino intendisse Christum in morte sua quam doctrinæ confirmationem, quod vellet Socinus, nam sic mortuus fuisset tantum ut propheta, non ut sacerdos et victima. Accedit etiam et illud quod Christus non pro iis tantum hominibus Sacerdos fuerit qui post ipsum vixerunt, sed et pro iis qui vixerunt sub Vet. Test., quum unus omnium sit Mediator, 1 Tim. ii. 5, qui heri et hodie idem est, Heb. xiii. 8, Unum nomen in quo salutem consequi possumus, Act. iv. 12, Cujus gratia servantur pariter illi nobiscum, Act. xv. 11. An vero Christus dici potest *servasse* eos solo *exemplo* quibus scil. tale exemplum propositum nunquam fuit? Nemo sane dixerit. *Servavit* ergo *merito*, quatenus mors ejus intercedere debuit, tanquam Redemptio peccatorum præcedentium sub Vet. Test., Heb. ix. 15, Rom. iii. 25, ut virtute solutionis a Sponsore certo tempore futuræ debitor a carcere liberatur.

V. Id ipsum vero luculentius etiamnum probat *Victimæ* σχέσις quam Christus in hoc negotio induit: Primo, quia inter gentes communi consensu receptum est *victimam* loco *peccatoris* offerri ad placandum Numen

offensum, et reum ipsum a pœna eximendum, quod vel ex istis poëtæ verbis tanquam vulgatissimum colligitur:

Quum sis ipse nocens, moritur cur Victima pro te?
Stultitia est morte alterius sperare salutem.

Pro te, id est *tui loco* et vice: neque alia videtur causa fuisse et origo horrendæ illius ἀνθρωποθυσίας quæ inter tot Gentes olim etiam celebratissimas obtinuit. Quum enim istæ naturæ ductu non ignorarent, quo majus esset quod daretur Deo, eo facilius veniam posse impetrari, præsertim si ἀντίλυτρον cum eo quod redimeretur aliqua esset æqualitas, si homo pro homine hostia foret, Ideo a pecudum mactatione in piaculis faciendis ventum est ad mactationem hominum: causam affert Cæsar de Gallis loquens, "Pro vita hominum," inquit, "nisi vita hominis reddatur non posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur." Hoc factitasse primi reperiuntur Phœnices seu Cananæi, quos notum ex Scripturis Molochum qui Saturnus fuit placare liberorum suorum mactatione solitos, quo Tertul. Apol. c. 19, respiciens dicit "Saturnum imprimis humana victima delectatum fuisse, ideoque tumulum filiorum fuisse appellatum." Inde ad Tyrios et Pœnos mos transiit, quod Justinus post Diodorum tradidit lib. xviii., "Homines ut victimas immolabant et impuberes aris admovebant, pacem Deorum sanguine eorum exposcentes." Usitatissima quinetiam fuisse olim per Græciam, Italiam, Siciliam id genus sacrificia narrat Plinius, neque Romæ abrogata ante annum 657. Huc pertinent etiam publicæ illæ hominum *devotiones* quibus veteres placari Deos censebant, quod de *Deciis* notat Cic. li. iii. de nat. Deor., et Livius vocat eos *piacula omnis Deorum iræ*, quatenus homines ipsi pro patria se devoventes pœnam quæ cæteris impendebat in proprium caput accersentes ab aliis avertebant. Hæc autem utraque consuetudo apud Gentes non invaluisset, nisi constans fuisset apud eos sententia, victimam vel piaculum locum peccatoris subire ad ejus Redemptionem.

VI. Secundo, subrogationem hanc et satisfactionem Deus expressius tradit in sacrificiis Leviticis: Primo, *in victimæ integræ et puræ oblatione* quæ a reo fieri debuit, de suo enim dare debuit victimam ut testaretur loco suo supponi ad eam ferendam pœnam quæ sibi debebatur; Secundo, *in sanguinis fusione* quæ mortis et supplicii commeriti imaginem expressissimam habuit, imo substitutionem non obscure arguit, dum sanguis pro anima seu vita hominis ponitur, Lev. xvii. 11, "Anima," inquit, "cujusque carnis in sanguine, ego vero destinavi vobis eum in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris, nam sanguis est qui pro anima expiationem facit." Ex quibus constat sanguinem a Deo destinatum esse ad expiationem animarum, quia in eo est anima carnis, id est vita ipsius, non quod proprie sanguis sit vel anima vel vita animalis, sed propter spiritus vitales qui animæ organa et virtutis ejus vehicula sunt, unde effuso sanguine simul vitam extingui necesse est. Atque hæc ratio fuit propter quam, Gen. ix., ubi liber esus pecorum conceditur, hoc interdicatur expresse, *ne caro cum sanguine comedatur*, quia *anima* sit *ejus sanguis* vel in sanguine. Ita ex vetustissima lege ad populos omnes propagata sanguis est loco animæ, quo respicit illud Virgilianum:

Sanguine quærendi reditus animaque litandum.

Si E. sanguis datur ad expiandas animas quia est loco animæ, utique anima seu vita pecoris datur et offertur pro anima seu vita hominis, et per-

cus sustinendo locum et vicem ipsius hominis pro eo moritur. Neque alia de causa, Heb. ix. 22, dicitur "sine sanguinis effusione non fieri remissionem," nisi quia condonare non potest Deus sine prævia satisfactione, quæ mortem violentam et judicialem per sanguinem designatum peccatori debitam necessario postulat. Tertio *ritus impositionis manuum* usurpari in sacris istis solitus, clare illud ipsum confirmat; de quo Levit. i. 4, et Exod. xxix. 10, et alibi non semel. Cur enim tenebatur ille qui offerebat vel per se vel per sacerdotem manum capiti victimis imponere? fiebat illud quidem ad majorem rei ipsius consecrationem, ut testatum fieret per hanc χειροθεσίαν animal Deo sacrum et proprium fieri, sed potissimum *substitutionem* victimæ loco peccatoris innuebat, et translationem reatus ab isto ad illam, Inde *portare peccata* imo et *peccatum* et execratio ipsa dicebatur. Quarto *peccatorum confessio* quæ exigebatur vel a sacerdote vel a populo, de qua Lev. xvi. 21, in descriptione solennis et anniversarii sacri expiatorii, "Imponet manus Aaron et confitebitur omnes iniquitates filiorum Israël." Quid ita? ut scil. devoluta in eam significarentur peccata omnia quæ expianda erant, et eorum purgatio ab ipsa victima peti innueretur. Hujus confessionis apud Gentiles usum in sacris fuisse docet nos Alex. ab Alex., l. iv. c. 17, "Rem divinam facturus ad suam levandam culpam debet se inprimis reum dicere et noxæ pœnitere ac fateri admissum," &c. Quinto huc facit etiam illa *iræ Divinæ deprecatio* quæ in casu homicidii fieri solebat, Deut. xxi. 8. Nam homicida non reperto, populus qui confosso proximus erat, pecude cæsa debuit purgari, ne sanguinis innoxii reatum ferret, alioqui non poterat terra expiari a sanguine effuso nisi per sanguinem effusoris, ut lex ait Num. xxxv. 33. Cur vero, si sola Dei misericordia absque ulla satisfactione reatus iste tolli potuit? Sed populus agnoscit hoc offerri sacrificium ad tollendum reatum, *Expia*, inquiebat, *populum tuum, Deus*, acceptando victimam oblatam, et *ne imputes sanguinem innocentem*, demonstrans scil. hanc victimam populi vicem hac in parte sustinere ad tollendum reatum qui cæteroquin illis impositus fuisset.

VII. Sexto denique *effectus* istorum sacrificiorum hoc evincit clarissime, *expiatio* scil. et *litatio* quæ in illis fieri solebat; nam si sacrum rite peractum erat, et victima Deo dicebatur acceptabilis לרצון, Lev. i. 3, et oblatio in odorem bonæ fragantiæ ריח ניחח Lev. i. 13, 17, et remissio peccati cum liberatione rei sequebatur, unde passim in Lev. iv. v., &c., legas, *Expiabit eum sacerdos et remittetur ei.* Hoc Græci καλλιερεῖν, Latini *Litare* dixerunt, scil. Sacrificio rite peracto Deum placare. Non omnis qui sacrificat, etiam litat; Plautus in Pœnulo "si Hercule istud unquam factum est, tunc Jupiter faciat ut semper sacrificem et nunquam litem:" Sacrificando veniam quærimus, sed litando impetramus, ut bene Nonius observat. Porro effectus iste duabus vocibus ut plurimum exprimitur apud Hebræos כפר et חטא, quæ etsi promiscue usurpentur pro expiare, placare, reconciliare, peculiariter tamen prior videtur *personam* respicere, posterior *rem* ipsam et factum, quod per luitionem pœnæ succedaneam expiatur. Græci tribus potissimum vocabulis duobus istis respondentibus describere solent: 1. per ἱλασμὸν *placationem* et *propitiationem*; 2. per καθαρισμὸν ῥαντισμὸν, ἁγνισμὸν, ἄφεσιν, *purgationem*, *remissionem*, *sanctificationem*; 3. per ἀπολύτρωσιν *redemptionem*, liberationem; quibus apposite designantur tres præcipue σχέσεις sacrificiorum; referebantur quippe *ad Deum*, *ad peccatum*, *ad hominem*, ad Deum ut ira offensa *placaretur*, *ad peccatum* ut admissa culpa *expiaretur*, *ad hominem* ut persona rea veniam *impetraret* et a pœna *liberaretur*. Tria ergo per ista sacrificia obtinebantur, Dei *placatio*, peccati *expiatio*, hominis *liberatio*, sed neutrum ex his tribus obtineri potuit

sine aliqua satisfactione, nam nec persona liberari potuit sine victimæ subrogatione, nec Deus placari sine sanguinis fusione, nec peccatum purgari sine pœnæ latione. Unde colligimus in sacrificiis et subrogationem et satisfactionem typicam saltem et cærimonialem locum habuisse.

VIII. Quum E. Christus ipsis fatentibus adversariis tale obtulerit Sacrificium expiatorium, negari non potest, eum eatenus satisfecisse loco nostro substitutum. Et sane quod olim victimis tribuebatur, id ipsum et Christo, sed longe excellentiori ratione tribui non semel animadvertimus. Is victima est cœlestis ἄμωμος et ἄσπιλος quæ a Deo loco nostro substituta pro nobis offerri debuit, Rom. viii. 32, Eph. v. 2, Heb. vii. ix. et x., et revera tradita est. Nam qui humanas aversabatur victimas Deus quique sanguine taurorum et hircorum sibi minime satisfieri testatus est sæpe, in sola Θεανθρωποθυσίᾳ acquievit, et sibi ipsi de victima prospexit in holocaustum, ita ut impletum hic videas quod olim in sacrificio Abrahami adumbratum fuerat, Gen. xxii.; quemadmodum enim Isaacus liberatur et pœna in arietem transfertur, Ita Ecclesia, cujus ille figuram gestabat, a morte eximitur, dum ista in hunc Agnum Dei cœlitus missum devolvitur. Rursus si sanguis pro anima poni debuit, nonne sanguinem pro multis effudit? Luc. xxii. 20. Imo et animam ipsam posuisse dicitur in sacrificium pro delicto, Isa. liii. 10. Si peccata imponenda fuerunt victimæ, devoluta legimus per Dei imputationem in eum peccata omnia nostra, Isa. liii. 5, 6, eatenus ut ipse peccatum et κατάρα factus dicatur, 2 Cor. v. 21. Si mactari et offerri debuit victima super altari, nonne et ipse pro nobis ἐτύθη et peccata super lignum tulit? 1 Pet. ii. 24, 1 Cor. v. 7. Si sanguis fundendus et aspergendus fuit coram Domino septies versus velum, nonne hic est sanguis ῥαντισμοῦ, Heb. xii. 24, qui effusus coram Deo, ita perfecte expiationem peregit ut nihil amplius desideretur, numerus enim septenarius ex usu Scripturæ perfectionem innuit? Denique si expiatio et placatio oblationem sequebatur rite peractam, numquid Christus plene et perfecte peccata nostra expiavit, personas liberavit et redemit, et Deum iratum nobis et infensum propitiavit? Loca sunt manifestiora quam ut sophistica ulla possint eludi, quid enim aliud sibi volunt Scriptores Sacri cum Christum nos reconciliasse Deo et pacem per sanguinem fecisse asserunt, Rom. iii. 24, v. 10, Eph. ii. 16, Col. i. 20, 21, peccata omnia nostra expiasse et purgasse, ut Heb. i. 3, et ix. 14, 15, 1 Joh. i. 7, Apoc. i. 5, &c., personas nostras pretioso sanguine suo redemisse, Eph. i. 7, 1 Pet. i. 19, Heb. ix. 15?

IX. Quid vero hic adversarii? Quia se hoc argumento constringi sentiunt, nihil non moliuntur ut vim ejus qualicunque ratione elevent, miroque artificio totam hanc de sacrificiis Vet. Test. doctrinam obscurant et corrumpunt. Priusquam vero sigillatim falsas eorum hypotheses eversum imus, confutanda est generalis exceptio quæ subinde in eorum scriptis occurrit circa naturam *expiationis* a Christo factæ, de qua jamjam egimus. Fatentur quidem Christum expiasse peccata nostra, et expiationem hanc factam esse per oblationem Christi: "Expiata esse peccata nostra per Christi mortem ex parte Dei nos ipsi sentimus," Soc. p. 2. c. 14, et ibid., "Christi mors," inquit, "et a præcedentium omnium delictorum et a futurorum reatu liberos nos reddidit, nosque in perpetuum sanctificat, et coram Deo inculpabiles in sempiternum efficit." Sed cum ad modum istius expiationis explicandum ventum est, nihil aliud volunt esse, quam plenam a peccato et peccati pœna liberationem. Soci. par. 2. c. 13, "Nihil aliud est reipsa peccatorum nostrorum expiatio quam a morte peccati plena et perpetua liberatio." Liberationem porro isti sacrificio non *effective* et *meritorie* tribui, quasi in eo λύτρον aliquod divinæ justitiæ sit oblatum ad ejus

satisfactionem, sed tantum vel *antecedenter* vel *exemplariter* vel *declarative*. 1°. Quia interveniente victima et morte Christi expiatio hæc seu liberatio a peccato reipsa nobis conceditur per exaltationem ejus, nisi enim Christus sanguinem suum fudisset, potestatem suos ab æterna morte vindicandi, qua in re peccatorum remissio continetur, nullo modo adeptus fuisset. 2°. Quia mortis et passionis Christi consideratio efficaciter nos movet ad conversionem et pœnitentiam, cui Deus proprie remissionem pollicetur. 3°. Quia hæc ipsa oblatio certissimam remissionis fidem apud nos facit. Horum autem rationem petunt a victimis legalibus. "Quemadmodum," inquit Soc. prælect. c. 23, "Legales victimæ non ideo peccata expiabant pro quibus offerebantur, quia vel Deum ad illa condonanda moverent, vel aliquid in ipsis esset quod culpam ex ipsis peccatis manantem resarciret, sed quia sacrificio peracto expiatio ejus ante benignitate Dei decreta consequebatur, sic Christi mors non ideo peccata nostra expiat, quod vel Deum ad ea nobis condonanda moveat, vel culpam peccatorum nostrorum ullo modo resarciat, sed quia Christi supplicio peracto, liberatio a reatu peccatorum nostrorum consequitur, quæ jam antea erga nos Dei misericordia fuerat constituta. Rursus ut victimis illis oblatis, jam populus se a reatu peccati liberatum sibique Deum placatum agnoscebat, Ita supplicio Christi peracto, non modo a reatu peccati liberi sumus, verum et id ipsi agnoscimus, Deumque nobis placatissimum esse intelligimus," &c. Liberationem E. fieri concedunt interventu mortis, sed hanc tanquam causam meritoriam intercedere negant; Neque contrarium probari posse, ex voce *expiationis;* 1°. Quia expiare etiam de Deo prædicetur non semel, ut Deut. xxi. 8, "Expia populum tuum Deus," et Psal. li. 7, "Expiato me hyssopo ut mundus sim;" At is tamen nec satisfacit nec satisfacere dici potest. 2°. Verbum כִּפֵּר quo expiatio denotatur, ex prima et propria significatione *tegere* significat, *operire*, oblinire seu obliniendo obturare, unde metaph. *expiandi* reatumque peccatorum auferendi sensum obtinuit, quia eatenus peccata expiari atque auferri solent, quatenus quodammodo teguntur, Psal. xxxii. 1. 3°. Verbum *mundandi* et *expiandi* sæpissime non effective, sed *declarative* tantum intelligitur, ut Lev. v. 6, 10, et xvi. 6, maxime c. xiii. et xiv., ubi de leproso mundo vel immundo pronunciando agitur, nam quod subinde repetitur quod sacerdos *mundum* vel *immundum judicabit*, id. in textu Hebr. assertive ponitur, *mundabit* vel *contaminabit.* Itaque nihil alienum fieri ab usu Scripturæ si expiatio pariter quæ morti tribuitur declarative non effective intelligatur.

X. Sed hic multifariam peccatur ab adversariis. Primo, dum supponitur *expiationem* nihil aliud esse quam ipsam peccatoris *liberationem*, sic enim perperam confunditur *causa* cum *effectu*, antecedens cum consequente. Liberationem quidem per expiationem et post eam fieri non negamus, sed non propterea liberatio statim est ipsa expiatio; liberationem præstat Dominus, expiationem reus vel alius quis ejus nomine; omnis quidem expiatio liberationem post se trahit, sed non statim omnis liberatio expiationem supponit; nam *expiatio* proprie infert purgationem noxæ seu reatus ablationem per pœnæ alicujus vel propriæ vel vicariæ luitionem debitam et justam ad placandam alterius iram. Sic passim apud authores profanos *expiare* est *punire:* Cicer. in Piso., "Tua scelera Dii immortales in nostros milites expiaverunt," id. propter te puniverunt; Sallust. de Repu. constit., "Neque barbaro ritu cæde cædem, et sanguine sanguinem expiandum." Nihilque usitatius apud eos quam ut peccata dicantur *piari*, id. lui sive solvendo pœnam propriam sive succedaneam, Virg. Ænei. 2:

Et culpam miserorum morte piabunt.

Hinc *piaculum* dictum illud omne quod pro satisfactione peccati dabatur; piacularis hostia quæ ad piaculum faciendum offerebatur, quo respiciunt illa Plautina:

Mene piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam,
Ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succedaneum?

Id. Oportetne tuam stultitiam mea pœna expiari? Sic vox hæc ad sacra translata liberationem quidem notat a peccati pœna sed quæ non fit nisi per afflictionem seu pœnam succedaneam, neque sacrificium expiatorium alio modo concipi potest aut intelligi; Ut hic tria necessario concurrant: 1. *Afflictio* et quidem *pœnalis* tanquam causa; 2. *Pœna succedanea* pro crimine et peccatore, unde veteribus *θυσίαι ἀντιμεβαλλόμεναι* dictæ quæ in aliorum locum succedebant, cujusmodi subrogatio fit in omni piaculari victima; 3. *Liberatio* rei et purgatio reatus quæ fit per talis pœnæ lationem; patet hoc ex ordine expiationis legalis; nam ut peccator *liberaretur* debuit *purgari* a peccato suo, *ἄφεσις καθαρισμὸν* supponebat, purgatio non fuit *aquâ*, sed *sanguinis*, id. quæ fieret morte violenta et pretio aliquo interjecto; sanguinis fusio nihil profuit nisi esset victimæ selectæ et ad altare adductæ; *victima* non quævis sed quæ fieret *peccatum* et execrabilis offerenti, ut illi esset nefas eam gustare, ita quod homo merebatur huic jam immittebatur ut liber homo abscederet; Unde liquet liberationem obtineri non potuisse nisi præviis multis actibus ad satisfactionem necessariis. Quare quum Socinus expiationem nihil aliud esse vult quam simplicem liberationem, id omne in quo propria ratio expiationis sita est omittit et intervertit, id. veram expiationem negat. Et sane si expiatio mera et simplex esset liberatio, non posset a remissione distingui, quod diserte fit tamen, Lev. v. 6, "Adducet reatum suum Jehovæ propter peccatum suum quo peccavit," &c. "Ita expiabit eum sacerdos a peccato suo et remittetur ei." Sic. ver. 13, 16, 18, "Sacerdos expiabit eum per arietem illum reatus et remittetur ei." Aliud E. est expiatio reatus, aliud vero liberatio et remissio, quæ per eam obtinetur. Denique *expiatio* proprie spectat *peccatum* seu reatum qui tolli debet, *liberatio* vero *personam* ipsam peccatoris, quæ a pœna impendente est eximenda; unde etsi conjungantur necessario ut causa et effectus non debent tamen confundi.

XI. Secundo, hallucinantur etiam graviter dum statuunt Mortem etsi ad hanc expiationem faciendam intercesserit, intercessisse tamen ut *antecedens* aliquod remotum, quatenus per mortem aditum sibi fecit in cœlum ubi expiationem seu liberationem nostram procurat, summam potestatem adeptus nos a mortis vinculis emittendi, et sempiterna felicitate donandi; quod Soci. diserte statuit in 1 Joh. iv. 10, "Expiat peccata nostra Christus Dei filius, non quod Justitiæ Divinæ pro peccatis nostris satisfaciat, sed quia vitam æternam nobis confert, qua nostrorum peccatorum expiatio, id est, ab ipsorum pœna liberatio plenissime continetur." Verum, 1. Si huic sententiæ locus esset, resurrectioni Christi et vitæ ejus tribuenda esset hæc expiatio, longe potius quam morti et sanguini; nam mors Christi ex hac hypothesi est tantum *causa sine qua non* istius expiationis, quia nisi mortuus fuisset non ingressus fuisset in gloriam in qua expiationem hanc nobis procurat, *causa* vero propria et *per se* esset exaltatio, at Scriptura nusquam exaltationi, sed semper morti et passioni hanc expiationem tribuit. 2. Si mors antecedens tantum fuit istius expiationis, non vera

ac propria causa, nihil causæ dici potest, cur idem effectum non pariter tribuatur vitæ, doctrinæ, et miraculis Christi, quæ etiam antecedentia fuerunt istius exaltationis. 3. Confunditur *jus* remissionis et liberationis cum *ejus exercitio*, Istud quidem ad exaltationem Christi pertinet, quatenus jam glorificatus plene nos liberat a reatu et pœnis peccati, suæ propitiationis et satisfactionis vim atque efficaciam nobis potenter applicando. Sed jus ipsum fundatur in sacrificio ejus cruento et ἱλαστικῷ quod in morte obtulit, inde per mortem et in sanguine ejus redempti et justificati dicimur, Rom. v. 10, et Eph. i. 7, 1 Pet. i. 19, et antequam in cœlos ascenderit ipsa expiatio cum oblatione peracta dicitur, Heb. i. 3, ut infra probandum erit. 4. Enervantur Scripturæ loca quæ de expiatione loquuntur, nam voces istæ omnes καθαρίζειν, ἁγιάζειν, ἱλάσκεσθαι, et similes quibus utuntur Apostoli, suapte natura et usu perpetuo, non solum ordinis *antecedentiam, sed et efficaciam quandam* designant, neque auditum unquam ut *expiare* illud dicatur quod requiritur tantum ut antecedens remotum ad obtinendam expiationem.

XII. Tertio, sed neque recipi potest hæc altera ipsorum glossa falsissima quæ expiationem refert ad exemplum, per cessationem a peccato, et peccatorum sequentium destructionem. Nam etsi non diffitemur mortis Christi hunc etiam esse fructum et finem ut vetus homo in nobis crucifigatur, et moriamur peccato ad exemplum Christi, quod docet Paulus, Rom. vi., hunc tamen primarium et principalem esse pernegamus; 1. Quia expiatio hæc respicit peccata præterita ut reatum tollat, non futura ut ab iis abstrahat, respondet enim *remissioni* et *justificationi* quæ absolutionem a peccatis præcedentibus notat, non *sanctificationi* quæ avocationem a sequentibus infert. 2. Expiatio fit *de nobis apud Deum*, ideo altari circumfundebatur sanguis sub lege et sanctuarium versus fiebat aspersio ut significaretur hæc omnia peragi apud Deum, At cessatio hæc a peccato fit *in nobis* a Deo. 3. Expiatio simul facta et quidem a solo Christo, At destructio hæc actualis vel exemplaris nec semel fit, sed continuo, nec per solum Christum procuratur, sed etiam per Spiritum S. qui mortificat facta corporis, Rom. viii. 13, et per fideles Dei servos qui exemplo suo nobis hic præiverunt. 4. Sacrificia non destruebant peccatum avocando a peccato, sed remissionem impetrando; ut sane expiatio nunquam fiebat vel intelligebatur fieri remotione vel cessatione a peccato, sed reatus ablatione, quod et vox καθάρματος imposita victimis quæ pœnæ translationem significat satis innuit; Neque vox καθαρισμοῦ quæ usurpari in hoc negotio sæpius solet, Heb. i. 3, et ix. 14, aliud evincit, licet prima fronte ad sanctificationem melius videatur referri quam ad remissionem; cum enim duo in peccato vulgo attendantur, *reatus adhærens*, et *labes inhærens*, ille coram Deo, ista in nobis, duæ etiam istius purgationis partes constituuntur, prima a reatu per *remissionem*, altera a labe per *sanctificationem*, Utraque sanguini Christi bene tribuitur, sed illa ratione *meriti*, ista vero respectu *efficaciæ* quam in nobis exerit per Spiritum S.; atque ita conjunctæ sunt et consociatæ, ut posterior necessario priorem supponat, et prior posteriorem infallibiliter post se trahat.

XIII. Quarto, multo minori cum veri specie asseritur expiationem hanc tribui morti et sanguini *declarative*, quod remissioni aut decreto de ea facto testimonium nobis præbeat. Nam 1. Quis non videt hoc esse vim facere manifestam ipsis vocibus? quis enim unquam declarationem alienæ voluntatis expiationem appellavit, aut nominata expiatione tale quid concipere potuit aut intelligere? quis non per eam significari potius colligat luitionem pœnæ ad satisfactionem et reconciliationem rei cum suo Domino? Quum E. sensus iste plane invertat propriam verborum significationem, eo ipso suspectus esse

merito nobis debet.. 2. Si hoc obtineret, nihil amplius contulisset Christi mors ad expiationem quam victimæ legales, nam et istæ pariter popoterant declarare remissionem, Imo, ex præscripto Dei confectæ, nullum de supplicii remissione dubitandi locum relinquebant, ut Volkel. loquitur; At Scriptura tamen diserte negat potuisse sanguine hircorum tolli et expiari peccata, quæ Christi sanguine sunt expiata: Itaque aliud quid efficacius præter declarationem contulisse necesse est. 3. Quum declaratio hæc rebus etiam aliis competat, et quidem multo luculentius, ut resurrectioni Christi, vocationi ad gratiam, missioni Spiritus S. ejusque testificationi internæ, verbo et sacramentis, Cur morti et sanguini constanter tribueretur expiatio, aliis vero nequaquam, si expiatio declarative tantum esset intelligenda? 4. Quo sensu nos redemit Christus morte sua, eo sensu sanguine ejus expiamur, At nos redimi morte, non est morte redemptionem declarari, E. expiari et mundari non declarationem, sed actionem designat. Sic quomodo dicitur portasse peccata, eatenus et expiasse censendus, istas enim phrases in Script. ut æquipollentes usurpari notum, At portavit non declarative, sed judicialiter et meritorie ut supra visum, E. pariter expiat. 5. Si expiatio hæc esset declarativa, pertineret ad officium *propheticum* non *sacerdotale*, At Christo hanc tribui non ut Prophetæ, sed ut *victimæ*, non ut Pastori et Doctori sed ut *Agno* notius est quam ut probatione indigeat. 6. *Declaratio* respicit *homines* quibus fieri debet ad fidem remissionis ingenerandam; At *expiatio* quæ fit in sanguine ipsum *Deum*, qui tali λύτρῳ placandus et reconciliandus venit: Illa ad divinam voluntatem pertinet quæ hominibus innotescere debet, ista ad peccata quæ removenda sunt a Dei conspectu, Alio vero modo Dei voluntas nobis patefit, alio Deus nobis conciliatur, Prius præstat Christus verbo et spiritu, posterius morte et sanguine.

XIV. Quinto, frustra recurritur ad *victimas legales*, ut aliquod huic errori quæratur fulcrum, quasi ipsæ tantum *antecedenter* et *declarative* expiasse dicerentur. Nam ut nunc non excutiamus modum expiationis victimarum legalium, de quo dicendum erit postea fusius, obiter observamus nihil esse hic præsidii adversariis, quippe victimæ istæ duplicem σχέσιν induere possunt, vel *absolutam* et carnalem in se, vel *relativam* et typicam respectu Christi quem adumbrabant; Priori respectu, non tantum non expiabant antecedenter et declarative, sed ne expiabant quidem ullo modo, imo ordinabantur potius ad homines peccatores sui reatus convincendos, quatenus peccatores in victimis quæ pro se moriebantur videbant se mortis reos, et in illarum mactatione chirographum dabant Deo illarum sanguine conscriptum, quo se maledictioni obnoxios et pœnæ debitores agnoscebant. Hinc Apost. diserte negat illis partam fuisse remissionem coram Deo, Heb. ix. 9, 10, et x. 1, 2, 4; Sed posteriori, revera possunt dici expiasse non proprie et per se, sed *typice* et *figurative* virtute sacrificii olim per Christum offerendi cujus illæ umbræ erant et figuræ, ita ut sanguis Christi effundendus, jam efficaciam suam extenderet ad fideles Vet. Test. purgandos, Apoc. xiii. 8. Rursus ut reatus duplex fuit, *typicus* quoad immunditiem carnis, et *realis* quoad conscientiam, Ita *expiatio* illa vel fuit *typica et cæremonialis* vel *realis* et *mystica*, Ad hanc nihil revera conferre potuerunt per se, impossibile siquidem fuit sanguine taurorum tolli peccata, sed quoad illam nihil obstabat quominus eam efficaciter procurarent, ut Apost. testatur "purgasse quoad puritatem carnis," Heb. ix. 13. Quippe ut reatus iste vi constitutionis legalis constitutus fuerat, alioqui natura sua nullus, ita eadem constitutione tolli potuit et purgari: priori respectu *opposite* considerantur ad

Christum, posteriori vero *comparate*. Ita collatio optime instituetur, quemadmodum victimæ istæ expiationem legalem efficienter et meritorie præstabant, non tantum vel antecedenter vel declarative, ita et Christus veram et realem sanguine suo absolvit. Sed de his in sequentibus. Nunc Rationibus allatis satisfaciendum est.

XV. Ad primam Resp., Peccari fall. a dicto secundum quid, Nam etsi *expiatio* de Deo prædicetur qui non satisfacit, non sequitur tamen pariter, quum victimæ applicatur vel sacerdoti, nullam inferre satisfactionem, nam pro ratione subjectorum quibus tribuitur diversimode est interpretanda, modo *Deo*, modo *sacerdoti*, modo *victimæ*, sed alia atque alia ratione. In *Deo* est expiationem *admittere*, in *victima facere*, in *Sacerdote offerre*. Deus expiat peccatum reatum dimittendo quia placatus sit, sacerdos istam remissionem per victimam procurando, victima per sui substitutionem et pœnæ luitionem eam impetrando; Deus *authoritative* et *judicialiter*, sacerdos *ministerialiter* et *organice*, victima *efficaciter* et *meritorie*. Non valet ergo si Deus expiat peccatum per misericordiam condonando, E. pariter et victima, imo non posset peccata expiare per absolutionem, nisi antea expiata essent in victima per satisfactionem, non fit expiatio nisi interposita pecude et sanguine fuso, sine sanguine non fit remissio. Non opponenda ergo sunt hæc sed componenda, Deus et sanguis Christi peccata expiant, nempe Deus per sanguinem Christi, qui in se satisfaciendo vim habet, *Deus* ut *causa efficiens* principalis, *sanguis* Christi ut *causa procatarctica* et meritoria. Quamvis autem de Christo ut est *filius Dei* posset vere dici eum expiare authoritative et judicialiter, quatenus ipse cum Patre potestatem habet remittendi peccata, et ea reipsa nobis remittit, Quia tamen hic consideratur non ut Deus, sed ut *Mediator*, non ut judex, sed ut *sacerdos et victima*, cujus partes sunt placare nobis Patrem, non potest aliter expiatio quam per pœnæ lationem succedaneam, et vicariam mortem explicari.

XVI. Ad secundam Resp., 1. Neg. conseq., Quia vis argumenti nostri non pendet tantum ex verbo כפר quod certum est sumi diversimode, sed tum ex aliis non paucis quæ in hoc negotio usurpari solent, tum ex natura ipsius rei quæ istiusmodi voce describitur, Nam cum expiatio ita dicitur fieri per sanguinem victimæ, ut et reatus tollatur, et reus liberetur a pœna quæ illi impendebat, quis non videat sanguinem hic tanquam λύτρον aliquod intercedere ad remissionem hanc consequendam? 2. *Min.* falsa est, scil. כפר tantum significare *tegere* et oblinere; nam etsi hoc dari possit in quibusdam locis et potissimum in conjugatione Kal, non obtinet tamen in omnibus, nam in conjug. Pihel frequentissime usurpatur pro *redemit, expiavit, placavit* etiam interventu alicujus pretii; Gen. xxxii. 20, Jacob inquit אכפרה, non "tegam," sed "placabo vultum ejus," id. fratris, "hoc munere," et 2 Sam. xxi. 3, David Gibeonitis læsis a Saule, "Quo אכפר compensabo, vel redimam injuriam vobis a Saule illatam?" Nec alio sensu venit vox ista quoties sacrificiis tribuitur. Hinc nomen כפר quod signif. redemptionis pretium, λύτρον ἄποινον et quicquid datur vel judici ad animum ejus placandum, vel hosti irato et potentiori ad vitam redimendam, lxx. modo per λύτρον, ut Exod. xxi. 30, et xxx. 12, Num. xxxv. 31, 32, &c., modo per ἄλλαγμα, ut Isa. xliii. 3, Amos v. 12, reddunt. Hinc dictum festum כפרים sive *propitiationum* quo Deus placabatur sanguine victimarum et propitius fiebat Israëli propter sacrificiorum oblationem. Ex quibus patet præpostere et falso significationem verbi כפר ad *tectionem* restringi. Quod si ratio aliqua quærenda sit primævæ illius significationis quod est *tegere* et oblinere, petenda erit ab effectu quem obtinet expiatio per λύτρον hoc facta, scil. quia per eam fit ut peccata nostra tegantur, dum condonantur, quatenus

illius intuitu placatus et propitius factus, condonat peccatori quicquid deliquerat, nec vult amplius delictorum ejus meminisse. Sic operculo Arcæ fœderis inditum nomen כפרת, quo significaretur merito et satisfactione Christi, cujus intuitu factus est nobis Deus propitius, sic contegi peccata nostra in legem admissa, ut nunquam amplius in conspectum Dei venire possint ad nos condemnandos. Itaque ad expiationem quidem sequitur tectio peccatorum ut effectum et consequens necessarium, sed in tectione non est ipsa ratio formalis expiationis, non expiantur peccata quia teguntur, sed ideo teguntur quia per victimæ oblationem expiata censentur.

XVII. Ad tertiam Resp. 1. Per συγχώρησιν damus Hebraismum hunc frequentem esse in scriptura, ut verba quæ actionem significant ad ejus tantum declarationem et patefactionem referantur, cujus locutionis alibi exempla varia dedimus, Gen. xxii., Jac. ii., et Act. xiii. 33, &c. Non negamus etiam in locis laudatis quæ spectant judicium quod pronunciari debet a sacerdotibus circa lepram, Lev. xiii., xiv., verba hæc declarative esse intelligenda. Sed 2. negamus hinc sequi perpetuo id locum habere posse, talia enim sunt prædicata qualia permittuntur esse a suis subjectis, hic autem in eo de quo agitur negotio declarationem locum habere non posse seorsim ab ipsa effectione docuimus, et sicubi *expiatio declarativa* tribuitur sacerdoti, innumeris aliis in locis *effectiva et realis* connotatur, Ex. g., quum subinde verba hæc repetuntur, *Expiabit eum Sacerdos et remittetur ei*, hæc non ad *declarationem* referri, sed ad ipsam *effectionem* palam est, quatenus juxta legem offerebat victimam piacularem pro peccatore, adeoque efficiebat et procurabat expiationem ejus legalem. Sic expiatio proponitur tanquam actus qui fit a sacerdote fusione sanguinis hostiæ, et aspersione rerum sacrarum, ut altaris, veli, aræ suffitus, quo reatus auferatur peccatoris, et in altari quidem reconciliationem et remissionem peccatorum, in sacrario vero libertatem aditus, et partem nanciscatur, non utique declarative tantum sed effective. 3. Si loca expendantur in quibus expiationis a Christi factæ fit mentio, ut Apoc. i. 5, 1 Joh. i. 7, Heb. i. 3, patebit non sine insigni detorsione ad declarationem referri, quum in iis non rei patefactio attendatur, sed ipsum Christi beneficium celebretur.

XVIII. Ita in antecessum explicata natura expiationis per Christum factæ, Progrediendum est ad exceptiones speciales varias quibus argumentum nostrum a sacrificio expiatorio petitum infirmare conantur, Varia enim hic movent. 1°. Oblationem Christi et sacrificium non peractum fuisse in terra sed demum in cœlo post ejus introitum quum vere designatus est et constitutus Sacerdos. Hoc scil. discrimen volunt esse inter Christum et summum Pontificem, quod iste antequam ingrederetur in sacrarium vere sacerdos esset, at Christus non ante vere constitutus sit sacerdos quam in sacrarium cœli sit ingressus, neque obtulerit nisi per suum in cœlum introitum, cætera vero, ut mortem et passiones, requisita quidem fuisse antecedenter, sed tanquam præparationem ad sacrificium, non tanquam sacrificium ipsum. 2°. Pertendunt sacrificia in genere Christum non respexisse, sed sola publica et anniversaria a summo Pontifice oblata, quorum sanguis in Sancta Sanctorum inferebatur, non alia quæcunque; atque adeo perperam nos ab istis omnibus argumentari. 3°. Non pro gravioribus peccatis, sed pro solis levioribus oblata fuisse, sive quotidiana, sive anniversarium sacrum, pro iis scil. quæ *ignorantiæ* appellari possunt. 4°. Sacrificia ista vere et proprie vi quadam sua expiasse, quia ad eorum oblationem sequebatur remissio, non autem ἐν τύπῳ tantum, ut statuimus, per σχέσιν ad sacrificium Christi. Unde quatuor in controversiam veniunt: Primo, An Christus etiam in terris sacerdos fuerit, an demum in

Christum, posteriori vero *comparate*. Ita collatio optime instituetur, quemadmodum victimæ istæ expiationem legalem efficienter et meritorie præstabant, non tantum vel antecedenter vel declarative, ita et Christus veram et realem sanguine suo absolvit. Sed de his in sequentibus. Nunc Rationibus allatis satisfaciendum est.

XV. Ad primam Resp., Peccari fall. a dicto secundum quid, Nam etsi *expiatio* de Deo prædicetur qui non satisfacit, non sequitur tamen pariter, quum victimæ applicatur vel sacerdoti, nullam inferre satisfactionem, nam pro ratione subjectorum quibus tribuitur diversimode est interpretanda, modo *Deo*, modo *sacerdoti*, modo *victimæ*, sed alia atque alia ratione. In *Deo* est expiationem *admittere*, in *victima facere*, in *Sacerdote offerre*. Deus expiat peccatum reatum dimittendo quia placatus sit, sacerdos istam remissionem per victimam procurando, victima per sui substitutionem et pœnæ luitionem eam impetrando; Deus *authoritative* et *judicialiter*, sacerdos *ministerialiter* et *organice*, victima *efficaciter* et *meritorie*. Non valet ergo si Deus expiat peccatum per misericordiam condonando, E. pariter et victima, imo non posset peccata expiare per absolutionem, nisi antea expiata essent in victima per satisfactionem, non fit expiatio nisi interposita pecude et sanguine fuso, sine sanguine non fit remissio. Non opponenda ergo sunt hæc sed componenda, Deus et sanguis Christi peccata expiant, nempe Deus per sanguinem Christi, qui in se satisfaciendo vim habet, *Deus* ut *causa efficiens* principalis, *sanguis* Christi ut *causa procatarctica* et meritoria. Quamvis autem de Christo ut est *filius Dei* posset vere dici eum expiare authoritative et judicialiter, quatenus ipse cum Patre potestatem habet remittendi peccata, et ea reipsa nobis remittit, Quia tamen hic consideratur non ut Deus, sed ut *Mediator*, non ut judex, sed ut *sacerdos et victima*, cujus partes sunt placare nobis Patrem, non potest aliter expiatio quam per pœnæ lationem succedaneam, et vicariam mortem explicari.

XVI. Ad secundam Resp., 1. Neg. conseq., Quia vis argumenti nostri non pendet tantum ex verbo כפר quod certum est sumi diversimode, sed tum ex aliis non paucis quæ in hoc negotio usurpari solent, tum ex natura ipsius rei quæ istiusmodi voce describitur, Nam cum expiatio ita dicitur fieri per sanguinem victimæ, ut et reatus tollatur, et reus liberetur a pœna quæ illi impendebat, quis non videat sanguinem hic tanquam λύτρον aliquod intercedere ad remissionem hanc consequendam? 2. *Min.* falsa est, scil. כפר tantum significare *tegere* et oblinere; nam etsi hoc dari possit in quibusdam locis et potissimum in conjugatione Kal, non obtinet tamen in omnibus, nam in conjug. Pihel frequentissime usurpatur pro *redemit*, *expiavit*, *placavit* etiam interventu alicujus pretii; Gen. xxxii. 20, Jacob inquit אכפרה, non "tegam," sed "placabo vultum ejus," id. fratris, "hoc munere," et 2 Sam. xxi. 3, David Gibeonitis læsis a Saule, "Quo אכפר compensabo, vel redimam injuriam vobis a Saule illatam?" Nec alio sensu venit vox ista quoties sacrificiis tribuitur. Hinc nomen כפר quod signif. redemptionis pretium, λύτρον ἄποινον et quicquid datur vel judici ad animum ejus placandum, vel hosti irato et potentiori ad vitam redimendam, lxx. modo per λύτρον, ut Exod. xxi. 30, et xxx. 12, Num. xxxv. 31, 32, &c., modo per ἄλλαγμα, ut Isa. xliii. 3, Amos v. 12, reddunt. Hinc dictum festum כפורים sive *propitiationum* quo Deus placabatur sanguine victimarum et propitius fiebat Israëli propter sacrificiorum oblationem. Ex quibus patet præpostere et falso significationem verbi כפר ad *tectionem* restringi. Quod si ratio aliqua quærenda sit primævæ illius significationis quod est *tegere* et oblinere, petenda erit ab effectu quem obtinet expiatio per λύτρον hoc facta, scil. quia per eam fit ut peccata nostra tegantur, dum condonantur, quatenus

illius intuitu placatus et propitius factus, condonat peccatori quicquid deliquerat, nec vult amplius delictorum ejus meminisse. Sic operculo Arcæ fœderis inditum nomen כפרת, quo significaretur merito et satisfactione Christi, cujus intuitu factus est nobis Deus propitius, sic contegi peccata nostra in legem admissa, ut nunquam amplius in conspectum Dei venire possint ad nos condemnandos. Itaque ad expiationem quidem sequitur tectio peccatorum ut effectum et consequens necessarium, sed in tectione non est ipsa ratio formalis expiationis, non expiantur peccata quia teguntur, sed ideo teguntur quia per victimæ oblationem expiata censentur.

XVII. Ad tertiam Resp. 1. Per συγχώρησιν damus Hebraismum hunc frequentem esse in scriptura, ut verba quæ actionem significant ad ejus tantum declarationem et patefactionem referantur, cujus locutionis alibi exempla varia dedimus, Gen. xxii., Jac. ii., et Act. xiii. 33, &c. Non negamus etiam in locis laudatis quæ spectant judicium quod pronunciari debet a sacerdotibus circa lepram, Lev. xiii., xiv., verba hæc declarative esse intelligenda. Sed 2. negamus hinc sequi perpetuo id locum habere posse, talia enim sunt prædicata qualia permittuntur esse a suis subjectis, hic autem in eo de quo agitur negotio declarationem locum habere non posse seorsim ab ipsa effectione docuimus, et sicubi *expiatio declarativa* tribuitur sacerdoti, innumeris aliis in locis *effectiva et realis* connotatur, Ex. g., quum subinde verba hæc repetuntur, *Expiabit eum Sacerdos et remittetur ei*, hæc non ad *declarationem* referri, sed ad ipsam *effectionem* palam est, quatenus juxta legem offerebat victimam piacularem pro peccatore, adeoque efficiebat et procurabat expiationem ejus legalem. Sic expiatio proponitur tanquam actus qui fit a sacerdote fusione sanguinis hostiæ, et aspersione rerum sacrarum, ut altaris, veli, aræ suffitus, quo reatus auferatur peccatoris, et in altari quidem reconciliationem et remissionem peccatorum, in sacrario vero libertatem aditus, et partem nanciscatur, non utique declarative tantum sed effective. 3. Si loca expendantur in quibus expiationis a Christi factæ fit mentio, ut Apoc. i. 5, 1 Joh. i. 7, Heb. i. 3, patebit non sine insigni detorsione ad declarationem referri, quum in iis non rei patefactio attendatur, sed ipsum Christi beneficium celebretur.

XVIII. Ita in antecessum explicata natura expiationis per Christum factæ, Progrediendum est ad exceptiones speciales varias quibus argumentum nostrum a sacrificio expiatorio petitum infirmare conantur, Varia enim hic movent. 1°. Oblationem Christi et sacrificium non peractum fuisse in terra sed demum in cœlo post ejus introitum quum vere designatus est et constitutus Sacerdos. Hoc scil. discrimen volunt esse inter Christum et summum Pontificem, quod iste antequam ingrederetur in sacrarium vere sacerdos esset, at Christus non ante vere constitutus sit sacerdos quam in sacrarium cœli sit ingressus, neque obtulerit nisi per suum in cœlum introitum, cætera vero, ut mortem et passiones, requisita quidem fuisse antecedenter, sed tanquam præparationem ad sacrificium, non tanquam sacrificium ipsum. 2°. Pertendunt sacrificia in genere Christum non respexisse, sed sola publica et anniversaria a summo Pontifice oblata, quorum sanguis in Sancta Sanctorum inferebatur, non alia quæcunque; atque adeo perperam nos ab istis omnibus argumentari. 3°. Non pro gravioribus peccatis, sed pro solis levioribus oblata fuisse, sive quotidiana, sive anniversarium sacrum, pro iis scil. quæ *ignorantiæ* appellari possunt. 4°. Sacrificia ista vere et proprie vi quadam sua expiasse, quia ad eorum oblationem sequebatur remissio, non autem ἐν τύπῳ tantum, ut statuimus, per σχέσιν ad sacrificium Christi. Unde quatuor in controversiam veniunt: Primo, An Christus etiam in terris sacerdos fuerit, an demum in

cœlis post ascensum suum, et an in cœlo tantum et non etiam in cruce proprie dictum sacrificium obtulerit? Secundo, Annon omnia sacrificia Vet. Test. ἱλαστικὰ typi fuerint sacrificii Christi? Tertio, Annon pro gravioribus etiam peccatis oblata? Quarto, An ullam vim habuerint per se reatum spiritualem expiandi? De quibus quatuor quid ex Scriptura sentiant orthodoxi paucis est aperiendum.

XIX. Ut a Primo initium faciamus, Smal. lib. de Divin. Christi c. 23, sententiam suam exprimit, "Christum sacerdotem tum primum reipsa et perfecte factum esse quum in cœlos ascendit, id est, quum cœpit nostræ salutis curam talem gerere qualem se gesturum antea promiserat." Agnoscit quidem, "Afflictionem et mortem ab ejus sacerdotio non esse separandam, in morte tamen Sacrificium ejus nullomodo perfectum esse, et mortuum esse Christum antequam Sacerdotium suum obiret, Ejusque mortem ipsius sacerdotium nondum fuisse." Soci. de Serva. p. 2. c. 15, "Per Christi oblationem," inquit, "tota illa Epistola Author nihil aliud intelligit quam per proprii sanguinis fusionem, Christi in cœlo Deo factam sui ipsius pro nobis, ut ita dicam, præsentationem," &c., et ibid., "Relativa sunt sacerdos et oblatio, Itaque ubi verus sacerdos nondum est, nec vera oblatio esse potest, Christum autem a Scriptore illo non ante sacerdotem vere dici, quam post ejus in Cœlum ascensionem, constare potest," &c. Non aliter Volkel. c. 37, de Christi sacerdotio, "Illud inter hunc nostrum et illum legis sacerdotem interest, quod ille etiam antequam pecora mactaret, sacerdotis summi munus vere perfecteque obtinebat, Christus vero, nonnisi acerbissima illius morte antegressa Sacerdos vere ac perfecte fieri potuit." Sententia vero orthodoxorum est, distinguendum esse *duplicem actum* officii sacerdotalis, (ut legales victimæ primum offerri debuerunt in atrio per sacerdotem, deinde ab eodem earum sanguis deferri in sacrarium,) *primum* in *mactatione* et oblatione victimæ, *alterum* in ejusdem *ostensione* et applicatione, illum ad expiationem pertinuisse, istum ad intercessionem, illum in terris peractum semel, istum in cœlis continuari quotidie, priorem non sacrificii præparationem, sed ipsum fuisse sacrificium, posteriorem non tam sacrificium quam sacrificii facti repræsentationem. Rursus, Christum quidem in terris omnes muneris sacerdotalis partes non implevisse fatentur, inferendum enim fuisse sanguinem in sacrarium, tum ad ipsius consecrationem, tum ad intercessionem pro populo, sed negant mortuum esse Christum antequam sacerdotium suum obiret, negant oblationem nihil aliud esse, quam Christi pro nobis in cœlo præsentationem, negant perfectam non fuisse oblationem ante sanguinis in sacrario ostensionem, Adeoque contendunt et Christum verum sacerdotem in terris fuisse, et sacrificium expiatorium vere in cruce oblatum fuisse, Quod jam nobis demonstrandum incumbit.

XX. Argumenta in eam rem suppetunt varia: Primo, Sacerdos sub Vet. Test. vere fuit talis antequam ingrederetur in sacrarium, et quum hircos vel victimas piaculares mactabat, sacerdotis officio vere defungebatur, ipsis fatentibus adversariis. Quidni E. Christus qui in illo adumbrabatur vere in terris sacerdos fuerit et sacrificium obtulerit? nam discrimen aliquod hic fingere, est ἄτερ γραφῆς λέγειν et petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Secundo, omnis Pontifex ex hominibus assumptus constituitur apud Deum ut dona offerat et hostias pro peccatis, Heb. v. 1. At hoc non in cœlis, sed in terra, nec enim alibi hostiæ offeruntur. Ita nec Christus alibi offerre debuit. Tertio, ubi est oblatio et sacrificium, ib idebet esse sacerdos. At in terris et cruce Christi verum fuit sacrificium et oblatio, teste Apost., Heb. vii. 27, "Cui non sit necesse quotidie quemadmodum illis Pontificibus prius pro pecca-

tis suis victimas offerre, deinde pro peccatis populi, hoc enim semel fecit quum semet ipsum obtulit." Ex quibus verbis duo colligimus: Primo, perfectam Christi oblationem qua semetipsum obtulit respondere ei quam quotidie faciebant Pontifices legales pro peccatis populi, hæc autem, ut notum, peragebatur victimarum mactatione et immolatione, E. et ista Christi morte quæ fuit victimæ mactatio pro peccatis nostris peragi debuit. Secundo, oblationem hanc dici factam *semel*, ἐφάπαξ, opposite scil. ad oblationes legales quæ fiebant καθ' ἡμέραν vel ἐνιαυτὸν, At non posset dici facta semel nisi in morte facta fuisset, nam quod jugiter et continuo fit usque ad consummationem sæculi, ut præsentatio in cœlo, haudquaquam semel factum dici potest.

XXI. Quarto, confirmatur hoc ipsum ulterius ex Heb. ix. 25, 26, ubi Apost. de Christo sacerdote loquens, "Non ut sæpe offerat semetipsum, ut Pontifex ingreditur in Sacrarium quotannis cum sanguine alieno (alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse a jacto mundi fundamento) sed nunc semel in consummatione sæculorum εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ factus est manifestus," &c., ubi quot sunt verba tot ferme sunt rationum pondera. 1. Oblatio Christi non facta est πολλάκις sed ἐφάπαξ, E. non in cœlo sed in cruce. 2. Si Christus sæpius se offerre debuisset, sæpius debuisset pati, E. oblatus est quum passus est, alias non procederet argumentum. 3. Tum semetipsum obtulit ad peccatum per sui ipsius immolationem tollendum, quum *apparuit* et manifestus factus est, At ingressu in cœlum ablatus est ab oculis nostris, Itaque apparitio in carne intelligenda et adventus in mundum, de quo 1 Tim. iii. 16. 4. Similitudo quam addit Apost. manifeste immolationem ad mortem restringit, ver. 27, frustra enim diceretur oblatio Christi semel facta eodem modo quo omnibus statutum est ut semel moriantur, nisi in una illa Christi morte peracta fuisset. 5. Tunc oblatus censendus Christus quum abstulit peccata nostra, siquidem in eum finem oblatus dicitur εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας; At hoc in cruce et morte præstitit. 1 Pet. ii. 24.

XXII. Quinto, Adstruitur eadem veritas non minus evidenter ex c. x. ver. 10, 12, ubi Apost. ait, "Nos hac voluntate Christi sanctificari per oblationem corporis Christi semel factam, et illum una pro peccatis oblata victima, in perpetuum consedisse ad dexteram Dei." Ex his enim liquet, 1. Unius victimæ oblationem opponi sessioni εἰς τὸ διηνεκές. At si oblatio Christi consisteret in jugi comparitione Christi ad dextram Dei pro nobis, non amplius foret μία θυσία, sed θυσία æque εἰς τὸ διηνεκές, ac ipsa ejus sessio ad dexteram Dei. 2. Non ante consedisse Christum ad dexteram Patris regnaturum in æternum quam oblata una illa pro peccatis victima, Qui poterit vero oblatio hujus victimæ præcessisse sessionem Christi ad dextram Dei, adeoque ejus ascensionem in cœlum, cujus illa fuit terminus ad quem, quin facta fuerit in ipsa passione et cruce? Neque aliud sibi vult idem Apost., c. i. 3, quum testatur eum non prius ascendisse in cœlum quam "facta per semetipsum peccatorum nostrorum purgatione," &c., c. ix. 12, non ante ingressum esse in sacrarium quam æternam Redemptionem adeptus esset. Scio regerere hic, istos Aoristos, anteactum tempus connotantes, junctos cum verbis non significare duo successive facta esse, sed unum et idem simul et semel factum exprimere, ita ut idem sit, "facta purgatione peccatorum nostrorum consedit," quod "consedendo ad dextram Dei fecit purgationem peccatorum nostrorum." Sed, primo, hæc responsio ipsorum placita convellit. Nam si Christus non minus pro se quam pro nobis offerre debuit, ut pertendunt, quia infirmitatibus erat circundatus, obtulit autem tantum quum ad dex-

tram Dei consedit, quid aliud sequitur quam Christum ad dextram Dei sedentem infirmitatibus esse circundatum, et Christum moriendo præparasse se ut post resurrectionem et ascensionem in cœlos a morte liberaretur? Non diffitentur enim mortem præcipuum illud fuisse malum a quo sacrificio suo liberatus est quum illud pro se obtulit. Secundo, Aoristorum istam explicationem admittere non possunt loca laudata sine vi manifesta, supponunt enim, ut vel intuenti patet, purgationem præcessisse sessionem, et quod Apost. dicit, purgationem peccatorum nostrorum *per seipsum* (quæ verba perperam hic a V. V. omissa) fecisse, nihil aliud est quam tradendo se in mortem, vel ut exponit Joh., sanguine suo purgasse nos ab omni peccato, 1 Joh. i. 7. Tertio, Expiationem peccatorum Christo ad dextram sedenti nunquam tribuit Scriptura, sed interpellationem, Heb. vii. 25, et Rom. viii. 34, quos duos sacerdotales actus licet indivulsos et inter se connexos, pessime tamen confundunt. Præsentatio in cœlo non est nova oblatio, sed tantum peracti sacrificii commemoratio, nec Christus in Sancta Sanctorum per proprium sanguinem ingressus est ut ibi eum novo ritu funderet, sed ut et corpus morti traditum inferret, et sacrificii vim et meritum repræsentaret.

XXIII. Instant, Apostolum ad Heb. x. 5, 9, de tali *oblatione* loqui quæ facta sit in *ingressu* quo abrogata sunt sacrificia legalia, ver. 5, 6, 8, At ingressu Christi in mundum visibilem legalia sacrificia non esse abrogata, E. de ingressu in cœlum intelligendam esse. Resp., Sed hoc commentum non ferunt verba Apost., quæ expresse adventum *in mundum* visibilem notant, "Quapropter," inquit, ver. 5, "ingrediens in mundum dicit, Sacrificium et oblationem noluisti." 1. Ex usu tritissimo Scripturæ nusquam *ingressus in mnndum* aliud notat quam incarnationem et nativitatem, Joh. iii. 17, 19, et vi. 14, et ix. 39, xvi. 28, et xvii. 18, et Heb. i. 6, et alibi passim. 2. Ascensio Christi non potest dici ingressus, sed potius egressus et discessus e mundo, Joh. xvi. 28. 3. Mundus absolute positus nunquam de futuro, sed de præsenti intelligitur. 4. Tunc ingressus est in mundum cum corpus illi aptatum est ut in illo faceret Patris voluntatem, patet ex ver. 5, "Ideo ingrediens in mundum dicit, Sacrificium et oblationem noluisti, Corpus vero aptasti mihi," et ver. 7, "Tunc dixi, Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, facere voluntatem tuam, o Deus," &c.; At corpus aptatum est Christo in terris per incarnationem, et fecit voluntatem Patris cum se demisit ad mortem crucis, Phil. ii. 8. Russus, 5. Aliud est loqui de ipso ingressus momento, aliud de toto illo intervallo quod fluxit ab incarnatione ad ascensionem. Primo quidem ingressus momento non fuisse abrogata damus, sed tamen abrogata fuisse primo illo adventu ad nos statuimus, quum sc. corpus suum semel Christus obtulit quod vicem implebat omnium victimarum, corpori enim umbræ et veritati figuræ locum facere debuerunt. Itaque adventus ἐν πλάτει sumendus est, non pro ingressu solo, sed pro toto intervallo quo in terris versatus est. Præterquam quod non notatur ipsa præcise abrogatio, sed tantum quod is fuerit finis adventus Christi. 6. *Abrogatio* duplex etiam vel *de jure* vel *de facto*, Posteriori respectu secuta potest dici exaltationem Christi, non potuerunt enim absolute abrogari omnes cæremoniæ nisi post evangelii præconium, quo earum vanitas et οὐδένεια demonstrabatur, Sed priori omnino facta est in cruce, cæremoniæ enim sunt cum Christo mortuæ, cruci affixum ac delatum illud est chirographum rituum, Col. ii. 14, Eph. ii. 14, ruptus est paries iste intergerinus, qui Judæos a Gentibus disterminabat.

XXIV. Sexto, argumentamur ex c. v. Epist. ad Eph. ver. 2, ubi Apost.

docet "Christum nos dilexisse et seipsum pro nobis tradidisse προσφορὰν καὶ θυσίαν Θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, oblationem et sacrificium Deo in odorem suavitatis" seu bonæ fragantiæ, ex quibus constat ex mente Pauli traditionem Christi pro nobis et ejus oblationem seu sacrificium coincidere, At Christus seipsum tradidit pro nobis quum mortuus est pro peccatis, Rom. iv. 25, et viii. 32. E. et tum se ipsum obtulit. Neque hic admittenda glossemata hæreticorum, qui pertendunt non dici Christum seipsum obtulisse Deo pro nobis quamvis multi crediderint, quia verbum παρέδωκεν non sit conjungendum cum voce προσφορὰν, et hoc suadere tum ipsum verbum παραδιδόναι, cujus in victimis offerendis nullus fortasse usus invenitur, tum Apostoli mentem, quæ ea tantum fuit ut summam charitatem Christi exprimeret et aperte diceret quod se pro nobis in mortem tradiderit, quod non ita expressisset si dixisset Christum se obtulisse Deo pro nobis, cum quis possit se offerre Deo nec tamen mori: sensum E. loci esse Christum ita nos dilexisse ut seipsum pro nobis in mortem tradiderit; deinde ut Ephesii ad singulare hoc facinus Christi imitandum magis accenderentur, per *appositionem* subjunxisse hanc Christi eximiam charitatem, hoc ipsius egregium opus fuisse oblationem et hostiam gratissimam, plane ut, Phil. iv. 18, de beneficentia et eleemosyna Philippensium loquens, dicit, "eam fuisse in odorem suavitatis hostiam acceptam, placentem Deo," itaque non de oblatione corporis, sed præstantissimi facti agi; sic Socinus et Volkel.

XXV. Sed impudentem istam loci corruptelam vel sola verborum inspectio evertit; Nam quum Apost. dicat seipsum tradidisse προσφορὰν καὶ θυσίαν Θεῷ, quis non colligat Christum seipsum in oblationem et hostiam tradidisse? aut quæ alia θυσία et προσφορὰ hic fingi poterit Deo facta, quam sui ipsius, adeoque ea ipsa de qua toties ad Hebr. fit mentio? Nihil E. hic opus ellipsim somniare, supplendam per hæc verba, *nempe in mortem*, quum sermo Pauli sit adeo planus, quo innuit, non *traditionem ipsam* fuisse oblationem illam et victimam, sed *Christum* ipsum *traditum*, unde non dubium est loqui, non de præstantissimi facti tantum, sed de ipsius corporis oblatione: ita divelluntur conjungenda, quasi verbum παρέδωκε a voce προσφορὰν sejungendum esset, quum res ipsa doceat conjungendum esse, nec aliud verbum occurrat quo regatur; non dicit simpliciter παρέδωκε, sed ἑαυτὸν παρέδωκε προσφορὰν καὶ θυσίαν, quæ vel nullum sensum habent, vel hunc, nim. Christum seipsum in victimam et oblationem tradidisse: Non E. tantum innuere voluit Apost. Christum ita nos dilexisse ut seipsum pro nobis tradiderit oblationem et victimam Deo. Et sane si *traditio* per *appositionem*, ut ipsi loquuntur, *oblatio* dicitur, et traditio fuit corporis et personæ, non facti tantum, sed personæ ipsius oblatio intelligenda est, ut alibi passim mentio fit oblationis sui ipsius. Quod de verbo παραδιδόναι additur, rarum nimirum et insolitum esse in sacrificiis, impertinens est; nam verbum hoc sacrificiis brutorum Vet. Test. applicari non potuit, siquidem bruta erant quæ trahebantur ad sacrificium, non vero ipsa se sistebant et tradebant sponte, At Christus seipsum tradidit; Itaque Paulus hoc memorabile discrimen attingere voluit inter sacrificium Christi et Leviticа, atque eo magis charitatis ejus præstantiam extollere. Quod vero subjicitur postremo de loco, Phil. iv. 18, nihil habet cum isto simile, nam beneficentia et eleemosyna Philippensium dicitur Paulo ὀσμὴ εὐωδίας θυσία δεκτὴ, &c., sed non dicuntur Philippenses se ipsos dedisse ὀσμὴν εὐωδίας; ut Christus dicitur seipsum tradidisse, itaque peccatur fallacia parium, nos et opera nostra sumus bonus odor, sed in Christo, quia *placemus* Deo propter ipsum, Christus vero quia *placat* ipsum Deum, ille per se, nos in ipso.

XXVI. Frustra Volkel. addit Paulum respicere ad sacrificia *pacifica* et voluntaria, non ad *hilastica*, illudque patere ex postremis verbis, ὀσμὴν enim εὐωδίας ipsis potissimum applicari. Nam falsum est *odorem suavitatis* applicari tantum pacificis, imo persæpe et expiatoriis, ut, Gen. viii., Noachi holocaustis post diluvium oblatis et, Exod. xxix., Sacrificio jugi, quod offerri debuit quotidie mane et vesperi *In odorem gratum*, et passim de aliis cap. i. et ii. Lev. Sic aptissime denotatur *placatio iræ* Dei et conciliatio ejus benevolentiæ in fideles, quæ fuit fructus sacrificii ejus expiatorii, nam quum peccatorum nostrorum fœtor spiritualis, nares divinas jugiter feriret, justitiaque ipsius tam graviter offensa esset, ut ab ira sua in nos effundenda temperare sibi non posset nisi plenissima quadam data Satisfactione, Christi sacrificio reatus nostri fœtor teterrimus ita abolitus est ex olfactu, ut ita dicam, justitiæ Divinæ, haud secus ac si nunquam fuisset, iraque ejus æstuans et inflammata omnino sedata et pacata fuit, imo in placidissimam amoris et benevolentiæ serenitatem desiit erga omnes hujus victimæ cruore perfusos. Secundo, perperam opponuntur conjungenda, *sacrificium expiatorium et pacificum*, utriusque enim veritas in Christi sacrificio deprehenditur, fuit enim et *propitiatorium* ad expianda nostra scelera, et *pacificum* seu impetratorium ad ea omnia consequenda beneficia quæ ex remissione peccatorum pendent: unde hic duo simul concurrunt, ut antea diximus, et *satisfactio* et *meritum*, satisfecit enim merendo, et meruit satisfaciendo, obedientia ejus fuit τιμὴ et λύτρον ad redemptionem a malo, et simul δικαίωμα ad acquisitionem boni, Rom. v. 18.

XXVII. Denique Christus dicitur in cœlum ingressus ut in quietem suam, Heb. iv. 10, consummato salutis nostræ opere quod illi a Patre demandatum fuerat, ut testatur ipse, Joh. xvii. 4, 5, xix. 30. E. debuit in terris prædictum sacrificium obtulisse, alias non posset vere profiteri omnia consummata esse, si nihil dum perfectum fuit ex iis omnibus quæ agenda habuit. Neque hic obstare debet perpetua functio sacerdotalis muneris quæ Christo in cœlo peragenda quotidie incumbit, aliud enim est loqui de *acquisitione* et *merito*, aliud de *conservatione* et *applicatione* istius beneficii, hæc quidem debet esse continua, sed prior ita perfecta et absoluta in terris fuit, ut nihil jam vel addendum vel mutandum supersit. Quemadmodum divina rerum conservatio non efficit quominus opus creationis perfectum fuerit et absolutum sex primis diebus, neque quieti ad quam transivisse Deus dicitur die septimo intercedit, ita Christus post opus novæ creationis peractum σαββατισμὸν æternum ingressus est, in quo non acquirit vel applicat nova quædam beneficia quæ antea nondum acquisita fuerint, sed ea tantum applicari et conservari curat quæ pro nostra Redemptione olim est adeptus.

XXVIII. Ex quibus concludimus, Christum etsi non omnes Sacerdotalis muneris partes in terris impleverit, præcipuas tamen obiisse, potissimum vero sacrificium illud ἱλαστικὸν, quod pro nobis obtulit, adeoque mortem ejus non fuisse præparationem quandam et antecedens ipsius sacrificii, sed propriissime ipsum sacrificium ; Neque nos a recepta sententia dimovere debent quæ in adversum afferuntur rationes. Primo Christus, inquiunt, "ut fieret misericors et fidelis Pontifex ad expianda peccata nostra, debuit per omnia fratribus suis similis fieri, et tentari in omnibus similiter, absque tamen peccatô," Heb. ii. 17, et iv. 15 : E. "debuit mortem experiri, et alia ejusmodi mala prægustare antequam factus fuerit Pontifex." Resp., Sed præter rem et scopum Apost. hæc adducuntur, loca non docent *quando* Christus factus fuerit Pontifex, sed *qualis* esse debuerit, requirebatur quippe Pontifex particeps carnis et sanguinis qui nobis assimilaretur

in omnibus ut vere esset noster ἔγγυος et גאל sanguine conjunctus, Rursus, requirebatur Pontifex qui ut ἐλεήμων posset συμπαθῆσαι, et quem in tentationibus nostris cum fiducia acclamare possemus. Ad utrumque hunc assequendum finem duplex illi nobiscum intercedere debuit *similitudo*, Prima *essentiæ* et *naturæ*, participando carni et sanguini, de qua, ver. 14, 17, quæ eo spectavit ut posset esse πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, ad expianda peccata nostra, siquidem peccatum in eadem in qua admissum fuerat natura expiari debuit, Altera *infirmitatum*, *tentationum* et miseriarum quas subire et experiri debuit, ut ita miseriis nostris promptius affici et nobis tentatis facilius opitulari posset, ad instar illius quæ dicebat apud Virg. :

Haud ignara mali miseris succurrere disco.

Hæc vero omnia demonstrant quidem qualis esse debuerit, sed non per quid et quando factus sacerdos. Deinde non in morte tantum vel post eam assimilatus nobis fuit in omnibus; sed jam ante cum et carnem nostram passibilem assumpsit, et tentationes varias in diebus carnis suæ sustinuit, itaque non post tantum, sed jam ante eam cœperat esse Christus misericors Pontifex. Tertio, Non dicit Apost. debuisse assimilari in omnibus et quidem per tentationes et miserias ut *esset Pontifex*, sed ut *esset misericors* et fidelis Pontifex, unde ex verbis Apost. recte concluseris Christum ante mortem non perpessum esse omnes calamitates ex quibus plene misericors Pontifex esset, sed non recte inferes non fuisse ante mortem Pontificem. Neque vis facienda in his verbis ἵνα γένηται ἀρχιερεύς. Nam præterquam quod non satis commode a V. V. redduntur *ut fieret* quæ melius vertuntur *ut sit* vel *ut esset*, aliud est esse misericordem Pontificem ex sensu infirmitatum, aliud esse simpliciter Pontificem; Christus quidem per afflictiones et miserias prius potuit obtinere, sed posterius antea habuit ab ipso vocationis momento. Porro quod dicitur factus misericors Pontifex ex sensu infirmitatum non simpliciter et absol. intelligendum, sed κατά τι, ratione notitiæ *experimentalis et effective*, quo sensu dicitur *didicisse* obedientiam ex iis quæ passus est, Heb. v. 8, non ratione *theoriæ* tantum et *affective*, hoc enim habuit semper ex constitutione naturæ.

XXIX. Secundo Objic., Christus sacerdotium non obiit antequam ei dictum fuerit "Filius meus es tu, hodie genui te," Heb. v. 5, Id autem tum demum factum fuisse quum eum Deus, a mortuis excitatum, Dominum et Christum constituit, testatur Paulus, Act. xiii. 33, Rom. i. 4. Unde colligitur Christi sacrificium expiatorium non in crucis morte peractum fuisse, sed in cœlesti tabernaculo administrari. Resp. 1. per συγχώρησιν, Damus Christum sacerdotale munus non adiisse antequam ad id vocaretur a Patre, sic enim non seipsum glorificasse dicitur, id est ultro, nemine vocante, sese intrusisse et involasse in illud munus. 2. per ἄρνησιν, Neg. verba hæc *filius meus es tu*, esse præcise ordinativa ad munus Sacerdotale, licet illud fundare possint, Aliud enim est filium esse et filium genitum, aliud Sacerdotem constitutum, illud naturæ communicationem necessariam, istud officii institutionem liberam notat. Is quidem constituit Christum Pontificem *qui* ei dixit *filius meus es tu*, sed non necessario *qua* ei hoc dixit. Hac scilicet periphrasi designare voluit Apost. auctorem vocationis et legitimum fundamentum dignitatis istius collatæ indicare, nam si filius virginis a Deo Patre vocatur Filius quem genuit, sequitur eum quoque a Deo Patre constitutum Pontificem: Nam talis sacerdos vere Immanuel, per prophetas promissus est, et θεάνθρωπος, Qui populum a peccatis sacrificio suo servaret, Isa. vii. 14, Matth. i. 21. At hæc ut olim

sacerdotalis dignitas fuit inter jura primogenituræ, ita Deus bene Christum Pontificem constituit quod esset filius suus unigenitus, solus idoneus qui tam sublimi munere defungeretur. Hæc itaque declaratio Patris de Christo quod sit Filius suus, continet *causam* delati ipsi Pontificatus, et vocationis *authorem*, sed tempus ejus institutionis non indicat; non dicit Apost. Christum non prius creatum esse vere Pontificem, quam ei diceretur *filius meus es tu*, sed simpli. ab eo constitutum esse Pontificem a quo ei dictum *filius meus es tu*. 3. Falsum etiam hæc verba vel dicta fuisse tantum Christo in resurrectione, vel post eam impleta, jam enim antea sæpius, et in baptismo, Matth. iii., et in transfiguratione, Matth. xvii. 5, hæc vox cœlitus audita fuerat, imo ejus filiatio ab æternitate arcessitur, Mich. v. 2, cum "egressus ejus dicuntur esse ab initio a diebus seculi" et, Prov. viii. 25, "Sapientia dicitur genita ante colles." Cur E. Paulus ad resurrectionem refert? Distinguamus "rem a patefactione rei, causam constitutivam a priori, a causa declarativa a posteriori," ut notum in Scriptura sæpe rem dici fieri quum innotescit, et manifesta fit quæ antea latebat, ut stellæ tum demum dicuntur oriri quum incipiunt nobis apparere. Resurrectio Christi non fuit causa *constitutiva* filiationis, quasi tunc demum factus fuisset filius, ab æterno enim talis fuit, imo et ante resurrectionem ex hypoth. advers.; sed fuit causa *declarativa*, qua revera per resurrectionem tanquam invictum argumentum talis comprobatus et agnitus est. Neque aliud innuit Paulus, Rom. i. 4, quum ait non quidem factum esse, sed ὁρισθέντα, *declaratum* et veluti solenni judicio promulgatum Dei filium per resurrectionem ex mortuis. Sic, Act. xiii., non ideo genitus dicitur Christus in Dei filium quod suscitatus est a mortuis, sed ideo suscitatus est a mortuis, quod quum talis esset impossibile fuit eum detineri vinculis mortis, et sanctum hunc Dei sentire corruptionem, unde ex ea resurrectione certissime constitit eum esse filium unigenitum Patris. Accedit etiam et istud quod oraculum hoc Psal. referatur ab Apostolo, non tam ad probandam resurrectionem Christi, quod facit expresse ver. 34, 35, laudato loco ex Psal. lxxxix. 29, et Psal. xvi., quam ejus exhibitionem et manifestationem in carne, quæ fuit promissio patribus facta.

XXX. Tertio, Objic., Heb. viii. 4, "Si esset in terra ne Sacerdos quidem esset, manentibus illis Sacerdotibus qui secundum legem offerunt dona ut qui exemplari deserviant et umbræ rerum cœlestium." Ex quibus colligitur ad Sacerdotium ejus constituendum necesse fuisse ut in cœlis consisteret, alioqui Sacerdos non futurus. Resp., Neg. consequ. Neque enim si Christi exaltatio requirebatur ad continuationem et consummationem ejus sacerdotii continuo sequitur requisitam fuisse ad ejus constitutionem; damus quidem Christum summum Pontificem, ut sacerdotium suum consummaret et compleret, debuisse tandem cœlos subire, ut sacerdotes terreni continuaturi suum sacerdotium debebant ex atrio in sanctuarium transire, nam ingressus in sacrarium fuit de necessitate et plenitudine sacerdotii, et si ita loqui licet, scopus sacrificii, quippe non alio consilio sacerdos offerebat extra sanctuarium quam ut ingrederetur in sacrarium, neque expiatio illa in alium finem instituta fuit, nec alia lege, quam ut ingressus in sanctuarium sisteret se peracto sacrificio coram Domino. Ita si Christus non ingressus fuisset in cœlos, sed mansisset in terris, ne sacerdos quidem esset quoad functionem, non absoluta actione sacerdotali. Quia vero in Christo qui Sanctus est sanctorum non potest officium a legitima functione officii sejungi, Ex eo quod non fungeretur officio recte inferri posset, ne officium quidem ei competere. Verum etsi sacerdotium Christi in terris completum non fuerit, non sequitur non fuisse constitutum et vere inchoatum. Imo

tantum abest ut Christus sacerdos non fuisset futurus nisi in cœlis esset, ut contra in cœlum non fuisset ascensurus, nisi jam sacerdos constitutus fuisset, sic enim sub lege Aaronicus sacerdos non constituebatur sacerdos eo ipso quo ingrediebatur in sanctuarium, imo non habuisset jus intrandi, nisi jam et sacerdotio confirmato et sacrificio oblato. Itaque duo ista confundi non debent quæ sunt diversissima, Christum in morte sacerdotem nullomodo fuisse, et Christum si in terris mansisset sacerdotem non futurum fuisse, istud enim consummationem sacerdotii respicit, illud vero ejus primam constitutionem, Hoc asserit Paulus, sed illud non item.

XXXI. Cæterum ut vis Apostolicæ ratiocinationis quæ obscurior videtur clarius pateat, Observandum Apostolum in eo esse ut probet Christum in cœlos conscendisse et sacerdotem cœlestem esse, quod dixerat ver. 1. Ostendit autem ex eo quod si esset in terris adhuc, "ne sacerdos quidem esset, manentibus illis sacerdotibus qui secundum Legem offerunt dona," &c., ubi duæ rationes latent: Prima quæ petitur a personis, Secunda ab officio. A personis, nam quum sacerdotium terrenum solis Levitis assignatum esset expresso Dei mandato, non potuit a Christo possideri qui ex alia tribu oriundus fuit, Heb. vii. 14, "Palam enim est e Juda exortum esse Dominum nostrum, cui tribui nihil de sacerdotio locutus est Moses." Ab officio, Quia non possunt simul de jure obtineri et exerceri duo illa sacerdotia, Leviticum et Christi, quia illud umbræ et figuræ, istud corporis et veritatis rationem habuit. At Christo in terris manente, manere debebant sacerdotes Levitici, quia quamdiu veritas et res per typum figurata non est exhibita, tamdiu umbram et typum manere necesse est: Christo autem manente in terris et non subeunte sacrarium non poterat dici veritas perfecte exhibita, siquidem postremus sacerdotii actus qui prioris est complementum et finis, nondum accesserat, Ingressus scil. in sacrarium. Unde colligit optime Apost. quod si in terra adhuc esset Christus ne sacerdos quidem esset. Dices, At nonne in ipsa Christi incarnatione corpus umbrarum et veritas figurarum exhibita est, cur E. oportuit in cœlos conscendere ut cultus ille legalis et typicus abrogaretur? Resp., Damus Christo adventante exhibitum fuisse corpus umbrarum et veritatem figurarum, sed non sequitur statim abrogationem factam fuisse omnium. Primo abrogatio facta est *de jure* per mortem, ut diximus, sed *de facto* tantum et perfecte post resurrectionem et ascensionem. Quamdiu enim verus sacerdos in terris agebat, et nondum intulerat sanguinem in sacrarium, tandiu oportuit typicum sacerdotem stato et solenni tempore ingredi Sancta Sanctorum, proindeque victimas immolare et sacrificia offerre, quia oportuit hoc pacto significari verum sacerdotem nondum introiisse in verum sanctuarium nempe Cœlum. Hæc est autem ratio **τοῦ τύπου καὶ τοῦ τυπωθέντος** *figuræ* et *rei figuratæ*, ut non cedat per partes figura veritati, sed per se totam, stare quippe debet tota figura donec in ejus locum veniat tota veritas. Itaque duplex illa summi Pontificis functio "immolandi extra Sancta Sanctorum, et ingrediendi in Sacrarium," non debuit cedere per partes actioni Christi offerentis se in terram et sistentis se in Cœlo, sed tota sacerdotis actio toti Christi actioni decessit, unde sequitur tum demum sublatum esse sacerdotium Leviticum quum Christus ingressus in Cœlum ultimam manum huic operi adhibuit. Et hoc ipsum testatur Apost., Heb. ix. 8, "Stetisse prius Tabernaculum quamdiu verus sacerdos non ingressus est Sancta Sanctorum." Stante vero Tabernaculo stare debet et ejus cultus. At illo stante Christus sacerdos esse non potuit quia duo Sacerdotia simul stare nequeunt. Neque hic reponendum, Sic sequi neque Christum in terris offerre potuisse si sacerdos esse non potuit alio

stante Sacerdotio, nam aliud est perfici et compleri functionem sacerdotalem, aliud inchoari, non potuit quidem prius fieri stante cultu Levitico, sed nihil obstat quominus veri sacerdotis functio inceperit stante adhuc sacerdotio typico. Deinde aliud est offerre in terra, aliud peracta oblatione manere in terra, Apost. non dicit, Si Christus obtulisset in terra, non esset sacerdos, sed, Si Christus mansisset in terra, si non consedisset ad dextram Patris, ne sacerdos quidem esset, non est enim sacerdos qui cœpit, sed non absolvit actionem sacerdotalem.

XXXII. Quarto, Objic., Sacerdos noster debuit *sublimior cœlis fieri*: E. quoad sublimior cœlis factus est sacerdotem esse nostrum non decuit, nec porro fuit; Prius patet ex Heb. vii. 26, "Talis nos decebat Pontifex, pius, innocens, separatus a peccatoribus, sublimior cœlis factus." Resp., Sed nulla hic consequ. Aliud est Pontificem nostrum debuisse sublimiorem cœlis fieri quia in cœlis peragenda quædam pro nobis habuit, Aliud est Pontificem non fuisse nisi postquam sublimior cœlis factus est, Prius agnoscimus cum Apost. sed non posterius. Sic Levitico sacerdoti fuerunt quædam in sanctuario peragenda, quis tamen dixerit eum non fuisse sacerdotem, quum ea quæ sacerdotis sunt extra sanctuarium perageret? non E. *quando* cœperit esse Pontifex, sed quod Pontifex non debuerit manere in terris sed oblatione facta sublimior cœlis fieri, docet Apost. Alias sequeretur etiam pium et impollutum non fuisse antequam cœlis sublimior fieret, quod quam sit absurdum nemo non videt.

XXXIII. Quinto, Objic., Si Christus morte sua oblationem et expiationem perfecisset, non opus fuisset ad eam peragendam se in cœlis denuo offerre, At opus fuit eum in cœlis denuo offerri ad eam perficiendam, quia debuit se sistere pro nobis in Dei conspectu ad interpellandum, Heb. ix. 24, quod fieri non potuit sine sui oblatione. Resp., Neg. min. Etsi enim debuerit se sistere Christus coram Deo in cœlis, non hoc debuit ut oblationem inchoatam aut imperfectam perficeret, absoluta enim fuit, ut testatus est in cruce, sed tum ut veritas typo responderet, tum ut expiationem semel factam in terris per mortem, in cœlis quoque ratam faceret et applicaret per efficaciam intercessionis. Secundo, confunditur ἐμφανισμὸς Christi cum ejus ἱλασμῷ. Christus debuit quidem comparere coram Deo in cœlis ad intercedendum, sed non debuit propterea se offerre ad expiandum; et Apost. hoc ipso loco *apparitionem* ab *oblatione* manifeste separat, negat enim Christum apparere ut se sæpius offerat. E. apparitio non est oblatio ex mente Apost.; oblatio fuit unica, sed apparitio est continua, oblatio cruenta, apparitio gloriosa, oblatio ad ἱλασμὸν, apparitio ad ἔντευξιν. Ex quibus jam liquet Christum non in cœlis tantum, sed et in terra vere sacerdotem fuisse, et proprie dictam oblationem seu sacrificium in cruce peregisse.

XXXIV. Quæritur secundo, An omnia Vet. Test. sacrificia expiatoria fuerint typi sacrificii Christi, an quædam tantum? Adversarii ut facilius se expediant ab eo argumento quod petitur a sacrificiis istis expiatoriis, respondent, Non omnia hæc sacrificia Christum respexisse, sed sola publica et anniversaria a summo Pontifice oblata, et quorum sanguis in sancta inferebatur, cætera vero spiritualia nostra sacrificia adumbrasse. Diserta sunt Socini verba, p. 2, c. 9, "Quare quum non omnia sacrificia legis quamvis pro peccato facta Christi morti tanquam imago veritati responde-ant: non omnia mortem Christi figurabant, sed figura mortis Christi erant tantummodo sacrificia illa quæ publice, et statis quibusdam temporibus fiebant, præsertim vero illud quod semel in anno summus sacerdos in Sancta Sanctorum ingrediens peragebat, &c. In hoc igitur sacrificio, ut

dictum est, potissimum mors Christi, adeoque ipse Christus, qua Deo pro nobis sacrificavit, adumbratus fuit. In cæteris vero Sacrificiis quæ pro peccatis fiebant, non figurabatur Christi mors, sed tantum in summi sacerdotis persona Christus ipse adumbrabatur, sacrificia autem ipsa spiritualia nostra sacrificia adumbrabant." Nostra vero sententia est, non solum anniversarium illud sacrum Christi sacrificium adumbrasse, quanquam non diffitemur illustrem præ cæteris fuisse ejus figuram, sed et cætera omnia sacrificia ἱλαστικὰ quæ vel publice pro omnibus, vel privatim pro singulis offerrentur, quod pluribus rationibus comprobare possumus.

XXXV. Primo, Quia tota lex cærimonialis typica fuit et figurativa Christi et beneficiorum ejus. Nam etsi varii fines fuerint istius dispensationis, tum ad distinctionem Judæorum a Gentibus, tum ad professionis notam, præcipuam tamen rationem typicam fuisse dubitare nos non sinit Apost., quum eam vocat pædagogum ad Christum, Gal. iii. 25, et Christum ejus finem, Rom. x. 4, illam habuisse umbram, Heb. x. 1, hunc vero esse corpus, Col. ii. 17. Et sane ut Christus est fundamentum fœderis gratiæ, ita basis est totius Scripturæ, et centrum ad quod omnes revelationum lineæ confluunt, ut in illo promissiones omnes, ita et typi sunt Etiam et Amen, 2 Cor. i. 20. Sic scil. Deus Veteres Patres ad fidem venturi Messiæ erigere voluit et *sermonibus* et *actionibus loquendo*, ut ait August. ad Faust., non tantum promissiones ejus et oracula varia tradendo quæ rei certitudinem probarent, sed et typos et figuras complures oculis exhibendo, quæ modum et circumstantias varias tam admirabilis mysterii efficacius repræsentarent, ut ita umbris istis et picturis populus rudis adhuc et minorennis veluti elementis quibusdam deduceretur ad bonorum cœlestium per Christum acquirendorum apprehensionem. Hinc factum ut nihil in Christo impletum fuerit, cujus idea aliqua et exemplar olim non præextiterit, nihilque illustre et memorabile vel in personis vel in rebus vel actionibus fuerit quod ad Christum non respexerit. Ut E. in sacerdotibus sacerdotium ejus, ita in sacrificiis adumbrari sacrificum ejus debuit, totidem quippe fuerunt picturæ passionum Christi, et veluti conciones quædam, quæ populum et de miseria peccati, et de remedio gratiæ in victima hac cœlesti consequendo commonefacerent, neque aliud vult Apost. quum passim ea omnia vocat in Epist. ad Hebr., σκιὰς, παραβολὰς, ὑποδείγματα, ἀντίτυπα, c. viii. 5, ix. 9, 23, x. 1, talibus enim titulis totus ille cultus Leviticus insigniri non potuisset, nisi rationem typi ad Christum habuisset.

XXXVI. Secundo, Omnes illæ victimæ et sacrificia fuerunt typi Christi, quæ per Christum sunt abrogata, nisi enim legalia illa ad sacerdotium Christi se habuissent ut umbra ad corpus, Apost. non firmiter illorum abrogationem per hujus adventum demonstrare potuisset, typus enim per veritatem, umbra per corpus tollitur. Facile enim excipere potuissent Judæi, unius positionem non inferre alterius destructionem: siquidem ista sacrificia Christum non respiciebant. At solide Apost. ad Heb. argumentatur ab uno ad alterum, et prius per posterius abrogari, firmis evincit argumentis. E. necesse est fuisse inter ea relationem typicam, cujus ea est ratio, ut typus τῷ τυπωθέντι, et figura veritati cedere debeat. Tertio, Si holocausta et sacrificia alia quæ in die propitiationum offerebantur mortem Christi figurabant, ut fatentur adversarii, nihil causæ dici potest cur eadem illa sacrificia, quum pro privatis aut quotidie offerebantur, eodem etiam non respexerint, idem enim utrobique fuit et finis et effectus, destructio nim. victimæ per sanguinis fusionem, et per eandem peccatorum expiatio et peccantium liberatio; neque discrimen ullum occurrit quod formalem rationem sacrificii in illo potius quam in istis collocet.

XXXVII. Quarto, sacrificia quotidiana et communia conferuntur cum sacrificio Christi ut figura cum veritate, E. non tantum in anniversario fuit præfiguratum, prius patet ex Apost. Heb. vii. 27, "Christus," inquit, "non necesse habet καθ' ἡμέραν quotidie, quemadmodum pontifices pro suis, inde pro populi peccatis hostias offerre, hoc enim fecit semel seipsum offerens." Sic c. x. 11, "Omnis quidem sacerdos adstitit quotidie sacra peragens, et easdem sæpius offerens hostias quæ nunquam possunt auferre peccata," &c., ubi duplex prærogativa Christi supra sacerdotes Leviticos proponitur, prima quod illi quotidie offerrent, eadem iterando sacrificia sæpius, Christus vero semel, secunda quod illi pro se et pro populo, Christus vero pro nobis tantum, non autem pro se; quæ frustra dicerentur nisi Christus in sacrificiis istis quotidianis adumbratus fuisset. Duo hic reponunt. Primo, Adverbium *quotidie* non *singulis diebus*, sed sæpe vel certo quodam tempore perpetuo significare. "*Quotidie* dicit," ait Soci., "quum tamen id fieret a Sacerdotibus semel tantum in anno." Secundo, In his locis sacrificium publicum notari, tum quia Heb. x. 3, 4, diserte commemoretur, tum quia Heb. vii. 27, mentio fit sacrificiorum quæ Pontifex non tantum pro populo, sed et pro se offerre debuerit, at nusquam legi summum sacerdotem in sacrificiis quæ pro populo fiebant pro se offerre debuisse, nisi in sacrificio illo anniversario. Resp. Sed utrumque falsissimum. Primo, Quis ferat audaciam hanc in os contradicendi Spiritui Sancto? Apost. ait hæc sacra offerri *quotidie*, isti vero *quotannis* interpretantur, quasi Apost. ubi de sacro anniversario agit non expresse istud distinguat, c. ix. 7, ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ μόνος ὁ ἀρχιερεύς, et c. x. 3, κατ' ἐνιαυτὸν dicit sacrificia oblata. Secundo, Falsum est Pontificem nunquam in sacrificiis quæ pro populo fiebant pro se offerre debuisse nisi in sacro illo anniversario, nam, Lev. iv. 3, Sacerdos jubetur et pro suis et pro populi peccatis offerre, quoties scil. sibi peccati erat conscius. Tertio, non negamus mentionem fieri ad Heb. x., sacri anniversarii, sed non exclusive ad cætera, quæ vel quotidie vel in certis quibusdam casibus offerebantur, imo satis expresse denotantur ver. 11, ubi mentio fit cujuscunque Sacerdotis qui quotidie adstet λειτουργῶν, hoc E. vult Apost. unico Christi sacrificio peccata omnia nostra expiata fuisse, quæ neque publico et solenni quod semel in anno fiebat, nec privatis quibuscunque quæ quotidie offerebantur auferri poterant.

XXXVIII. Quinto, sacrificia Agnorum ἱλαστικά in publico et solenni locum non habebant, sed in privatis tantum et ordinariis, puta sacrificio jugi et aliis, At hæc tamen Christi sacrificium adumbrarunt, inde toties illi *Agni* nomenclatio tribuitur; non tantum ratione *virtutum*, innocentiæ, patientiæ, humilitatis, &c., sed potissimum relate ad *sacrificium*, nam dicitur tollere peccata, Joh. i. 29, redimere nos sanguine, 1 Pet. i. 18, 19, mactatus esse, Apoc. v. 12, et xiii. 8. Neque hic vitilitigatio Advers. admittenda, in nullo sacrificio quod pro peccato fieret agnum immolatum fuisse, sed tantum agnam sive capellam pro peccato privati, Lev. iv. Nam primo, in sacrificio jugi quis nescit agnos immolatos? at hoc erat ἱλαστικόν. Secundo, in contaminationibus expiandis, Lev. xii. 6, xiv. 2, Num. vi. 12, 14, unde dicebatur agnus ad reatum et delictum offerri, Lev. xiv. 12. Tertio, Sive agnus sive agna fuerit parum refert, quum uterque bene Christum referre potuerit. Huc pertinet etiam typus eximius Agni Paschalis, quem ad Christnm respexisse et Paulus docet manifeste vocans illum *Pascha*, nomen signi signato tribuendo metonym., 1 Cor. v. 7, et Petrus qui hujus Agni sanguine nos redemptos ait, 1 Pet. i. 19, Ut Israëlitarum primogeniti aspersione sanguinis Agni a morte imminente per

Abaddonem liberati sunt, Ita per sanguinem Agni istius ἀσπίλου καὶ ἀμώμου, aspersum non postibus et superliminari domus, sed in intimo recessu conscientiæ, 1 Pet. i. 2, redimimur ab ira Dei et morte æterna. Quo respicit etiam quod, Joh. xix. 36, impletum dicitur vere in Christo, quod de agno Paschali dictum fuerat, "os ei non confringendum esse." Cæterum duo hic notanda. Primo, in sacrificio isto Paschali fuisse aliquid extraordinarii quod a regula postea præscripta in sacrificiis discedebat; unde quibusdam minus proprie sacrificium dici videtur. Secundo, non fuisse tantum sacrificium, Exod. xii. 27, sed etiam *sacramentum*, illud in immolatione agni, fusione sanguinis, aspersione ejusdem ad ἀπολύτρωσιν, istud in epulo et manducatione. Notabat E. dupliciter Christum, Primo in sacrificio ut victimam quæ Deo satisfacit, Secundo in verbo et sacramentis ut cibum qui animas nutrit, Primo ut offertur Deo ad expiationem, Secundo ut offertur nobis ad applicationem; utrumque indicatur ab Apost., 1 Cor. v. 7, mactatus dicitur in *sacrificio*, et manducandus in *Epulo*.

XXXIX. Sexto, cum tam accurate Spiritus S. totam hanc sacrificiorum doctrinam tradiderit, necesse fuit omnino gravissimam fuisse rationem tam operosi cultus instituendi, nulla autem convenientior reddi potest quam typica sacrificii Christi repræsentatio; nam victimis istis piacularibus neque doctrina confirmabatur, neque fœdus percutiebatur, neque exemplum aut officii aut futuræ conditionis legem observantium proponebatur, neque ira Dei per se placabatur, Ecquid enim vel ad fidem et pœnitentiam homini commendandam, vel ad gratiam Dei conciliandam necesse fuit tot victimarum sanguinem fundi, adipem adoleri, carnes comburi? quasi Deus instar Jovis Homerici, nidore victimarum pasceretur, Psal. l. 13, Sed reatus typicus morte ob peccata inflicta auferebatur; ubi quis non videat expressissimam victimæ cœlestis imaginem, quæ sanguine suo numen propitiare, et peccata nostra delere debuit?

XL. Septimo, Hinc factum ut omnia sacrificiorum hilasticorum genera ad Christum sæpe referantur in N. T. 1. *Holocaustum* et *Juge sacrificium Agnorum* quum dicitur "Agnus Dei tollens peccata mundi," Joh. i. 29, et quidem in *præsenti* ad continuam ejus vim notandam, et Agnus occisus ab origine mundi, Apoc. xiii. 8. 2. *Vitula rufa* ex cujus cineribus aqua purgationis fiebat, Num. xix., nam "si sanguis taurorum et hircorum et cinis juvencæ aspergens inquinatos sanctificabat quoad puritatem carnis, quanto magis sanguis Christi," &c., Heb. ix. 14. 3. Sacrificium pro peccato, Heb. חטאת dictum, Græc. περὶ ἁμαρτίας, "Deus misso filio in similitudine carnis peccati, καὶ περὶ ἁμαρτίας," id. ut esset victima pro peccato, "condemnavit peccatum in carne," Rom. viii. 3; sic Heb. x. 5, 6, corpus Christi ejusque oblatio opponitur et succedit holocaustis et sacrificiis pro peccato, et Heb. xiii. 11, 12, sacrificia illa pro peccato quorum corpora cremabantur extra castra, et sanguis inferebatur in sacrarium, dicuntur in Christo impleta. 4. *Hostia pro delicto quæ* אשׁם dicebatur, quia Christus positus est לאשׁם, Isa. liii. 10, et peccatum est factus, 2 Cor. v. 21.

XLI. Et sane vel sola sacrificiorum istorum attentior paulo consideratio, si id nunc ageremus, docere nos posset non alibi quam in Christo quærendum esse complementum. Quis non videat eum *in Holocausto*, totum se nulla sui parte reservata, nulla sui habita ratione, offerentem Deo mascule et generose, inculpatum, et immerentem per Spiritum æternum, et summa vi charitatis igne vere cœlesti accensum et combustum, sistentem se coram æterno Patre ad cœli ostium et sanguinem suum circum altare fundentem, ac passione sua et animæ effusione et plenissime justitiæ Dei

satisfacientem ita ut in hac oblatione ignita vere acquiescat Deus et odoretur odorem quietis? Eph. v. 2, Heb. ix. 13, 14, Rom. v. 6, 10. Quis non agnoscat in *vitula rufa abjuga* eundem carnis infirmitate circundatum, 2 Cor. xiii. 4, et propter peccata in se recepta rubeis vestibus indutum, Isa. lxiii. 2, 3, Isa. i. 18, licet ipse in propria persona nec peccati nec Satanæ jugo ulla ratione sit subditus; eum inquam eductum extra castra velut piaculum, Heb. xiii. 11, 12, Joh. xix. 17, 18, igne iræ divinæ combustum, sanguine tamen tabernaculum et cœlestia consecrantem et ex cineribus in *mundo* loco repositis, id. corpore occiso in cœlum illato *aquas purgationis* efficientem per efficaciam spiritus cœlitus missi, quibus aspersæ conscientiæ ab operibus mortuis et mortiferis peccati purgantur, Heb. ix. 14, 15. "Venit" enim "cum aqua et sanguine," 1 Joh. v. 6, et "dedit se pro Ecclesia ut eam sanctificaret lavacro aquæ in verbo," Eph. v. 25, 26.

XLII. Quis denique non animadvertat ejusdem Christi morientis vestigia in *sacrificiis pro peccato*, illis vel maxime quorum caro extra castra comburebatur, et sanguis vel in sacrarium inferebatur solenni illa expiationum die, Lev. xvi., vel in tabernaculum, cujus fiebat aspersio septies contra velum, et quo tingebantur cornua altaris thymiamatum, Lev. iv. Nam et extra portam passus est, Heb. xiii., et per proprium sanguinem in sacrarium ingressus, Heb. ix. 12, et x. In eo aliquid pretiosissimum fuit et sanctissimum Deo offerendum, nim. obedientia et justitia propria, aliquid vero maxime exosum et detestabile quod ejiciendum et destruendum fuit, nim. peccatum nostrum ipsi imputatum, 2 Cor. v. 21. Aspersio est septies facta quia perfecta fuit expiatio, et altaris aurei cornua vere inunxit, quia ejus intercessio sacrificii semel oblati virtute semper peragitur, Rom. viii. 32, 34, Heb. ix. 12, et x. 12. Apost. certe non uno in loco hæc mysteria nobis aperuit, sed potissimum, Heb. xiii. 12, ubi docet Christum "extra portam passum ut sanctificaret populum," et allusione concinna ostendit eos qui sacrificiis et ritibus templi Hierosolymitani adhuc adhærescunt, participes minime esse posse fructus mortis suæ, quia extra hujus templi septa quærendus est, in hoc enim templo verum pro peccato sacrificium non est oblatum; Exire E. extra urbem et templum umbratico cultui destinatum necesse esse, neque retinendum externum Legis Mosaïcæ cultum, ut redemptione quam pretioso suo sanguine nobis comparavit Christus potiamur, denique alacri animo sequendum esse minime impeditos curis hujus vitæ, quàsi terræ hujus septis inclusi essemus, quia hic fixam et permanentem non habemus civitatem, sed cœlestem expectamus, quæ omnia citato loco persequitur Apost. Possemus hoc ipsum in aliis plerisque sacrificiis sigillatim demonstrare, nisi brevitati consultum vellemus; alias forte fusius de hoc argumento disserendi sese dabit locus. Interim fixum manere debet et ratum, Christum corpus fuisse omnium istarum umbrarum, easque non alia præcipue de causa institutas fuisse quam tantisper dum adveniret tempus διορθώσεως, atque ipse sol justitiæ illucesceret. Inde Hieron. Ep. 103, præclaro hoc elogio Levitici librum in quo sacrificia hæc instituuntur ornat, quod singulæ pene ejus syllabæ *cœlestia spirent sacramenta*.

XLIII. Sed antequam hinc discedamus, omittere non possumus illustrem quæ refertur a Mose historiam, Exod. xxiv., de "fœderis dedicatione" variorum sacrificiorum oblatione peracta. Cujus mysterium aperit nobis Apost. ad Heb. ix. 19, 20, &c., in ea enim si uspiam alibi, expressum veritatis quam quærimus occurrit documentum. Moses jussus a Domino, super altare extructum varia offert sacrificia, sanguinem victimarum partim ad altare fundit, partim eo populum, legis librum, tabernaculum et vasa sacra conspergit, contestans hunc esse sanguinem fœderis quod Deus pangere

volebat cum ipsis: quo peracto Seniores Israëlis qui antea dum promulgabatur Lex. accedere erant veriti, Deum Israëlis vidisse dicuntur ita ut non extenderit manum suam in ipsos, sed comederint et biberint in ejus conspectu, ver. 6, 7, &c. Quæ omnia μυστηριώδη erant et typica. Primo, quod fœdus illud dedicari debuit *sanguine* luculenter docuit fœdus Dei cum creatura peccatrice non posse pangi nisi interventu satisfactionis quæ in sacrificiis illis expiatoriis adumbrabatur, unde alibi fœdus contraxisse dicitur "super sacrificiis," Psal. l. 5, ut in Abrahamo visum, Gen. xv. 9. Sed quod umbratice tantum et typice sanguis animalium præstabat, hoc vere præstat sanguis Christi, qui est fundamentum fœderis novi, unde "sanguis novi Testamenti" dicitur, Luc. xxii. 20. Secundo, aspersus est sanguis diversimode supra *Altare*, *populum*, *legis librum et tabernaculum*, nam etsi nec de Legis libro nec de tabernaculo expressam mentionem faciat Moses, satis tamen subinnuit cum ait altare fuisse sanguine aspersum, et postea librum assumptum, v. 7, scil. ex altari cui probabile est librum impositum fuisse cum fieret conspersio, unde Apost. Heb. ix. 19, ex divina inspiratione distincte *libri conspersi* meminit, ut et *tabernaculi*, ver. 21, analogiæ scili. et consequentiæ ratione ex Lev. xvi. Ita aspersio multiplex sanguinis Christi fit, *in Cruce*, *Corde*, *Verbo*, *et Cœlo*. Prima *est Altaris* coram Deo *ad expiationem* quia iram placavit, et justitiæ satisfecit. Secunda, *Populi* ad *remissionem* et *sanctificationem*, 1 Pet. i. 2, Heb. ix. 14, quia in isto sanguine pacis et justitiæ nostræ fons est et origo, Eph. i. 7, Rom. v. 1, 1 Joh. i. 7. Tertia, *Libri legis* ad *promissionem et fœderis confirmationem*; quia in eo ut Lex est impleta, ita promissiones omnes fundantur, 2 Cor. i. 20. Quarta, *Tabernaculi* ad *consecrationem* quia cultus noster λογικὸς qui per tabernaculum et vasa designatur Deo acceptus esse non potest nisi in virtute satisfactionis Christi in qua et personæ et opera nostra Deo sunt grata, 1 Pet. ii. 5, vel quia sanguine Christi via in tabernaculum cœleste nobis aperta est, Heb. ix. 24, x. 19. Tertio, *Effectus* notatur in accessu Seniorum Israëlis ad Deum, quem vidisse dicuntur et comedisse in ejus conspectu, ver. 10. Ita virtute sacrificii Christi, Deus qui alias hominem peccatorem a se repellit, quod per interdictum accedendi ad montem in latione Legis significabatur, fit nobis ita propitius et placatus, ut non modo nobis non sit metuendum amplius ne moriamur, ut in veteribus olim visum, sed placide possimus ejus conspectu frui per fidem, 2 Cor. iii. 18, et bonorum omnium communionem et usum nobis polliceri, Isa. lv. 1, 1 Cor. iii. 21. Atque hinc colligitur discrimen memorabile inter duo fœdera, *Legale* cujus specimen datum fuit in νομοθεσίᾳ de qua Exod. xix. et xx., et *Evangelicum* quod hic adumbratum est. Illud homines fugat et longissime a Deo repellit, Exod. xix. 12, Istud benignissime vocat et proxime accedere facit, Matth. xi. 28, Eph. ii. 13, Heb. iv. 16. Illud terret et consternat, Heb. xii. 19, 20, 21, Istud consolatur et erigit, Isa. lxi. 1, 2, Rom. viii. 1, 16. Illud ad *servitutem* instar *Agaris*, Istud vero ad modum *Saræ* ad *libertatem* parit, Gal. iv. 24, 25, 26. Illud litera est occidens et ministerium mortis, Istud spiritus vivificans et ministerium justitiæ, 2 Cor. iii. 6, 7. Sub Illo *Dei Judicis* conspectum et vocem *homo reus* ferre non potest, hinc illa populi vox, "Deus nos non amplius alloquatur ne moriamur, Exod. xx. 19, sub Isto *Dei Patris* vocem intrepide possunt *filii* excipere, et ejus gratioso et salutari conspectu frui, Exod. xxiv. 10, 11, Psal. lxxxv. 9, Joh. xiv. 9, et 1 Joh. i. 1. Sed de his satis.

XLIV. Ita asserta sententiæ nostræ veritate, subjiciendum paucis quid afferant ad confirmationem suæ adversarii. Sic vero illi arguunt, Rem adumbrantem, rei adumbratæ respondere oportet, Atqui sacrificia privato-

rum quæ pro peccato fiebant Christi morti non recte respondent: Christus enim pro omnibus est mortuus, idque ex Dei ipsiusque Christi sola voluntate ac decreto, absque ullo eorum pro quibus mortuus est assensu antecedente, et non pro uno quopiam peccato, sed pro omnibus peccatis est mortuus: Privatorum autem illa sacrificia non solum pro omnibus non offerebantur, sed neque etiam pro omnibus illorum privatorum peccatis, sed pro uno quopiam singulorum peccato, idque non sine antecedente voluntate uniuscujusque, sacrificia igitur pro peccato in quibus Christi mortem adumbratam fuisse dici potest, ea erant quæ ab ipsa tantum Dei ordinatione pendebant, et a summo sacerdote statis quibusdam temporibus, nulla populi expectata voluntate, pro universo populo offerebantur, præsertim vero anniversarium illud, alia vero, sacrificia nostra spiritualia melius adumbrabant. Socin. prælect. c. 23. Duabus E. de causis potissimum statuunt mortem Christi in illis non fuisse adumbratam, Primo quia non fuerunt præstita pro omnibus peccatis universi populi, sed pro uno tantum, Secundo, quia populi voluntatem requirebant præcedaneam, ideoque non tam *Sacerdotis* quam *populi sacrificia* erant, et melius sacrificia nostra *spiritualia* quam Cnristi sacrificium quod solius Dei et Christi voluntate peractum est, repræsentabant.

XLV. Verum nihil hic est quod negotium facessere nobis possit aut debeat. Primo, non negamus in sacro anniversario præstantissimam et præ cæteris illustrem fuisse sacrificii Christi figuram, quod in causa fuit procul dubio ut toties Apost. ad illud respiceret, sed non sequitur propterea in aliis nullam fuisse; notum enim unius ejusdemque rei varios et diversissimos esse typos, ut multiplex ejus perfectio secundum varias ejus σχέσεις et aspectus repræsentetur, quæ in una aliqua pictura reddi non potuisset: hinc tot tamque variæ figuræ unius Christi occurrunt sub Vet. Test., multiplices umbræ unius corporis, diversissimi typi unius veritatis, quia plura fuerunt in ipso et quoad personam et quoad officia et beneficia, quoad passiones et gloriam, mortem et vitam, quam ut uno aliquo typo adæquato repræsentari possent; sed ita tamen varii illi typi spectandi sunt ut non seorsim, alias plena rei veritas non haberetur, sed simul et conjunctim considerentur, ut quod in uno deest ex altero suppleatur. Quum E. Sacrificium Christi perfectissimum sub diversa σχέσει spectari possit, et qua pro omnibus in universum omnium peccatis offerendum fuit, et qua pro singulis cujusque; tam pro iis quæ per errorem et imprudentiam admissa sunt, quam pro ultroneis et voluntariis quæ fiunt ἐκ προαιρέσεως; ideo pluribus figuris opus fuit, ad hoc mysterium quadantenus demonstrandum, et quemadmodum in publico et anniversario efficaciæ ipsius amplitudo et extensio ad omnes clarius demonstrabatur, ita in privatis, applicatio ejus ad singulos expressius patuit. Propterea non bene infertur, Christi sacrificium pro omnibus fuit, E. in privatis quæ pro singulis offerebantur Christus adumbrari non potuit; Ita enim Christus pro omnibus mortuus, ut pro singulis suis, et ita fideles in communi λύτρῳ illius participant, ut specialiter unusquisque vim ejus ad propriorum peccatorum expiationem referre debeat et possit.

XLVI. Secundo, etsi quædam discrimina occurrunt inter sacrificia privatorum et Christi, ut quod illa antecedente consensu populi et voluntate offerrentur, istud non item, non obstat tamen quominus typi fuerint, similitudo enim talis non est quæ omnimodam conformitatem inferat, sed tantum partialem, cum typi illi omnes fuerint inadæquati qui objectum altera tantum sui parte, non per omnia repræsentabant, ideo mirum non est si multiplex sæpe occurrat diversitas; quod et in sacro illo publico ostendi

potest. In illo multæ erant hostiæ, hic una; ibi aliæ a sacerdote, hic idem sacerdos et victima; ibi quotannis iterabatur oblatio, hic semel facta; sacerdos pro se, Christus tantum pro nobis; aliud erat holocaustum, aliud pro peccato, aliud ἱλαστικὸν, aliud pacificum, hic utrumque habemus, unum sacrificium Christi veritatem omnium continet, et est loco omnium. Tertio, voluntas offerentium sacrificia nihil tollit de sacrificio, quominus aut sacrificium, aut inter figuras Christi esse possit: nam ea non minus debuit adesse et respectu sacerdotis et respectu populi in sacro anniversario. Quarto, falsum ea a populi voluntate pependisse, non vero a Dei præscripto, nam ab expressa Dei ordinatione fluebat tam horum, quam illorum, publicorum et privatorum institutio, nec ideo populi magis dicenda quam sacerdotis sacrificia, populus quippe per sacerdotem, sacerdos nomine populi λατρείας ἐπιτελεῖ. Quinto, non negamus ista sacrificia *secundario* λογικὴν λατρείαν fidelium respexisse, sed ita ut *primario* ac principaliter ad Christum deduxerint verum peccatorum ἱλασμὸν. Nec novum est typum unum rebus diversis subordinatis applicari, ut *tabernaculum* et templum et *Christi humanitatem* adumbravit, Joh. i. 14, Col. i. 19, Heb. ix. 11, et Ecclesiam, Eph. ii. 20, 1 Tim. iii. 15, et singulos fideles, Eph. ii. 21, 22, 1 Cor. vi. 19, et 2 Cor. vi. 16, et Cœlum, Apoc. xxi. 2, Heb. ix. 8. Sic sacrificia fuerunt specula miseriæ et debiti per peccatum contracti, Col. ii. 14, Heb. x. 2, 3, secundo, picturæ misericordiæ Dei, et meriti per Christi obedientiam et mortem ad salutem acquirendi, Heb. ix. 13, 14, et x. 5, 6, tertio, tabulæ officii et cultus Deo exhibendi, Rom. xii. 1. Miseriam aperiebant ad humilitatem, remedium gratiæ proponebant ad consolationem, et gratitudinem docebant ad sanctificationem, sed prima et potissima relatio fuit ad Christum, sine quo et miseria frustra detecta fuisset, et vitæ sanctitas incassum præscripta. Conclusum E. esto in sacrificiis istis omnibus Christum latuisse, nullamque vim, qualiacunque demum fuerint, nisi ab ipsius morte, in qua complementum suum assequi debebant, habuisse.

COROLLARIA.

I. Datur notitia Dei naturalis quæ tamen est salutaris.

II. Præscientia Dei non est rerum causa.

III. Imagines SS. Trinitatis, nec effingere nec effictas colere licet.

IV. Mundi creatio ex nihilo, non tantum claris Scripturæ testimoniis, sed etiam ex rectæ rationis lumine potest demonstrari.

V. Quæ de mundi immutatione et innovatione dicuntur in Scriptura, non intrinsece et quoad substantiam, sed extrinsece et quoad accidentia sunt intelligenda.

VI. Electionis decretum ita est gratuitum ut citra omnem vel mortis Christi antecedentis vel fidei et operum prævisionem factum sit.

VII. Determinatio voluntatis ab intellectu, cum naturæ rationalis libertate non pugnat.

VIII. Distinctio boni et mali moralis, non tam pendet ex voluntate et mandato, quam ex natura ipsius Dei.

IX. Transubstantiationis Pontificiæ monstrum, non tantum Scripturæ adversatur, sed etiam sanioris philosophiæ fundamenta convellit.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS SEPTIMA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS SEPTIMA.

Respondente Joh. Georgio Mullero, *Lausannensi.*

I. Diximus antea quatuor potissimum quæri inter nos et Socinianos circa collationem satisfactionis Christi cum sacrificiis Vet. Test. 1. An Christus in terris fuerit jam sacerdos et proprie dictum sacrificium obtulerit, an demum in cœlis post acensionem? 2. An omnia sacrificia ἱλαστικὰ Vet. Test. typi fuerint sacrificii Christi, an quædam tantum? 3. An sacrificia vetera pro levibus peccatis duntaxat oblata sint, annon etiam pro gravioribus? 4. An ullam vim veram habuerint expiandi peccata? De duabus prioribus quæstionibus actum fuit novissime, superest ut de duabus posterioribus disputemus.

II. Ut vero a prima ducamus initium, quæritur inter nos et Socinianos, an sacrificia Vet. Test. pro levioribus tantum peccatis oblata fuerint, puta ignorantiis et infirmitatibus, non vero etiam pro gravioribus et ultroneis? Adversarii enim, ut facilius elevent vim argumenti nostri pro satisfactione Christi a sacrificiis veteribus ducti, statuunt non pro omnibus, sed quibusdam tantum peccatis oblata esse, ideoque non potuisse hoc ipso satisfactionem Christi, quæ pro omnibus peccatis facta supponitur, adumbrare. Sic ergo sentiunt sacrificia Vet. Test. non pro gravioribus peccatis oblata fuisse, sed pro levioribus tantum, quæ scilicet vel per ignorantiam vel per errorem admitterentur, pro aliis autem nullum sacrificium fuisse institutum, sic Socin. de Serv. p. 2. c. xi., "Veruntamen, quia sacrificia illa levem quandam Dei obedientiam continebant, ut pro levibus duntaxat quibusdam peccatis offerrentur a Deo instituta fuerunt, quæ scilicet per incogitantiam, et errorem admitterentur; Quod si pro quibusdam etiam voluntariis, sive ut vocant ultroneis, peccatis sacrificia instituta fuerunt, sola sacrificia non expiabant, sed ad expiationem peragendam, proximo etiam qui in iis peccatis læsus fuerat cumulate satisfaciendum erat, ut videre est in lege sacrificii pro peccato ultroneo, Lev. vi., Pro peccatis autem gravioribus nullum sacrificium a Deo institutum fuerat." Volkel. lib. iii. cap. 38, non aliter, "sacrificia illa non expiabant flagitia quæ vere ac proprie peccata sunt appellanda, sed externas quasdam corporis labes et lapsus ex ignorantia imbecillitateque profectos. Ad ea enim quæ gravia

2 P

nefandaque facinora erant, quibus sese homines per superbiam, vel contumacis animi pervicaciam contra divinam legem adstringebant, delenda, nullam vim habebant." Nostri vero longe aliter. Etsi fateantur quædam esse peccata pro quibus nulla sint vel instituta vel oblata sacrificia, puta illa quibus expressa aliqua legis sanctione mors infligenda fuit a *Domo Judicii*, ut fuerunt idololatria, adulterium, incestus, homicidium, sabbathi violatio, falsus propheta, incantator, filius rebellis, &c., aut ea quibus edicto legis pœna excidii statuebatur, ut si quis adipem animalis quo oblatio ignita facta esset, Lev. vii. 25, vel fermentum die paschatis comedisset, Exod. xii. 15, Lev. xxiii. 29, et alia complura ejusdem generis. Etsi inquam hæc ultro agnoscunt, pertendunt tamen in cæteris, sacrificia istiusmodi, non pro quibusdam levioribus tantum, sed pro gravioribus etiam oblata fuisse, non quod proprie vim ullam per se habuerint talia peccata expiandi, sed quia veram et propriam expiationem in sacrificio Christi olim peragendam ut typi adumbrabant. Rationes cur ita sentiant variæ sunt:

III. 1. Quia sive sacrificia publica sive privata attendantur patebit non pro certis quibusdam levioribus fuisse oblata, sed vel pro omnibus ut publica, vel pro ultroneis etiam gravioribus ut privata. De publicis res manifesta est, non tantum quia sacrificia hæc dicuntur indiscriminatim *pro peccato* περὶ ἁμαρτίας, sed etiam quia nota universalis additur, ut in festo anniversario expiationum: Lev. xvi. 21, 22, "Imponet Aaron binas manus suas super caput viventis istius hirci et confitebitur את כל עונות בני ישראל ואת כל פשעיהם לכל חטאתם omnes iniquitates filiorum Israël et omnia delicta ipsorum," &c., "Importabit hircus supra se omnes iniquitates ipsorum in terram desertam." Inde Apost. dicit in genere peccatorum fieri ἀνάμνησιν in sacrificiis illis quotannis, Heb. x. 3. Quomodo vero vel Moses vel Paulus peccatorum meminerunt in genere, et ille quidem omnium iniquitatum et prævaricationum, si pro levibus tantum, puta ignorantiis, erroribus, et infirmitatibus quæ carnem potius quam animam polluerent ordinata fuerunt? Nam quod omnia hæc peccata referri volunt tantum ad ea quibus a Deo expiatio in lege concedebatur, expressis et peculiaribus constitutionibus de iis factis, exceptio est *de lege* sed non *ex lege* ideoque absurda.

IV. 2. Accedit et illud quod non tantum omnes iniquitates expiandæ dicantur, sed peculiariter omnia peccatorum nomina recenseantur, non modo peccatum בשגגה per errorem admissum, sed et alia omnia quæ sub nominibus חטא, אשם, מעל, פשעים, עונות veniunt, vide Lev. v. et xvi. 16, 21, iv. 3, vi. 2, et alibi passim; istis enim vocibus nemo nescit gravissima et maxime ultronea peccata designari, quæ non facta sint ἀκουσίως (ut lxx. vertunt quod dicitur בשגגה,) sed libenter et cum quadam animi pervicacia et superbia; Sic טמא usurpatur Lev. xviii. 24, de petulantissimis libidinibus Chananæorum, Ezech. xxii. 3, 4, de idololatria et ix. 7, de homicidiis; פשע notat pertinacissimam rebellionem, 1 Reg.; חטא vituli aurei idololatriam, Exod. xxxii. 31, et gravia illa peccata propter quæ immissa est captivitas Babylonica, Thren. i. 8; עון maledicentiam Simeï, 2 Sam. xix. 20, superbam enumerationem populi per Davidem factam, 1 Paral. xxi. 8, et in genere omnes prævaricationes quæ captivitates varias in populum accersiverunt, Dan. ix. 5; Cum E. peccata pro quibus sacrificia offerebantur istis omnibus vocibus reddantur et nuspiam restrictio sit adhibita, imo expresse extendatur sacrificiorum expiatio ad quævis peccata, injuriam fecerit Spiritui Sancto qui ad certi generis peccata restringere voluerit.

V. 3. Sed fortius adhuc id evincitur ex peculiari enumeratione peccatorum variorum pro quibus sacrificia privata instituta legimus, ea enim

talia sunt quæ non ignorantiis tantum aut leviusculis peccatis sint accensenda, sed ultroneis et gravibus; sane alterius blasphemiam dissimulare, temere jurare, res sacras intercipere, pejerare de deposito, facere vim proximo, et dolose cum ipso agere, talia sunt quæ veris et proprie dictis peccatis et quidem atrocibus annumeranda sunt. Interim tamen pro istis omnibus sacrificia instituta legimus, Lev. v. 1, 2, 4, 5, et vi. 2, 3, 5, imo universalius adhuc, Num. v. 6, 7, "Vir aut mulier quando fecerint כל חטאת אדם quodcunque peccatum hominis transgrediendo contra Jehovam, anima ipsa rea est," atque ei præscribitur sacrificium. Ex quibus luce meridiana clarius liquet falsissimam esse hanc adversariorum hypothesim, et pro omnibus in universum peccatis, iis solum exceptis quæ capitali supplicio plectenda erant ut jamjam dicemus, oblata fuisse sacrificia. Neque hic audiendus est adversarius, lib. ii., cap. 12, qui fatetur quidem pro quibusdam ultroneis peccatis sacrificia fuisse instituta, sed addit, 1°, Ideo id factum quia proxime accedebant ad ea quæ per imprudentiam admittebantur, quia in iis contumaciter adversus Deum non peccabatur, sed fragilitate humana et perverso atque inveterato quodam usu, quo unusquisque bona alterius ad se si poterat sub aliquo ignorantiæ vel justitiæ prætextu trahebat et rapiebat, nec alia de causa *peccata* vocari *hominum* et quæ *facere solet homo*, Lev. vi. 3, 7, Num. v. 6; 2°, Sola sacrificia hic non expiasse, sed ad expiationem pœna quadam proximo etiam qui in eis peccatis læsus fuerat cumulate satisfaciendum fuisse, ut videre est in Lege sacrificii pro peccato ultroneo, Lev. vi. Nam quod ad primum attinet, et turpiter sibi ipsi contradicit, et ipsi naturæ rei aperte adversatur, paulo ante enim fassus fuerat esse ultronea peccata, et jam ad ignorantias pertinere ait; at ex ipsius hypothesi nihil potest esse voluntarium quod fit per errorem, deinde quis existimaverit rapinam, violentiam, furtum, perjurium, &c., quæ hic notantur peccata, fragilitatibus et ignorantiis accensenda esse? quis non videt contra in his hominem non invitum nec ignorantem plane sed interposita deliberatione et consulto peccare? neque contrarium suadet quod dicuntur hæc esse peccata quæ *facere solet homo*, Tantum abest enim ut hæc inveterata peccandi consuetudo tolerabiliorem peccatoris reddat conditionem, ut potius eam multum aggravet, quia non subito impetu, et per subreptionem facta sunt, sed ex vitioso habitu et inveterato peccandi usu. Alterum vero illud quod reponit, non melius solvit nodum, nam restitutione ablati damnum quidem proximi sarciri potuit, sed non potuit peccatum quatenus ad Deum refertur expiari, hæc enim peccata et proximum et Deum lædebant, ut taceam perjurium esse ex iis sceleribus quæ immediate Deum offendunt, et contra divinam ejus majestatem perpetrantur.

VI. 4. Confirmant hoc ipsum exempla varia sacrificiorum pro gravibus peccatis oblatorum. Grande nefas et scelus fuit illud procul dubio quo Israëlitæ contra Mosem et Aaronem murmurantes præsentissimum exitium in capita sua accersiverunt, Aaron tamen jussu Mosis stans medius inter mortuos et viventes accepto thuribulo expiat populum et plagam divinam jam inchoatam cohibet, Num. xvi. 45, 46, 47, &c. Nec minus grave fuit peccatum Davidis cum numeravit populum, propter quod universus pepulus pestifera plaga affectus fuit, sed et hoc etiam sacrificiis expiatum legitur, 2 Sam. xxiv. 24, 25, "Ædificavit altare Jehovæ, obtulitque holocausta et pacifica et placatus est Jehova terræ, ac cohibita est plaga ab Israële." Sic quando homicida ignorabatur urbs vicina purganda fuit sacrificio, ne reatus tanti sceleris populo imputaretur, Deut. xxi. Ita innumeris aliis in locis, quoties Dei ira adversus hominum peccata concitata placatur sacrificiis, toties innuitur sacra hæc non pro quibusdam

tantum, sed in genere pro omnibus nisi quæ excepta fuerint in Lege, facta fuisse.

VII. Objic., 1°. Sacrum anniversarium non pro omnibus in universum peccatis sed pro *ignorantiis* tantum oblatum fuisse, teste Apost. Heb. ix. 6, 7, "in secundum Tabernaculum semel in anno ingreditur solus Pontifex, non sine sanguine quem offert pro seipso et pro populi ignorantiis, ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων," verbum autem ἀγνόημα exprimere eleganter vocem Heb. שגגה qua usus est Moses cum de peccatis ageret pro quibus expiatio concedebatur; Eam autem significare ubique errorem et ignorantiam sive peccatum quod non a cordis malitia, sed ab incogitantia et imprudentia proficiscitur; probari hoc manifeste ex Num. xv. 25, ubi Moses de sacrificiis istis loquens ea refert tantum ad errores, "Expiabit sacerdos universam congregationem filiorum Israël et eondonabitur illis quia error est." Resp., Sed nihil est hic tamen quod errori faveat. Nam etsi pro *ignorantiis* offerre dicatur Pontifex non sequitur eum pro peccatis gravibus non obtulisse. 1. Quia ἀγνόημα nomen est generale quod quibuslibet peccatis etiam gravibus recte competit, nullum enim peccatum est, qualecunque demum sit, quod ex errore et ignorantia aliqua non committatur, si non *absoluta* et *thetica*, saltem *relativa* et *hypothetica*, nam cum voluntas malum sub ratione mali appetere non possit, ut apud Philosophos est in confesso, si peccatum sectatur aliquod, necesse est, ut sub specie boni illud ab intellectu præmonstretur, non potest autem malum sub idea boni offerri sine errore; Itaque nunquam peccat voluntas quin simul et semel erret intellectus. Nec tamen propterea discrimen omne tollitur inter peccata *ignorantiæ* et *malitiæ* quæ contra *scientiam* vel *conscientiam* admittuntur. Distinguenda enim duplex *cognitio*, ut et *ignorantia*, *theoretica* una, altera *practica*, illa qua scimus vel ignoramus rem esse et quid sit, ista qua rem cognoscimus, vel ignoramus, ut expetendam vel fugiendam, quæ ethica bene dicitur. Jam qui peccant ex ignorantia destituuntur omni cognitione tum theoretica tum practica, qui vero ex malitia, non carent sane cognitione theoretica, et propterea contradistinguntur ab ignorantibus, iis scil. qui labuntur ex ignorantia absoluta et simplici, sed destituuntur semper cognitione *practica*, vel *absoluta* vel *comparata;* alias nunquam peccare possent, ut servus ille malus noverat *theoretice* quæ esset heri voluntas, non noverat *practice* eam esse faciendam. Rursus *cognitio practica* bifariam spectari potest, vel *in thesi* vel *in hypothesi*, vel *absolute* vel *comparate;* prout duplex *judicium intellectus practici*, aliud *primum* et *absolutum*, aliud *ultimum* et *comparatum*, illud quod rem considerat absolute et in se, istud quod eam spectat relate ad suas circumstantias, prout res est mihi hic et nunc vel bona vel mala; qui peccant contra conscientiam habent quidem cognitionem practicam absolutam, sciunt enim rem esse malam in se et fugiendam, sed carent cognitione practica comparata et hypothetica; quia licet in judicio primo intellectus practicus judicaverit eam esse malam, tamen cum ad comparationem ventum est et ad περιστάσεις varias et temporis et loci et personæ, judicat idem intellectus melius hoc esse sibi hic et nunc, verbi gratia, mundum sequendum esse potius in deliciis, quam Christum cum cruce, adulterium, scortationem, furtum, &c., dulciora esse carni quam exercitium virtutum Christianarum: pari plane pacto quo apud poëtam Medea dicitur, "videre et probare meliora, sed deteriora sequi." Hic vero cum sit crassissimus error idemque gravissimus, sequitur nullum esse peccatum etiam quod contra conscientiam et ex animi malitia admittitur quod non factum sit ex errore, adeoque bene omne peccatum ignorantiam dici posse.

VIII. Sed ut plenius hoc ipsum confirmetur, libet et philosophiam ip-

sam et Scripturam audire. Philosophus sane diserte hoc profitetur, lib. iii., Eth. cap. 2, ἀγνοεῖ μὲν πᾶς ὁ μοχθηρὸς ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ὧν δὴ ἀφεκτέον, καὶ διὰ τὴν τοιαύτην ἁμαρτίαν, ἄδικοι καὶ ὅλως κακοὶ γίνονται, "Ignorat quidem improbus omnis quæ sint agenda et a quibus abstinendum, injustique et omnino mali ex errore nascuntur," et paulo post addit, ἄγνοιαν τὴν ἐν προαιρέσει, ἄγνοιαν τὴν καθ' ὅλου, αἰτίαν εἶναι τοῦ κακοῦ, "ignorantiam quæ est in intellectu practico, et ignorantiam universalem, causam esse vitii;" vocat ignorantiam καθ' ὅλου quæ non oritur ex ignorantia facti, hæc enim excusat, sed ex ignorantia juris. Hinc alibi dicit malos decipi, quia inquit ἡδονὴ φαίνεται αὐτοῖς ἀγαθὸν, οὐχ' οὖσα, "videtur ipsis bonum licet non sit." Huc facit etiam illud Socratis, "præsente scientia non peccatur," et Scholasticorum axioma, "omnis peccans est ignorans. Sed ne quis dicat mysteria fidei hic a nobis ad philosophorum canones exigi, (licet suum etiam sit pondus philosophiæ sanæ et sobriæ ad illustrationem dogmatum theologicorum, verum enim vero non contradicit, imo sibi ipsi lumen afferre potest) audiamus ipsam Scripturam; hic vero nobis aperte facit; impios enim omnes *stultos* et ἀνοήτους vocat, Psal. xiv. 1, Prov. i. 7, 22, et viii. 5, et ix. 4, 1 Tit. iii. 3, cæcos, tenebras, Eph. v. 8, et iv. 18, "qui peccant ex ignorantia, obtenebratum habentes intellectum, qui Deum nec noverunt nec viderunt, 1 Joh. iii. 6. Quomodo vero hoc vere dici posset, nisi peccatum ipsorum qualecunque sit, cum errore et ignorantia aliqua semper conjunctum esset? Huc pertinet etiam quod peccatum primum *deceptio* vocetur ab Apost., 1 Tim. ii. 14, nam deceptio omnis errorem supponit, et quorsum pertinebant rationes Diaboli per serpentem loquentis nisi ut deciperet? Adeo non potest invadi arx voluntatis nisi capiatur primo intellectus veluti propugnaculum, sic Salomo, Prov. xiv. 22, "Errant qui operantur malum;" nec aliud docent ipsæ voces חטאים apud Hebræos, et ἁμαρτάνειν apud Græcos, quæ a *scopo aberrare* et *deviare* significant, quia nullum est peccatum in quo non sit quædam aberratio a vita ad mortem, a Deo ad mundum, a cœlo ad terram, a beatitate ad exitium.

IX. Hinc patet sine ratione Adversarium ex eo quod Pontifex offerret pro ignorantiis et erratis colligere voluisse pro gravibus peccatis non obtulisse, siquidem vox est generalis, quæ omnibus indiscriminatim peccatis recte tribuitur. Unde apud LXX ἄγνοια idem est quod אשם et אשמה quæ voces etiam *atrox scelus* et *delictum* significant, item id ipsum est quod פשע *transgressio* et rebellio; sic שגה de peccatis in genere imo de gravioribus dicitur, Psal. cxix. 21, "Perdis superbos maledictos השגים ממצותיך aberrantes a præceptis tuis;" et cxix. 118, Prov. xix. 27, *aberrare* a sermonibus scientiæ est simpliciter peccare; et Isaïas dum describit gravissima sui temporis peccata, ad errorem ea refert, Isa. xxviii. 7, "Verum tamen isti vino errant שגו et potu inebriante, absorbentur a vino, oberrant præ potu inebriante, errant in functione videntis, titubant in judicatione;" sic crucifixio Christi quæ facta est ab *impiis manibus* dicitur opus ignorantiæ, Act. iii. 17, et 1 Cor. ii. 8. Sed quid anxie usum vocum inquirimus, cum Deus ipse aperte hæc ἀγνοήματα referat ad omnia peccata, nam Lev. xvi., princeps sacerdotum jubetur confiteri die propitiationum כל עונות etiam פשעי Israëlis et כל חטאתם "omnia peccata eorum." Qui dicit *iniquitates* et *rebelliones* imo *omnia peccata* universaliter, an solas infirmitates et ignorantias intelligit? Nemo sanæ mentis id crediderit.

X. 2. Sed ut liberaliores simus, demus Apostolum de *ignorantiis* et erroribus loqui; An propterea excludenda erunt peccata graviora? Nequaquam, quia non loquitur *exclusive* quasi ista expiatione opus non haberent, sed ostendere tantum voluit etiam ea peccata quæ nobis leviora

videntur, in judicio Dei nos condemnare posse, adeoque expiatione opus habere, quia Lex requirit ut tota mente, totis viribus, Deum colamus, ita ut si quis in uno deliquerit reus sit omnium. Tantum abest E. ut inde probetur sacrificia instituta fuisse pro levioribus peccatis tantum, ut potius a comparatis et per μείωσιν firmius colligi possit argumentum, Si pro levibus peccatis opus fuit expiatione, ergo multo magis necessaria fuit pro gravioribus, siquidem enim errores et infirmitates sine sacrificio condonari non potuerunt, ecquis arbitretur atrociora scelera quæ ex contumacia et perversitate ortum habent, simplici pœnitentia hominis sine sanguinis effusione deleri potuisse? Eodem etiam responso solvitur locus, Num. xv. 25; non negamus enim sacrificia pro peccatis per errorem admissis instituta fuisse, negamus tantum pro iis solis fuisse ordinata, nam si peccata quædam quæ sacrificiis legalibus sunt expiata vocantur שגגה *peccatum per ignorantiam*, alia sunt pariter iisdem sacrificiis expiata quæ dicuntur חטאת, פעל, פשעים, עונות, Lev. xvi. 21, &c. Itaque a positione illorum ad istorum exclusionem ratiocinari est a particulari ad universale argumentari.

XI. 2°. Objic., Pro gravioribus peccatis et deliberatæ malitiæ nullum institutum fuisse sacrificium, punita fuisse non expiata, sic enim diserte testari Dominum, Num. xv. 30, "Anima quæ fecerit in manu excelsa, tam civis quam peregrinus Jehovam probris effecit, omnino exscindetur anima illa e medio populi sui quia verbum Jehovæ sprevit," &c. Hinc pro homicidio et adulterio et similibus criminibus nulla legi sacrificia instituta, et Davidem ob id, Psal. li. 16, cum adulterium homicidio cumulatum commisisset, ingenue fateri Deum illis victimis, sacrificiisque nequaquam delectari ut ad dirissimum scelus eluendum valerent, atque huc respicere Apost. ad Heb., x. 26, "Si ultro peccaverimus post acceptam cognitionem veritatis non adhuc pro peccatis reliqua est hostia," quibus verbis liquet pro ultroneis peccatis non fuisse sacrificia. Resp., 1. Per συγχώρησιν damus fuisse quædam peccata pro quibus nullum institutum erat sacrificium, ut adulterium, homicidium, idololatriam, &c.; non quod non posset fieri, sed quia puniri illa Deus voluit capitali supplicio, ne scelerum impunitas rempub. et ecclesiam everteret; Itaque eorum mors erat expiatio quædam publica, nec opus habuerunt purgari secundum carnem quæ peritura erat, nam hæc omnia sacrificia eo pertinebant in typo, ut peccatores ita purgati denuo sacris interesse possint, et in ecclesiæ externam communionem recipi, a qua ejecti fuerant; at capitali supplicio afficiendi, et morientes qui exscindebantur e medio populi, tali remedio non indigebant. At cum talia scelera non puniebantur, sive quod ignorarentur, sive alia quapiam de causa, quis dubitat offerri pro peccato a pœnitente potuisse non minus quam licebat furi, raptori, et perjuro? quod ex eo satis liquet quod si author sceleris ignorabatur, nec poterat puniri et morte sontis grande nefas piari, urbs vicina sacrificio universali et publico erat purganda, Deut. xxi. 8. Imo ne solatium peccatoribus pœnitentibus deesset, dies expiationum instituta erat in qua κατ' ἐπιτομὴν omnia peccata et sua et populi confitebatur Pontifex, eorumque veniam mediante sacrificio consequebatur.

XII. 2. Etsi David, Psal. li., testetur Deum non delectari sacrificiis legalibus, non ideo negat sacrificia pro delicto suo gemino offerri potuisse, nam et ipse in expetenda criminis sui venia respicit manifeste ad eadem, cum petit se *expiari hyssopo* ut *mundus sit*, ostendens se in expiatione legali et typica per sacerdotem peragi solita cum fasciculo hyssopi, symbolum et pignus quærere remissionis sui peccati coram Deo per aspersionem sangui-

nis Christi olim pro se effundendi, et meliora loquuturi sanguine Abelis, Heb. xii. 24, unde illis quoque victimis et sacrificiis se vacaturum profitetur David, ibid. ver. ult.; non promitteret autem eucharistica si propitiatoria omnino inutilia agnovisset, et quæ persolvenda neutiquam fuissent. E. David loquitur de *victimis* istis Vel *in se* et absolute consideratis, ex quibus nemo sanus sub Vet. Test. potuit peccati sui expiationem expectare, quod multis aliis scripturæ testimoniis demonstratur, Psal. xl. 7, et l. 8, 9. Heb. x. 3, 4, &c., non relate ad Christum cujus erant figuræ, hoc enim sensu vere expiatoria erant prout ab ipso Deo in eum finem erant instituta; Vel de iis agit non simpliciter, sed *comparate* ad *cultum internum* et moralem, ut ejus necessitatem et præstantiam supra externum et cærimonialem doceat; sic enim sæpe solet scriptura absolute aliquid affirmare vel urgere quod comparate tantum intelligendum est, ut in eodem argumento, Hos. vi. 6, "Benignitate delector et non sacrificiis, et cognitione Dei magis quam holocaustis," et 1 Sam. xv. 22, "obedientia melior sacrificio," ubi non excluditur cultus cæremonialis absolute, sed comparate tantum infra moralem et spiritualem deprimitur, ut quem primario et principaliter Deus a nobis requirat. Hinc illa Davidis, Psal. li., "Sacrificia Domini spiritus contritus," quia in spiritu contrito veritas est sacrificiorum legalium respectu fidelium, et eum ante omnia exigit Dominus ut sibi summe gratum.

XIII. 3. Non negamus discrimen inter peccata constitui, Num. xv., ita ut alia dicantur fieri per *errorem* et *infirmitatem* בשגגה, alia ביד רמה manu *excelsa* vel *elata*, et illis quidem sacrificia destinata fuisse, istis vero non item, sed præsentissimum exitium; sed non sequitur omnia peccata *voluntaria* et gravia talia fuisse quæ fierent *manu excelsa* et quibus mors necessario et infallibiliter reposita esset; nam ut antea observatum, etiam pro multis ultroneis peccatis et gravibus sacrificia fuerunt instituta, et judicium istud capitale excisionis in ea quæ videbantur per se leviora, ut in peccatum lignatoris qui ligna colligens in sabbatho deprehenderetur, exercitum videmus. Itaque peccatum illud ביד רמה non quodvis peccatum grave seu voluntarium innuit, sed illud tantum cui adjuncta sit superbia quædam et contumacia insignis, quod deliberata fiat malitia ex mero Dei contemptu et rebellione, ita ut peccator in eo glorietur; sic Psal. xix. 13, opponuntur *errores* et *peccata occulta superbiis*, id. peccatis pervicaciæ et rebellionis manifestæ de quibus, Lev. xxvi. 21, et Job. xv. 25. Pro eo ergo qui ita manu elata peccabat nullum sacrificium dabatur, sed mors tantum imminebat, quia nullam expiationem et reconciliationis spem contemptori superesse Deus vult; nemini nisi pœnitenti gratiam facit et veniam largitur, nemo ad Deum sacrificaturus admittebatur nisi qui ad eum se convertisset et a contemptu hoc etiam in levissimis divertisset, unde qui gravi crimine obstrictus tenebatur, sese ad Deum convertens, potuit legitime sacramentis reconciliationis uti, alias si in hac pervicacia perstaret, mera erat hypocrisis et illusio, nec poterat ullum offerri sacrificium, nec enim veniæ et absolutionis gratiam poscit qui condemnationem non curat sed irridet, et qui præfracte in peccato suo perstare vult; ideo Christus relinquendum donum notavit ut reconciliatio cum fratre ineatur, Matth. v. Sic leve quidem in se peccatum videbatur lignatoris qui ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehendebatur ligna colligens in Sabbatho, sed quia malitiæ et contemptus arcessitur, nec enim prætexere ignorantiam et infirmitatem in tanta luce coram ipso Deo potuit, excidendus erat a populo; sed si idem antequam deprehenderetur, culpæ conscientia motus confessione crimen aperuisset, oblata hostia ut puto potuit expiari, non minus quam qui rebus sacris abutens excidium erat promeritus, nisi pœnam prævertisset confessione, restitutione, oblatione.

XIV. 4. Paulus ad Heb. x. 26, non negat absolute pro ultroneis peccatis esse hostiam, nam sic nulla esset omnium omnino peccatorum expiatio, cum nullum actuale peccatum dari possit vere et proprie dictum quod non sit voluntarium, sed tantum loquitur de illo peccati genere quod plena voluntate et deliberata ac pertinaci malitia committitur. Hic ergo paulo accuratius ponderanda est phrasis qua Apostolus utitur, ἑκουσίως ἁμαρτάνων, magnam enim vim habet, nec simpliciter et prout vulgo sonat intelligenda est; nam cum peccatum sit actio mentis et voluntatis, voluntas autem cogi non possit, ut notum, necesse est ut voluntarium sit, ita nemo peccare potest qui non sponte et motu voluntatis ad id feratur; sed non eo tamen sensu Apostolus loquitur de iis qui voluntarie peccant, nam innumera sunt peccata quæ maxime sunt ultronea quibus tamen venia conceditur; David sponte et nemine cogente adulterium et homicidium commisit, Petrus volens et deliberato animo Dominum suum abnegavit non semel sed bis terve, et tamen uterque in gratiam receptus est. Ergo hic *voluntarie peccare* sumitur sensu quodam angustiori pro peccato quod pleno consensu perpetratur, absque ulla lucta vel dolore, voluntate obstinata non solum antecedenter, sed et consequenter, quod diximus antea in Vet. Test. esse *superbe agere* et *manu elata* peccare, ἑκουσίως enim vulgo fieri dicuntur quæ ita sponte a quovis designantur, ut omnis non modo ignorantiæ et erroris, sed metus et violentiæ suspicio absit. Quæ facimus metu inducti, illa inviti facere perhibemur, repugnat enim mens aliquandiu, et si metu victa postea succumbat, ut qui merces in mare jactat ex metu naufragii, facit quidem illud volens, sed et invitus quodammodo, nisi enim immineret periculum non faceret, quod Homerus dixit eleganter hominem facere ἑκόντα ἀέκοντί γε θυμῷ. At ubi omnis metus et violentia abest, adest tantum contumacia et rebellio, ibi est ἑκούσιος ἁμαρτία pro qua nulla datur hostia, quandiu enim peccatum est ita voluntarium ut insideat animo et adlubescat voluntati ut perficiat ipsum scienter et contumaciter contra Deum, tandiu est impossibilis ejus remissio, et quo magis est voluntarium et pertinacius, eo majus impedimentum gratiæ divinæ objicitur, quia nulla venia, nisi pœnitenti promittitur. Duplex ergo peccatum potest distingui, aliud *repugnans*, aliud *regnans*, illud ob sanctificationem inchoatam et peccati originis reliquias vere fidelibus convenit, Rom. vii. 23, Gal. v. 17, hoc vero infidelibus tantum, quia peccatum nobis non dominatur, Rom. vi. 14, quo sensu dicitur, 1 Joh. iii. 9, natum ex Deo peccatum non facere, nec peccare posse, quia semen Dei manet in ipso. Apostolus hic non quodvis peccatum voluntarium intelligit, sed solum *regnans*, et quidem non omne, vel in legem solam admissum, sed directe adversus veritatem Evangelii agnitam, ut non modo antithesis addita, ver. 28, docet, sed et ipsa peccati descriptio, quod ad tria refertur, "*Filii Dei conculcationem, sanguinis Testamenti profanationem*," et *Spiritus gratiæ contumeliam*, quorum prius *personam* et *officium* Christi Salvatoris attingit, cætera duo vero ad duo præcipua ejus *beneficia* referuntur, *justificationem* et *sanctificationem*, illam quæ est in sanguinis merito, istam quæ a Spiritus sancti pendet efficacia, unde liquet peccatum *defectionis* et *apostasiæ totalis* hic designari.

XV. Porro cum *defectionis* ab Evangelio et Apostasiæ varii sint *gradus*, disquirendum est ulterius, quis gradus intelligatur hoc loco, ubi peccatum istud irremissibile describitur. Primus *abnegationis* et peccati gradus est, cum quis per *errorem et ignorantiam* Christum nondum cognitum rejicit et aspernatur, qualem fuisse in Paulo ante conversionem videmus qui δι' ἄγνοιαν peccasse dicitur, 1 Tim. i. 13, sed de hoc non loquitur Apostolus,

quia de voluntarie peccantibus agit et quidem *post acceptam cognitionem veritatis*, unde Paulo non interdicta fuit spes veniæ, quia ignorans fecit. Secundus gradus est cum quis *metu* territus amittendæ rei ad hanc vitam plane aut pene necessariæ, vitæ, puta, bonorum, dignitatis et simil. Christum ex infirmitate turpiter abnegat, quomodo Petrus Christum Dominum suum metu abnegavit, et multi ex infirmitate carnis et metu mortis abnegant, sed neque hoc peccatum hic innuitur, quia quod vi ac metu a nobis extortum, ἀκούσιον melius dixeris quam ἑκούσιον, nec denegatur pœnitentibus ejus remissio; ut ex Petro liquet. Tertius est cum nec ex ignorantia vel infirmitate et metu, sed *cupiditate* et spe melioris fortunæ, uti loquuntur, impulsus homo a Christo deficit, ut vel magnas divitias vel honorum splendorem vel si quæ sunt ejusmodi terrena bona consequatur; et hoc quidem peccatum longe gravius est præcedentibus et magis ad nostrum ἑκούσιον accedit, unde apostatarum istiusmodi longe rarior pœnitentia esse solet, cæterum non videtur plane penitusque illi accommodari adhuc posse: nam quamvis lautissima spe illectus videatur plenis velis in illud objectum ferri, et sæpe ex hoc gradu in ultimum præceps agatur, Deo satanæ illum justissimo judicio suo permittente, quia tamen vehemens illa ἐπιθυμία quam tantorum bonorum species excitavit, ingentem animi perturbationem in eo concitat, imo nonnunquam luctam quandam et renisum voluntatis comitem habet, quo non plane extinctum in corde suo veræ religionis amorem declarat, cujus interventu aliquando etiam ad sanam mentem revertitur, non potest ad ea quæ sunt plene planeque voluntaria referri. Itaque quartus et ultimus addendus est gradus cum nec ex ignorantia, nec metu, nec cupiditate quis simpliciter impellitur, sed *obstinata malitia*, *pertinaci contemptu*, et odio veritatis revelatæ quia dura et molesta est carni, movetur ad eam deserendam; cujus typus est in profano Esauo qui aspernatus jus primogenituræ, Heb. xii. 16, frustra ejus privilegium etiam cum lachrymis requisivit. Ita qui per contemptum vel destinatam malitiam Christum abnegant totaliter et abnegando oppugnant, peccatum tale admittunt, pro quo nulla supersit hostia, et quod plane sit irremissibile; Non quod tale sit natura sua quod veniam consequi plane sit ἐκ τῶν ἀδυνάτων, nam nulla est tanta sceleris magnitudo cujus veniam peccator si ab eo resipiscat consequi non possit, sed quia ipsum remedium gratiæ aspernatur et rejicit, sine quo nullus vel fidei vel resipiscentiæ locus esse potest; nam cum Christus unica sit hostia peccatorum expiatrix, si quis eum semel abjecerit, nullam aliam expectare potest, hunc vero istiusmodi homines peccato suo proterve respuunt, et commodis ac deliciis suis profane postponunt, non mirum ergo si ab omni spe salutis exclusi maneant.

XVI. Ex quibus mens Apostoli jam manifesta est, quo enim potentius a crimine apostasiæ nos deterreat, fœditatem istius peccati et gravitatem pœnæ consequentis a comparatis demonstrat, v. 28, 29, nam si morte absque misericordia ex duorum aut trium testimonio in politia Mosis multatus fuit qui irritam fecisset legem, Num. xv. 30, et Deut. xix. 15, id. non qui quovis modo in legem deliquisset, sed qui malitiose flagitio graviore legem violasset, puta blasphemia, violatione Sabbathi, contumacia in parentes, homicidio, adulterio, &c., Quanto acerbiori supplicio dignus censebitur in politia et ecclesia Dei, qui coram infinitis pene testibus malitiosa apostasia et diabolica oppugnatione cognitum Evangelium et Christum rejecerit? Hic ergo confertur Mosis Lex cum Evangelio Christi, contemptus illius cum hujus profanatione; Ut nulla fuit olim hostia pro spernente, et elata manu peccante, ita nulla redemptio expectanda rejicienti redemptionem et a Redemptore apostatanti; ut ἐκδίκησις κρίσεως

φοβερὰ eum statim manebat, ita certissima et gravissima pœna apostatam manet, non lapidationis, aut teli e monte, non hiatus terræ aut ignis, sed iræ Dei quæ ad instar ignis adurentis devoratura est adversarios. Itaque ut peccatum tollatur, de volentibus debemus fieri nolentes, tunc enim demum fit remissibile cum voluntarium esse desinit, homine per veram pœnitentiam illud aversante, unde qui per ignorantiam peccat facilius hanc remissionem consequitur et remedium malo suo invenire potest, exemplo Pauli, 1 Tim. i. 13, at qui per malitiam, dubiam sibi reddit salutem, quia voluntatem suam in malo obfirmans reditum sibi ad Deum intercludit.

XVII. 3°. Objic., Paulus ait, Act. xiii. 38, in Christum credentes justificari ab omnibus a quibus lex Mosis justificare non poterat, satis indicans, a quibusdam levioribus tantum, ut ipsosmet Judæos quos alloquitur optime novisse ibidem innuit, per Mosis legem justificationem contigisse; sed per Christi fidem omnium etiam gravissimorum delictorum remissionem dari. "Notum esto," inquit, "viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus a quibus non potuistis in lege Mosis justificari, in hoc omnis qui credit justificatur." Resp., Sed locus hic vel nihil probat, vel Adversarium ipsum jugulat, non dicit Paulus quædam fuisse peccata a quibus per legem Mosis potuerint absolvi, neque dicere hoc potuit, invicta enim est regula, Deut. xxvii. 26, Gal. iii. 13, "Maledictus qui non manet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea;" unumquemque autem sua convincit conscientia quod non mansit in omnibus; non fit ergo antithesis inter peccata quorum quædam a Mose, quædam a Christo expientur, sed inter ἀδυναμίαν legis et cæremoniarum ejus ad justificandum, et plenissimam Christi satisfactionem qua omnia peccata expiantur; Ita ut sensus sit, quod qui a nullis potuerunt per legem absolvi, ab omnibus credentes justificentur per Christum; qua ratione dicitur, Rom. iii. 20, "πᾶσα σὰρξ omnis caro non justificatur ex lege," id est, nulla; Nec aliam posse esse Apostoli mentem confirmatur ex innumeris aliis scripturæ locis ubi absoluta illa legis impotentia describitur, Rom. viii. 3, Heb. x. 3, 4, et prævaricationes et peccata Vet. Test. expianda dicuntur in et per Christum, Heb. ix. 15, Rom. iii. 25. 2. Si ea esset mens Pauli quam fingit adversarius, videlicet nunc nos per Christum obtinere expiationem earum transgressionum quæ in primo fœdere erant, id est quæ sub prisco fœdere omni vera expiatione destituebantur, et quibus olim lex veniam denegabat; duo gravia sequerentur absurda, 1. Nemini olim concessam fuisse graviorum illorum peccatorum pro quibus nulla erant instituta sacrificia singularia, remissionem, quod falsum esse evincunt exempla Sanctorum qui sub Vet. Test. vixerunt. 2. Nos sub Nov. Test. remissionem consequi in sanguine Christi illorum tantum peccatorum quæ expiari non poterant sub lege, adeoque leviores illas culpas quæ per sacrificia illa expiabantur non tolli sacrificio Christi, sed vel nullo modo expiari, vel per hominum satisfactiones elui, quod utrumque absurdissimum. Ergo superest ut dicamus omnem vim peccati expiandi denegari legi ut ea in solidum Christo tribuatur, quia Lex umbram quidem habuit bonorum, at Christus imaginem ipsam et corpus. Illa peccatorum omnium et leviorum et graviorum expiationem in typo adumbrabat, hic vero sanguine suo reipsa peragit.

XVIII. 2. Quæritur, An sacrificia Vet. Test. ullam vim habuerint veram expiandi per se peccata pro quibus offerebantur; Nam illi cum quibus res nobis est agnoscunt quidem peccata quædam pro quibus offe-

rebantur vere iis expiata fuisse, sed ideo tantum quia actiones erant obedientiæ Deo gratæ, quas præstantibus Deus indulgebat veniam, cæterum nequaquam justitiæ divinæ satisfecisse, ideoque ut figuræ respondeat veritas, et umbræ imago, Christum etiam iis adumbratum non satisfecisse. Idque ulterius demonstrant hoc dilemmate; Nam, inquit Soci. prælect. cap. 22, argumentari possumus a victimis istis ad Christum vel per *collationem*, vel per simplicem *adumbrationem;* Si priori modo, necesse est ut si vis satisfaciendi in morte Christi fuit, eadem etiam servata proportione fuerit in victimis illis, At victimas istas nullam satisfaciendi pro peccatis vim habuisse probat, quia nulla sit inter hominem et bestiam speciei communio, Itaque nulla etiam fuit vis proprie dictà satisfaciendi in morte Christi; Quod si posteriori modo argumentum ducatur, id est per adumbrationem tantum, ne sic quidem melius rem evinci; Nam in re adumbrante aliquid ejusdem generis est cum eo quod in re adumbrata præfigurat; Ideo si in victimis illis aliqua fuit adumbratio satisfactionis pro peccatis per Christi mortem, in iisdem quoque aliquam satisfactionem fuisse necesse est, quod cum falsum sit, et falsum esse illud quod ex eo elicitur. Ita expiationem quidem aliquam et quidem veram certorum peccatorum concedit illis quo nomine figuras vult fuisse Christi, sed satisfactionem plane penitusque illis denegat ut et eam a Christo removeat, p. 2. c. xi., "Statuendum omnino est per victimas et sacrificia illa expiatoria, non modo expiationes quæ sub N. fœdere fieri debebant adumbratas esse, verum etiam peccata pro quibus offerebantur vere expiata fuisse," &c. Nos vero *expiationem* nullam nisi *typicam* et *symbolicam* eorum quæ vere et proprie peccata sunt iis tribuimus, non minus tamen ideo Christi satisfactionem adumbrasse censemus, ita ut duo demonstranda jam nobis sint, 1. Victimas et Sacrificia legalia nullum proprie dictum expiasse, vel expiare potuisse peccatum, expiasse tantum impuritatem quandam carnis et cærimonialem; 2. Bene tamen ex iis argumentum duci ad probandam satisfactionem Christi.

XIX. Ut vero prius illud facilius percipiatur; duplex præmittenda videtur distinctio: Primo, *Reatus* qui sacrificiis tolli debuit et expiari; Altera *Usus* sive *σχέσεως* variæ *sacrificiorum* istorum secundum quam potest vel concedi vel negari talis expiatio. *Reatus* ergo duplex hic attendendus: *typicus* et cærimonialis quoad impuritatem carnis, *realis* et spiritualis quoad conscientiam. Iste contrahebatur ex peccatis contra legem moralem admissis quæ sita erant in offensione Dei et proximi, et rebus natura sua malis, unde et pœnam mortis æternæ in homines accersebat. Ille oriebatur ex violatione præcepti alicujus cærimonialis, quod cum res esset per se media conscientiam per se non attingebat, nec ejus violatio eam inficiebat, sed per accidens tantum ex vi constitutionis divinæ, ideoque nullam impuritatem proprie loquendo nisi cærimonialem afferebat in foro externo politiæ Ecclesiasticæ, nullamque pœnam nisi temporalem post se trahebat, ne peccator sacris cœtibus posset interesse et reliquorum convictu frui; verbi gratia, si quis cadaver tetigisset, vel tabernaculum in quo cadaver erat fuisset ingressus, vel aliquid quod in lege immundum censebatur attrectasset, reus non poterat dici eo ipso peccati alicujus moralis et proprie dicti, nihil enim erat vel in mortuo vel in lepra vel in similibus quod conscientiam inficere posset, reus tamen erat cærimonialiter ex vi constitutionis legalis, quæ immundum pronunciat, et a sacris excludit eum qui talia præstiterit. Ut ergo duplex fuit reatus, duplex etiam dabatur *expiatio* vel purgatio, alia quoad *carnem*, alia quoad *conscientiam*, id. typica et cærimonialis una, realis et mystica altera. Discrimen hoc Apostolus diserte no-

tat, Heb. ix. 13, 14, "Si sanguis taurorum hircorumque et cinis juvencæ aspersus coinquinatos sanctificat ad puritatem carnis, quanto magis sanguis Christi, &c., purgabit conscientiam ab operibus mortuis?" &c., ubi "puritas carnis et puritas conscientiæ" distinguuntur, illa sanguini victimarum legalium adscribitur, ista sanguini Christi, illa externam et legalem illam immunditiem tollebat, efficiebatque adeo ut homo sacrorum communioni restituereter, et in Templo cum cæteris cultui divino vacare posset, ista veras animæ sordes spirituales quibus ab intima et salutari Dei præsentia, quæ olim per Tabernaculum et Templum adumbrabatur, removebatur, abluit, et jus denuo potestatemque confert ad Deum accedendi, et gratiosa ejus communione fruendi. Ita per *carnem* de qua loquitur Apostolus non potest intelligi corpus ipsum seu altera hominis pars, nam puritas hæc per sanguinem et cinerem dicitur fieri, quæ maculare potius et deturpare corpus quam abluere solent, sed notatur lex ipsa cærimonialis ejusque ritus quia in externis et carnalibus ut plurimum occupabantur, quo sensu lex vocatur *mandatum carnale*, Heb. vii. 16, et ejus præcepta δικαιώματα σαρκὸς, Heb. ix. 10.

XX. Secundo, sacrificia legalia bifariam possunt spectari, vel *absolute* in se, vel *relate* ad aliud. Priori respectu erant instrumentum πολιτείας Judaicæ et cultus sub ea præscripti, quatenus in ea Republ. quæ vere Θεοκρατία fuit ex ipsius Dei voce, 1 Sam. viii. 7. Deus istius modi leges sancire voluit, quæ populum ad instar fræni et jugi in officio continerent; atque sub hac σχέσει verum est expiatam fuisse et sublatam ex iis impuritatem carnalem de qua diximus, siquidem ad horum præsentiam removebantur statim pœnæ illæ quæ in foro externo istius politiæ Ecclesiasticæ immundis repositæ erant. Sed non eadem fuit ratio usus relativi, quemadmodum enim tota illa œconomia Vet. Test. duplicem semper σχέσιν includebat, alteram *Legalem* quatenus erat appendix fœderis operum, alteram *Evangelicam* quatenus subserviebat fœderi gratiæ, ita bifariam in esse suo relativo spectari possunt, vel relate ad *Legem*, vel ad *Evangelium*; si considerentur priori modo quatenus subserviebant rigori legis urgendo et inculcando, magis faciebant ad peccati demeritum explicandum et aggravandum quam ad illud auferendum, quippe Deus patefacturus jus suum in peccatum et peccatores non modo atrocioribus criminibus pœnas capitales in foro civili decreverat, sed etiam delictis quotidianæ incursionis quæ ut plurimum vel negliguntur vel dissimulantur ab aliis legislatoribus, ordinaverat quædam pœnarum capitalium simulachra in destructione victimarum quæ offerendæ veniebant; et hac de causa, Col. ii. 14, vocantur "Chirographum in ritibus quod nobis erat contrarium:" quia erant testimonia reatus humani in quibus erat potius confessio peccati quam ejusdem expiatio, nam circumcisio (verbi gratia) testabatur nativam pollutionem, ablutiones sordes peccatorum fatebantur, victimæ capitalem offerentis reatum indicabant, sic nihil aliud erant quam miseriæ humanæ publica professio. At vero si spectentur posteriori modo et in suo *usu Evangelico*, certum est ea *typice* et *significative* vere et proprie dicta peccata expiasse, id. verorum et proprie dictorum peccatorum expiationem per Christum futuram adumbrasse et significasse, et in usu legitimo post se traxisse, atque hoc sensu sacra hæc dicuntur Deo acceptabilia, Lev. i., et fertur Deus ex iis odorari odorem quietis, ibidem et passim alibi.

XXI. His ita præstructis duo jam demonstranda sunt: 1. Nullum vere et proprie dictum peccatum quantumvis levissimum potuisse hisce sacrificiis vere expiari κατὰ συνείδησιν; 2. Hæc tamen omnia apposite mortem Christi et ejus satisfactionem significasse. Prius illud adeo clare et ex-

presse statuitur ab Apost. ut mirum sit hoc in dubium a quodam adhuc revocari. Nam Heb. ix. 9, diserte testatur dona et hostias oblatas esse quæ non potuerunt κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα, et fusius cap. x. 1, 2, 3, 4, 5, ubi variis rationibus hoc ipsum probat quæ ad duo capita possunt referri. Prius *legalium hostiarum impotentiam* docet, posterius *voluntatem et definitionem divinam* declarat. Hostiarum legalium impotentiam tribus rationibus evincit, una generali, et duabus specialibus. Generalis petitur a legis cæremonialis, et hostiarum fine; "quia," inquit, "habebat umbram futurorum bonorum, non autem expressam rerum imaginem." Sive enim *umbram* intelligamus *naturalem* quæ imagini essentiali, id. corpori, opponitur, quo sensu usurpatur, Col. ii. 17, sive *artificialem*, h. e. rudem rei adumbrationem et delineationem quæ opponitur imagini rerum expressæ et vivis suis coloribus consummatæ, quomodo pictores vultum alicujus repræsentaturi carbone primum summa ducunt lineamenta quibus vultus utcunque repræsentatur et agnoscitur quidem, sed obscure et confuse, mox vivis coloribus invectis εἰκόνα expressam scilicet imaginem effigiant, quæ vultum depictum ad vivum repræsentat; sive, inquam, illo sive hoc sensu vocem umbræ sumamus, quanquam verisimilius est Apostolum ad posteriorem respexisse, veritas semper eadem manet: Quod umbra est, non autem imago, vel corpus ipsum rei, non potest accedentem perficere. At hostiæ legales fuerunt tantum umbræ, ergo non poterant accedentes sanctificare, et per consequens nec expiare nec satisfacere poterant, quod præcipuum fuit et primarium ex futuris bonis in N. T. obtinendis.

XXII. Secunda ratio specialis est ab *oblationum* istarum *repetitione:* hoc modo. Quæ hostiæ singulis annis iterantur non possunt accedentes cultores sanctificare, ratio consequentiæ manifesta est, quia si perfecissent, iteratione anniversaria opus non fuisset, sed peractæ semel desiissent deinceps offerri, nam sacrificantes semel purgati nullorum peccatorum reatui amplius fuissent obnoxii. At quotannis sacrificantes sub lege peccatorum sibi erant conscii, quia in iis confessio generalis peccatorum denuo fiebat; unde colligit Apost. non potuisse expiationem per ista sacra sæpius iterata expectari, ver. 2, 3, "Alioqui non desiissent offerri, propterea quod sacrificantes semel purgati nullorum peccatorum amplius essent sibi conscii, At in istis repetita fit mentio peccatorum quotannis." Dices forte non videri rationem hanc usque adeo firmam, quia quotidie confessionem peccatorum facimus, nemo tamen dixerit ea nondum per Christum esse expiata. Resp., Aliud esse confessionem facere peccatorum simpliciter, aliud confessionem facere in et cum oblatione alicujus sacrificii, prius non infert negationem expiationis factæ, sed tantum supponit necessitatem continuæ applicationis istius beneficii ad solatium nostrum, sed posterius omnino eam evincit; ut qui fatetur debitum et simul solutionem offert, eo ipso agnoscit nondum persolutum esse, sic qui confitetur peccatum et confitendo pro ejusdem expiatione sacrificium offert, omnino plene pro ipso satisfactum nondum fuisse credere se demonstrat; ita Veteres, qui non tantum confitebantur sua peccata, quomodo et nos quotidie facere solemus, sed confitendo sacrificabant, eo ipso imperfectionem et ἀδυναμίαν sacrificiorum suorum satis prodebant.

XXIII. Tertia ratio petitur a natura rei, ver. 4, "Impossible est sanguinem taurorum et hircorum auferre peccata." Impossibilitas autem ista se tenet tum ex parte *subjecti* quod expiationem facere tenetur, tum ex parte *objecti* cui satisfactio præstanda est, tum ex parte *causæ meritoriæ sive peccati*, pro quo satisfactio danda fuit. 1. Ex parte *subjecti*, peccatum enim in eadem natura expiari debuit, in qua commissum fuit, homo peccavit,

homo luere debuit, "anima quæ peccavit ipsa morietur," Ezech. xviii.; cum ergo nulla inter pecudem et hominem intercedat naturæ communio impossibile fuit hac in parte sacrificiis legalibus expiationem fieri. 2. Ex parte *objecti*, Deo peccatum fuit, Deo ergo satisfieri debuit, at nec ejus Natura nec Sapientia nec Justitia patiebantur ut sanguine hircorum tollerentur peccata: Non *Natura*, quia Deus *Spiritus* est, Joh. iv. 24, non potest ergo sanguine corporeo et materiali placari, "Nunquid comedam carnem taurorum et sanguinem hircorum bibam?" Psal. l. 13; Quid tam vilis et abjecta res potuit ad conciliandam tam gloriosi Numinis majestatem? Non *sapientia*, ut enim peccatum fuerat admissum a creatura rationali, ita rationalem victimam non brutam postulabat quæ culpam istam elueret; non tam sanguis coram altari fundendus fuit, quam anima ipsa Deo sistenda, non tam corpus doloribus et cruciatibus atterendum et frangendum, quam cor sensu maledictionis et iræ divinæ conterendum, unde dicit Christus se *ponere* non corpus tantum *sed animam pro ovibus*. Non *justitia*, quæ æqualitatem pœnæ et λύτρον cum peccati reatu exigebat, infinita Dei majestas læsa fuerat, infinitum ergo meritum et satisfactio illi placandæ postulabatur, quod cum penes sacrificia legalia non occurreret, utpote quæ non tantum brutorum essent et ἀλόγων creaturarum, sed et finitarum, impossibile fuit hactenus sanguinem hircorum tollere peccata. 3. Tollere peccata non potuerunt ex parte *peccati;* remedium aptari debet malo et parti affectæ, peccatum macula est non corporea, sed spiritualis, in anima primario et per se sedem habens, et conscientiam ipsam vulnerans, quid vero sanguis pecuinus et materialis ad eluendam hanc maculam valere potest? quæ proportio carnis cum mente, vel corporis cum corde, sanguinis cum cupiditate? Peccatum fuerat incredulitate, odio Dei et rebellione, ut ergo remedium malo respondeat, expiatio debuit fieri justitia perfectissima, obedientia accuratissima, et summa atque intensissima erga Deum et erga proximum charitate. Sic revera ἀδύνατον fuit sanguinem hircorum tollere peccata ex natura rei.

XXIV. 4. Sed hoc ipsum impossibile fuit ex *ordinatione divina*, Deus enim jam olim testatus fuerat se nolle istiusmodi sacrificia ad expiationem hanc faciendam, quod Apostolus, ver. 5, 6, probat ex Psal. xl., "Hostiam et oblationem non voluisti, Corpus autem adaptasti mihi, Holocautomata et hostiam pro peccato non approbasti," &c., "Tum dixi, Ecce adsum ut faciam, Deus, voluntatem tuam; aufert prius ut alterum statuat," unde colligimus, Si Deus noluit sacrificia et holocausta, fieri non potuit ex hypothesi voluntatis et decreti divini ut per istas hostias tollerentur peccata. Atqui verum prius ex loco Psal., Ergo et posterius. Cæterum quia difficile videtur ad intelligendum quomodo Deus dicatur nolle et non probare sacrificia quæ tamen ipse instituerat et ad quorum observationem Israëlitas tam expresse astringebat, et quibus se delectari alibi non semel professus est, paucis disquirendum est quomodo remotio hæc sacrificiorum intelligenda veniat. Sæpius quidem ita loquentem audimus Deum apud Prophetas, Isa. Ezech. Hos. Jerem., &c., sed non semper una eademque de causa. Primo certum est rejectionem hanc sacrificiorum non ἁπλῶς et *absolute*, sed tantum κατά τι et *comparate* esse intelligendam, alias Deus sibi ipsi repugnaret et Scriptura Sacra quæ toties cæremoniarum et sacrificiorum in primis institutionem ad Deum refert, sed quænam σχέσις illa sit et relatio, non una ratione explicari potest. Aliquando enim rejiciuntur *sacrificia* non quatenus instituta erant a Deo, sed ut ab *hypocritis, impiis et profanis* oblata, qui ita sacrificiis istis externis adhærebant, quasi totus Dei cultus in iis versaretur, Deusque ea grata haberet et accepta, etsi alioqui impuras et

fide vacuas in iis offerendis conscientias afferrent. Hoc sensu intelligenda sunt loca, Isa. i. 11, 12, &c., "Quorsum mihi multitudo sacrificiorum vestrorum, satur sum holocaustis arietum, et adipe pinguium, sanguine juvencorum non delector; quod advenitis ut compareatis in meo conspectu, quis quæsivit hoc a manu vestra?" &c., Isa. lxvi. 3, "Qui jugulat bovem ac si percuteret virum, qui mactat parvam pecudem ac si decollaret canem," &c., Sic Psal. l. 8, 9, "Non propter sacrificia tua arguam te ut holocausta tua sint coram me jugiter, non accipiam e domo tua juvencum, e caulis tuis hircos," &c. Sic passim Prophetæ docent sacrificia hæc impiorum non placere Deo nec ab eo requiri, imo illi abominationi esse.

XXV. 2. Aliquando rejiciuntur *comparate ad cultum internum et spiritualem* qui a Deo ante omnia et principaliter ut longe excellentior requiritur, nam quod per se Deo non placet, sed per aliud, dicitur non placere per comparationem ad id quod per se placet; notum autem sacrificia non primario et per se fuisse instituta, sed tantum secundario ut subservirent interno cultui, et essent stimuli et incitamenta ad pietatem et sanctitatis studium, hoc sensu sæpe sacrificia externa extenuantur ut quod præcipuum est præferatur; sic explicandus est locus, Psal. li. 16, ante laudatus, sic 1 Sam. xv. 22, Samuel inquit Sauli, "An delectatur Jehova holocaustis et sacrificiis ut quum auscultatur voci Jehovæ, ecce auscultare melius est sacrificio, attendere, adipe arietum." Idem Hos. vi. repetitur et Mich. vi. 6, 7, 8, Jer. vii. 21, 22, 23, &c. 3. Denique rejiciuntur non relate ad impiorum profanationes, vel ad cultum internum et moralem, sed *relate ad sacrificium perfectissimum Christi*, ut hinc demonstretur τὸ ἀδύνατον legis et plenissima Christi ad satisfaciendum vis et efficacia; quo sensu intelligendus locus, Psal. xl., qui redditur ab Apost. Heb. x. 5, 6, ubi oppositio instituitur inter sacrificia Vet. Test. et Sacrificium Christi, illis tanquam inutilibus et imperfectis denegatur peccatorum expiatio, huic vero soli ut perfectissimo et efficacissimo tribuitur: "sacrificium," inquit, "et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi." Psaltes paulo aliter dixerat אזנים כרית לי *aures perfodisti mihi.* At Paulus secutus LXX, ut sæpe solet, reddit per ista σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, verbis quidem diversis, sensu tamen eodem; utrobique enim describitur *status* et conditio *servilis* Christi, ejusque dispositio ad obedientiam cui se addixerat, ut oblatione corporis sui expiationem peccatorum et redemptionem nobis procuraret quæ nullis sacrificiis legalibus obtineri poterat. Notum quippe *aurium perforationem* eo respexisse apud Judæos ex Lege, Exod. xxi. 6, quæ novæ obedientiæ servum subjiciebat, et jus novum hero in servum acquirebat, ad quam allusisse Davidem omnino est verisimile. Cum vero hæc Judæorum consuetudo Græcis esset ignota, LXX Interpretes qui in eorum gratiam potissimum scribebant, prudenter phrasim eam mutarunt in aliam generaliorem et minus obscuram *corporis* scil. *aptationem*, quod eo lubentius fecerunt quod Græcis et Romanis in more positum esset servorum corpora nota aliqua ad majorem mancipationem ostendendam signare, et tergum aut faciem cauterio inurere, qui ideo *literati* dicebantur, quia notæ sive stigmata inusta literarum similitudinem referebant, qua occasione de divitibus indoctis loquens Seneca, qui ostentatione librorum docti videri volebant, ait eos *ne servorum quidem literas nosse.* Paulus vero hanc phrasim retinuit, quia non abludebat a sensu Psal. et convenientior videbatur ad mysterium incarnationis et sacrificii Christi per oblationem corporis facti designandum, de quo loquebatur. Itaque sensus eodem redit, sive dicamus aures Christo perfossas fuisse, sive corpus aptatum. Nihil quippe aliud voluit Spiritus S. quam Christum in natura humana quam assumpsit devinctum fuisse

Deo in servum et convenienter dispositum ad faciendam voluntatem ejus, id est, ad opus gloriosum redemptionis nostræ peragendum per sacrificium corporis sui, unde statim subjicit, "Ecce venio facturus voluntatem tuam," ver. 7, quasi diceret, Quia tu me ad hoc opus selegisti supra omnes victimas legales et peculiari quodam modo notare voluisti, adsum etiam responsurus vocationi tuæ, et meipsum in sacrificium oblaturus, "aufert" enim "prius sacerdotium ut posterius stabiliat," ver. 9. Porro quia videtur Deus absolute rejicere et abrogare ista sacrificia cum ait Apostolus Deum prius tollere ut posterius stabiliat, distinguenda sunt duo intervalla secundum quæ vel *totalis* vel *partialis* intelligitur *remotio;* Nam sacrificia hæc vel *ante vel post Christum* spectari possunt: *Ante Christum* verum est Deum noluisse nec postulasse victimas, et holocausta ad faciendam expiationem proprie dictam pro peccatis, quia hoc non potuerunt, ut jam dictum est, sed non verum est Deum non requisivisse sacrificia ad significandam redemptionem et reconciliationem; huc enim totus ille sacrificiorum apparatus potissimum spectabat; sed *post Christum* non tantum κατά τι rejiciuntur ut inutilia ad expiationem veram procurandam, sed absolute etiam quoad usum et durationem, quia præsente corpore umbræ evanescunt, et figuris non amplius opus est ubi veritas ipsa exhibita est; Posteriori hoc sensu Apost. loquitur de sacrificiis legalibus ut abrogatis et sublatis.

XXVI. Ex quibus luce meridiana clarius liquet, sacrificia ista nullam veram et realem proprie dictorum peccatorum peragere potuisse expiationem; sed non minus tamen Christi satisfactionêm et inde promanantia beneficia adumbrasse jam ostendendum est. Hoc vero ex ante dictis facile colligitur et ex natura rei non obscure elicitur; Nam cum nulla sit horum rituum carnalium proportio vel cum natura Dei, vel cum hominis peccato expiando, vel cum salute consequenda, non potuerunt per se in eum finem institui, non potuit tamen Deus sapientissimus legem hanc tam solenniter promulgare et sancire in populo nisi memorabili aliqua et gravi de causa, quænam autem esse potuit nisi futurorum bonorum et mysteriorum per Christum implendorum præsignificatio, ut sub hisce veluti picturis et figuris, populus rudis ad tantorum bonorum fidem paulatim manuduceretur? Hinc lex vocatur, ut diximus, *umbra* cujus corpus est in Christo, Col. ii., παραβολὴ seu typus ad instans tempus Nov. Test. institutus, Heb. ix. 9, Et sanctuarium mundanum ἀντίτυπον τῶν ἀληθινῶν, ver. 24, ὑπόδειγμα, ver. 23, nam ut cæremoniæ quatenus erant appendices legis reatum docebant et picturæ erant miseriæ nostræ, ita quatenus subserviebant fœderi Evangelico et erant appendices gratiæ, λύτρον proponebant et symbola erant remedii et satisfactionis per Christi sanguinem procurandæ, priori modo *opponuntur* Christo, posteriori *subordinantur*, hinc locutiones variæ de illis habentur, quæ videntur contradictoriæ, dum alias detrahitur ipsis peccatorum remissio et expiatio, alias vero iisdem adscribitur; sed facile posita hac distinctione solvuntur, denegatur ipsis expiatio quatenus *in se* considerantur et *relate ad legem*, sed iisdem tribuitur quatenus in fœdere gratiæ *conjuncta cum Christo* spectantur et *relate ad Evangelica mysteria* quorum erant ὑποδείγματα et ἀντίτυπα.

XXVII. Sed hic obstare videtur Adversarii ratiocinatio, quæ ex hac collatione non solum nullum argumentum pro satisfactione dari posse demonstrat, sed etiam expresse eam ex hac ipsa vult everti; Nam si sacrificia illa vetera et victimæ legales satisfacere non potuerunt justitiæ divinæ nec ullam expiationem peccati proprie dicti procurare, ergo nec Christi sacrificium satisfecit vi sua et expiavit; at prius verum ex anteced.: ergo et posterius. Ratio conseq. quia figura et imago debet respondere veritati,

et aliquid sit oportet in figura adumbrante ejusdem generis cum eo quod in re adumbrata præfigurat, verbi gratia serpens æneus Christum adumbravit, et in eo exaltationem sive in crucem sive in cœlum, salutemque quam adepturi essent quicunque ei fidem habuissent præfiguravit. At interim ipse serpens quoque exaltatus fuit, omnesque in eum intuentes servabantur. Itaque utrobique exaltatio, utrobique salus, sed hic omnia multo præstantiora quam in umbra, in veritate quam in figura. Si ergo constet victimas nullam vim satisfaciendi pro peccatis habuisse, nullam figurare potuerunt. Sic colligendum esset potius ex ipsis Christi mortem nullam ad satisfaciendum vim habuisse; sic Soci. prælect. cap. 22, et part. 2, cap. 10.

XXVIII. Hoc vero quicquid est ratiocinii facile solvitur ex ante allata distinctione *expiationis typicæ et realis.* Damus enim in figura adumbrante debere aliquid esse analogum illi mysterio quod in veritate impletur, alias ne figura quidem esset, (quomodo enim aliquid præsignificare posset, nisi aliquod esset symbolum quo adumbraretur?), sed non propterea necesse est ut imago illa quæ in figura deprehenditur sit plane ejusdem speciei et ordinis cum ea quæ figuratur, nam veritatem præstantiorem esse typo et figura oportet in omnibus, ut bene dixit Chrysostomus; sufficit ut analogia sit quædam et similitudo qua unum ex altero colligatur, verbi gratia serpens æneus fuit illustris typus Christi ut constat ex Joh. iii. 14, typus autem non potuit esse nisi per relationem typi ad antitypum, ut in typo umbra esset et symbolum rei in veritate expressæ; ita et serpentis conditio qui formam quidem serpentis habuit externam sed non virus, conditionem Christi ostendebat, qui in forma carnis peccati, sed sine peccato tamen factus est, Rom. viii. 3, exaltatio illius, istius exaltationem primo in crucem, mox in cœlum, intuitus Israëlitarum, fidem fidelium, sanatio illorum, istorum salutem; sed nec exaltatio, nec sanatio, nec cæteræ circumstantiæ in typo expressæ ejusdem erant generis et ordinis cum mysteriis Evangelicis in istis adumbratis, imo diversæ plane et toto genere discrepantes, illæ enim corpus respiciebant, hæc vero animum, illæ vitam hanc animalem, ista vero spiritualem et cœlestem, illæ virtutem et efficaciam a solo Deo non a serpente pendentem notabant, ista virtutem ab ipso Christo efficaciter manantem. Ita in hoc de sacrificiis argumento colligendum est non potuisse figuras et symbola esse sacrificii Christi nisi in iis umbra fuerit quædam et imago rerum earum quæ in ista victimæ cœlestis oblatione perficiuntur. Hinc fusio sanguinis pecuini fusionem sanguinis Christi designavit, expiatio quæ per fusionem sanguinis et victimæ oblationem peragebatur, expiationem veram per αἱματεκχυσίαν in cruce factam, substitutio victimæ in locum Rei et compensatio pœnæ, substitutionem Christi Sponsoris nostri in locum nostrum, et pœnæ compensationem cum nostri liberatione, reditus ad populum, communionem cum sanctis, liber accessus ad Tabernaculum et sacra omnia, viam apertam in cœlum et aditum ad Patrem cœlestem cujus conspectu remoti antea fueramus, et relaxatio pœnæ temporalis, quæ ob immundiciem legalem debebatur, remissionem pœnæ æternæ quæ peccatis imminebat adumbravit, ut aptissima analogia umbra corpori et figura veritati respondeat, utrobique enim et clementia et justitia divina elucet, quod cum ex rigore Legis peccator ipse luere teneretur, per specialem quandam ἐπιείκειαν voluerit locum dare substitutioni victimæ loco ipsius mactandæ, ut illa pro ipso luente satisfieret justitiæ Dei et ipse interea reus ejus morte vicaria immunis et indemnis a pœna præstaretur. Cæterum licet aliqualis occurrat similitudo non necesse est ut sit æqualitas, sufficit si sit analogia quædam et proportio quæ et similitudinem quandam habeat et dissimilitudinem, ut discrimen inter umbram et corpus eo facilius percipiatur, et

istius supra illam prærogativa; ibi sanguis fundebatur, sed ἀλόγος, hic sanguis funditur, sed victimæ cœlestis et λογικῆς, illic altare æneum, hic mysticum, illic expiatio cærimonialis et externa quoad carnem, hic realis et interna quoad conscientiam, illic immunitas obtinetur pœnæ temporalis in foro Ecclesiastico, hic liberatio a pœna æterna in foro Cœlesti. Unde ad argumentum facilis est responsio, per distinct. major., peccat enim fallac. a dicto secundum quid, Si sacrificia non potuerunt satisfacere nec expiare, non potuerunt satisfactionem Christi adumbrare; Vel intelligitur satisfactio et expiatio *realis et proprie dicta* vel *cæremonialis* et *symbolica;* Si de illa intelligatur argumentum, neg. maj. conseq., nam etsi non potuerint vere satisfacere et expiare realiter, non sequitur non potuisse significare sacrificium Christi, ut non valet, si serpens æneus non potuit sanare peccatores, non potuit ergo adumbrare Christum salvatorem, nec enim idem omnino requiritur in figura quod in figurato, alias figura et typus non amplius esset; Si vero de ista, concessa maj., neg. min., falsum enim est sacrificia ista et victimas nullomodo expiasse et satisfecisse, quippe si expiare non poterant κατὰ συνείδησιν, expiabant tamen secundum carnem et cærimonialiter, typice et significative, quod sufficiebat ad fundandam relationem et adumbrationem illam Christi mortis et satisfactionis quam quærimus.

XXIX. Dices, non potuisse errata hominum in bestiis puniri et expiari, nequidem carnaliter, tum quia nulla sit inter hominem et bestiam speciei communio, quæ tamen omnino necessaria est ad hanc satisfactionem, tum quia nulla est proportio inter mortem bestiæ, et capitale hominis supplicium, ut istud potuerit illa tanquam pretio sufficienti compensari: Itaque si expiarunt peccata sacra illa, non expiasse dando pretium aliquod vel pœnam vicariam Deo ad satisfactionem, sed tantum quatenus cum fide et pœnitentia juncta, erant actiones Deo gratæ, quibus movebatur ad remissionem concedendam; hoc enim sensu sacrificia expiatoria a fidelibus recte offerri potuisse, ut patet exemplo Davidis qui, Psal. li, agens de expiatione sceleris sui ait, *sacrificia Dei sunt spiritus confractus et contritus*, ut innuat Deum talibus sacrificiis spiritualibus duntaxat moveri ad remissionem largiendam; Quo pertinet etiam illud Salomonis, Prov. xvi. 6, qui *misericordia et veritate redimi* ait et *expiari iniquitatem.* Resp., Quoad prius si de *reatu morali* et proprie ita dicto quæstio esset, facile largimur non potuisse illum duplici hac de causa sanguine brutorum tolli, ut antea probatum, quia agitur hic cum justitia Dei quæ solutionem adæquatam postulat, et acceptilationem non agnoscit; sed de *carnali* et *cærimoniali* aliter se res habet, quia cum non pendeat ex jure naturali et indispensabili justitiæ Dei, sed ex libero et positivo, quod per constitutionem legalem definitum est, potuit sapientissimus Legislator pœnam positam pro libitu relaxare et modum satisfactionis statuere, quod factum ab eo convenienter dum victimas expiatorias admisit vice peccatoris, et illarum interventu, ac non aliter peccatorem a pœna liberare voluit; (ut hic interim omittam, aliquam etiam conjunctionem esse hac in parte inter hominem et bestiam, non modo in genere animantis, sed et in ea relatione quæ est inter possessorem et rem possessam, est enim bestia sub hominis dominio, et expiandus de suo dare jubebatur, Lev. v. 6, 7.) Non ergo expiare dicebantur quasi ἀντάλλαγμα æquivalens darent pro peccato, sed quia Deus ea ordinaverat tanquam media convenientia quibus satisfieret constitutioni legali, quibusque moveretur Deus ad pœnam carnalem et cæremonialem remittendam, atque eo vel maxime quod insuper symbola erant aptissima et figuræ perfectissimi sacrificii quod a Christo loco nostro offerri debuit.

XXX. Quod vero secundo loco additur sacrificia non expiasse per

modum solutionis et pœnæ vicariæ, sed tantum virtute fidei et pœnitentiæ cum quibus offerebantur, facile refellitur. Cum enim Deus testetur non semel, se *sanguinem* dedisse ad expiationem faciendam, et diserte Apost. doceat "sine sanguinis fusione non fieri remissionem," Heb. ix., cum passim in Lev., expiatio oblationi sacrificiorum tribuatur, quis non videt hoc beneficium ad sacrificia ipsa referendum esse, non simpliciter ad fidem et pœnitentiam licet hic etiam requirerentur? alias tam absentibus quam præsentibus sacrificiis potuisset expiatio ista procurari, quod falsissimum. Fateor virtutes istas a parte hominis necessarias fuisse ut oblatio accepta foret Deo, verum ut *dispositiones prævias* in subjecto *sine quibus* remissio non concedebatur, siquidem nulli nisi pœnitenti et credenti beneficium hoc indulgetur, non ut *causam meritoriam* quæ jus illius virtute sua ipsis acquireret, et *propter quam* conferretur. Nec alio sensu David vocat *cor contritum sacrificia* Dei, per enallagem numeri pro sacrificio præstantissimo: Non enim agitur de expiatione peccati facienda, siquidem cum Psalmum hunc caneret jam audierat a Nathane, 2 Sam. xii. 13, peccatum ablatum et condonatum esse, sed de sensu ejus consequendo, ad quem omnino necessaria erat fides et contritio cordis; non ergo hic disserit quid pretii persolvere Deo debeant homines, vel quo merito remissionem peccatorum obtineant, imo data opera spiritum afflictum fictitiis compensationibus opponens, nuditatem hominum detegere voluit, nec enim alio tendit spiritus dejectio quam ut hominem exinaniat, et in nihilum redigat, sed docet tantum quo medio beneficium hoc a Deo paratum obtineri et sentiri in corde possit. Locus Prov. xvi. non magis urget, nam ut non dicamus posse hic *misericordiam* et *veritatem Dei* intelligi non *nostram*, quod quibusdam placet, quomodocunque sumatur certum est nec proprie dictam expiationem virtutibus istis tribui, nec satisfactionem Christi excludi; dicitur ergo *misericordia* et *veritate*, id est charitate et fide, *redimi iniquitas*, quia sunt conditiones necessariæ in subjecto ad redemptionem consequendam, ut Christus ait *misericordes misericordiam* consecuturos, Matth. v. 7, vel quia *tegitur* et purgatur in nobis, sic enim verbum כפר sæpe sumitur, quo sensu, 1 Pet. iv., 8, dicitur "charitas operire multitudinem peccatorum," et, Dan. iv. 27, "redimi," id. abrumpi, "iniquitas misericordia." Cæterum non excluditur sed supponitur semper λύτρον Christi sine quo nec fidei nec charitati locus esse potest.

XXXI. Atque hæc hactenus dicta sunto de sacrificiis relate ad Christi mortem et satisfactionem, Unde *Sextam* argumentorum *Classem* deduximus. Sequitur jam *Septima*, quam suppeditabunt crassiora nonnulla Absurda quæ sententiam Adversariorum gravant. 1. Absur. Si Christus ad exemplum tantum et doctrinæ confirmationem mortuus est, neutiquam vero ad satisfactionem et meritum, sequitur Martyres multos idem cum Christo præstitisse, nihilque hic Christo ἐξόχως tribui posse quod cæteris pariter competere non possit, nam et ipsi mortui sunt ad obsignationem et confirmationem doctrinæ quam verbo et scriptis prædicaverant, unde mors eorum propterea μαρτύριον dicta, et ipsi Jesu Christi *Martyres*, qui luculentissima patientiæ, spei, charitatis, obedientiæ, fidei, et cæterarum virtutum Christianarum dederunt exempla. At nusquam tamen legere est eos pro nobis mortuos et crucifixos esse, eos peccata nostra expiasse, et nos Deo reconciliasse, eos sanguine suo remissionem peccatorum nostrorum consecutos esse, et redemptionem æternam procurasse, quod toties et tam expresse de Christo perhibetur, Imo diserte hoc interdicitur et ipsis denegatur, cum in Jesu Christi nomine solo salus esse dicitur, Act. iv. 12, et ille unus, non alius quispiam, pro nobis crucifixus, 1 Cor. i. 13. Cur vero

hoc, quæso, si nihil proprii et peculiaris fuit in Christi morte, si eundem utrique finem sibi proposuerunt? An potuit Scriptura hæc tanquam opposita in hoc negotio considerare quæ conjungenda erant, et illis quidem constanter denegare, huic vero soli constanter tribuere, nisi hoc solius mortis Christi effectum esse seorsim a quorumvis hominum morte nobis persuadere voluisset?

XXXII. Crellius contra Grotium varia excipit: 1. Ex morte Martyrum non ita eluxisse charitatem illam Dei erga genus humanum adhuc impium, quemadmodum ex morte Christi unigeniti ejus filii. 2. Ipsos morte sua non testari suum erga genus humanum Deo inimicum amorem, quemadmodum Christus qui jure quodam singulari poterat ab ea esse immunis, et nostri præcipue causa eam subiit. 3. Christo hæc peculiariter tribui, quia primus salutis viam humano generi promulgaverit, et ad doctrinam suam confirmandam et probandam mortem diram et truculentam adierit, Martyres autem doctrinæ illius causa esse mortuos, et tantum ab altero isto Dei legato ac primo salutis præcone de ejus veritate se edoctos esse professos; veritatem testimonii totam pendere a primo teste, et posteriorem testem priori testimonio hoc suo tantum subservire. Ideo Christum simpliciter testem fidelem ac veracem appellari, cæteros autem Jesu Christi Martyres vocari; ut Apostoli Christo testimonio suo subservierunt in Evangelio prædicando, qui licet dicantur alios servare non tamen sint Christo comparandi, quia nec primo nec perfectissima ratione id præstant, sed Christo hac in re aliquousque tantum subserviunt; idipsum de Martyribus dici posse.

XXXIII. Resp. ad 1um, Peti principium, probandum enim fuit, non dicendum, majorem charitatem eluxisse in morte Christi quam in morte Martyrum. Nam cum Adversarii Christum ψιλὸν ἄνθρωπον statuant in mortem a Deo traditum ad sanciendam Evangelii doctrinam de remissione peccatorum, et post eam demum filium Dei factum, aut saltem vere et perfecte ad istam dignitatem evectum, Martyres autem filii Dei etiam fuerint, divinæ naturæ suo modo participes, eandemque doctrinam sanguine suo obsignaverint, imo cum semen Ecclesiæ dicatur fuisse ipsorum sanguis, ostendi debuisset cur charitas Dei in morte Christi exhibita tantopere superet charitatem Dei in morte Martyrum, toties tamque mirabiliter ad fidei confirmationem demonstratam. Deinde aliud est charitatem Dei illustrius in morte Christi demonstratam fuisse, aliud eum morte sua redemptionem et salutem esse adeptum, non debuit ergo ejus sanguini remissio peccatorum et reconciliatio tribui exclusive ad martyres, si nihil aliud fuit in ea quam clarior amoris divini testificatio. Ad 2um, supponitur falsum, Martyres debuisse pati mortem truculentam quam subibant, Christum autem minime, sed ab ea jure quodam singulari cum immunis esse posset, nostri causa eam subiisse; Nam etsi martyres a *morte* immunes non poterant esse *naturali* et *ordinaria* qua homines miseri et peccatores, siquidem mori omnibus semel est constitutum, Heb. ix. 27, potuerunt tamen a *violenta* et *dira* illa morte quæ illis inflicta est ut Christianis eximi, si Deo ita libuisset, ut erga innumeros alios fideles præstitum. In 3°. non plus est roboris: 1. Fallacia est a dicto secundum quid; Si Christo hæc tribuuntur quia salutis viam primus commonstravit, et doctrinam morte dirissima probavit, sequitur hæc illi *primo* et præcipue fuisse tribuenda, sed non *soli* et singulariter exclusive ad cæteros omnes qui in eadem opera post Christum laborarunt. 2. Supponitur gratis Christum fuisse præconem Evangelii et primum martyrem; Quis enim ignorat prophetas viam salutis annuntiasse imo multos sanguine suo eam comprobasse, ut exprobrat Judæis

Christus, Matth. xxiii. 34, 35, quo pertinet etiam *nubes illa testium* de qua Apost., Heb. xii. 1, qui constantiam fidei suæ in mediis tormentis et morte ipsa tam fortiter testati sunt: Fuerit ergo Christus *primus* Testis *ordine dignitatis* et *naturæ*, quia omnes in Christo et nomine ejus sunt locuti, sed *ordine temporis* dici nequit, nisi a salute excludere velimus veteres patres qui pro fide istius testimonii obire non detrectarunt. Adde quod veritas testimonii pendet a veritate rei, non ab ordine temporis, quo primum, secundum, aut centesimum dici potest. 3. Conferuntur dissimilia; *externa prædicatio* Evangelii quæ pars fuit muneris Prophetici Christi potuit admittere ministros et socios quales fuerunt Apostoli et Pastores, qui propterea dicuntur *servare* auditores suos *ministerialiter*, sed *oblatio* sui ipsius per Spiritum æternum in ἱλασμὸν, quæ fuit actio sacerdotalis, est plane incommunicabilis, adoranda non imitanda, quia supponit virtutem et meritum divinum et infinitum quod in hominem non cadit. Denique quamvis hac in parte aliqua esset Christi prærogativa supra Martyres in confirmatione doctrinæ et exemplo, quod non diffitemur, mutare quidem posset *gradum* sed non *speciem*, nec talis esset quæ cæteros absolute ab iisdem functionibus excluderet, quod dum fit non semel a Spiritu Sancto, argumento est aliquem alium finem Christo morienti propositum fuisse qui in Martyres cadere non poterat, qui alius esse non potuit quam expiatio peccatorum nostrorum, et justitiæ divinæ satisfactio.

XXXIV. 2. Absur. Si Christus non alio fine quam quo statuitur ab Adversariis mortuus fuisset, idem effectus et *Miraculis* et *Vitæ* Christi assignari potuisset non minus convenienter, siquidem in illis non minus, imo aliquanto magis quam in morte testimonium perhibuit doctrinæ suæ, et in ista, innumera sanctitatis, charitatis et constantiæ et fidei et cæterarum virtutum data sunt exempla: at nec miraculis nec vitæ Christi simpliciter uspiam tribui animadvertimus expiationem et remissionem peccatorum, sed semper morti et sanguini, unde passim quoties de ea sermo est mentio fit mortis crucis et sanguinis; Evangelium dicitur *sermo crucis*, 1 Cor. i. 18, Baptismus fit in mortem Christi, Rom. vi. 3, Eucharistia ad mortis memoriam et fusi sanguinis monumentum refertur, 1 Cor. xi. 26. Cur vero istud, nisi propria quædam intercederet causalitas in morte Christi ad hæc beneficia nobis procuranda? Excipit Crellius, Miraculis quidem magis confirmatam fuisse doctrinam generatim consideratam, sed mortem peculiarem habuisse conjunctionem cum remissione peccatorum, Christum enim potuisse stupenda miracula edere sicut Moses et nil nisi minas Dei nomine ut ei parere vellemus proponere, at fieri non potuisse ut Christus unigenitus Dei filius moreretur ad doctrinam suam et salutis viam in ea propositam confirmandam, quin simul ingens Dei erga peccatores charitas appareret et sic certa spes remissionis in animis nostris oriretur; adde quod morte Christi nominata sæpe comprehendant S. Scripturæ quæ mortem Christi sunt consecuta, quod miraculis non competit.

XXXV. Resp., Sed hæc exceptio vim argumenti haudquaquam elidit, nam si mors Christi nihil aliud debuit quam doctrinam de remissione peccatorum et salute confirmare et obsignare, nullam habuit peculiarem σχέσιν ad hoc supra miracula, imo miracula videntur idipsum aliquanto clarius demonstrasse, ut colligitur ex Matth. ix. 6, 7, 8, ubi Christus ex sanatione paralytici probat potestatem et jus suum remittendi peccata, invisibile ex visibili; "ut autem sciatis authoritatem habere filium hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico, surge attolle lectum tuum et abi domum tuam." Sic in morte Centurio et cæteri custodes colligunt Christum esse vere Filium Dei ex terræ motu et aliis miraculis, Matth.

xxvii. 54. Et sane quis non videt miraculosam dæmoniorum ejectionem, leprosorum mundationem, cæcorum illuminationem, et mortuorum suscitationem, et cætera id genus, habuisse majorem analogiam cum beneficiis nostris spiritualibus et clarius potuisse obsignare liberationem nostram ex potestate satanæ, purgationem a peccatis, spiritualem mentium nostrarum illuminationem et mysticam resurrectionem, quam simplicem Christi mortem? Quid enim magis a vero alienum quam mortem truculentissimam hominis innocentissimi per se ad hoc valere ut nobis persuadeat sancte viventibus peccata sua remissum iri et æterna gaudia illis esse parata? Fateor si resurrectio et exaltatio cum morte connectantur luculentius id posse demonstrari, sed Aliud loqui de morte ipsa, aliud de consequentibus mortem, et sic non morti, sed resurrectioni potius tribuenda essent, ut jamjam dicemus. 2. Quod vero addit Christum potuisse stupenda miracula edere et tamen nil nisi minas proponere instar Mosis, in eo aberrat a quæstione et extra oleas vagatur, neque enim argumentum nostrum simpliciter petitum est a miraculis, sed a *miraculis Christi*, non negamus enim quædam esse miracula quibus non potest confirmari remissio peccatorum, qualia sunt *miracula legalia* quæ in eum tantum finem edebantur ut terrorem incuterent peccatoribus et reverentiam Numini conciliarent, unde Moses profitetur se ἔκφοβον et ἔντρομον esse; sed *miracula Evangelica*, quæ Christus edidit, alia plane fuerunt, prodigia erant gratiæ, quæ in salutem et consolationem hominum dirigebantur, ut enim Christus venerat servare quod perierat, huc et doctrina et miracula, et omnia vitæ gesta referuntur. Illa metum incutiebant, hæc fidem ingenerant; illa procul amandabant peccatores, hæc illis accessum præbent, et aditum parant; illa mortem et exitium intentabant, hæc vitam et salutem pollicentur. Quis ergo sanus ab illis ad ista velit argumentari? Deus quippe voluit doctrinæ accommodare portenta et miracula quibus eam confirmare tanquam signis decreverat; Lex quæ fuit ministerium condemnationis et litera occidens nulla debuit nisi stupenda et terrifica habere miracula, sed Evangelium quod est doctrina gratiæ et reconciliationis miracula debuit sortiri homogenea, hoc est, vivifica et salutaria. Quemadmodum ergo ex miraculis Mosis doctrina ejus illustrem in modum coram toto Israële fuit confirmata; sic Christus miraculis suis doctrinæ salutaris veritatem luculenter demonstravit. Non potest ergo hactenus finis iste morti seorsim a miraculis tribui.

XXXVI. 3. Eadem absurditas longe clarius se prodit respectu *Resurrectionis* et exaltationis Christi. Nam si in morte Christi habemus tantum obsignationem remissionis peccatorum, et viæ salutis exemplum, Cur idem beneficium *Resurrectioni* Christi pariter non adscribitur, quæ non minus ad hoc effectum contulisse deprehenditur, imo multo propius et efficacius id attingit? Nam, si credimus Adversariis, hac demum ratione mors ad remissionem hanc intercedit, quia antecessit ipsam resurrectionem, nempe remissio peccatorum ex ipsis non contingit nisi sancte viventibus; Ita loquitur Socinus, lib. iii. cap. 2, Sanctimoniam vitæ facit fides et spes certa præmii, hanc fidem ingenerat exemplum Christi ob vitæ sanctimoniam a mortuis excitati et glorificati, istam excitationem mors antecessit, et mortis toleratio antecedens conditio fuit gloriæ subsecutæ, sic non proxime et immediate, sed mediate tantum et remotissime mors erit causa remissionis vel potius ejus confirmatio. Quis vero tantas ambages ferat ubi Spiritus Sanctus tam aperte loquitur? Nam si mors beneficium hoc nobis procurat tantum interventu resurrectionis, cur constanter morti tanquam propriæ et singulari causæ tribuitur, nusquam autem vel raro admodum resurrectioni, idque nonnisi respectu applicationis; At resurrectioni multo

verius et melius competebat quam morti ex Adversariorum hypothesi. Deinde, Scriptura modum connexionis inter mortem Christi et remissionem peccatorum explicat voce *placaminis*, Rom. iii. 25, 1 Joh. ii. 2, Eph. i. 7, quod morti quidem optime, resurrectioni autem nequaquam possit aptari. Tertio, Paulus morti seorsim a resurrectione et vita effectum redemptionis et reconciliationis tribuit, Rom. v. 10, "Si cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius," ubi mors opponitur vitæ gloriosæ, et illi quidem reconciliatio inimicorum tribuitur, per sanguinis scilicet fusionem et oblationem corporis, quæ actus fuit sacerdotalis, sacerdotis enim est peccata expiare, Deum placare, atque ita pacem facere, isti vero conservatio et plena liberatio amicorum, quæ virtutis est regiæ quam Christus in gloriosa sua exaltatione exerit. Cum ergo Scriptura constanter hoc beneficium morti Christi tribuat, nullaque ratio dari possit, cur ipsi potius quam resurrectioni adscribendum sit ex Adversariorum sententia, imo magis proprium et immediatum sit resurrectionis effectum, inde deducitur quod nos intendimus, diverso plane modo morti tribuendum esse, per viam scilicet meriti et satisfactionis.

XXXVII. Regerit hic Crellius, rationes varias dari cur morti potius quam resurrectioni hic effectus tribuatur; 1°. Quia in ea summa Dei et Christi erga genus humanum adhuc impium et ipsi inimicum charitas apparuit, ideo nihil ea aptius fuisse ad remissionem peccatorum in novo fœdere promissam, demonstrandam et sanciendam, et jus quoddam nobis concedendum, quo eam repetere a Deo et Christo queamus si ad eum conversi fuerimus. 2°. Quia in morte sit sancitum novum illud fœdus in quo se ad remissionem peccatorum nobis concedendam obstrinxerit Deus, idque vel σχετικῶς ad vetera fœdera, quemadmodum humana fœdera cæso animali et sanguine fuso sanciri et confirmari solebant, et fœdus antiquum fuit sanguine stabilitum et initiatum, vel etiam quod per mortem Christi salutis æternæ via in Nov. Test. primum præscripta, exemplo ejus fuerit insigniter comprobata et, ut loquitur Spiritus Sanctus, initiata et dedicata, Heb. x. 19, 20. Atque hinc patere dicit cur Christus sanctissimum Eucharistiæ ritum non proprie ad vitæ et resurrectionis, sed ad mortis fusique sanguinis memoriam et annuntiationem instituerit, quia ea fœdus novum est sancitum, in quo remissio peccatorum nobis promittitur. 3°. Quia alludere voluerunt Scriptores S. ad varia quæ melius morti quam vitæ et resurrectioni respondent, ut ad sanguinem fœderis antiqui et ejus aspersionem, qua Israëlitæ quodammodo fœderi adscripti fuerunt; ad sanguinem victimarum legalium; ad voces *redemptionis*, *acquisitionis*, *pretii*; ad ablutiones, et purgationes varias, sive in lege olim præscriptas, sive vulgares et profanas: at omnis elegantia et argutia quam eos sectari nonnunquam videmus periret, si loco mortis, vel vita vel resurrectio Christi substitueretur.

XXXVIII. Sed hic eadem semper oberrat chorda, et vel nihil dicit, vel quod pro nobis non obscure facit. Nam quod ad prius, etsi charitas Dei ac Christi luculenter se in morte Christi exhibuerit, non facit hoc tamen, ut illi soli peccatorum remissio tribui debeat, non vero potius resurrectioni, quæ causa propria est istius beneficii, si nihil aliud est remissio quam potens et efficax a pœna liberatio, ut illi statuunt. Adde quod major est charitas peccata ipsa actu remittere, et ad cœlestis gloriæ possessionem nos vocare, quod Christus vivens et exaltatus præstitit, quam remissioni isti et gloriæ fidem facere moriendo. Illustrissimum sane et maximum dicitur Christus in morte nobis dedisse amoris testimonium, Joh. xv. 13, sed id longe alia de causa dicitur quam ab Adversariis intelligitur; quia scilicet

moriendo animam posuit pro nobis, hoc est, non tantum doctrinam suam confirmavit, sed loco ac vice nostra se substituendo pro nobis satisfecit. Secunda ratio Adversarium jugulat, nam si super morte et sanguine Christi sancitum sit novum fœdus, utique in morte solvi debuit λύτρον pro nobis debitum, et satisfactio justitiæ divinæ quæ fœderis istius fuit fundamentum; non potuit enim Deus in gratiam redire cum creatura, illamque in communionem fœderis recipere, nisi prius justitiæ quæ peccato læsa fuerat probe litatum esset, (ut ostensum fuit in Disput. de Necessitate satisfactionis), ad cujus adumbrationem Deus sanguinem adhiberi voluit ad fœderis antiqui confirmationem, Exod. xxiv., Heb. ix. Verum quidem victimas etiam locum habuisse in fœderibus humanis sanciendis, unde phrasis orta *ferire fœdus* a feriendis victimis ad majorem certitudinem et perennitatem ab utraque contrahentium parte contestandam, ita feriendum esse docentes eum qui primus fœdifragus fuisset, de quo ritu vide Livium lib. i., qui formulam fœderis antiquissimi inter P. R. et Regem Albanorum icti latissime persequitur, et Virgil., lib. viii. Æneid., Suet. in Claud. cap. 35. Sed a fœderibus humanis ad divinum argumentari quis velit? maxime cum inconstantia et mutabilitas quæ in humanis facile locum habet, ab hoc quod a Deo pangitur, et in eo solo totum fundatur, procul removenda sit, ideoque sanguinem adhiberi ad constantiam hanc testandam necesse nihil fuit. Quid ergo? ad iram ejus placandam effusus est, qui finis præcipuus fuit sacrificiorum. Atque hinc patet quo sensu dicatur via per sanguinem dedicata, Heb. x. 20, non tantum quia eam suo exemplo nobis præmonstravit, sed quia eam merito suo aperuit, nam ante ejus mortem via salutis erat plane invia, οὐρανὸς ἄβατος, Justitia Dei aditum paradisi gladio suo flammeo intercludente, sed jam sanguine Christi placata Dei ira omnia nobis patent, cœlum panditur fidelibus, ita ut libere et cum fiducia eo sequi possimus Christum præcursorem nostrum, Heb. vi. 19, 20. Unde colligitur Christum appositissime sacram Cœnam instituisse non in memoriam vitæ et resurrectionis, sed præcipue mortis, quia in ea nobis dare voluit sigillum fœderis gratiæ et sacramentum remissionis peccatorum et reconciliationis nostræ cum Deo, quod a morte Christi unice et ἐξόχως pendet. Tertia ratio non inscitiam tantum ejus prodit, sed et impietatem, dum in vanas argutias et elegantias sermonis convertit eas locutiones, quæ recondita proponunt mysteria, quasi S. Scriptores per merum ingenii lusum usi fuissent allusionibus absque ullo fundamento, quod quam alienum sit a gravitate et majestate Spiritus S. in Scriptura loquentis piis omnibus judicandum relinquimus. Imo κατὰ τὸ βίαιον fortius argumentamur, Si sanguis fœderis antiqui et sacrificia victimarum legalium ad quæ alludit Spiritus S. expiationem carnalem faciebant, si redemptio et acquisitio proprie dicta pretium et satisfactionem important, omnino necesse est Christum in morte et expiationem et satisfactionem aliquam præstitisse, ut veritas figuris, et res vocibus apprime respondeant.

XXXIX. 4. Absur. Posita sententia Adversariorum nulla erit Justitia illa Christi quæ toties a Paulo commendatur, tanquam fundamentum justificationis nostræ, et fons omnis nostræ consolationis et spei, cum ait per eam nos justos constitui, Rom. v. 18, in ea nos inveniri, Phil. iii. 9, et esse in ipso, 2 Cor. v. 21, ea indui et tegi adversus criminationes Legis et Diaboli, Rom. iv. 7, 8. Nam si vera est ipsorum mens, Christus nil nisi exemplum nobis contulit, et tota justitia fidelis in fide et obedientia mandatorum divinorum consistit, ita ut fides ipsa nobis imputetur in justitiam et reputetur per acceptilationem pro perfecta justitia apud Deum, ut Socinus, part. 4. c. 11, fuse probare conatur. Quid vero est totum Evangelium evertere si hoc non est? Si enim fides imputatur pro justitia,

falso ergo dixerit Apostolus nos aliena justitia justos constitui, Rom. v., nos esse justitiam in Christo non in nobis, et deprehendi habentes non justitiam nostram quæ est ex lege, sed eam quæ est ex fide Jesu Christi, nam quis dicere sustineat fidem vel obedientiam non esse nostram? Imo, quod gravius adhuc est et magis intolerandum, confunditur Lex cum Evangelio, vetus Fœdus operum cum novo gratiæ Fœdere, cum ex istorum mente utrobique per propriam obedientiam justificemur. Nec Paulus potuit antithesim toties instituere inter fidem et opera, cum ex istis fides qua opus Deo gratum justificet.

XL. 5. Absur. Metaphorice et figurate sine necessitate exponuntur quæcunque Scriptura de redemptione per Christum parta, de pretio sanguinis, et ἀντιλύτρῳ quod pro nobis dedit, de sponsione et vadimonio ejusdem loco nostro suscepto, expresse dicit innumeris in locis; cum tamen nuspiam hæc metaphora a Spiritu Sancto notata sit, et verbis propriis explicata, quod necessarium erat imprimis ne in errorem periculosum incideremus, proprie interpretando quod figurate tantum et improprie dictum est: unde vel defecisse Spiritum Sanctum in necessariis dicendum est, et non satis suorum saluti et fidei prospexisse, quod impium est vel cogitare, vel statuendum istas omnes locutiones proprie et vere prout sonant intelligendas esse, non figurate tantum et metaphorice. 6. Absur. Si mors Christi infligi debuit ad testimonium perhibendum doctrinæ suæ de peccatorum remissione: Ergo remissio prius fuerit necesse est; Nam res ante sit oportet quam testata fiat, rei enim existentia causa est testimonii, non contra, sic mors potius effectus erit remissionis quam remissio mortis. At Scriptura tamen dicit nos remissionem consequi per sanguinem, Eph. i. 7, Col. i. 14, et sanguinem delere peccata nostra, 1 Joh. i. 7, Item sanguinis effusionem esse aliquid antecedens sine quo non fiat remissio, Heb. ix. 22.

XLI. 7. Absur. Officium Sacerdotale Christi tollitur, vel cum Prophetico et Regio confunditur; sive oblationem mortis, sive intercessionem vitæ spectes, qui duo sunt actus muneris sacerdotalis. Nam ad priorem quod attinet, cum mortuus supponatur Christus tantum ad doctrinæ confirmationem, hoc ipso mortuus erit ut Propheta, et Doctor, non ut Sacerdos. Posteriorem vero non minus evertunt, Intercessionem dico, tum quia non potest statui actus proprie sacerdotalis nisi quatenus sacrificii peracti virtute nititur, tum quia ἔντευξιν illam nolunt ipsi peragi precibus, et repræsentatione meriti, sed assidua et potenti salutis nostræ cura, quod ad Regium munus, non vero ad sacerdotale pertinet. Scio passim id discriminis ab iis statui inter hæc duo munera, ut Regno quidem potestatem, Sacerdotio vero voluntatem nos juvandi et servandi abscribant: Sed quis sanæ mentis potestatem a voluntate tanquam duos diversos duplicis muneris actus distinguat? Annon boni Principis est, non tantum posse juvare et servare suos subditos, sed etiam ipsis bene velle? Cum ergo discrimen illud nullum sit, patet duo hæc munia perperam confundi et posterius plane abrogari. Neque hic obstare potest quod iidem reponunt, Quicquid a Sacerdote expectamus, id omne ab ipso ut Rege proficisci posse, ut quod peccata expiet et purget, id enim fieri per destructionem hostium spiritualium, peccati, mortis et Satanæ, quæ Christo ut regi tribuitur, 1 Cor. xv. 24, 25; quod afflictis prompte succurrat, Heb. ii. 17, 18, id enim regii etiam esse muneris ad thronum suum accedentibus opem ferre. Nam 1. Nihil obstat ut duæ causæ sociæ concurrant ad unum eundemque effectum producendum, quæ tamen eædem non sint, aut in se mutuo inclusæ. 2. Etsi varia munera Christi seorsim in variis actibus considerentur, ut Propheticum in evangelii præconio, Sacerdotale in mortis sacrificio, Regium in

Ecclesiæ et fidelium regimine, tamen plerumque in singulis actibus conjunguntur secundum varias illorum σχέσεις. Verbi gratia, in morte, Christus egit simul ut propheta, ut sacerdos et rex, Sacerdos *respectu Dei*, qui placandus fuit justitia perfecta, Eph. v. 2, Rex *respectu Diaboli* qui debellandus fuit virtute et potentia summa, Heb. ii. 14, Col. ii. 15, Propheta, Rex et Sacerdos *respectu hominum* qui docendi fuerunt hoc admirabili fidei et constantiæ exemplo, purgandi pretioso sanguinis merito, et victoria ac triumpho donandi divina hujus mortis et sanguinis efficacia, Apoc. xii. Quanquam ergo ad mortem qui proprie fuit actus sacerdotalis concurrerit Christus etiam quodammodo ut rex et propheta, non sequitur tamen hæc munia permisceri, unumquodque enim agit quod suum est, quemadmodum in istis operationibus θεανδρικαῖς divina et humana natura pariter concurrunt. Idem dicendum respectu intercessionis, ad eam enim Christus concurrit ut sacerdos meritum sanguinis sui repræsentando, et simul ut rex efficaciter illius virtutem applicando.

XLII. 8. Absur. Denique, ne plura congeramus, sequeretur unum Socinum cum pauculis suis asseclis vidisse in hoc palmario salutis articulo quod universam latuit puriorem Antiquitatem, imo cujus contrarium constanter propugnatum fuit. Nec difficile esset, si thesium ratio id pateretur, demonstrare per singula secula constantem fuisse hanc nostram de *Veritate Satisfactionis* in Ecclesia Orthodoxa sententiam, nec unquam nisi a Pelagianis, et maleferiatis istiusmodi hominibus vel in dubium vocatam vel negatam. Sed tempus est ut manum de tabula ponamus et disputationi huic κατασκευαστικῇ quæ sensim et præter mentem plus justo videtur progressa, colophonem tandem imponamus. Cum ergo ex antecedentibus constet Christum *vere Sponsorem* nostrum factum fuisse, *vere* et non metaphorice nos *redemisse*, *vere pro nobis* et loco nostro *mortuum* esse et maledictionem factum, *vere peccata* nostra non autoritative tantum per gratiam auferendo, sed passive in se recipiendo *portasse*, *vere agoniam* et *desertionem pœnalem* sensisse, *vere* in *sacrificiis* hilasticis Vet. Test. *adumbratum* fuisse, concludamus fidenter ex præmissis D. N. Jesum Christum θεάνθρωπον divinæ Justitiæ pro peccatis nostris *Vere Satisfecisse*. Ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Ut constet Sententiam Orthodoxam non destitui purioris Antiquitatis suffragio, paucula ex innumeris damus Veterum Testimonia, quibus liquet piam hanc de Satisfactione Christi doctrinam constanter agnitam fuisse et creditam.

Justinus Martyr qui floruit circa ann. C. 150. *Dialog. cum Tryphone Judæo*, pag. 177.

"Τοῦτο ἐκεῖνο τὸ σωτήριον λοῦτρον ἦν ὃ εἵπετο τοῖς μεταγινώσκουσι καὶ μηκέτι αἵματι τράγων καὶ προβάτων, ἢ σποδῷ δαμάλεως, ἢ σεμιδάλεως προσφοραῖς καθαριζομένους, ἀλλὰ πίστει διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ὃς διὰ τοῦτο ἀπέθανεν ὡς αὐτὸς Ησαίας ἔφη, &c. Hoc illud salutare lavacrum fuit, quod eos est consequutum qui pœnitentiam egerunt, neque amplius hircorum et ovium sanguine, aut vitulæ cinere, similæve oblationibus sunt expiati, sed fide per sanguinem Christi et mortem ejus, qui ea ipsa de causa mortuus est quemadmodum Isaias dicit," &c; ubi cum expiatio facta dicatur non per sanguinem hircorum et ovium, sed per sanguinem Christi et mortem ejus, qui ea potissimum de causa mortuus dicitur, ut fuse idem Author ibid. probat ex cap. liii. Isaiæ, satis ex eo liquet Christi Satisfactionem connotari quæ in expiatione necessario includitur. Hoc ipsum vero luculentius probat, p. 252, ubi diserte habet Deum voluisse Christum omnium maledictiones in se recipere, quod fieri nequaquam potuisset, nisi ipse omnium loco substitutus, eorum pœnas revera tulisset, "Εἰ

οὖν καὶ τὸν ἑαυτοῦ χριστὸν ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων ὁ πατὴρ τῶν ὅλων τὰς πάντων κατάρας ἀναδέξασθαι ἐβουλήθη, εἰδὼς ὅτι ἀναστήσει αὐτὸν σταυρωθέντα καὶ ἀποθανόντα, &c. Si ergo Deus rerum universarum parens, Christum suum ex omni mortalium genere omnium maledictiones excipere voluit, sciens quod eum crucifixum et mortuum suscitaturus esset," &c.

Tertullianus qui sub finem secundi seculi vixit,

Lib. adversus Judæos, c. 13.

"Christum oportebat pro omnibus gentibus sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, et velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum."

Origenes Adamantius qui circa ann. 230, floruit.

Homil. iv. *in Numer.*

"Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc quod erat in principio, Deus Verbum. Verum quoniam introiit peccatum in mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, et propitiatio non sit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato."

Et *in Matth. c.* 16, *tract.* 11. "Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua, Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem filii sui; Nec enim empti sumus corruptibili argento vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati."

Cyprianus qui Martyrio coronatus est circa ann. 258.

Epist. 63, *ad Cæcil. parag.* 9.

"Nos omnes portabat Christus, qui et peccata nostra portabat."

Idem de Passione Christi.

"Causam mortis in te," (*Christum alloquitur*), "non esse Pilatus ipse prædixerat, et Caiaphas mortem tuam pro inimico populo satisfacturam, cum esset anni illius Pontifex, prophetaverat," *et mox*, "Cum originali morti nullum nisi in Christi morte potuerit esse remedium, nec reconciliare Deo potuerit exules et damnatos quælibet oblatio, nisi sanguinis hujus singulare sacrificium," &c.

Eusebius Cæsariensis qui tempore Constantini Magni vixit.

Lib. x. *de demonstra. Evangel. c.* 1.

"*Γέγονε γοῦν ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ὃν καὶ μὴ γνόντα ἁμαρτίαν ὁ Θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ἀντίψυχον ὑπὲρ πάντων ἡμῶν προϊέμενος αὐτὸν ἵνα ἡμεῖς γενώμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν αὐτῷ.* Factus est ergo pro nobis Execratio Agnus Dei qui tollit peccatum mundi, quem etiamsi non novisset peccatum, peccatum pro nobis fecit Deus, loco omnium nostrum vicarium eum substituens ut essemus justitia Dei in ipso."

Et paulo post clarius hoc ipsum argumentum exequitur cum addit, "*Οὐ μόνον δὲ ταῦτα πράξας ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ ἡμῶν κολασθεὶς καὶ τιμωρίαν ὑποσχὼν ἣν αὐτὸς μὲν οὐκ ὤφειλεν, ἀλλ' ἡμεῖς τοῦ πλήθους ἕνεκεν τῶν πεπλημμελημένων, ἡμῖν αἴτιος τῶν ἁμαρτημάτων ἀφέσεως κατέστη, ἅτε τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀναδεξάμενος θάνατον μάστιγάς τε καὶ ὕβρεις καὶ ἀτιμίας ἡμῖν ἐποφειλομένας εἰς ἑαυτὸν μεταθείς, καὶ τὴν ἡμῖν προστετιμημένην κατάραν ἐφ' ἑαυτὸν ἑλκύσας, γενόμενος ὑπὲρ ἡμῶν κατάρα.* Non solum vero hæc agens Agnus Dei, autor remissionis peccatorum nobis factus est, sed et pro nobis supplicio et pœna affectus, quam ipse non debebat, sed nos propter multitudinem peccatorum nostrorum; tum loco nostro mortem suscipiens et in seipsum transferens flagra, injurias, et ignominias nobis debitas, et ad se trahens maledictionem nobis paratam, factus pro nobis maledictio."

Athanasius Episcopus Alexandrinus qui sub Constantino floruit circa ann. 340.

De Incarnatione Verbi Dei, p. 52.

"*Θανάτου γὰρ ην χρεία, καὶ θάνατον ὑπὲρ πάντων ἔδει γένεσθαι ἵνα τὸ παρὰ πάντων ὀφειλόμενον γένηται· ὅθεν, ὡς προεῖπον, ὁ λόγος ἐπεὶ οὐκ οἷον τε ἦν αὐτὸν ἀποθανεῖν (ἀθάνατος γὰρ ἦν) ἔλαβεν ἑαυτῷ σῶμα τὸ δυνάμενον ἀποθανεῖν. ἵνα ὡς ἴδιον ἀντὶ πάντων αὐτὸ προσενέγκῃ,*" &c., et ibid. p. 69, "*καὶ τῷ τοιούτῳ τοῦ θανατοῦ τρόπῳ ἡ σωτηρία πᾶσι γέγονε καὶ ἡ κτίσις πᾶσά λελύτρωται· οὗτος ἐστίν ἡ πὰντων ζωὴ, καὶ ὡς πρόβατον ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ἀντίψυχον τὸ ἑαυτοῦ σῶμα εἰς θάνατον παραδοὺς,* &c. Morte enim opus fuit et mortem pro omnibus inferri necessum erat, ut quod ab omnibus debitum erat lueretur; Quamobrem, ut dixi, Verbum quoniam mori non potuit utpote immortale, corpus sibi sumpsit quod mori poterat, illudque ut suum pro omnibus, obtulit," &c. Et alibi p. 66. "Hoc mortis genere omnium salus parata est, et omnis creatura redempta; Hæc est omnium vita et ut ovis pro omnium salute vicarium succedaneumque suum corpus in mortem tradidit," &c. Id ipsum fuse in eodem loco variis rationibus persequitur.

Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia qui Valente imperante floruit ann. 370, et sub Gratiano obiit.

Homil. in Psal. xlviii, qui Heb. xlix.;

"Εὑρέθη ἓν, *ὁμοῦ πάντων ἀντάξιον, ὁ ἐδόθη εἰς τιμὴν λυτρώσεως τῆς ψυχῆς ἡμῶν, τὸ ἅγιον καὶ πολύτιμον αἷμα τοῦ* Κυρίου *ἡμῶν* Ιησοῦ Χριστοῦ. Inventum est unum cæteris omnibus præstantius pretium quod datum est in redemptionem animæ nostræ, sanctus et pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi."

Ambrosius Mediolanensis Episcopus qui Gratiano et Theodosio Imperantibus vixit ann. 374;

Lib. de Joseph Patriar. c. 4;

"Venditus est Joseph in Ægypto quia Christus venturus erat ad eos quibus dictum est Peccatis vestris venditi estis. Et ideo suo sanguine redemit quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione non culpæ, peccatique pretio non tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostro debitum, non suo ære contraxit, chirographum sustulit, fœneratorem removit, exemit debitorem, unus exsolvit quod ab omnibus debebatur."

Et li. de Esau. seu fuga seculi. c. 7;

"Deus ideo suscepit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret, et factus est pro nobis maledictum ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem, suscepit enim mortem ut impleretur sententia, satisfieret judicato per maledictum carnis peccatricis usque ad mortem. Nihil ergo factum est contra sententiam Dei, cum sit divinæ conditio impleta sententiæ," &c.

Et li. iii. de Virgin. sub finem;

"Eramus oppignerati malo creditori peccatis; contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Jesus, suum pro nobis sanguinem obtulit;" Et mox, "Ergo et te dignum gere tali pretio, ne veniat Christus, qui te mundavit, qui te redemit, et si te in peccato invenerit dicat tibi, Quæ utilitas in sanguine meo? Quid profert tibi dum descendo in corruptionem?" &c.

Augustinus qui in initio quinti seculi vixit;

Lib. xiv. contra Faustum Manichæum, c. 4.

"Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum."

Enarratio, in Psal. xcv.

"Tenebantur homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium, fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, et invenite quid emerit; Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes?" &c.

Et Serm. 141 de Tempor.

"Dominus noster Jesus Christus communicando nobiscum sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam," &c.

Idem lib. iv. contra duas Pelagianorum Epistolas. c. 4.

"Sicut solus ideo factus est hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: Ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali," &c.

Leo Magnus qui tempore Theodosii junioris florebat ann. 440.

De passi. Serm. 13.

"Quamvis in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas, et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Jesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati."

Anselmus qui Cantuariensis Archiepiscopus factus est ann. D. 1093.

Lib. de Concepti. Virgi. et pecca. Orig. c. 21.

"Dicit aliquis, Si non habent singuli peccatum Adæ, quomodo asseris nullum salvari sine satisfactione peccati Adæ? nam qualiter justus Deus exigit ab illis satisfactionem quod non habent? Ad quod dico, Deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet; sed quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui salvantur, plusquam debetur."

ΕΠΙΜΕΤΡΑ RESPONDENTIS.

I. An in probanda S. Scriptura committamus Circulum, an vero Pontificii? *N. prius*, *A. posterius.*

II. An Dei Decretum et Concursus tollat contingentiam rerum vel eum peccati authorem faciat? *N.*

III. An Christus sit unicus noster Mediator? *A.*

IV. An Paulus de se ut regenito loquutus sit in postrema parte capitis septimi Epistolæ ad Rom.? *A.*

V. An verba S. Cœnæ, Hoc est corpus meum, tropice sint intelligenda, an literaliter? *A. Prius*, *N. Posterius.*

VI. An decretum synodi Hierosolymitanæ fuerit perpetui Juris? *D.*

VII. An quis bona conscientia Pontificiorum Sacris interesse possit? *N.*

Athanasius Episcopus Alexandrinus qui sub Constantino floruit circa ann. 340.

De Incarnatione Verbi Dei, p. 52.

" *Θανάτου γὰρ ἦν χρεία, καὶ θάνατον ὑπὲρ πάντων ἔδει γένεσθαι ἵνα τὸ παρὰ πάντων ὀφειλόμενον γένηται· ὅθεν, ὡς προεῖπον, ὁ λόγος ἐπεὶ οὐκ οἷον τε ἦν αὐτὸν ἀποθανεῖν (ἀθάνατος γὰρ ἦν) ἔλαβεν ἑαυτῷ σῶμα τὸ δυνάμενον ἀποθανεῖν, ἵνα ὡς ἴδιον ἀντὶ πάντων αὐτὸ προσενέγκῃ,*" &c., et ibid. p. 69, " *καὶ τῷ τοιούτῳ τοῦ θανατοῦ τρόπῳ ἡ σωτηρία πᾶσι γέγονε καὶ ἡ κτίσις πᾶσα λελύτρωται· οὗτος ἐστίν ἡ πάντων ζωὴ, καὶ ὡς πρόβατον ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ἀντίψυχον τὸ ἑαυτοῦ σῶμα εἰς θάνατον παραδοὺς*, &c. Morte enim opus fuit et mortem pro omnibus inferri necessum erat, ut quod ab omnibus debitum erat lueretur; Quamobrem, ut dixi, Verbum quoniam mori non potuit utpote immortale, corpus sibi sumpsit quod mori poterat, illudque ut suum pro omnibus, obtulit," &c. Et alibi p. 66. " Hoc mortis genere omnium salus parata est, et omnis creatura redempta; Hæc est omnium vita et ut ovis pro omnium salute vicarium succedaneumque suum corpus in mortem tradidit," &c. Id ipsum fuse in eodem loco variis rationibus persequitur.

Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia qui Valente imperante floruit ann. 370, et sub Gratiano obiit.

Homil. in Psal. xlviii, qui Heb. xlix.;

" *Εὑρέθη ἓν, ὁμοῦ πάντων ἀντάξιον, ὃ ἐδόθη εἰς τιμὴν λυτρώσεως τῆς ψυχῆς ἡμῶν, τὸ ἅγιον καὶ πολύτιμον αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Inventum est unum cæteris omnibus præstantius pretium quod datum est in redemptionem animæ nostræ, sanctus et pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi."

Ambrosius Mediolanensis Episcopus qui Gratiano et Theodosio Imperantibus vixit ann. 374;

Lib. de Joseph Patriar. c. 4;

" Venditus est Joseph in Ægypto quia Christus venturus erat ad eos quibus dictum est Peccatis vestris venditi estis. Et ideo suo sanguine redemit quos propria peccata vendiderant. Sed venditus Christus conditionis susceptione non culpæ, peccatique pretio non tenetur, quia peccatum ipse non fecit. Pretio igitur nostro debitum, non suo ære contraxit, chirographum sustulit, fœneratorem removit, exemit debitorem, unus exsolvit quod ab omnibus debebatur."

Et li. de Esau. seu fuga seculi. c. 7;

" Deus ideo suscepit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret, et factus est pro nobis maledictum ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem, suscepit enim mortem ut impleretur sententia, satisfieret judicato per maledictum carnis peccatricis usque ad mortem. Nihil ergo factum est contra sententiam Dei, cum sit divinæ conditio impleta sententiæ," &c.

Et li. iii. de Virgin. sub finem;

" Eramus oppignerati malo creditori peccatis; contraximus chirographum culpæ, pœnam sanguinis debebamus. Venit Dominus Jesus, suum pro nobis sanguinem obtulit;" Et mox, " Ergo et te dignum gere tali pretio, ne veniat Christus, qui te mundavit, qui te redemit, et si te in peccato invenerit dicat tibi, Quæ utilitas in sanguine meo? Quid profert tibi dum descendo in corruptionem?" &c.

Augustinus qui in initio quinti seculi vixit;

Lib. xiv. contra Faustum Manichæum, c. 4.

" Suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum."

Enarratio, in Psal. xcv.

"Tenebantur homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium, fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, et invenite quid emerit; Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes?" &c.

Et Serm. 141 de Tempor.

"Dominus noster Jesus Christus communicando nobiscum sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam," &c.

Idem lib. iv. contra duas Pelagianorum Epistolas. c. 4.

"Sicut solus ideo factus est hominis filius, ut nos per illum Dei filii fieremus: Ita solus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali," &c.

Leo Magnus qui tempore Theodosii junioris florebat ann. 440.

De passi. Serm. 13.

"Quamvis in conspectu Domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas, et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ non dona justitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere solvit, cum inter filios hominum solus Dominus noster Jesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati."

Anselmus qui Cantuariensis Archiepiscopus factus est ann. D. 1093.

Lib. de Concepti. Virgi. et pecca. Orig. c. 21.

"Dicit aliquis, Si non habent singuli peccatum Adæ, quomodo asseris nullum salvari sine satisfactione peccati Adæ? nam qualiter justus Deus exigit ab illis satisfactionem quod non habent? Ad quod dico, Deus non exigit ab ullo peccatore plus quam debet; sed quoniam nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui salvantur, plusquam debetur."

ΕΠΙΜΕΤΡΑ RESPONDENTIS.

I. An in probanda S. Scriptura committamus Circulum, an vero Pontificii? *N. prius*, *A. posterius*.

II. An Dei Decretum et Concursus tollat contingentiam rerum vel eum peccati authorem faciat? *N.*

III. An Christus sit unicus noster Mediator? *A.*

IV. An Paulus de se ut regenito loquutus sit in postrema parte capitis septimi Epistolæ ad Rom.? *A.*

V. An verba S. Cœnæ, Hoc est corpus meum, tropice sint intelligenda, an literaliter? *A. Prius*, *N. Posterius*.

VI. An decretum synodi Hierosolymitanæ fuerit perpetui Juris? *D.*

VII. An quis bona conscientia Pontificiorum Sacris interesse possit? *N.*

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS OCTAVA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS OCTAVA.

Respondente JOHANNE MELONO, *Syjacensi Aquitano.*

I. Quamvis absoluta priori et potissima Disceptationis quam institueramus parte, quæ circa Orthodoxæ sententiæ κατασκευὴν versatur, animus non esset ulterius progredi ad ἀνασκευὴν argumentorum quibus οἱ ἐξ ἐναντίας salutarem hanc veritatem eunt oppugnatum, ne terminos thesium videremus prætergredi, Quando tamen hoc etiam non ingratum fore cognovimus, pio studiosorum desiderio satisfacere non gravamur, et præcedentibus disputationibus hanc etiam attexere, quæ præcipuorum sophismatum, quibus hac in parte uti solent hæretici, solutionem aperiat.

II. Cum vero multiplici argumentorum genere pugnent, quo facilius et clarius procedat tota hæc velitatio, ad sex capita ea revocamus. 1°. Primo enim contendunt *Satisfactionis* doctrinam ἄγραφον esse, quæ nec expresse nec æquipollenter in Scriptura tradatur; 2°. Esse *impossibilem* ratione *Dei* Judicis cui satisfaciendum fuit; 3°. Ratione *Christi* satisfacientis; 4°. Ratione *pœnæ* quæ ad satisfactionem requiritur; 5°. Ratione *hominum* reorum, pro quibus satisfactio fieri debuit; 6°. Denique varia absurda gravissima inducere. Itaque si semel demonstraverimus nec inauditam in Scriptura multominus illi adversam esse, nec impossibilem vel a parte Dei, vel Christi, vel pœnæ, vel hominum ipsorum, si nihil absurdi post se trahere probatum fuerit, causæ nihil erit cur admitti non possit et debeat.

III. 1°. Primo ergo a *Scripturæ silentio* argumentantur: Quæcunque doctrina, inquiunt, nec expresse et totidem verbis in Scriptura traditur, nec terminis æquipollentibus, falsa est et erronea, quia nobis cum scriptura loquendum est et cum ea tacendum; At nec satisfactio nec quidquam quod satisfactioni æquipolleat, in scriptura docetur; Ubi enim legas Christum pro nobis satisfecisse? omnem pœnam justitiæ Dei pro nobis persolvisse? peccata nostra in se ut vadem derivasse et cætera ejusmodi quæ satisfactioni respondent? Rationem hanc urget imprimis Christoph. Ostorod., Instit. c. 35, et Catech. Racovi. c. 8, de morte Christi, q. 14, "Istius opinionis" (nostram intelligit) "assertores nunquam perspicuas scripturas afferunt, ad probandam istam opinionem, verum quasdam consecutiones nectunt, quibus quod afferunt efficere conantur, quas admittere æquum est

cum scripturis necessario adstruuntur, ita ubi scripturis repugnant, eas nullam vim habere certum est.

IV. Respondeo 1. ad Major.; Peccari insufficienti enumeratione, res enim aliqua potest esse in Scriptura, non tantum expresse et αὐτολεξεί, vel explicite, et κατ' ἰσοδυναμίαν, sed etiam implicite et κατὰ συνακολουθίαν. Sane quod nullo modo in Scriptura traditur, merito suspectum esse debet, imo tanquam falsum et adulterinum explodi, at quod non extat quidem αὐτολεξεί et κατὰ τὸ ῥητὸν, sed κατὰ τὴν διάνοιαν vel *æquipollenter*, vel *consecutive*, necessaria, proxima, et evidenti consequentia, non continuo erroris potest argui, non minus enim de Scriptura esse censetur, quam id quod totidem verbis in ea traditur. "Nec enim," ut bene olim Hieronymus in cap. i. Gal., "in verbis Scripturarum est Evangelium, sed in sensu, nec in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis." Imo cum norit Deus quid ex dictis suis legitime colligi possit, eo ipso dixisse censendus est quicquid ex Verbo suo necessario et evidenter colligitur. Atque huc pertinet utilissimus aphorismus Gregorii Nazianzeni, qui disputans adversus Pneumatomachos, Spiritus Sancti divinitatem nullo Scripturæ loco proditam vociferantes, de Scripturæ more et usu agit his verbis, Oratione xxxvii: "Τά μὲν," inquit, "οὐκ ἐστι λέγεταί δε, τά δε ὄντα οὐ λέγεται, τά δε οὔτε ἐστιν οὔτε λέγεται, τα δε ἄμφω καί ἐστὶ καὶ λέγεται, Rerum aliæ non sunt, sed dicuntur," ut cum Deus dicitur in Scriptura dormire, "et aliæ cum sint minime dicuntur," ut ingenitus ἄναρχος, "et aliæ nec sunt nec dicuntur," ut improbus Deus, homo non compositus, "aliæ et sunt et dicuntur," ut Deus, homo, Angelus. Sic licet voces ipsæ quibus utimur ad explicandum aliquod mysterium non extent; modo res ipsæ vel aliis verbis vel consecutive ex Scriptura colligantur, sufficit. Nec alia fuit praxis Christi et Apostolorum, qui sæpissime per consequentias dogmata varia demonstrant, ut resurrectionem mortuorum, Matth. xxii. 29, ex Exod. iii. 6, et præcipuum totius Evangelii articulum, Jesum Mariæ filium esse Messiam illum in Vet. Test. partibus promissum, passim in libr. Act. et Epist. Apost., hoc enim totidem verbis non habetur in Vet. Test., sed per consequentias tantum elicitur. Non alia Patrum veterum, qui ad imitationem Christi et Apostolorum consequentiis ex Scriptura in confutandis hæreticis passim usi leguntur, nam, ut isto stratagemate plerumque utebantur hæretici in hæresibus suis defendendis ut exigerent a patribus probationes ex Scriptura αὐτολεξεί deductas, ut de Arianis, Macedonianis, et aliis probari facile posse; Ita methodus illa velut absurda et futilis a patribus semper fuit explosa, vide Tertullian., lib. de specta. c. 3, Athan. de Syn. Arimi. et Seleuc. et de decre. Syn. Nic. et Dial. contr. Macedon. T. 2. Atha., qui tamen Maximo ab Eruditis tribuitur; Adde Gregor. Nazianz. Orat. xxxvii., ubi egregie perstringit hærentes syllabis et literis, et elegantissimo elogio istos vocat alphabetarios sophistas, συκοφάντας τῶν ὀνομάτων, et inquit eos συλλαβαῖς ἀκολουθεῖν καὶ ἀφεῖναι τὰ πράγματα, innuitque se potius respicere τὰ νούμενα, quam τὰ λεγόμενα. Et Maximum Monachum qui solide hoc ipsum argumentum aliquot orationibus exequitur, præsertim oratione πρὸς τους κελευοντας μὴ πιστεύειν, August. epist. clxxiv. et lib. 3, contra Maximinum, c. 3, Maximino improbius flagitanti ut disertis ac nudis scripturæ verbis probaret Spiritum sanctum esse adorandum: "quasi non ex iis," inquit, "quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligamus," quibus et ista Chrysostomi consentanea sunt, tom. vii. in 1 Cor., "Λέγεται γὰρ γεγράφθαι, καὶ ὅταν μὴ διὰ τῶν ῥημάτων, ἀλλὰ δἰ αὐτῶν τῶν πραγμάτων κείμενα ᾖ ἐπὶ τῶν ἱστοριῶν, ἤ ὅταν αὐτὸ μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ' αὐτῶν δὲ

τῶν ῥημάτων, dicitur enim scriptum esse etiam quando non verbis, sed rebus ipsis sita fuerint in historiis, aut quando ipse quidem sensus fuerit positus, sed non ipsis iisdem verbis."

V. Ex quibus, ut hoc obiter dicamus, luculenter colligitur, quam absurda sit et ludicra illa nova et syllabica Sophistarum disputandi ratio, quam a veteribus hæreticis desumptam, infeliciter hoc nostro seculo renovarunt post Cardin. Perronium, Guntherius, Veronius, Regurtius Jesuitæ, Vallenburchii fratres, aliique istiusmodi agyrtæ et circulatores, qua putant se de nostris posse facile triumphare si petant expressa loca Scripturæ quæ dicant, v. g., Pontificem Rom. esse Antichristum, Missam non esse sacrificium ἱλαστικὸν, non dari purgatorium, &c. Sed ut jam olim a Patribus profligatum est hoc hæreticorum vanissimum commentum, ita et nunc a nostris non semel jam confutatum est solidissime; utpote quod non modo Scripturarum sacrarum et veterum patrum praxi repugnet, omnem usum sive theoreticum sive practicum Scripturæ tollat, hominem homine exuat, sed et arma atheis derisoribus, et quibuslibet hæreticis subministret ad fidei mysteria convellenda. Neque sic tamen putandum nos sufficientiæ et perfectioni scripturarum quidquam detractum ire, nam et de Scriptura esse dicimus, quidquid vel explicite vel implicite in ea continetur, et perfectio hæc ad dogmata ipsa proprie pertinet, non vero ad voces ipsas est extendenda, quas liberum et integrum Ecclesiæ fuit semper excogitare ad explicandas res ipsas Scripturis contentas adversus novatorum et hæreticorum fraudes et corruptelas. Fatemur Ecclesiam potuisse vocibus istis, quæ in scriptura non comparent, *absolute* carere, contentam rei veritate prout in scripturis proponitur, nec de iis contendendum anxie putaremus, modo res ipsa vocibus expressa arcte retineretur, ut bene observat Calvinus noster, lib. i. Instit. c. 13. Verum *relate* ad hæreticos quorum fraudes et præstigiæ patefaciendæ erant et latebræ excutiendæ, prudenter olim repertæ et utiliter hactenus sunt usurpatæ ad saniorem doctrinam ab ipsorum cavillis tum secernendam tum vindicandam: nam si in confessionibus fidei et formulis consensus nulla adhiberentur verba, nisi quæ in Scriptura extant, discerni non possent fideles ab infidelibus qui Scripturam admittunt. Sed id semper cavendum est, ut, si verba mutentur, res tamen eadem semper maneat: Ita in argumento de quo agimus, etsi vox ipsa *Satisfactionis* vel meriti Christi ut et vox *Trinitatis*, et ὁμοουσίου non expresse legatur in Scriptura, rejici tamen non debet quasi plane ἄγραφος, quum et res ipsa clarissime in ea contineatur, et phrases aliæ sint et voces æquipollentes plurimæ ex quibus non minus certe et perspicue eadem veritas eruitur. Quid enim sibi vult Scriptura cum toties testatur Christum esse sponsorem nostrum, ἱλασμὸν, et ἀντίλυτρον, qui peccata nostra portavit et propter iniquitates nostras traditus est, qui factus est peccatum et maledictio pro nobis, qui suo sanguine nos redemit, et pro nobis ac loco nostro mortuus, ut ex ejus vulneribus sanatio nobis extaret, quid, inquam, hisce et innumeris aliis phrasibus hujusmodi sibi vult Scriptura, si satisfactionem veram et proprie dictam Christi non docet? Sed quia hæc in antecedentibus jam excussa sunt, non opus est ut actum agamus; hoc tantum notamus, nostros Satisfactionis voce usos esse magis, quia cum pontificiis humanas satisfactiones asserentibus res ipsis erat, qui ideo mutuata a pontificiis voce satisfaciendi vim soli Christo adscripserunt.

VI. 2. Agnoscimus cum Adversariis distinguendas esse consequentias quæ educuntur ex Scripturis *necessarias* et *evidentes* ab *obscuris* et *probabilibus*, *proximas a remotis*, ἐμφύτους et *innatas* a *violentis illatis* et παρυσάκτοις, et illas tantum non has esse recipiendas. Sed negamus secundi ordinis

esse consecutiones illas quas ad mysterii hujus probationem elicimus, imo necessarias et proximas ac evidentes esse pertendimus. Nam si Christus nos a maledictione redemit ipse factus pro nobis maledictio, quid clarius est quam loco nostro satisfecisse, et eas quas commeriti eramus pœnas tulisse? Si se dedit ἀντίλυτρον pro nobis, si proprio sanguine nos redemit, si habemus ἱλασμὸν in ejus sanguine, quid proclivius est quam inde colligere Christum pretium illud quod debebatur justitiæ divinæ pro nobis persolvisse, et subrogatione sui in locum nostrum facta, ut in victimis olim fieri solebat, nostram redemptionem obtinuisse? Ita ex aliis facile est ostendere, tantum abesse ut consequentiæ istæ repugnent Scripturæ ut falso clamitant adversarii, ut apertissime et maxime proprie ex iis educantur.

VII. 3. Κατὰ τὸ βίαιον si omnes phrases et terminos quibus articuli fidei explicantur in scripturis κατὰ τὸ γρᾶμμα extare oportet, nihilque necessarium fit ad salutem et de fide, quod in Scripturis de verbo ad verbum non extet, ut Smalcius asserit contra Graverum, cadunt multi articuli religionis Socinianæ: ostendant enim nobis ubi legatur Christum Servatorem tantum exemplarem esse, Redemptionem ejus metaphoricam, mortem esse sequelam naturæ, non pœnam peccati, ubi sit vox *acceptilationis*, qua in hoc mysterio tam frequenter utuntur, et alia id genus. 4. Etsi hoc vocabulum totidem syllabis scriptum legeretur, nondum tamen satisfactum esset impietati Socinianæ, nec adversarii a præconcepta opinione recederent, sed suis etiam glossematis istud corrumpere et eludere conarentur, quod in aliis phrasibus ejusdem generis factum. Nam qui τὸ ἀπολυτροῦν et ἀπολύτρωσιν, ἀντίλυτρον, ἱλασμὸν, κατάραν, variis sophisticationibus enervare satagunt, quidni pariter satisfaciendi et satisfactionis verbum depravarent? Et ne de eo dubitemus, audiamus Socinum ipsum, quem non puduit hæc verba effutire, lib. iii., de Serva. c. 2, "Si vel unus saltem locus inveniretur in quo satisfactionis pro peccatis nostris Deo per Christum exhibitæ mentio fieret excusandi fortasse viderentur. Ego quidem etiamsi non semel sed sæpe in sacris monimentis scriptum extaret, non idcirco tamen ita rem prorsus se habere crederem." Eant ergo qui proprias et expressas voces hic requirunt, quando ne quidem se Scripturæ credituros profitentur licet aperte et expresse loqueretur. Quis fucum et fraudem non animadvertat? Quis impietatem non execretur, quæ scripturam procul esse jubet, ut ratio sola judex et norma fidei hic sedeat? Sed nos non sic didicimus Christum.

VIII. 2°. Objic., *Ex parte Dei impossibilem esse satisfactionem* ex eo probare conantur, quod Deus proponatur passim in Scriptura ut condonans gratis et misericorditer peccata omnia nostra; Jam si remittit gratis, inquiunt, quomodo satisfactionem vel postularet vel remitteret? quid remissioni magis contrarium quam vera et plena satisfactio? Si respondeas invicem quidem pugnare Remissionem et Satisfactionem, sed tum demum cum ab eo satisfactio proficiscitur, qui remissionem vel consecutus est vel consequi debet, posse autem optime consistere, cum uni remittitur, alius vero pro eo satisfacit, regerunt inanem esse responsionem; 1°. Illi non posse dici debitum remitti pro quo datur qui plene satisfaciat, quid enim opus remissione ubi nullum amplius debitum est, nullum autem esse amplius debitum, ubi jam plene pro eo satisfactum est; 2°. Ut debitum remittatur non satis esse debitorem, quamvis ipse nihil solverit, liberari, sed necesse esse obligationem illam sola creditoris liberalitate omnino extingui, ut jam nec ipse debitor, nec alius ejus loco substitutus creditori quidquam pendere debeat; 3°. Si alius debitum in se transferat, commutatum quidem

bene dici debitorem, sed non posse dici debitum remissum, quando ad ultimum usque quadrantem creditor recepit quod debebatur; 4°. Si Christus loco nostro solvit, in eo et cum eo nos solvisse censeri, at si solvisse censemur, non jam ex gratia diceretur Deus peccata remittere, sed ex justitia, quia injustum esset apud Deum solutione semel præstita nos non absolvere; 5°. Nos Pontificios solere refellere qui gratiam et remissionem peccatorum cum satisfactionibus suis conciliant, hoc potissimum nomine, quod hæc simul stare non possint, non posse ergo hic duo hæc bene conjungi; sic argutatur Socinus de Serva. lib. iii. c. 2, et Crelli. cont. Grot.

IX. Sed has profanorum hominum vitilitigationes non difficile est refellere. 1. *Per concessionem* fatemur nos sola Dei gratia et mera misericordia nostri respectu salvari, adeoque per veram et proprie dictam peccatorum remissionem, sic enim fœdus legale ab Evangelico distinguitur, in illo siquidem in nobis propria obedientia felicitatem consequi debuimus ex justitia Dei, in isto vero salutem in alio obtinemus ex gratia. Sed negamus tamen inde sequi non posse nos satisfactione Christi salvari, peccatur enim *Elench. opposit.*, opponuntur hic tanquam contraria et *ἀντιδιῃρημένα*, quæ componenda sunt ut subordinata, *gratia Dei* et *pretium* a Christo persolutum, *remissio* et *satisfactio.* Fateor quidem si respectu *ejusdem* et ad idem referantur, aliquam esse contrarietatis speciem, neque enim gratia potest dici salvari qui proprio merito salutem obtinet, nec remissio illi fieri censetur qui solutionem debiti in propria persona præstitit: at si de diversis dicantur, ita ut gratia fiat debitori, pretium vero vel satisfactio exigatur a Vade, tantum abest ut se mutuo tollant, quin potius necessario se ponant, potissimum ubi agitur de judice qui et summe sit misericors et summe justus, qui non possit proprietatem alteram cum dispendio alterius explicare, quod hic etiam factum videmus; nam ut gratia fieret nobis, pretium exactum fuit a Christo, et ut possent remitti nobis peccata nostra, pro nobis ille satisfacere debuit; Unde Scriptura hæc duo tanquam indivulso nexu conjuncta passim proponit *gratiam Patris*, et *justitiam* seu redemptionem *Filii*, justificationem nostram seu remissionem peccatorum a Deo nobis indultam, et satisfactionem seu pretium a Christo persolutum, ut sub lege expiatio peccati per victimas facta, conjungitur cum remissione ejusdem quæ peccatori concedebatur, "expiabit eum sacerdos et remittetur ei," Lev. iv. 20; sic nihil frequentius in Scriptura occurrit quam Christum seipsum pro nobis *ἀντίλυτρον* dedisse, et tamen nos gratia salvari, unde missio et passio Christi pro nobis præcipuus dicitur esse dilectionis divinæ effectus, Joh. iii. 16, Rom. v. 8, 1 Joh. iv. 9, et locus est imprimis illustris, Rom. iii. 24, 25, ubi utrumque conjungitur, "Justificamur gratis gratia Dei per redemptionem quæ est in Christo, quem Deus præstituit placamentum in ejus sanguine per fidem." Vides, ut justificatio gratuita non opponatur, sed componatur et subordinetur, redemptioni et pretio per Christum soluto. Itaque gratia Dei quum prædicatur in negotio salutis excludit tantum merita et opera nostra, quæ nulla dari possunt ubi illi locus est, non vero justitiam et satisfactionem Christi, qua magis stabilitur et efficax redditur.

X. Frustra vero adversus hanc responsionem nostram reponunt: 1°. Non posse dici debitum remitti quod plane solutum est et pro quo datur qui plene satisfaciat. Quia aliud est loqui de *rebus*, aliud de *personis*, aliud de *debito pœnali* seu *reatu personali*, ut aliter judicabant Judæi בדיני ממונות in *litibus pecuniariis*, aliter בדיני נפשות in *litibus animarum* seu criminalibus. In rebus pecuniariis perinde est a quocumque solvatur debitum, sive a debitore ipso sive a sponsore fiat solutio, sufficit ad liberationem ut alius idipsum quod in obligatione erat solvat, nec creditor dici potest remittere,

si ipsi semel solutio fuit præstita, et hæc solutio talis est quæ ipso facto reum vel debitorem liberat, quia illud ipsum solvitur quod est in obligatione. Sed longe aliter de *reatu* seu *debito pœnali* judicandum est, illud enim est *personale* quod ex rigore legis personam ream efficiendo pœnæ eam subjicit; Ideoque ad id ut ipso facto reus liberetur non sufficit ut alius pro ipso solvat, siquidem in obligatione est pœna illius qui peccatum commisit, et *noxa caput sequitur* nisi accedat indulgentia judicis; si ergo ista pœna non infligatur ipsi reo, sed in alium quempiam transferatur, et si judex solutionem illam ab alio præstitam, quam non tenetur admittere, sed ex rigore juris recusare potest, in gratiam Rei acceptat et admittit, nonne recte eo sensu et satisfactionem a Vade recipere, et simul pœnam peccatori et reo remittere dicetur, debitum exigere et tamen personæ debitrici parcere, quatenus alium in ejus locum subrogari ex mera misericordia passus est? Ita nihil obstat quominus Christus id ipsum quod debebamus solverit, et tamen Pater nobis semper ex gratia peccata remittat, quando non modo vadem et sponsorem qui satisfaceret ipse de suo dare voluit, non a nobis expectare, sed etiam solutionem ab ipso præstitam libere acceptare, et nobis absque ullis meritis nostris imputare dignatur, ut hic habeamus semel et simul *legis impletionem* et *relaxationem*, opus gratiæ et justitiæ, solutionem debiti et ejus condonationem; Lex impletur quia solvitur pœna lege sancita, sed relaxatur quia non solvit præcise is qui debebat sed alius, justitia est quod peccatum punitur, gratia quod peccatori parcitur, solutio est quia pretium datur et ἀντίλυτρον justitiæ divinæ perfecte respondens, remissio vero quia nihil tale a delinquente exigitur; prius in Christo, posterius in nobis locum habet. Porro cum legis aliquam relaxationem urgemus, non admittimus *acceptilationem* Socinianam, nam acceptilatio solutio est imaginaria tantum, et fictio juris qua acceptum fertur quod quis solvere tenebatur, perinde ac si vera intervenisset solutio, at nos veram solutionem a Christo esse datam antea probavimus.

XI. Neque hic putandum per relaxationem istam Deum aut *mutabilitatis* alicujus argui, aut *peccati*. Nam ad prius quidem quod attinet, quamvis diversissimi sint voluntatis divinæ effectus, non potest tamen mutabilis dici, quia hos ipsos effectus ex decreto suo immutabili producit, ita enim ab æterno immutabiliter apud se constituerat dispensationis suæ rationem in hoc vel illo mutare; mutaretur sane si cum mutatione effectuum mutaret voluntatem, sed cum eadem semper sit et immota, ne mutationis quidem umbra in eo deprehenditur. Posterius vero multo minus illi potest tribui, nam etsi justitia ex qua nascitur pœnarum retributio sit Deo naturalis ac proinde immutabilis, exercitium tamen istius justitiæ liberum est et a sapientia determinatur diversimode, in iis scilicet quæ sunt *juris positivi.* Nam quædam sunt *juris naturalis* et indispensabilis, ut pœnam peccato omni deberi, quædam vero *juris liberi*, ut peccatorem omnem in propria persona plectendum esse. Sic relaxabiles non sunt leges scelus prohibentes, vel quæ ex irrevocabili aliquo decreto fluunt, qualis est hæc de damnandis impœnitentibus, sed leges pœnales in quibus irrevocabilis decreti nota non apponitur, quæque in jure positivo aliquomodo fundantur, si non quoad rem ipsam, saltem quoad modum et circumstantias, dispensationem aliquam admittere possunt juxta Dei bonitatem et sapientiam.

XII. Sed quid opus, inquies, remissione ubi nullum amplius est debitum? nullum enim est amplius debitum, ubi jam plene pro eo est satisfactum. Resp., Damus nullam posse concipi remissionem ubi nullum amplius est debitum, et nullum esse debitum ubi plena debiti solutio et satisfactio intercedit. Sed plena satisfactio distinguenda est, Alia enim ita dicitur quoad

rem sive substantiam ipsam pœnæ quæ ferenda est, quando species pœnæ a lege denuntiata fertur, alia quoad *modum* sive *personam* et subjectum quod pœnam illam ferre debuit. Priori sensu plenissima satisfactio data est a Christo, siquidem mortem a lege impositam tulit, at posteriori non item, quia debebamus legi *pœnam propriam*, hoc enim est ejus ἀκριβοδίκαιον, ut reus in propria persona pœnam debitam sustineat juxta illud, "anima quæ peccavit morietur," Ezech. xviii., et Christus *pœnam* tantum *vicariam* pro nobis ferre potuit, nec enim pœna propria in alium transferri potuit, ideoque solvit quidem id omne quod debebamus plenissime, sed non plane eodem modo quo debebamus. Unde hac in parte locus semper fuit gratiæ ac remissioni, quatenus judex acceptando pœnam vicariam per quandam ἐπιείκειαν remittit nobis propriam et personalem, quæ ex rigore legis debebatur. In admissione vicarii est pœnæ remissio, in ejusdem loco nostro subrogatione est satisfactio.

XIII. Quod vero secundo loco afferunt, Ut debitum remittatur non satis esse debitorem nihil solvere, sed requiri etiam ut creditor nihil exigat, sed mera sua liberalitate obligationem illam extinguat; In eo peccant semper falsa hypothesi, non posse remissionem cum satisfactione consistere, quod ut de *propria* damus, ita de *aliena* negamus. Neque ad remissionem statim requiritur ut creditor nihil exigat, sufficit ut a debitore nihil exigatur, remissio enim hic proprie ad debitorem spectat, non ad creditorem, itaque ubi plene liberatur, ita ut nihil ab eo creditor exigat, quis illi debita remissa neget? Liberalitas et gratia creditoris sive potius judicis satis luculenter in eo demonstratur quod illi absolute parcat, licet aliunde justitiæ suæ voluerit prospectum. Dices, Sed remissio debet esse omnimoda juris extinctio respectu ejus quod vere dicitur remitti. Resp., totalis est et non partialis juris extinctio respectu personarum quæ erant in obligatione, et a quibus juste potuisset exigi pœna, sed non obstat quin totalis etiam et plena sit satisfactio respectu sponsoris nobis ab ipso Deo pro sua misericordia dati.

XIV. Inst. tertio, Sed si solutio ab alio præstita est, bene commutatus quidem dicitur debitor, sed non potest dici debitum remissum, quando ad ultimum usque quadrantem creditor exigit quod debebatur. Resp., Et commutatus debitor est, et debitum remissum bene dicitur. Nam etsi ex translatione peccatorum in Christum, et solutione ab ipso præstita bene dicatur in locum nostrum subrogatus; non minus tamen recte principali debitori debitum censetur remissum, quando solutio propria quæ ab ipso debebatur ipsi remittitur, et acceptatur aliena, nec tantum nihil ab eo exigitur, sed Deus ipse de suo vadem ipsum qui solveret dedit; itaque summa Dei liberalitas hic locum habet, tum quia solus per se licet offensus πολυποικίλῳ sapientia et ineffabili misericordia viam hanc reconciliationis faciendæ illibata sua justitia invenit, solus ad eam viam aperuit per missionem filii, solus acceptat et nobis imputat solutionem præstitam. Sic gratia duplex est, 1. in datione Vadis qui satisfaceret, 2. in satisfactionis admissione, quæ rejici poterat. Frustra vero hic reponitur liberationem fieri propter satisfactionem siquidem satisfactione præstita vi illius liberatur ab obligatione debitor aut reus, ideoque non oriri a liberalitate creditoris: nam utrumque optime conjungi potest, et satisfactio in Christo debitum solvens, et gratia in Patre satisfactionem illam dans et acceptans, liberatio ergo fit quidem posita satisfactione, sed vis liberandi sive fundamentum liberationis non est simpliciter a satisfactione seu solutione illa qua tali, sed ab ea quatenus pro solutione admissa est per liberalitatem creditoris aut judicis, sic obligatio perimitur intercedente semper ipsius creditoris aut judicis actione,

qui prius illam satisfactionem admittit ut fiat, deinde factam ratam habet, et debitorem aut reum consequenter liberat.

XV. Inst. quarto, Sed quo tandem pacto remittere Deus potest ex gratia si remittit ex justitia, remittit autem ex justitia quia solutione semel præstita non potest non remittere, injustum quippe esset peccatores pro quibus Christus satisfecit, non absolvere? Resp. Scrupulus facile tollitur distinctione *justitiæ*, nam vel sumitur pro justitia distributiva quæ obligationem et commensurationem quandam infert, vel pro justitia fidelitatis et decentiæ, quæ meram dispositionem liberalitatis divinæ et constantiam in promissis notat. Priori modo verum est, si peccata condònentur ex justitia, non condonari ex gratia, quia gratia et justitia opponuntur, sed negamus ex hac justitia condonari nobis peccata etiam posita solutione, nam, ut jam diximus, Deus ex rigore legis non tenebatur admittere hanc satisfactionem, et potuisset solutionem propriam exigere quæ a nobis debebatur: Itaque quod voluit admittere solutionem et pœnam vicariam gratiæ fuit et misericordiæ divinæ, per benignam quandam ἐπιείκειαν summum jus legis temperantis. Si vero posteriori sensu justitia intelligitur, concedimus quidem ex justitia condonari, quia ex pacto gratiæ Deus pollicitus est remissionem peccatorum credentibus Christum ita ut propter veracitatem et fidelitatem suam non possit non beneficium hoc nobis concedere; Cæterum justitia hæc tantum abest ut pugnet cum gratia, quin potius eam supponat et adstruat, 1 Joh. i. 9, Rom. iii. 25, 26.

XVI. Quod quinto loco affertur de satisfactionibus humanis quæ a nobis vulgo rejiciuntur, ea potissimum de causa quod gratiæ Dei repugnent, et cum ea stare nequeant, neque causam Adversariorum juvat, neque nostræ obest; quasi eadem esset satisfactionis Christi ratio: at longum latumque intercedit discrimen; satisfactiones humanæ nostræ sunt, ideoque cum gratia ἀσύστατοι quæ opera omnia nostra excludit, nam "si ex operibus, non ex gratia," Rom. xi. 6, quis enim gratis remissum ei debitum dixerit a quo pars ejus aliqua exsoluta est? quis sonti gratis condonatum crimen pro quo pœnas dedit? Satisfactio vero Christi aliena est et divina, ideo gratiæ conjuncta est et subordinata, quæ eam non excludit, sed supponit.

XVII. Secunda Classis rationes continent ex quibus conantur probare a *parte Christi* impossibilem esse istam satisfactionem. 1°. Quia si Christus pro nobis satisfecit, satisfecit ergo sibi ipsi, quando ex hypothesi nostra supponitur esse Deus cui debet fieri satisfactio: at hoc absurdam esse vel ex hac una ratione evincitur, quia sic sequeretur eum simul et semel dare et accipere solutionem, simul et semel fore iratum et placatum, iratum qui postulat, placatum vero qui exhibet satisfactionem, quæ omnino contradictionem aliquam involvere videntur. Resp., 1. Neg. conseq. Pecca. falla. a dicto secundum quid, &c. Si Christus satisfecit non statim satisfecit sibi ipsi præcise loquendo ut *Christo*, sed satisfecit sibi ut *Deo* et Dei filio, differunt vero ut notum Θεὸς et Θεάνθρωπος, Filius Dei et Mediator, illud enim naturam notat, hoc officium, illud absolute et in genere *entis* eum designat, istud vero relate ad œconomiam et in genere *moris;* Sane si Mediator fuisset tantum Deus, satisfaciendo, sibi etiam absolute et simpliciter satisfecisset, sed cum duæ sint naturæ in persona Mediatoris, divina et humana, non statim satisfacit apud seipsum omnimode, imo contra quia satisfactio fit a natura humana, et exhibetur naturæ divinæ, satisfactio potest dici quadantenus terminari ad alterum. 2. Cum Pater in hoc mysterio per miram quandam accommodationem referat personam Judicis offensi apud quem fieri debet satisfactio, ut Christus suscepit personam vadis, et

Pater sit alius a Filio, ut Filius est alius a Patre, eo sensu semper satisfactio et mediatio erit ad alterum.

XVIII. 3. Min. neg. Neque enim statim absurdum est eundem satisfacere sibi ipsi, distinguatur modo satisfactio, quæ duplex est, vel *privata* qua compensatur damnum privatum, vel *publica* qua reparatur injuria publica; Primo modo damus neminem sibi ipsi proprie satisfacere, quia sic de suo acciperet, et sibi ipsi solveret, quod revera esset absurdum, et scenam aliquo modo saperet; sed alio non item, ut si quis incurrit in mulctam, potest magistratus mulctam pro illo solvere ut legibus satisfiat, sic sibi ut privatus judici satisfaciet; quid nonne potest contingere ut judex ipse reus fiat legis violatæ? fac ergo eum ita justum esse ut semetipsum damnet, tunc certe sibi ipsi tanquam reus judici revera satisfaciet. At nemo, inquit Socinus, sibi ipsi aliquid solvit. Esto, neque enim agitur de pecunia solvenda, sed de pœna luenda, quid obstat autem cur non possit aliquis ut legis comminationi et judicis officio satisfaciat, sibi ipsi pœnam lege denunciatam vel per se vel alios infligere? Jam autem in condonatione peccatorum vel satisfactione ista de qua disputamus, ut alibi fusius est ostensum, Deus non est spectandus ut persona privata vel creditor et ut pars offensa, quæ damnum aliquod patitur, sed ut persona publica, ut Dominus et Judex, ut Rector universitatis, cujus est majestatem Legum sartam tectamque tueri. Non agitur ergo vel de solutione pecuniæ, vel de reparatione damni illati, vel de privata satisfactione, qua satisfit personæ offensæ qua offensa est, sed de satisfactione publica qua satisfit legis comminationi, atque adeo Judici qua Judex est, sive is sit pars offensa sive non, sic modo id fiat quod lex exigit, vel a peccatore vel ab eo qui sustinet ejus personam, sive sit a judice separatus sive conjunctus perinde est, satisfactum est legi, et quia legi, etiam judici, id quod satis est. Deinde quid est cur hoc genere satisfactionis non possit aliquis sibi ipsi satisfacere? Nonne potest aliquis sibi ipsi lex esse, se accusare et condemnare, de se judicare, ut de gentibus perhibet Paulus, Rom. ii. 14, 15, et de fidelibus, 1 Joh. iii. 20, 21, cur ergo non poterit sibi ipsi satisfacere?

XIX. Quia sequeretur, inquies, eundem dare simul et accipere solutionem, esse debitorem et creditorem, esse iratum et placatum, quæ sunt ἀσύστατα. Resp., 1. Falsum supponi eundem secundum idem et eodem respectu dare et accipere satisfactionem. Dat eam ut homo, vel ut Immanuel, accipit eam ut Deus, Dat eam ut θεάνθρωπος, accipit eam ut λόγος, Dat eam ut Mediator, accipit eam ut Judex. 2. Falsum etiam est hic Deum et Christum simul et semel iratum et placatum, aliud enim est esse actu jam *placatum* posita ira et vindictæ desiderio, aliud benevolum et *placandum;* Deus qui dat vadem et Vas qui solvit, non statim potest dici placatus eo ipso, quia placatio supponit satisfactionem præstitam, sed bene potest dici placabilis vel placandus, quia prono et benevolo affectu fertur ad placationem vel admittendam vel faciendam, placabilem autem esse et iratum non pugnant, sed optime possunt simul consistere, vel maxime, quod ut ira satisfactionem exigit qua fiat placatio ita placabilitas eo tendit ut aliqua commoda ratione ira tollatur et justitiæ satisfiat. Nihil ergo absurdi est si dicamus Deum et Christum iratum simul fuisse et misericordem ac placandum, neque vel iram qua accendebatur in peccatum merito, misericordiæ viam præclusisse qua ferebatur erga peccatores, vel misericordiam qua nos complectebatur et qua impulsus fuit ad dandum ἀντίλυτρον pro nobis, abrogasse, justitiam quæ legis comminationi vult absolute satisfieri. Nimirum ut Deus duas veluti personas in hoc negotio sustinebat, unam partis offensæ, alteram judicis, is, quatenus ut pars offensa spectatur,

odium et cupiditatem vindictæ omnino deposuit, versaque in misericordiam ira, quoniam quominus peccatores resipiscentes justificarentur impediebat legis comminatio et officium judicis, constituit hoc impedimentum tollere, et cum aliter fieri hoc non posset quam transferendo pœnam in Filium Dei vadem nostrum, et Pater misericordia motus illum misit, et Filius charitate ineffabili inductus seipsum tradidit; sed ut Judex et legum Custos non potuit iram deponere, antequam legi violatæ factum fuisset satis; Plane ut inter homines idem magistratus et princeps qui ab alio offensus est, poterit et simul iratus esse reo qua *publicus* Magistratus legisque vindex ne delictum patiatur abire impune, quod legis authoritatem violaret, et simul misericors et propitius ad *privatum* affectum non modo injuriam sibi illatam condonando, sed et modum sapienter excogitando quo legi publicæ satisfiat, vel ipse fidejussorem dando, vel mulctam aut pœnam ferendo.

XX. Objic., 2°. Ratione *Christi impossibilem* esse satisfactionem probant, quia pro se debuit eam legi obedientiam, quam in meritum et redemptionis nostræ λύτρον impendere necesse habuit; at si pro se debuit, non potuit pro nobis et loco nostro præstare, nam quod debetur, eo ipso quo præstatur et solvitur, proprie dicti meriti rationem habere nequit, quippe inter conditiones meriti notum est eam semper recenseri ut res sit indebita: Quod autem Christus pro se hoc ipsum debuerit quod pro nobis tenebatur pendere, obedientiam scilicet vitæ seu legis mandatorum impletionem, triplici ratione probant: 1°. Quia *homo* fuit et filius Adæ, at omnis Creatura qua Creatura obsequium tenetur præstare Creatori suo et legem ab eo positam implere. 2°. Quia fuit *Israëlita* et *filius Abrahæ*, adeoque fœdere illo populi sancti comprehensus et sub eo natus; unde dicitur *factus* ὑπὸ νόμον, Gal. iv. 4, sic dicit *implendam esse sibi omnem justitiam*, Matth. iii. 15. 3°. Quia summus sacerdos fuit, qui ut illo munere defungi posset, debuit esse Legi perfecte conformis, Heb. vii. 26. Si ergo pro se debuit legem implere, non potest ea in meritum et satisfactionem seu debiti nostri solutionem imputari. Hoc argumentum urget imprimis Socinus, p. 3, c. v., "Jam vero manifestum est," inquit, "Christum quia homo natus fuerat, et quidem, ut inquit Paulus, factus sub lege, legi divinæ quæ æterna est et immutabilis servandæ, non minus quam cæteros homines obnoxium fuisse, alioqui potuisset Christus æternam Dei legem negligere sive aliam universam si voluisset infingere, quod impium est vel cogitare," et paulo post, "quocirca nec etiam pro aliis magis quam quilibet alius homo legem divinam servando satisfacere potuit, quippe qui ipse eam servare omnino teneretur."

XXI. Gravis hic in speciem attingitur difficultas *de subjectione Christi legi divinæ* quæ Orthodoxos ipsos inter se non ita pridem in partes divisit. Nos litem hanc nostram non facimus, paucis tantum observamus quæ facere possunt satis argumento quod hinc petitur ab Adversario contra Satisfactionis veritatem. Duo ergo hic demonstranda breviter suscipimus. 1. Subjectionem illam legi sive obedientiam vitæ debitam fuisse a nobis, et ad redemptionem nostram omnino necessariam. 2. Potuisse illam pro nobis a Christo præstari, atque adeo eam recte in partem meriti et satisfactionis ejus venire, et nobis imputari. Et ad prius quidem quod attinet; Cum lex duo vulgo contineat, *mandata* quæ facienda sunt, et *sanctiones pœnales* quæ peccatori ferendæ imponuntur, duobus etiam modis impleri censetur: primo, *quoad mandata* obedientia vitæ seu actionibus a lege præscriptis: secundo, *quoad sanctionem* passione mortis seu latione pœnarum, quæ a lege transgressoribus denunciantur. Utraque vero hæc impletio respectu hominis peccatoris requirebatur ad ipsius liberationem. Nam

licet in *statu integro* ad unum tantum obligatus esset, nimirum ad obedientiam, quia nondum peccaverat; tamen in *statu destituto* et post peccatum ad utrumque; obligari tantum abest ut absurdum sit, ut non possit aliter fieri; ad *obedientiam obligatur* qua *Creatura et homo* qui nunquam non tenetur ad obedientiam Deo præstandam, *ad pœnam qua peccator et reus*, qui est debitor pœnæ ex peccato. Obligatio ad obedientiam absoluta est, quæ semper manet, posita semel Creatura et Creatura fœderata in quocumque statu; at obligatio ad pœnam est tantum ex hypothesi præcedentis inobedientiæ; illa de ratione officii est quod exhibere tenemur Deo ut Creatori et Domino, ista de ratione reatus et pœnæ quam solvere debemus Deo ut Judici et legislatori. Utraque vero simul consistere potest, nam ut servus nequam qui herile mandatum exequi neglexit, eoque officii neglectu pœnas commeritus est, non desinit propterea ad illud idem præstandum obligari, non secus ac si res adhuc integra esset, Et qui decoxit omnia sua bona non propterea solvitur a nexu æris alieni; Sic etiam qui peccando sic Dei legem transgressus est, ut pœnæ constitutæ sit factus obnoxius, ad eam tamen implendam obstrictus manet nihilo secius. Ita utraque illa impletio quia a nobis debita a Christo sponsore nostro debuit perfici.

XXII. 2. Necessitas utriusque istius impletionis patet ex natura Legis et salutis nostræ ratione. Nam cum salus non tantum in liberatione a morte sita sit, sed et in vitæ donatione, Et Lex promissionem vitæ non det *patienti*, sed *facienti*, "Fac hoc et vives," utique necesse fuit ad vitæ istius et salutis consecutionem, legem patiendo et faciendo implere, ut et remissio peccati per satisfactionem, et jus ad vitam per meritum obtineretur, ex illa redemptio a morte, ex isto introitus in cœlum. Nam quod quidam hæc duo necessaria simul esse negant, sed alterutrum tantum, quia inter vitam et mortem nihil sit medium, et qui semel per pœnarum lationem a morte liberatus sit, cum eo ipso jus ad vitam obtinere, ac per consequens alia impletione activa nequaquam indigere; in eo falsa hypoth. nituntur, quod hæc duo statuant contraria, ἄμεσα, inter quæ nullum dari possit medium. Fateor inter *mortem et vitam* simpliciter, non dari medium; sed inter *mortem* et *vitam beatam* intercedere potest vita misera et mortalis, vel vita pia et sancta, sed quæ sit adhuc in statu viæ non patriæ. Quis enim neget posse Deum aut potuisse sic hominem peccatorem ab inferis et æterna morte liberare, ut interim eum in gloriam cœlestem statim non veheret, et vitæ æternæ fruitione non bearet et cumularet? nempe vel vitam ei in terris largiendo, vel in Adami statum rejiciendo ad opera, vel etiam annihilando. Ita multa interesse poterant inter flammas gehennæ, et cœli gaudia, inferni dolores et paradisi delicias. Liberationem a carcere sequitur statim libertas, sed non statim diadema et thronus; Josephus poterat quidem solvi ex vinculis, sed non erat necesse statim ut Ægypto præficeretur; Mephiboseth potuit e squalore et situ educi, sed non statim necesse erat eum ad Davidis mensam vocari; Multum erat manumitti, et libertos fieri, sed liberos pronunciari et hæredes, hic cumulus et apex est misericordiæ. Sic aliud est beneficium quum Judex facinorosum a morte absolvit condonando ei delicta, aliud quum senatoria dignitate dignum judicat; Ita aliud est beneficium quo nos Deus absolvit a pœna, aliud quo nos dignos judicat præmio. Fateor quidem duo ista beneficia individuo nexu inter se conjungi, ita ut cuicunque remittuntur a Deo peccata, illi etiam detur jus ad vitam: sed certum tamen est esse distincta; et si sese invicem consequuntur, id non fit statim ex natura rei, sed ex voluntaria Dei dispensatione, quæ ita statuit ut nullus esset status intermedius, in quo peccatores sic æternæ morti eximerentur, ut regni cœlorum non forent participes.

XXIII. At Paulus tamen, inquies, videtur, Rom. iv. 6, 7, 8, ex Davidis testimonio ista duo beneficia confundere, et imputationis justitiæ et Remissionis peccatorum innuere æquipollentiam, quum ait Davidem hominis beatitudinem constituere in imputatione justitiæ absque operibus, quia eandem felicitatem collocat in Remissione peccatorum, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata;* ubi prius per posterius probat, quod absurdum esset nisi essent æquipollentia et reciproca. Resp., 1. Paulus non argumentatur ab æquipollentia, sed ab ἀλληλουχίᾳ et individuo nexu, et mutua consecutione istius beneficii, quæ nititur individuo nexu causarum utriusque, non quidem ex natura rei, sed ex Dei gratiosa et liberali ordinatione qui nemini remittit peccata, quin ei imputet justitiam; 2. Quando Apost. remissioni peccatorum beatitatem tribuit, hoc fit opposite ad justitiam inhærentem, non imputatam quam necessario supponit, et sic synecd. partem pro toto intelligit, quia ubi est remissio non potest non esse beatitudo. Cæterum quod in sola peccatorum remissione totum justificationis beneficium non consistat, et ex jam dictis constare potest, et ex eo quod aliud sit a reatu peccati exsolvi, aliud jus ad vitam consequi; nimirum justificatio dupliciter intelligi potest, vel ut liberetur a pœna reus, vel ut insuper mercede et præmio coronetur. Prior respectus sola remissione peccatorum absolvitur, sed posterior qui hic locum habet, cum liberatione a pœna quæ habetur per remissionem, postulat juris ad vitam collationem quæ obtinetur per obedientiam.

XXIV. Dices, Sed posita semel peccatorum remissione per pœnæ lationem, superflua videtur obedientiæ impletio, quia si peccata omnia remittuntur, tum commissionis tum omissionis, eo ipso censentur peccatores nihil commisisse mali, et nihil omisisse boni, Qui vero eo loco habentur perfecte justi sunt, eoque ipso jus habent ad vitam. Resp., Sed hic iterum pecca. fals. hypoth. Nec enim cui peccata omissionis et commissionis remittuntur, statim judicatur nihil mali commisisse, et nihil boni omisisse, hoc enim et rei ipsius veritati, et justo Dei judicio repugnaret; sed tantum a debita propter omissionem officii, et delicti commissionem pœna liberatur; Sed ut justus perfecte censeatur qui jus ad vitam habeat, necessaria est præterea perfecta legis obedientia quæ conditionem semel positam impleat. *Justus* E. dicatur cui peccata omnia remittuntur justitia *innocentiæ* quia posita hac remissione innocens censetur et nulli amplius pœnæ subjacet, sed non justitia *obedientiæ* cui præmium vitæ debetur, quia non potest dici adhuc eo ipso implevisse mandata. Nimirum aliud est carere vitio, aliud omnia quæ præscripta sunt præstitisse; Adamus illud habuit non hoc; Unde etsi injustus non poterat dici, quia nullum dum peccatum in illo statu commiserat, non poterat tamen justus vocari justitia perfecta quæ ad felicitatem requirebatur. Ita non quisquis nihil omisit, statim omnia implevisse censetur.

XXV. Hoc vero utrumque in una Christi obedientia et justitia occurrit, quæ duplicem hanc σχέσιν habuit, et *meritoriam* et *satisfactoriam*, quia et a reatu mortis nos liberat, et jus vitæ et immortalitatis nobis acquirit; ideo dicitur liberare a maledictione et adoptionem conferre, Gal. iv. 5, propitiare peccata, et justitiam seculorum adducere, Dan. ix. 24, lavare a peccatis et facere Reges et Sacerdotes, Apoc. i. 6. Quo pertinet illustris locus Act. xxvi. 18, ubi aperte *remissio peccatorum* distinguitur *a sorte inter sanctos*, id. a jure quod consequimur ad vitam, "ut accipiant," inquit Christus de gentibus, "remissionem peccatorum et sortem inter sanctificatos per fidem quæ est in me." Non modo educit ex carcere, sed in throno regio collocat, ex inferno in paradisum, ex cœno in cœlum evehit; Clavis

obedientiæ Christi non tantum aperit abyssum mortis ut ex ea egrediamur, sed et sacrarium cœli reserat ut eo intremus.

XXVI. Nec hic audiendus Socinus qui meritum negat dari posse ubi est satisfactio, quod hæc sit solutio debiti de jure, hoc vero opus indebitum. Hoc enim etsi verum esse posset de satisfactione qua quis exsolvit debitum proprium, qui enim ita satisfacit nihil meretur, nec sui nec creditoris respectu, quia præstat opus debitum de jure; At de Satisfactione qua quis solvit debitum alienum falsum est, potest enim dici pro alio mereri dupliciter, Et respectu *Debitoris* de quo bene meretur indebite solvendo pro eo debitum, et sic opere indebito acquirendo ei immunitatem a debito, et faciens eam ei ex indebita debitam de jure, tum respectu *Creditoris*, maxime si pactum aliquod singulare intercessit, posita tali solutione, admittendi eam non modo in remissionem debiti, sed et in acquisitionem juris indebiti. Juxta duplicem hanc σχέσιν bene Christus dicitur meritus gratis exsolvens justitiæ divinæ debitum alienum: 1. Respectu nostri, quia nobis immunitatem, id. remissionem peccatorum acquisivit, Eph. i. 7. 2. Respectu Dei ex pacto et dispensatione singulari qua Deus obedientiam filii sui non tantum in satisfactionem peccatorum, sed et in meritum vitæ acceptare voluit, de qua, Isa. liii. 10, "Postquam animam posuerit in sacrificium pro peccato, videbit semen, prolongabit dies, et bene placitum Domini prosperabit in ejus manu;" sic Paulus ad Heb. ix. 15, hoc pactum indicat cum ait, "Ideo factum esse Mediatorem novi Testamenti, ut morte intercedente ad redemptionem transgressionum quæ in primo fœdere fuerunt, promissionem æternæ hæreditatis vocati accipiant," nec aliud vult Apost., Col. i. 19, 20, cum ait "Placuisse Patri ut in eo habitaret omnis plenitudo et per ipsum reconciliare sibi omnia, facta pace per sanguinem ipsius," &c. Eodem etiam respiciunt alia loca, Rom. iii. 24, 25, Phil. ii. 7, 8, Heb. ii. 9, 10.

XXVII. Cæterum, quibus actibus Christus vel satisfecerit vel meritus sit anxie disquirendum non putamus, quia utrumque hoc effectum conjunctim a tota et integra causæ virtute, puta Christi obedientia et justitia, proficisci existimamus, nec enim jus ad vitam nobis ante partum est, quam peccatum fuerit expiatum, nec rursus ante expiatum est peccatum, quam lex ipsa fuerit impleta; non alio potuit quam obedientiæ sacrificio favor Dei conciliari, nec ulla potuit obedientia reatum et pœnam amoliri præter eam quæ ad extremum usque demissionis gradum producta est. Meruit ergo satisfaciendo, et merendo satisfecit; Tantæ efficaciæ fuit ejus perfecta obedientia et tanti meriti ejus plenissima satisfactio ut per illam "jus Legis in nobis impleatur," Rom. viii. 4, nec tantum a morte liberemur, sed et vitam consequamur. Atque hinc colligimus quo loco *Justitiæ* Christi *imputatio* habenda sit in justificatione; non tanquam pars quæ respondeat peccatorum remissioni, ut quidam ex nostris non satis accurate videntur statuisse, qui volunt remissionem peccatorum præcedere, cui succedat imputatio justitiæ; sed ut fundamentum et causa quæ geminum effectum post se trahat *remissionem peccatorum* et *jus ad vitam*. Nam ex eo quod justitia Christi nobis imputatur, sequitur et peccata nobis remitti, et jus ad vitam concedi; et ratio est evidens: quia nihil potest a Dei conspectu peccata nostra tegere, nisi vestis illius applicatio, seu justitiæ imputatio; quemadmodum non prius animo concipi potest tegi nuditatem corpoream quam corpori vestis applicetur et inducatur. Itaque in Justificatione concipimus per et propter unius justitiæ perfectissimæ Christi imputationem, tum tegi, et deleri peccata nostra, ac proinde nos ab ira et maledictione æterna liberari, tum etiam ut per-

fecte justis jus ad vitam et hæreditatem cœlestem dari, quia una eademque ista justitia tam fuit perfecta ut non modo pro peccatis in quæ incurreramus satisfecerit, sed etiam vitam a qua excideramus nobis acquisiverit.

XXVIII. Ex quibus jam liquet utramque legis impletionem a nobis debitam fuisse, et a Christo præstitam; hoc autem bene potuisse jam demonstrandum est, quod ex solutione objectionis antea positæ constare facile poterit; sic vero illa se habet. Quod quis pro se debet, non potest pro alio solvere; at Christus pro se debuit hanc legi obedientiam: E. Resp., 1. Ad major. pecca. falla. *a dicto secundum quid:* quod quis pro se debet non potest pro alio præstare: Si sit *persona privata*, concedo, si sit *persona publicæ*, nego. Nam persona publica sub duplici σχέσει considerari potest, ut suam, et simul aliorum fœderatorum vel sibi intime conjunctorum vicem, sustinens; sic Consul suo et civitatis nomine cum hoste inducias facit, Rex pro se et pro populo fœdera cum principibus sancit; sic primus Adam secundi typus, Rom. v. 14, sibi suisque lapsus est, Levi fuit decimatus in persona Abrahæ, Heb. vii. Ita etsi Christus pro se debuisset legem implere, non ideo tamen minus pro nobis præstare potuisset, quia hic non spectandus est ut persona *privata*, sed ut *publica*, ut Caput Ecclesiæ, ut sponsor et vas fidelium, qui omnia pro ipsis factus est, ut Pater novi seculi, Isa. ix. 6, et seminis sancti quod post se videre debuit, Isa. liii. 10.

XXIX. 2. Ad Min. per negat. Christus enim pro se non debuit obedientiam illam per quam legi satisfecit, sed pro nobis; ratio est, quia non pro se homo et mediator fieri voluit: itaque ad probati. Min. resp. per limitati. Quicumque pro se et suo loco vel Adæ vel Abrahæ factus est filius, is quoque pro se et suo nomine ad legem implendam tenebatur; qui vero non pro se, sed pro aliis vel homo fieri vel Israëlita nasci voluit, is quoque non pro se, sed pro aliis ad legem quamlibet implendam obligatus est. At Christus non pro se, sed pro nobis homo factus est juxta illud, "Puer natus est nobis, Filius datus est nobis," Isa. ix. 6. Nec enim ulla ratio erat in Christo qui æqualis erat Patri propter quam vel carnem nostram susciperet et in ea non formam hominis tantum sed et servi assumeret, in ea se exinanire et obediens fieri usque ad mortem crucis deberet; sed pro nobis ista omnia præstita fuerunt. Ut propter nos homo factus non propter se, Ita propter nos non propter se Legi se subjicere voluit. Simili res potest illustrari: Quemadmodum qui pro alio fidejussit, antea liber jam debitor factus est, ac debitum solvit non pro se, sed pro alio, ita ut solutio illa alteri imputetur, ita Christus hominem se pro nobis faciendo, se quoque non pro semet, sed pro nobis legi divinæ debitorem fecit ac debitum exsolvit, id est, legi obsequium non pro se, sed pro nobis præstitit, adeo ut nobis a Deo imputetur quidquid Christus hac in parte gessit. Sic qui prius liber et sui juris, amici liberandi causa se alieno subjicit imperio, sive se ei in servitutem tradendo, sive alia quavis ratione libertate sua cedendo, simulatque in ditionem concessit alienam, illius jam servus et subditus factus est, cujus regnum est ingressus: Sed quemadmodum illuc se contulit, non sui ipsius, sed amici sui gratia; Ita etiam non pro se, sed pro amico suo servitutem illam servit, et quodcunque obit in ea conditione ministerium, id in amici bonum cedit, illique a domino imputatur. Id ipsum de Mediatore servi formam pro nobis assumente, ut in ea se Legi divinæ per omnia subjicere posset, merito asseritur, adeoque, ut non pro se sed pro nobis venit, Ita non pro se sed pro nobis servitutem illam serviit, non pro se sed pro nobis se Legi paternæ subjecit ut Mediatoris munus pro nobis exequeretur.

XXX. Hinc ad triplicem rationem antea allatam patet responsio. Sive

enim Christum ut hominem simpliciter et Adæ filium spectes, sive ut filium Abrahæ et Israëlitam, sive ut summum sacerdotem, non bene inde colligas pro se simpliciter Legem implere debuisse. Sane si pro se simpli. ex aliorum hominum sorte et conditione factus esset vel Adæ vel Abrahæ filius, id. vel homo vel Israëlita, utique pro se et suo nomine ad Legem implendam obligatus fuisset, moralem quidem qua homo, quippe homini latam absolute, cæremonialem autem et politicam qua Israëlita, quippe solis Abrahæ posteris latam, et eos solos obligantem. Sed quia non pro se, sed pro aliis et homo fieri, et ex Isacidarum stirpe nasci voluit, ideo non pro se, sed pro aliis ad Legem quamlibet implendam obligatus est, pro iis nempe, pro quibus aut humanam naturam induit, aut ex tali gente et familia naturam illam assumere dignatus est. Denique ad Sacerdotis munus quod attinet, Fateor eum cui tale munus commissum erat ut eo defungi posset, debuisse esse purum, sanctum, ab omni macula et labe alienum, ut ait Apost., Heb. vii., id. legi perfecte conformem; Sed nego propterea pro se et suo nomine eum legi divinæ subjectum fuisse; Alias pro se debuisset hostias et victimas offerre, id. sui ipsius esse mediator, quod contradictionem involvit. Debuit quidem purus et sanctus esse et legi divinæ perfecte conformis ad hoc ut pontifex et victima esset idonea; Sed aliud est esse legi conformem, aliud eidem subjectum esse, Aliud est Legi obsequium debuisse qua pontificem, vel ut illo summi sacerdotis officio fungeretur, aliud vero id debuisse pro se; Imo contra, si debuit ut pontifex, debuit ut mediator, quicquid autem fecit ut mediator, illud non pro se debuit aut fecit, sed pro nobis tantum.

XXXI. 3. Resp. Ad min., Distinguenda est Subjectio Legi divinæ, duplex enim esse potest, alia *naturæ*, alia *œconomiæ*, prout Lex potest considerari vel ut generalis et communis quæ fertur omnibus in quocunque statu constitutis, vel ut specialis quæ homini fertur in certo statu et peculiari aliqua de causa. Illa *absoluta* est et indispensabilis quæ Creaturam respicit in statu *naturæ* simpliciter qua Creatura est, Ista *relativa* est et σχετικὴ quæ refertur ad hominem in statu *viæ* constitutum, cum conditione laboris et operis, et sub obligatione vitam ex ea merendi. Illa *æterna* est et immutabilis, quandiu enim Creator est et Creatura, tandiu hæc illi subjecta debet esse, nec magis de hoc jure dispensare potest Deus quam seipsum abnegare; At ista *libera* est et mutabilis quæ tandiu durare debet quandiu homo est in statu viæ, postquam enim metam attigit, et curriculum seu stadium obedientiæ propositum absolvit, tunc subjectione illa exsolvitur. Creatura nunquam eximi potest a statu naturali, sed potest a statu viatoris in quo debet mandata implere ad vitam consequendam; Illius fundamentum est Jus Creatoris αὐτοκρατορικὸν in creaturam, et dependentia naturalis creaturæ a Creatore; Sed istius fundamentum est voluntaria dispensatio Creatoris, qui hoc vel illo modo potest cum creatura pacisci. Supponitur quidem dependentia naturalis quæ in nullo statu a creatura separari potest, sed non sufficit, nisi superaddatur speciale pactum; Ita juxta diversum creaturæ statum, et diversum Legis finem et modum potest diversa esse subjectionis ratio, et modo negari, modo affirmari.

XXXII. Sic ut ad præsens institutum hoc applicetur, Dico duplicem fuisse in Christo subjectionis speciem. Prima *naturalis* fuit et necessaria, Secunda, *œconomica* et libera, Illa in *statu naturæ* qua fuit Creatura quæ Creatorem suum amare et illi morem gerere tenetur, Ista in *statu humilitatis* et *viæ* qua fuit Mediator, qui personam peccatorum debuit sustinere, et pro aliis satisfacere et mereri. Nec enim mandatum fuit tantum datum Christo generale obediendi Deo, cui omnes ex æquo tenentur, sed in specie

sese tanquam vadem loco peccatorum substituendi, et ea omnia præstandi et patiendi quæ necessaria erant ad opus redemptionis exequendum, vi fœderis cum ipso initi. Quoad priorem, damus Christum subjectum fuisse legi communi subjectione naturali quatenus homo et creatura fuit, huic enim legi etiam angeli ipsi in cœlo et spiritus consummati qui sunt in patria, subjiciuntur, nemo enim est qui non teneatur summe amare Deum et illi obsequi; Sed respectu posterioris verum est dicere Christum non fuisse ὑπὸ νόμον quoad se, sub lege scilicet illa œconomica et speciali quæ lata illi est in statu viæ, et in eum finem ut in forma servi et humilitatis curriculo vitam nobis perfectissimam sua obedientia consequeretur. Nec enim tenebatur pro se ad Mediatoris officium suscipiendum, peccatorum personam sustinendam, et ea omnia facienda et patienda quæ non modo a nobis erant debita, sed quæ necessaria erant per se ad salutem obtinendam. Homo poterat nasci et viator hoc modo non fieri, ut si creatus et collocatus fuisset illico in paradiso, si munere mediatorio non fuisset instructus. Verum quidem est humanitatem Christi esse conditionem *sine qua non*, quia nisi homo fuisset, viator esse non potuisset, siquidem ad homines tantum pertinet status ille viæ de quo loquimur, sed non sequitur ex eo quod homo est, continuo viatorem esse, potuit enim homo esse et non viator. Cum ergo Christus dicitur Legi subjectus quatenus homo, bifariam potest intelligi, vel *specificative* ut notetur principium et subjectum quod subjicitur, et sic vera est propositio, quia in Christo non divina natura, sed humana sola poterat subesse Legi, et sustinere personam viatoris; vel *reduplicative* ut indicetur ratio formalis propter quam sit subjectio et conditio viatoris, Et sic falsa est, nam si hoc foret conditio viatoris, deberet esse inseparabilis a creatura, quod tamen falsum est, cum nunc Christus ipse nulli tali necessitati amplius subsit, et beati qui sunt in patria comprehensores non possint amplius dici viatores. Ex quibus clare constat, Christum cum isti subjectioni voluntariæ et œconomicæ non teneretur naturaliter, et pro se, sed tantum pro nobis ex peculiari Mediatoris officio, Legem etiam non pro se sed pro nobis tantum eo respectu implere debuisse, atque adeo posse eam obedientiam juste nobis imputari; quod negabat Adversarius.

XXXIII. 4. Resp., Ad min. Christus considerari potest, vel ratione *Personæ* vel ratione *naturæ humanæ*. Licet posteriori respectu debuisset obedientiam *qua homo;* non potuit tamen priori debere *qua Deus* vel ratione personæ, quia cum sit divina eximebatur eo ipso a jure illo communi cui homines sunt obnoxii; Quia autem Christus *Mediator* est secundum utramque naturam, et actiones et passiones, ut notum, sunt suppositorum; etsi fuerunt alterius naturæ ἐνεργήματα, fuerunt tamen totius personæ ἀποτελέσματα. Itaque quod de Persona divina dici non potest recte de Christo negatur, licet hoc suo sensu respectu humanæ naturæ illi tribui possit. Sic negat Apost. Christum decimatum fuisse in lumbis Abrahæ cum Levi, Heb. vii., licet non minus quam Levi in ipso fuerit ratione carnis utpote ex Juda oriundus, quia non erat in ipso secundum totam personam et divinam naturam quæ potior est et nobilior pars personæ Mediatoris; Pari plane pacto quia obedientia Christi Mediatoris fuit θεανδρικὴ hominis veri, sed non meri, ipsius scilicet Dei filii qui dicitur obediens factus Patri usque ad mortem, ad quam neutiquam tenebatur respectu personæ et naturæ divinæ, recte dici potest eam pro se non debuisse, atque adeo potuisse illam pro nobis impendere. Sic probatum fuit Satisfactionem non fuisse impossibilem a parte Christi; non minus possibilem a parte *pœnæ* ferendæ, vel *hominum* reorum sequens docebit Disputatio.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS NONA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS NONA.

Respondente PAULO COVLEZ, *Metensi.*

Superiori Disputatione vidimus et expendimus rationes, quibus adversarii probare conantur Satisfactionem impossibilem fuisse a parte *Dei* et *Christi*, superest ut ad examen revocemus eas quibus evincere satagunt a parte *pœnæ* ipsius, et *hominum* reorum, non potuisse vere dari, quod hac Disputatione breviter cum bono Deo expediemus.

I. Contendunt ergo ratione *Pœnæ* impossibilem fuisse Satisfactionem hac imprimis ratione moti: Qui non solvit id quod a nobis debebatur, is vere pro nobis non satisfecit; At Christus non solvit quod a nobis debebatur, debebatur enim mors æterna ex justitia Dei; Christus autem illam non subiit, sed tantum temporalem: primo, quia mors æterna non pertransitur, at Christus resurrexit; secundo, finiti ad infinitum nulla est proportio, pœnæ Christi tempore finitæ fuerunt, utpote mors triduana, et nostræ nullo tempore finiendæ erant.

II. Si mortem æternam sustinuisset, *desperasset:* Desperatio enim et conscientiæ morsus est propria damnatorum pœna, vel inseparabiliter cum ea connexa, Isa. lxvi. 24, et Marc. ix. 44, quæ a Christo longissime semper abfuit. Itaque neque quoad quantitatem, neque quoad qualitatem sibi respondent pœnæ nostræ et Christi. Palmarium est argumentum quo Socinus ejusque socii perpetuo utuntur. Socinus fuse illud persequitur, p. 3, c. 3; Ostorod. p. 2, c. 14; Catech. Racovi. de morte Christi, c. 8.

III. Resp., Multa tamen sunt quæ ad hoc argumentum reponi possunt. 1. Ad Majorem per limitationem, Qui non solvit quod alius debet nec quoad *durationem*, nec quoad *pondus* et *valorem* æquipollenter, is revera pro eo non satisfacit, concedo, quia satisfactio supponit perpessionem pœnæ debitæ, Sed qui non solvit quod alius debet quoad durationem, sed quoad valorem et ἰσοδυναμίαν non satisfacit, nego, quia etsi non idem, modo tantundem habeatur sufficit. Jam ad Minorem. Christus etsi *mortem æternam* non subierit quoad *durationem*, quia non potuit, quandoquidem illi necessario resurgendum fuit; at eandem tamen tulit *æquipollenter*, quia summos et intensissimos dolores tulit, qui licet temporales et finiti fuerint ratione sui, habebant nihilominus valorem et pondus infinitum ratione personæ patientis. Nec enim passio ψιλοῦ ἀνθρώπου, sed θεανθρώπου, *non meri hominis*, sed *veri Dei*, qui suo sibi sanguine Ecclesiam

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI VERITATE,

PARS NONA.

Respondente Paulo Covlez, *Metensi.*

Superiori Disputatione vidimus et expendimus rationes, quibus adversarii probare conantur Satisfactionem impossibilem fuisse a parte *Dei* et *Christi*, superest ut ad examen revocemus eas quibus evincere satagunt a parte *pœnæ* ipsius, et *hominum* reorum, non potuisse vere dari, quod hac Disputatione breviter cum bono Deo expediemus.

I. Contendunt ergo ratione *Pœnæ* impossibilem fuisse Satisfactionem hac imprimis ratione moti: Qui non solvit id quod a nobis debebatur, is vere pro nobis non satisfecit; At Christus non solvit quod a nobis debebatur, debebatur enim mors æterna ex justitia Dei; Christus autem illam non subiit, sed tantum temporalem: primo, quia mors æterna non pertransitur, at Christus resurrexit; secundo, finiti ad infinitum nulla est proportio, pœnæ Christi tempore finitæ fuerunt, utpote mors triduana, et nostræ nullo tempore finiendæ erant.

II. Si mortem æternam sustinuisset, *desperasset:* Desperatio enim et conscientiæ morsus est propria damnatorum pœna, vel inseparabiliter cum ea connexa, Isa. lxvi. 24, et Marc. ix. 44, quæ a Christo longissime semper abfuit. Itaque neque quoad quantitatem, neque quoad qualitatem sibi respondent pœnæ nostræ et Christi. Palmarium est argumentum quo Socinus ejusque socii perpetuo utuntur. Socinus fuse illud persequitur, p. 3, c. 3; Ostorod. p. 2, c. 14; Catech. Racovi. de morte Christi, c. 8.

III. Resp., Multa tamen sunt quæ ad hoc argumentum reponi possunt. 1. Ad Majorem per limitationem, Qui non solvit quod alius debet nec quoad *durationem*, nec quoad *pondus* et *valorem* æquipollenter, is revera pro eo non satisfacit, concedo, quia satisfactio supponit perpessionem pœnæ debitæ, Sed qui non solvit quod alius debet quoad durationem, sed quoad valorem et ἰσοδυναμίαν non satisfacit, nego, quia etsi non idem, modo tantundem habeatur sufficit. Jam ad Minorem. Christus etsi *mortem æternam* non subierit quoad *durationem*, quia non potuit, quandoquidem illi necessario resurgendum fuit; at eandem tamen tulit *æquipollenter*, quia summos et intensissimos dolores tulit, qui licet temporales et finiti fuerint ratione sui, habebant nihilominus valorem et pondus infinitum ratione personæ patientis. Nec enim passio ψιλοῦ ἀνθρώπου, sed θεανθρώπου, *non meri hominis*, sed *veri Dei*, qui suo sibi sanguine Ecclesiam

acquisivit, Act. xx. 28; adeoque quod deest finito tempori, completur per personæ infinitæ conditionem, quæ temporali passioni pondus addit infinitum. Sicut enim peccatum Adæ in se quidem æternum non fuit et infinitum, interim tamen vires habuit culpæ infinitæ, totum genus humanum damnationi subjicientis, quia æternum et infinitum Deum læsit, sic et mors Christi ratione temporis finita, ratione valoris *infinita* est, quia Dei infiniti mors est. Sic infinito peccati merito, et infinitis pœnis debitis opponitur infinitum meritum Christi et satisfactio, ratio infinitatis utrobique sumitur a Deo, vel per peccatum læso, vel pro peccato satisfaciente. Ita mors ista si non æterna proprie dici potest, quandoquidem æternitas in se notat durationem interminatam, quæ in morte triduana desideratur, recte tamen æternæ æquivalens habebitur: 1. Propter *dignitatem personæ* quæ non tantum fuit sanctus et justus homo, sed etiam verus Deus. 2. *A gravitate pœnæ*, quæ licet temporalis fuerit, tamen immensitate et diritate angorum et cruciatuum nihilo minor aut lenior fuit pœna æterna. 3. *Ab effectu*, quia Christus morte sua liberavit nos a pœna æterna, juxta justitiam et veritatem Dei nobis debita, ideoque mors ejus debuisse esse æternæ æquivalens.

IV. 2. Minor simpliciter negari potest, Christum scilicet non solvisse quod a nobis debebatur. Infinitam enim pœnam peccatores commeriti erant, et Christus eam tulit. At, inquies, duratione debebatur infinita, nimirum æterna, quam Christus nec subiit nec subire potuit. Resp., Infinitas pœnæ quoad *durationem* primario non debebatur a creatura, sed secundario tantum et per accidens infirmitatis subjecti. Nam si infinitas pœnas quoad atrocitatem ferre potuisset creatura peccatrix, nihil opus fuisset pœnam æternam ferre. Quia vero creatura finita pœnarum actu infinitarum capax non fuit, fieri debuit hac in parte pœnarum commutatio, ut quas atrocitate et intentione infinitas ex rigore justitia postulabat, eædem infinitæ essent tantum in duratione. Jam vero in Christo res ad naturalem justitiæ ordinem rediit. Facta enim est commutatio pœnarum quæ nobis ferendæ erant infinitæ quoad durationem, in pœnas magnitudine et intensione infinitas; non quidem ut infinitas illa æstimanda sit simpliciter ex atrocitate et gravitate rei, quæ nulla infinita in creaturam humanan cadere potest, sed ex dignitate personæ divinæ quæ passa est. Mors ergo infinita erit non *tempore* sed *pondere*, non extensive, sed intensive, non ratione sui, sed ratione subjecti.

V. 3. Pœna mortis peccato debita considerari potest bifariam: vel quoad *essentiam*, vel quoad *accidens* et adjunctum ejus. Priori sensu dicit pœnas infinitas quotquot a creatura ferri possunt, tum *damni*, tum *sensus*, quas justitia Dei peccantibus denunciat, tum in privatione boni infiniti, desertione scilicet Dei et separatione ab ejus gratia et gloria, tum in inflictione mali longe maximi, maledictione nimirum et ira ipsius cum gravissimis corporis et animæ cruciatibus. Posteriori vero pœnæ æternæ durationem habet; accedit enim pœnæ ut sit æterna propter conditionem subjecti. Jam Christus pœnam infinitam sensit quoad *substantiam* ipsam pœnæ, quia justitia Dei nihil exigere potuit vel quoad pœnam damni, vel quoad pœnam sensus, quod Christus, plene non sustinuerit, Damnum quidem in *derelictione* Dei, Psal. xxii. 1, sensum vero in *maledictionis* et iræ perpessione, Gal. iii. 13, quæ per calicem amarissimum denotatur, qui bibendus Christo oblatus est, Matth. xxvi. Sed non tulit quoad *accidens* durationis æternæ, quia nec necessarium fuit, nec possibile; non necessarium, quia jam plene alio modo satisfecerit, non possibile, quia sic ne satisfecisset quidem, nam qui semper solvit, nunquam potest dici persolvisse. Ha-

buit ergo pœna Christi quod essentiale fuit pœnæ, non quod accidentale: hoc enim nec habere debuit, nec potuit: Non debuit, quia mors jam ob infinitam personam erat infiniti valoris; Non potuit etiam: 1. Ob *unionis* hypostaticæ indissolubilitatem, quia impossibile fuit filium Dei a morte detineri; Potuit a morte obsideri, sed non potuit ab ea vinci et superari, potuit premi, sed non opprimi, potuit concuti, sed non penitus dejici, quia quod λόγος Princeps vitæ semel assumpsit, nunquam dimisit; 2. Ob *officii* implendi necessitatem; qui enim mortis merito salvator fuerat, debuit esse pariter efficacia vitæ; qui sanguine salutem acquisiverat, debuit eam spiritu applicare et conferre per resurrectionem. 3. Ob perfectam *humanitatis* sanctitatem. Nam fieri non potuit ut "Sanctum Domini videret corruptionem," Psal. xvi., nec possibile erat justum a morte detineri, Act. ii. 24. Quamvis ergo mortem hanc ratione durationis æternæ non pertulerit, tulit tamen ratione essentiæ et valoris infinitam, ita ut nihil hoc modo pretio decesserit. Imo tantum abest ut decesserit, ut mors infinita Christi videatur aliquanto superare mortem æternam nobis debitam: nam pœnæ inferorum nonnisi improprie dicuntur *infinitæ*, quia componuntur ex variis momentis sibi invicem succedentibus, finitum autem additum finito non facit infinitum, sed melius dicerentur *indefinitæ;* At vero persona et dignitas Christi actu est infinita. Cum ergo ex dignitate personæ quæ luebat, pœnæ æstimatio pendeat; mors illius æstimari debuit ac si fuisset actu infinita, mors autem infinita actu, finitam mortem quantumvis multiplicetur, vel in æternum prorogetur, non æquat modo, sed superat proportione.

VI. Hinc facile responderi potest rationibus allatis. Ad primam, quod mors æterna non pertransitur, Resp., Si æternam intelligas, quæ talis est absolute et quoad durationem, fateor; si infinitam quæ talis sit valore et intensione, nego. Inexpugnabilis sane mors est, si spectetur qua est infinita extensive, et temporis duratione, sed si dari potest ejusmodi subjectum in quod cadere possit tantum incrementum pœnæ sine ejus destructione, res non est impossibilis. Tale autem subjectum fuit Christus θεάνθρωπος, qui non tulit tantum, sed et pertulit et superavit pœnas omnes nobis debitas sine ullo detrimento: potuit enim et se et nos liberare, ac si nosmet ipsi easdem tulissemus.

VII. Ad secundam Resp., Finiti ad infinitum nulla est proportio si *finitum* et *infinitum* intelligatur *absolute* et omnimode, falsum si utrumque intelligatur tantum *secundum quid* et comparate. Nam quod finitum est in se, potest dici infinitum objective, ut peccatum finitum est ratione *subjecti* hominis scilicet peccantis, infinitum tamen dicitur ratione *objecti*, nimirum Dei offensi; Ita vicissim datur aliquod finitum *in se* quod infinitum est *respectu subjecti*, ut passiones Christi in se quidem finitæ sunt, sed ratione Christi patientis qui persona est divina et infinita, infinitæ. Sic justa dari potest proportio inter pœnas Christi et nostras. Nam ut culpa finita tempore meruit infinitam pœnam ratione objecti infiniti, Dei scilicet, in quem admissa fuit; Sic pœna tempore finita æquipollet æternæ propter subjectum infinitum a quo fuit tolerata. Ita pœnæ bifariam spectari debent, vel *Physice* seu Metaphysice, ratione entitatis quam habuerunt, sic finitæ fuerunt, nec esse infinitæ potuerunt aut debuerunt, vel *Ethice* sive judicialiter, quomodo esse infinitæ debuerunt et revera fuerunt. At hic cum de satisfactione forensi agatur, finitudo, si ita loqui licet, vel infinitudo pœnarum intelligenda est secundum æstimationem forensem quæ nullam habet rationem entitatis, ut patet in peccato, quod interdum nullam entitatem habet, neque formaliter neque materialiter, v. g. omissio officii, et ta-

men in foro magni æstimatur, imo cum de officio erga Deum infinitum agitur, quodammodo infinite; quo enim major est ejus qui offenditur dignitas, eo pluris æstimatur offensa, eo enim minus offendi debuerat, plusque adeo est in offensa indignitatis.

VIII. Ad tertiam de desperatione: Resp., Distingue rursus *essentiam* pœnæ ipsius, et ejus *adjunctum* et consequens quod pro ratione subjecti separabile est; vel prout *a Judice infligitur*, vel prout *a Creatura recipitur*, vel prout in persona aliena sponsoris fertur, vel in propria persona *peccatoris*. Priori sensu desperatio et morsus conscientiæ non pertinent ad pœnas damnatorum: non sunt enim de essentia pœnæ in se consideratæ, sed tantum per modum *adjuncti* et consequenter ratione subjecti *corrupti*. Non includuntur in pœna quatenus a judice infligitur, vel a sponsore fertur, sed quatenus a creatura vitiosa et rea recipitur. Sic desperatio est adjunctum pœnæ, quod pro ratione subjecti est separabile: nam si pertransire posset damnatus pœnas, non desperaret, sed quia scit in æternam duraturas esse, et spei et libertatis nullam affulgere rimam, ideo desperat: At in Christo longe aliter; non potuit in ipsum cadere desperatio, tum quia luebat non sua, sed aliena peccata, tum quia luebat absque omni peccato, tum denique quia de conservatione et liberatione sui erat securus, ideoque in mediis cruciatibus et angoribus suis, fiduciam suam semper in Deo collocat, Psal. xxii. 2, 3.

IX. Atque hic obiter, antequam alio transeamus, depellenda est atrox et tetra calumnia, quam Pontificii Doctoribus nostris intentant, quasi desperationem Christo tribuant, imprimis Calvino nostro in Harmon. Evang. ad Matth. cap. xxvii. 46, et Instit. lib. ii. c. 16, s. 10 et 11, et Bezæ ad Matth. c. xxiv. 45, 46. Hinc Estius in Matth. xxvii., ait "non defuisse hoc tempore qui auderent inauditam blasphemiam in Christum evomere, dicentes eum in cruce desperasse, et ob eam causam ipsum damnatum esse, quam blasphemiam audire piæ aures cohorrescunt." Et Genebrardus in Psal. xxii., vult ex voce a Christo emissa Calvinistas colligere "Christum in cruce desperasse, vel desperantis vocem emisisse, et ad desperationem usque terrores mortis et dolores inferni, flammasque et supplicium infernale post mortem, sustinuisse." Sic Maldon. in Matth. xxvii., Bellarm. l. iv. de Christo, c. 8, et alii passim, et nullus est hodie Monachorum qui consimiles in nostros non jactet calumnias, et sententiam de Christi desperatione iis sycophantice non affingat.

X. Verum nisi odio insano excæcatæ essent eorum mentes, facile tam nefandarum criminationum caliginem dispellere poterant; Nihil enim falsius dici potuit, nihil a mente nostrorum alienius, imo et ab ipsorum verbis: inspiciantur tantum loca, et res cuilibet patere poterit. Primo quod Calvinus sibi objicit in persona Adversarii per μίμησιν, id tanquam ejus assertionem ipsi affingunt, verba clara sunt, "absurdum Christo elapsam esse desperationis vocem," q. d., Scio fore qui absurdum hic a me statui et Christo desperationem affingi asserant, et subjicit, "solutio facilis est, quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in ejus corde qua Deum præsentem intuitus est, de cujus absentia conqueritur." Ita docet Christum ita concepisse Dei derelictionem, ut simul fide retinuerit Deum sibi esse propitium, quod probat ex duobus querimoniæ membris, in qua antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere tanquam Deum suum; atque ita clypeo fidei fortiter repellit illam quæ se ex opposito ingerebat derelictionis speciem: denique in hoc diro cruciatu illæsa fuit ejus fides, ut se derelictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio consideret. Sed mentem suam longe clarius ad-

huc aperit in Instit. lib. ii. c. 16, s. 12., dum inter alia varia huc facientia hoc potissimum notat; "Quanquam ad momentum sese occultaverit vis spiritus, ut locum infirmitati carnis cederet, sciendum tamen est talem fuisse tentationem ex doloris metus sensu quæ cum fide non pugnaret, Et hoc modo impletum est quod habetur in concione Petri, non potuisse eum teneri a doloribus mortis, quia se quasi derelictum a Deo sentiens, ne tantillum quidem deflexit a bonitatis hujus fiducia; Quod docet celebris illa invocatio, in qua præ doloris vehementia clamavit, Deus meus, Deus meus, ecquid dereliquisti me? Nam etsi supra modum angitur, non tamen desinit vocare Deum suum a quo se derelictum exclamat." Sic Catech. sect. 10, "Quamvis metu angeretur, ac pene animo concideret, spem tamen præ gravi illo mœrore non abjicit: ideoque mœror ille multis modis differt ab illa anxietate quam in conscientia habent peccatores, a quibus Deus iratus pœnas reposcit, quia quod in eo temporarium fuit, in illis est perpetuum, et quod eum aculei cujusdam instar pupugit, illis mortifer gladius est. Sed quod præcipuum, Christus in Deo *spem* habere non desiit, quanquam vehementer expavescens, et in angorem summum redactus, peccatores autem quos Deus condemnat, de ipsius benevolentia desperantes, tantummodo adversus eum manifesto fremunt, et blasphemias jactant." An qui ita loquitur desperationem Christo tribuisse dicendus sit, judicent omnes.

XI. Bezæ non alia mens est. Nam in Matth. xxvii. 46, nihil de desperatione habet, neque locum ipsum fusius explicat, sed ad locum Heb. v. 7 remittit, ubi rem totam executus est solidissime, sed quantum abfuerit ab ea, quæ illi tribuitur opinione, docent verba quæ sub finem dissertationis adjicit: "Verum in his omnibus hæc duo teneamus, ista videlicet non a diffidentia ulla, sed a doloris vehementissimo sensu proficisci; Deinde sic considerandas esse singulas hujus actionis partes, ut ex fine de re tota statuamus, neque enim in illa cogitatione (quæ tamen et ipsa, ut dixi, fuit omnis peccati et vitii expers) ita hæsit, quin mox invicta spes illum erigeret, Idem enim qui perculsus, Quid dicam, inquit, libera me ex hac hora, eodem tenore subjicit, Sed propterea veni in hanc horam; Qui ter petit, Pater transfer a me calicem hunc, addit, Fiat quod tu vis; Qui vociferatur se derelictum, tamen Deum, Deum suum compellat." Quod si ad ipsos Adversarios oculos convertere vellemus, quanto justior esset eos carpendi occasio, qui longe durius hac in parte et Calvino et Beza locuti sunt, Vide, sis, Maldon. in Matth. xxvii., Ferum in eundem locum, Cusanum de cruciatibus Christi, Ariam Montan. de passione Christi in horto, lib. v., de regen. Ada., c. 23, et alios non paucos.

XII. Sed e diverticulo in viam. Contra responsionem nostram multa reponunt Adversarii. 1°. Si verum esset Personæ infinitatem ad infinitatem pœnæ contulisse, sequeretur ergo levissima aliqua pœna de Christo sumpta Justitiæ Dei satisfieri potuisse, ut non necesse fuerit tam diris cruciatibus eum affligi: nam et levissimæ pœnæ hoc pondus ab æterna Deitate addi potuisse; Sic Socinus. Addit Gittichius contra Lucium, Si una sanguinis gutta fuit sufficiens, cæteras fuisse frustra effusas, et Deum crudelissimum fuisse qui plus requisiverit quam debebatur. Resp., Neg. conseq. Nam etsi quælibet passio Christi habuerit valorem infinitum *subjective*, sola tamen mors a Lege denunciata habuit valorem infinitum *objective* respectu judicis infligentis; Ideo minimus cruciatus Christi vel guttula sanguinis non potuit sufficere ad plenam satisfactionem, quia non habuit rationem maledicti et pœnæ peccato respondentis. Quævis perpessio satisfactio non est, quamvis infinita patiatur persona, sed ea demum quæ conveniens

est, et quæ cum justitia Dei, legis sententia, peccati fœditate et gravitate, et figuris præcedentibus congruit. Dignitas personæ patientis potest quidem augere pœnæ quam patitur dignitatem, ut eo gravior censeatur, quo dignior est et illustrior persona quæ patitur, non potest vero essentiam seu speciem ipsam pœnæ compensare. Aucta enim in immensum unius speciei quantitas, ipsi non confert alterius speciei naturam; Auge naturam bruti infinite, non tamen propterea habebis hominis perfectionem. Non igitur qualibet pœna, sed ea sola quam eramus commeriti, et quam Lex denunciabat, morte scilicet, satisfieri pro nobis potuit. Absit ergo ut Deus crudelitatis propterea insimuletur, quod mortem requisiverit, imo in justitiæ exercitio est quod miremur bonitatis et misericordiæ Dei salutare temperamentum, qui cum pœnam mortis propriam a nobis exigere potuisset, vicaria tamen contentus fuit. 2. In hac causa non est indulgendum cogitationibus nostris, nec tam quærendum quid fieri potuerit, quam quid fieri voluerit Deus, et quid reipsa factum fuerit. Propterea hic componendum est decretum Dei cum consideratione qualitatis personæ Christi, non autem unum ab altero divellendum, Certum est enim hic Deum voluisse satisfieri justitiæ suæ, non per unum aut alterum opus Christi, sed per plura conjunctim, ac nominatim per passiones et mortem ipsius, ita ut omnes simul unum δικαίωμα, et absolutissimam infinitæ satisfactionis rationem constituant.

XIII. Atque hinc patet quam vanum sit et falsum illud Scholasticorum effatum, quo pertendunt unicam sanguinis Christi guttam sufficere potuisse hominibus redimendis, ut inde scilicet thesaurum Indulgentiarum suarum extruant, in quem reliquam sanguinis copiam repositam esse contendunt, et per Petrum ejusque successores dispensari pro partiali vel totali remissione peccatorum. Nam cum toties testetur Scriptura mortem Christi necessariam fuisse, tum propter justitiam Dei immutabilem, Rom. i. 32, et vi. 23, tum propter infallibilem ejus veritatem, Gen. ii. 17, Ezech. xviii., quis minus supplicium sufficere potuisse crediderit? nisi velimus Deum accusare quod nimium a filio suo exegerit, quod impium est vel cogitare. Ἀιματεκχυσία vero illa de qua Apost. loquitur, Heb. ix. 22, non simpliciter quamlibet sanguinis effusionem notat, sed quæ mortem secum trahat, qualis erat in effusione sanguinis pecudum sub Vet. Test., ad quam ibidem alludit Apost.

XIV. 2°. Excip., Dignitatem personæ nihil conferre ad infinitatem pœnæ quia nulla sit apud Deum personarum acceptio, Rom. ii. 11, quod si hoc obtinet, cum ejus misericordiæ locus relinquitur, quid tandem erit, cum de pœna irroganda ex justitia seu potius severitatis absolutissimæ præscripto agitur? Addit Socinus valde suspectum esse quod pro concesso sumitur Principis viri levem pœnam ejusdem pretii esse cujus gravissimam hominis plebeii, imo se credere injustam esse eam Legem quæ idem delictum in viro principe leviter punit, in plebeio autem gravissime. Resp., 1. Neg. conseq. Etsi non datur personarum acceptio apud Deum, non sequitur passiones Christi valorem infinitum non habere a dignitate personæ, quia alia plane est προσωποληψία quam Deus a se removet, alia personæ Λόγου consideratio in æstimatione juridica satisfactionis. Nam respectu prioris πρόσωπον non significat *objectum* ipsum amatum vel rejectum, seu ipsum hominem, quem personam dicimus, sed notat *motivum* seu *qualitatem* aliquam externam propter quam adducimur ad illud eligendum vel respuendum; quia vero vultus hominis in eo maxime illustris est et conspicuus, qui primum omnium in oculos intuentium incurrit, ideo πρόσωπον dicitur, ut ex eleganti illa Nazianzeni allusione videre est in carmine

κατὰ γυναικῶν καλλωπιζομένων, ubi eas ab insano faciem fucandi studio dehortatur, faciem nativam a larva ascititia et superinducta distinguendo:

Μήδε θεοῦ μορφὰς ἐπαλύφετε χρώμασιν αἰσχροῖς
ὥστε προσωπεῖα κοὐχὶ πρόσωπα φέρειν.

Hinc πρόσωπον usurpatur pro statu hominis externo, seu pro qualitate aliqua personæ aut rei, quæ est extra causam de qua agitur et quæ nullatenus ad ejus momentum pertinet, v. g., cum propter nobilitatem et potentiam unus absolvitur licet reus, alter vero propter inopiam et miseriam damnatur, licet cæteroquin potior esset et justior ejus causa; hæc est vera prosopolepsia quæ in vitio semper ponitur et a Deo passim severe interdicitur, Lev. xix. 15, "Non suscipies faciem pauperis, nec honorabis faciem magni in judicio, in justitia judicabis proximum tuum;" Sic Deut. xvi. 19, et alibi sæpe. At vero personæ dignitas de qua loquimur, non est πρόσωπον seu qualitas aliqua externa quæ non faciat ad rem. Imo hic persona Λόγου dat momentum longe maximum ipsius passionibus, quandoquidem pondus addit et valorem λύτρου; cum enim actiones et passiones sint suppositorum, ab iis etiam suam trahunt æstimationem. Aliud E. est πρόσωπον, id. *faciem*, non accipere, quod vitiosum est et de Deo bene negatur, aliud ὑπόστασιν seu *personam* respicere, quod justum est, et recte Deo tribuitur.

XV. 2. Resp. Supponi hic falsam hypothesim ab Adversario, quasi personæ dignitas nihil faciat vel ad minuendum peccatum, vel ad augendam pœnam. Quis enim ignorare potest crescere peccati reatum pro tenuitate offendentis, et majestate offensi, seu ejus in quem peccatur, et rursus pœnæ valorem ex dignitate patientis; v. g., si Plebeius aliquis aut vilis homuncio Regem lædit, longe gravius censetur peccatum, quam si Rex vel Princeps subdito injuriam faceret; Ita si Rex aliquis patitur, ejus passio longe pluris æstimatur, quam si minimus aliquis ex plebe. Quo major est ejus qui punitur dignitas eo pluris æstimatur pœna quam perpetitur, eo enim minus puniri debebat, plusque adeo est in pœna indignitatis. Jam autem personæ divina essentia præditæ dignitas est infinita, quæ enim potest forma dignior esse forma Dei? At Christus erat in forma Dei, Phil. ii., ἴσα τῷ θεῷ *æqualitates*, id est, prorsus æqualis Deo. Is autem sese usque eo exinanivit, ut oppositam formam sumpserit, scilicet servi, nec eo exinanitionis gradu contentus, infra eum sese ad eam obedientiam demisit quam nemo exigit a servo; luitque ultro atrocissimum et Lege Dei maledictum supplicium crucis ut Patri obediret, et nos a maledictione Legis liberaret. Ita nihil ad infinitam pœnæ æstimationem desiderari jure potuit. 3. Pœna vel infligitur peccatori ipsi in *propria persona*, vel sponsori in *persona aliena*. Dignitas personæ non valet quidem in reo patiente, quia eadem quæ est in solvente, fuit in peccante, et quæ considerari potest in pœna ad ejus imminutionem, spectatur in peccato ad ejus intensionem, sed in sponsore valet, quia non ob sua, sed ob aliena delicta satisfacit. Itaque si Rex punitur pro subditis, pœna quæ in subditis mortis debuerat esse, in Rege propter dignitatem personæ commutabitur in exilium, vel carcerem. Quidni ergo hic dignitas non finita, sed infinita personæ Christi pondus addere potuerit passionibus ejus, ita ut quod duratione æternum esse debuerat, brevi temporis spatio absolveretur. Sane Scriptura non sine ratione toties ad hanc personæ considerationem nos revocat, ut pondus infinitum meriti et satisfactionis Christi agnoscamus, ut cum ait "Deum acquisivisse Ecclesiam sanguine suo," Act. xx. 28; "Dominum gloriæ esse

crucifixum," 1 Cor. ii. 8; "Christum se per spiritum æternum obtulisse," Heb. ix. 14; et "vi indissolubilis vitæ non secundum mandatum carnale factum fuisse sacerdotem," Heb. vii. 16; "sanguinem Jesu Christi filii Dei nos purgare ab omni peccato," 1 Joh. i. 7. 4. Falsum etiam hic supponitur, Christum leniores pœnas tulisse quam quæ nobis debebantur. Neque enim dicimus propter personæ dignitatem in Christo levius, vel infra condignum vindicata fuisse peccata nostra, sed cum debitas eorum pœnas omnes tulerit, ex personæ dignitate fluere merito dicimus quod tanti habeantur pretii ad nos redimendos. Itaque duo hic conjungenda esse putamus, peccatorum omnium justam persolutionem, et satisfactionis illius valorem infinitum; pœnas enim omnes impositas esse clamat Isaias, c. liii., et Paulus, Gal. iii., dum ait factum fuisse κατάραν, maledictio enim omnes pœnas includit, valorem vero istarum pœnarum ex ipsa persona petendum esse ex eo patet, quod Deus dicitur acquisivisse Ecclesiam sanguine suo, et Christus per Spiritum æternum se obtulisse, &c.

XVI. 3°. Excip., Non posse divinam vim Christi conferre passionibus infinitatem, quia alias sequeretur Christum quatenus fuit æternus Deus, passum fuisse, quando non satis erat Christum qui passus fuit, æternum Deum esse, nisi etiam quatenus Deus æternus est fuerit passus, cum vero hoc dici haudquaquam possit, nec posse pariter istam infinitatem ex personæ dignitate peti. Resp., Ut pœnæ sint infinitæ, non necesse est ut Divinitas ipsa passa sit, quæ impassibilis est, sed sufficit ut persona patiens divina sit; quamvis nihil perpessus sit Christus quatenus est Deus, persona tamen illa quæ Deus est, pœnas has tulit. Non valet ergo conseq., Christus quatenus est æternus Deus, vel ipsa in eo æterna Deitas, pati non potest, ergo, nec vim aut pretium tribuere perpessionibus quas humana natura ipsi personaliter unita sustinuit. Quia actiones et passiones omnes sunt personæ, et a dignitate personæ æstimantur et denominationem accipiunt, ut a *principio quod*, licet pro harum conditione attribuendæ sint naturæ ex qua ortum habent, ut *principio quo.*

XVII. 4°. Excip., Etsi natura divina supponeretur passa, non sequeretur, quia infinitæ virtutis est, idcirco quæcunque in ipsa sunt, infinitæ esse virtutis, ut operationes Dei quantumvis maximi, non tamen infiniti sunt pretii, licet sint ab eo qui infinitus est: Ita de passionibus statuendum, non posse statim infiniti pretii dici, licet in infinito sint. Resp., Sed hic fallunt et falluntur Adversarii. 1. Nunquam diximus Divinitatem ipsam passam esse vel pati potuisse, sed tantum personam patientem Deum fuisse; Passus est Ergo *qui Deus est*, sed non *qua Deus*. 2. Si Deus passus est, bene sequitur passiones esse infinitas respectu personæ, etsi sint in se finitæ; distinguenda ergo hic infinitas *physica* cujus subjectum finitum capax non est, ab infinitate *morali*, qualis in pretio attendi solet: passiones infinitæ sunt non priori sed posteriori sensu. 3. Ex eo quod Deus est infinitus sequitur quidem, quicquid est *in Deo* esse pariter infinitum, sed non quicquid est *a Deo* statim est infinitum eadem ratione. Jam opera dei transeuntia sunt a Deo et non in Deo, unde non mirum si eandem infinitatem absolute non participant. Interim tamen etsi non sint infinita absolute et simpliciter, aliquam tamen infinitatem participant, si non in substantia operis, saltem in modo operationis. Sic creatura non est infinita sed τὸ creare est infinitæ virtutis. Ita etsi passiones Christi non habeant infinitatem physicam, quæ in nullam rem creatam cadere potest, habent tamen moralem in pretio et æstimatione, quæ hic sufficit.

XVIII. Sic fuit prima objectio *ex parte pœnæ*. Secundam addit Socinus ex eo petitam quod pœna corporalis in alium transferri non possit, aut

pro illo pendi, quia natura non patitur ut corporalis unius pœna, non secus ac factum alterius fiat; Jam quæ suapte natura fieri non possunt, illa ne a Deo quidem fieri dicenda sunt: sic ille, part. 3, cap. 4. Resp., Natura aliquid impossibile dici potest, vel quod rerum naturæ ita repugnat ut contradictionem involvat, et sic verum est ea quæ natura fieri non possunt, neque etiam a Deo fieri posse; vel impossibile illud dicitur secundum quid, quod secundum naturæ cursum et ordinaria media fieri non potest, et sic negatur, quia Deus sæpe operatur supra naturam, et quæ homini animali absurda videntur et impossibilia, non desinunt posse a Deo fieri. 2. Quod est unius, potest fieri alterius vel *actuali transfusione*, vel *judiciali imputatione*. Pœna unius non minus ac peccatum non potest alterius fieri per actualem transfusionem, quia est actio et passio personalis quæ migrare non potest de subjecto in subjectum; sed nihil obstat quominus alterius fiat per forensem et judicialem imputationem; Ut sponsor potest in se debitum debitoris assumere, et pro ipso satisfacere, accedente judicis vel creditoris ratihabitione, qui quod sponsor solvit debitori imputat. Talis translatio pœnarum occurrebat olim in sacrificiis et victimis, quatenus istæ in peccatorum locum subrogatæ, pœnam mortis ipsis debitam sustinebant. Ita Christus in se et peccata et pœnas nostras transtulit, *peccata* quidem *imputative*, quia eodem loco habitus est ac si peccator fuisset, *pœnas* vero *realiter* et *inhæsive* quia eas omnes in corpore suo luere voluit. 3. *Pœna* unius non potest alterius fieri nimirum quæ sit *eadem numero*, concedo, sed *eadem specie* et similitudine, nego. Jam Christus non eandem numero pœnam nobis debitam tulit, sed similem tantum. Cæterum quæ hic Adversarius contra possibilitatem istius translationis, et substitutionis justitiam arguit, quia discussa sunt Disp. 2ª. de Necess. Satisf., plura nunc dicere supersedemus.

XIX. Ad quartum jam progredimur Caput, in quo pertendunt *ex parte hominum* impossibilem fuisse istam satisfactionem; Hoc enim etiam urgent Adversarii hoc potissimum argumento: Quia singulis peccatoribus mors una infinita debebatur, imo et pro unico peccato; Ergo vel plures mortes imo innumeræ requirebantur infinitæ, vel Christus vere et plene pro omnibus non satisfecit. "Finge," inquit Socin. p. 3, c. 4, "Christum eas pœnas subiisse quas quivis ex hominibus propter peccata sua subire tenebatur, quid hoc erit ad veram plenamque satisfactionem pro peccatis omnium? Quis unquam audivit, solvendo quod unus debet, pro singulis satisfieri, qui idem singuli debent?" Sic alibi, "Nonne et id quoque quod unusquisque nostrum propter delicta sua pati tenebatur, infinitum quiddam erat? &c. Infinitas igitur pretii quæ in Christi perpessionibus reperiri posset, quia divina natura passa fuisset, pro uno quopiam solvi potuisset, et unus tantummodo ex nobis ejus vi a mortis æternæ reatu liberari, siquidem ut dictum, quilibet ex nobis pro se eam pretii infinitatem debebat; quare totidem pretii pœnarum infinitates existere opus fuisset, quot nos omnes sumus, non unicam tantum, si omnes id per alium solvendo quod nos debebamus, eo nexu liberandi fuissemus."

XX. Resp., Arguta videtur objectio, sed solida non item. 1. Hic aperte impetitur ipsa Scriptura, quæ non semel, sed passim docet unum Christum pro omnibus mortuum et passum, Isa. liii. 4, 5, 6, "Deus conjecit in eum iniquitates omnium nostrum, et peccata nostra et dolores portavit," 2 Cor. v. 14, "Si unus pro omnibus mortuus, ergo omnes mortui," 1 Pet. iii. 18, "Justus pro injustis passus est," sed peculiariter, Rom. v. 19, ubi una Adami inobedientia quæ omnes posteros perdidit, opponitur vel respondere dicitur uni obedientiæ Christi quæ omnes fideles salvat,

"Ut per inobedientiam unius illius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius istius justi constituuntur multi." Si ergo unum Adami peccatum potuit innumeros perdere, quidni et una Christi justitia poterit innumeros salvare? sic "unica oblatione" dicuntur "consecrari qui sanctificantur," Heb. x. 14, et Christus "dedisse seipsum redemptionis pretium pro omnibus," 1 Tim. ii. 6. Hoc sensu dicitur "ἱλασμὸς non tantum pro peccatis nostris," id. Judæorum "sed etiam totius mundi," 1 Joh. ii. 2, "Agnus Dei qui tollit peccata mundi," Joh. i. 29, "Qui semel oblatus est ut multorum peccata tolleret," Heb. ix. 28. E. vel falsa dicenda erit Scriptura quæ passim unius Christi justitiam et mortem proponit tanquam ἀντίλυτρον sufficiens ad redemptionem omnium Electorum, vel falsa erit Socini sententia.

XXI. 2. Disting. *debitum pecuniarium, a solutione pœnali;* in Illo, quia pecunia ex sua materia et forma absolute æstimatur a quocunque possideatur aut solvatur, valoris est ejusdem, Ita si multi centum nummos pro se singulis debeant, pro singulis totidem centum nummi erunt pendendi, non vero pro omnibus centum sufficient; Sed in Ista, quia personæ fit substitutio, et quidem innocentis pro nocente, ibi æstimatio non fit tantum pœnæ, sed etiam personæ. Itaque pro dignitate personæ crescit etiam dignitas pretii. Licet nummus aureus non plus valeat in manu Regis quam captivi, tamen Regis caput et vita plus habet pretii quam vilis mancipii. Sic sæpe unius pœna pro delictis multorum sufficit, Rex unus pro innumeris captivis permutatur, quia dignitas personæ longe præponderat numero cæterorum. Sic vita Davidis plus æstimatur dimidio exercitu, 2 Sam. xviii. 3. At hic non est quæstio de solutione pecuniæ in qua valor ejus simpliciter attenditur, sed pœnæ in qua personæ conditio æstimatur. Nec mirum videri debet si unus pro multis sufficere potuit; ut Unus serpens æneus suffecit ad servandos omnes ægros Israëlitas; Unus hircus ἀποπομπαῖος suffecit ad exportanda in desertum omnium Israëlitarum peccata; Una victima sufficiebat et pro Sacerdote et pro populo; Unico sacrificio propitiatorio anniversario poterant universi populi delicta expiari, etsi tot expiationes requirerentur quot erant Israëlitæ, quia unica illa expiatio sic erat universorum, ut ex Dei destinatione et instituto fieret quoque singulorum; Quidni ergo una unius Christi filii Dei satisfactio pro peccatis mundi sufficeret? Sic quod præstat alicujus civitatis procurator aut commissarius totius Reip. nomine, sic factum ab ipso censetur, ut omnes et singuli in eo idipsum præstitisse dicantur. Ita quamvis quilibet egeat toto sole ad sui illuminationem, universis tamen illuminandis una Lux Solis sufficit.

XXII. 3. Tota Adversarii ratiocinatio peccat falsa hypothesi quod Christus non sit Deus. Nam posito Deum esse, infinitas personæ exhaurit omnes illas infinitates, quæ nobis debebantur; Unus enim pluris æstimari debet quam omnes simul, imo infinities pluris, nam unum si multiplices, habebis tandem numerum omnium hominum, omnium vero hominum collectio quantumcunque multiplicetur, nunquam Christi potentiam et dignitatem æquabit; Ita licet Christus unus sit, Nos pro quibus passus est prope innumeri, tamen poterit unus pro omnibus satisfacere, et una ejus mors pro omnibus mortibus dari ἀντίλυτρον. Nam personæ dignitas et infinitas absorbet omnes infinitates nostras, quia non absolutæ sunt, sed tantum comparatæ et secundum quid. 4. Ad hoc etiam accedit consideratio *fœderis* cum Christo initi, Isa. xlix. 6, 8, Matth. xxvi. 28, quo ita a Patre constitutum est, ut Christus passione sua non pro uno vel altero, sed pro omnibus electis satisfaceret, vitamque iis mereretur: sic enim peccatum factus est, ut essemus justitia Dei in ipso, 2 Cor. v. 21, sic factus est κα-

τάρα ut benedictionem consequeremur, Gal. iii. 13, sic in eum conjecit Pater iniquitates omnium nostrum, ut ex ejus vulneribus sanaremur, Isa. liii. 6, sic gustavit mortem pro omnibus, ut per mortem destrueret eum qui habebat imperium mortis, et liberaret quotquot metu mortis per totam vitam obnoxii erant servituti; Heb. ii. 14, 15. Ut E. ex Adami peccato, Deo ita ordinante, omnes et singuli homines rei facti sunt æternæ damnationis, "damnati antequam nati," ut scite loquitur Bernardus, nec totidem infinitates distinctæ in una primi hominis transgressione sunt constituendæ quæ ad nos dimanent; Ita in Christi obedientia temere infinitates debitorum nostrorum separaveris, cum una sua passione et morte pœnarum nostrarum infinitatibus, si ita loqui licet, abunde satisfecerit. Unde scrupulose in proportionem istarum pœnarum non est inquirendum, sufficit hoc teneamus, Deum, sponsorem eum pro nobis omnibus constituisse ut pace per sanguinem ejus facta, omnia sibi reconciliaret, Col. i. 20.

XXIII. Atque ita soluta sunt breviter quæ Adversarii afferre solent contra Satisfactionis veritatem, et ad impossibilitatem ejus evincendam: Superest ut Absurda nonnulla expendamus, quibus sententiam nostram obnoxiam esse pertendunt. 1°. Absurd. Si Christus pro nobis satisfecit, plus ipsi deberemus quam Patri cœlesti qui nihil tale pro nobis præstitit, major esset Christi amor et misericordia erga nos quam Patris, quia ille a nemine quicquam postulavit, sed Patrem insuper movit, ut nostri misereretur, et nobis reconciliaretur. Sic Catech. Racov. c. 8, de morte Christi, q. 16. Resp., Perperam hic opponuntur quæ sunt conjungenda. Nam licet opus Redemptionis *terminative* et *subjective* sit solius Filii, qui carnem nostram assumpsit et in ea passus est, tamen non desinit esse totius Trinitatis *inchoative* et *efficienter*, quia ad opus istud singulæ personæ S. Triados concurrerunt eadem justitia, sapientia, potentia et misericordia; Unde ut nihil Christus egit nisi ex communi omnium consilio, Joh. xiv. 31, "Sic ago sicut mihi mandatum est a Patre," ita eadem virtus in ejus executione se exeruit. Ideo amor et charitas utrobique summa, Patris in missione et datione filii, Filii in prompta et spontanea istius muneris susceptione; si Filii magna est misericordia erga genus humanum, utique et Patris; si satisfactum est justitiæ Patris, utique et Filii, quia satisfactio ista non respicit simpliciter personam Patris, sed divinam Justitiam, quæ Patri, Filio et Spiritui Sancto communis est.

XXIV. Inst. Sed nonne major videtur amor illius qui pro nobis solvit, illius amore, qui solutionem accipit et qui a satisfactione motus est ad miserendum? Resp. Major non potest dici charitas Filii qui seipsum dedit, charitate Patris qui filio non pepercit, quia utrobique est summa et maxima. Cum enim Pater suo illo unigenito nihil charius habeat, in quo sibi complacitum est, Matth. iii. 17, et quem Scriptura vocat *filium dilectionis* paternæ, Col. i. 13, id. summe dilectum; sane non potest non esse maxima charitas illa Patris erga nos, quæ ipsum movit ut filium pro nobis traderet, unde Scriptura celebrat passim hanc Dei charitatem tanquam summam et inenarrabilem, Joh. iii. 16, Rom. v. 8, 1 Joh. iv. 9. Ita immensum filii erga nos amorem esse testatur ipse, cum ait hoc esse amoris culmen ut quis vitam pro amicis exponat, Joh. xv. 13, At Christus non pro amicis sed pro inimicis mori voluit. Ita si hæc duo conferantur, Pater filium dilectissimum et delicias suas morti exponens, et Filius summa alacritate mortem subiens, quid aliud dici potest quam summum esse utriusque amorem? nec facile exponi potest utri plus debeamus, quia utrique infinitum debemus. Porro quod addunt satisfactione filii motum fuisse Patrem ad miserendum, in eo non satis accurate loquuntur; nam tantum abest ut

satisfactio moverit misericordiam, ut potius misericordia satisfactionem destinarit tanquam medium ad finem suum, nim. Electorum salutem consequendum appositissimum; sic enim, Joh. iii. 16, missio dicitur effectus dilectionis Dei, "Ita Deus dilexit mundum ut dederit filium," &c. Nec sane aliunde poterat quam a summo et intensissimo Dei erga nos amore proficisci Redemptoris destinatio et missio. Verum quidem est *misericordiam* et *amorem Dei effective* consideratum satisfactionem supponere, quia non poterat actualiter se exerere erga nos per effecta beneficentiæ, nisi prius satisfactum esset justitiæ. At *misericordia affective* seu *amor benevolentiæ* in Deo illam omnino antecedere debuit, quia sine eo destinari non potuit. Frustra vero hic regerit Adversarius Filium aut iratum fuisse, et sic satisfactione indiguisse, aut non iratum, et sic a Patre dissensisse. Nam cum una sit Patris et Filii justitia cui satisfaciendum fuit, hic non minus quam ille iratus dici debet, quique adeo satisfactione indiguit ad eam placandam. Interim quia ira illa fuit benignitate temperata Deusque generis humani perditi miserebatur, et de redimendo illo cogitabat, Filius Patri libens obediit, adeoque justitiæ suæ læsæ satisfecit; quod licet humana et cæca ratio non capiat, Verbum tamen expresse docet. Et hoc est indicium non hostilis discordiæ, sed potius consensus et obedientiæ; Filius enim mortem suscepit, non quod dissideret a Patre et hominibus plus justo faveret, sed ut justitiæ Dei satisfaceret et perfectam ὁμόνοιαν cum Patre testaretur: quo spectat illud Psaltis, Psal. xl. 7, 8, "Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam."

XXV. 2. *Absurd.* Si Christus pro nobis satisfecit Legi divinæ ergo Legem non tenemur amplius observare, nam pro quo pretium est solutum semel, is non tenetur denuo solvere; At posterius est absurdum, E. et prius. Hinc colligunt doctrinam de satisfactione perniciosam esse, hominibus fenestram ad peccandum aperiendo, aut ad socordiam in pietate colenda eos invitando et desides reddendo, Catech. Racov. c. 8, q. 17. Sic Volkelius li. v. c. 20, 21, sæpius inculcat, "Hanc doctrinam magnam vim per se habere ad homines non solum securos lentosque in officio reddendos, Verum etiam in omnia scelerum genera impellendos. Nam si justitia Christi nobis imputatur, quemadmodum quidem necesse est, si nostro loco fuit præstita, nostra ipsorum sanctitate nequaquam erit opus, nec quicquam prohibebit quominus etiamsi in peccatis perseveremus regni tamen cœlestis hæreditatem adeamus," et c. 22, "Quid causæ est cur is qui satisfactionem illam persuasam habens, et Christum pro omnibus peccatis et jam commissis, et porro committendis, solutionem plenissimam Deo præstitisse credens, aliquid in repellenda a se impietate et justitia colenda laboris sibi ponendum existimet?" Resp., Sed 1. est quod nobis gratulemur iisdem armis pugnare Adversarium quibus olim gratiæ divinæ hostes doctrinam gratuitæ Justificationis quam Paulus prædicabat avertere conabantur, sic scilicet consui pulvillos conscientiis, et edoceri homines manere in peccato ut abundet gratia, Rom. vi. 1. 2. Etsi homines impii et perversi hac salutari doctrina abuterentur eamque in sequiorem sensum traherent, prout notum est sæpius ipsas Scripturas in propriam perniciem detorquere, teste Petro, 2 Pet. iii. 16, Non inde sequeretur vere hoc ex tali doctrina sequi. Imo nihil minus inde elici posse certo certius est, cum contra potentissimus ad sanctitatem sit aculeus, ut jamjam videbitur.

XXVI. 3. *Finium diversitas* Christi obedientiam et nostram optime conciliat; quod enim Christus pro nobis præstitit, id sane præstare non tenemur eodem fine, et eadem de causa, nim. ut satisfaciamus, et ut vitam

ex jure Legis servatæ acquiramus, hoc enim cum semel Christus pro nobis fecerit, nihil causæ dici potest cur id ipsum facere denuo teneamur; Sed non sequitur eo ipso liberam relinqui et non necessariam Legis obedientiam, quia etsi per illam nec satisfacere debeamus amplius, neque etiam valeamus, tamen aliæ causæ variæ dari possunt, quæ hoc studium a nobis exigunt, non *ut vivamus*, sed *quia vivimus*, non ut jus acquiramus, sed ut possessionem acquisitam adeamus, non ut *causum regnandi* sed ut *viam regni*. Sic Christus mortem corpoream pro nobis tulit, et tamen eidem morti omnes adhuc sumus obnoxii, sed alio plane fine. Nec enim mors ista amplius ut peccati pœna subeunda est, vel etiam a Deo nobis infligitur, quomodo eam tulit Christus, sed ob alios fines varios Dei gloriam et salutem nostram spectantes, nimirum ut sit reliquiarum peccati et corruptionis nativæ totalis extinctio, nostri ad Christi exemplum conformatio, qui per eandem viam in Regnum suum ingressus est, ad gloriam cœlestem via et transitus a sapiente Dei ordinatione præscriptus, &c. Ita novæ obedientiæ per omnem adhuc vitam incumbendum est, non ut per eam coram tribunali Dei justificemur, vel vitam æternam nobis aliisve mereamur, sed ut pro salutis acceptæ beneficio nostram erga Deum gratitudinem testemur, ut nos veros et genuinos Patris cœlestis filios ad imaginem ejus renovatos probemus, ut nos Christo capiti nostro tam in vita quam in morte, tam agendo quam patiendo conformemus, ut Deum toto corde totisque viribus glorificemus, ut per bona opera vocationem et electionem nostram in dies magis firmemus, et conscientiis testatissimam faciamus, et si qui sunt id genus pietatis et justitiæ fines.

XXVII. Inst. Sed debitum semel a Sponsore solutum, nullo modo nulliusque finis obtentu ab ipso repeti potest, cujus nomine semel persolutum est; Si ergo Christus semel solvit, quomodo hoc ipsum a nobis repeti potest? Resp., Etsi de obedientia Legis agatur utrobique, non tamen potest dici idem debitum absolute. Nam obedientia a lege olim præscripta, diversimode differt ab eadem, quatenus jam præscribitur in Evangelio: 1. *In causa proxima*, quia Lex obedientiam perfectam exigit ex naturæ viribus præstandam; Evangelium autem fructus spiritus a nobis requirit ex fide in Christum Mediatorem, et spirituali nostra vita, quam in ipso et per ipsum habemus exsurgentes. E. etsi in norma et forma externa conveniant, causa tamen proxima tantum inter se discrepant quantum natura et gratia, justitia originalis Adamo per creationem inhærens, et justitia Christi mediatoris nobis per fidem imputata. 2. *In modo*, quia per legem Deus ut justus judex vel perfectionem exposcit, vel delinquentem ad pœnam deposcit; At per Evangelium ut Pater benignus, et erga nos in Christo propitius, et quæ adsunt initia, tanquam vitæ novæ primitias clementer acceptat, et quæ perfectioni desunt gratiose condonat. 3. *In forma*, Lex sola proprie debitum tantum exigit, quia vires ad obsequendum non sufficit; Evangelium vero non tam exigit quam ad obediendum erigit, vitam indit et ad Dei jussa capessenda promptum et idoneum præstat. 4. *In fine*, Obedientia sub lege petitur ad meritum vitæ, sub Evangelio vero tantum ad ejus possessionem adeundam et gratitudinem contestandam. Hoc autem posito quadruplici discrimine, negamus ullo modo absurdum aut incongruum esse, ut quam Christus pro nobis redimendis obedientiam Legi præstitit, eam nos ipsi non ex Legis tenore, sed ex Evangelii sententia Deo Christoque Servatori præstemus.

XXVIII. Imo et rationi et vocationi, adeoque conditioni nostræ ita consentaneum esse dicimus, ut fructum alias et finem beneficiorum Redemptionis nostræ assequi non valeamus. Quare enim nos redemit, nisi

ut ex hostium spiritualium potestate liberati, "Deo nostro serviamus in sanctitate et justitia omnibus diebus vitæ nostræ," Luc. i. 74, 75? Quare Christus peccata omnia nostra in corpore suo super lignum tulit, nisi "ut mortui peccato, justitiæ vivamus," 1 Pet. ii. 24? Quare sanguine suo nos abluit, nisi ut pretioso illo lavacro abluti vestes nostras, id. corda èt conscientias imo et membra a peccati sordibus intemerata servemus et Deo vero et vivo serviamus, Heb. ix. 14, 1 Thess. i. 9? Quare nos salvavit, et opus suum fecit, nisi ut ad bona opera reformati, in iis jugiter incedamus, Eph. ii. 10? Quare nos redemit ab iniquitate et populum peculii sibi purificavit, nisi ut purificati a sordibus accensi simus studio bonorum operum, Tit. ii. 14, et prædicemus virtutes illius qui a tenebris ad mirabilem lucem suam vocavit, 1 Pet. ii. 9? Qui fines inter alios Christo Servatori propositi fuere in nostri redemptione.

XXIX. Unde patet quam falso contendant Adversarii, per doctrinam satisfactionis fenestram aperiri ad peccandum, et socordiam et desidiam foveri, cum nullum potentius incentivum, nullum efficacius ὁρμητήριον ad pietatem et sanctitatem Scriptura unquam proponat, nullumque sit reipsa majus hac pretiosa Christi satisfactione, idque diversimode: 1. A *fine mortis Christi*, cum enim hic finis Christo propositus sit, non modo ut pro nobis satisfaceret, sed etiam ut nos sanctificaret, et sectatores bonorum operum redderet, exemplar nobis præbendo quod sequeremur, 1 Pet. ii. 21, Tit. ii. 14; nisi velimus Christum fine suo excidisse, et frustra mortuum esse, opus est ut sanctitati studeamus; An mortuus esset pro peccatis, ut in peccatis maneamus, annon potius ut iis nuncium mittamus, utque amplius iis in æternum non serviamus? Rom. vi. 18. Atque hic Socini simile in ipsum retorquemus; Nam is qui alterius debita solvit, serio vult, si alias sincerus est amicus, ut nullum deinceps æs alienum contrahat; sic Christi liberatoris nostri voluntas est, ut quoniam semel pro nobis satisfecit, ne novum debitum contrahamus, et denuo iræ divinæ subjiciamur; dicit omnibus quod olim paralytico, Joh. v. 14, "Ecce sanatus" et liberatus "es, vade, ne pecces amplius, ne quid pejus tibi contingat." 2. A *jure redemptionis*, a quocunque enim redimimur, illi redemptionis jure ad serviendum et obsequendum obstricti sumus; ratio hæc attingitur a Zacharia, Luc. i. 74, et ab Apost., 1 Cor. vi. 19, 20, "Redempti estis pretio, glorificate ergo Deum corpore et animo vestro quæ sunt Dei." 3. A *gratuitæ remissionis beneficio*, quo plura enim et majora beneficia accipiuntur, eo major etiam gratitudo debetur; unde Christus, Luc. vii. 47, "Remittuntur ei peccata multa, hinc dilexit multum, cui enim minus dimittitur, minus diligit," et Psal. cxxx. 4, "Venia est apud te, ut timearis," et Psal. lxxxv. 8, "Loquitur pacem populo suo, sed ne redeat amplius ad stultitiam." Neque enim si *remissio* datur peccati *præteriti*, illico datur *permissio futuri*, condonatio factorum non est impunitas faciendorum, sed potius frænum et obstaculum. 4. A *gravitate pœnarum et peccati fœditate*, Si Christo tam care constitit debitorum nostrorum persolutio, an ea deinceps cumulabimus? Vel an vellemus adhuc in sinu fovere peccata, quæ optimum Redemptorem tot tormentis et contumeliis objecerunt? Si tam fœda est peccati macula, ut nullo nisi ipsius Filii Dei sanguine elui potuerit, an ea nos in posterum voluntarie polluemus? Absit; hoc enim esset filium denuo crucifigere, et sanguinem Testamenti profanum ducere, quod horrendum et ab omni remissione alienum pronunciat Apost., Heb. x. 29. 5. Ab *iræ divinæ immensitate*, nam si tanta fuit ejus indignatio, ut nulla re alia quam Unigeniti morte placari potuerit, annon reverebimur hanc iram, an audebimus eam denuo peccatis nostris

accendere? Annon potius continuo obversabitur nobis quam tremendum sit in manus Dei viventis incidere, Heb. x. 31. 6. Ab *amoris divini magnitudine*, nam si ille tanto nos amore est prosecutus, ut nec Pater filio pro nobis parcere, nec filius mortem subire recusarit, et quidem dirissimam, annon æquum est ut tam benignum Redemptorem pro virili redamemus, et si alia in re non possumus, in hac saltem gratitudinem nostram exhibeamus? Hoc urget Paulus, 2 Cor. v. 14, "Charitas Christi constringit nos, ut qui hoc statuerimus, si unus pro omnibus mortuus est, illos omnes mortuos esse et illum pro omnibus mortuum esse, ut qui vivunt posthac non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus et suscitatus est." Hinc colligitur satisfactionem Christi non esse impietatis et negligentiæ pulvinar, sed sanctitatis efficacissimum motivum, et spiritualium morborum nostrorum salutarem medicinam, tum ἀλεξίκακον per quam peccata nostra curantur et auferuntur, tum προφυλακτικὸν per quam futura præcaventur et impediuntur.

XXX. Tantum abest ergo ut ex Positione meriti et satisfactionis Christi debeamus argutari ad negationem obedientiæ et sanctitatis propriæ, ut contra duo ista amicissime conspirent et individuo nexu inter se copulentur. Posita quidem satisfactione Christi pro nobis, nostra sanctitate personali bonisve operibus non est opus ut vitam æternam mereamur, et eo sensu passim removentur a negotio salutis tanquam opposita gratiæ et merito Christi, Rom. xi. 6, Eph. ii. 7, 8, 9; sed iis tamen semper opus est ut salutis acquisitæ possessionem adeamus, et eo respectu subinde sanctitatis et bonorum operum asseritur necessitas, Eph. ii. 10, Heb. xii. 14. Unde Scriptura passim ex redemptione quæ est in Christo, et nostra per ipsum Justificatione gratuita, efficacissimas adhortationes arcessit ad sanctitatis et bonorum operum exercitium, Tit. ii. 12, 13, 14, 1 Cor. vi. 20, 2 Cor. v. 14, &c. Quomodo ergo perseverare poterit in peccatis et negligere pietatis studium qui satisfactionem istam a Christo pro se et suo loco præstitam persuasum habebit, cum nulla pars iis competat in Christi Satisfactione qui nuncium peccato non remittunt, et nemo ejus fieri possit particeps nisi per applicationem veræ et vivæ fidei, cujus comes indivulsa est seria resipiscentia, fructus certus charitas et studium pietatis, Gal. v. 5, 6?

XXXI. Frustra hic cavillatur Volkelius ad applicationem fidei destruendam, l. v. c. 21, Posita Christi Satisfactione nulla alia opus esse applicatione præter eam quam res ipsa secum fert. "Quemadmodum enim," inquit, "cum pro aliquo reipsa solutum est debitum, nil opus est ut eam solutionem debitor sibi applicet si a debito liberari velit, quia is cui solutum est, accepta ab altero solutione, jam non potest ab eo debitum illud jure exigere: sic cum Deo pietatis officia fuerint loco nostro præstita et persoluta, non potest is eadem a nobis ipsis exigere, sed ipsius justitiæ et æquitatis vi impellitur ad Christi justitiam nobis applicandam, et nos ab eadem obedientia præstanda liberos pronunciandos." Resp., Nam 1. non tam hic in partes vocamur quam ipsa Scriptura quæ passim fidem proponit tanquam instrumentum applicativum beneficiorum Christi, et sine quo Christus nihil prodest, sic Rom. iii. 24, 25, "Christus placamentum ordinatur a Deo," sed "per fidem in sanguine ejus, ut ipse justus sit et justificans eum qui est ex fide Jesu," et iv. 16, "Est ex fide ut sit per gratiam," &c., et ver. 23, 24, "Quod autem imputatum est ei ad justitiam, non tantum scriptum est propter ipsum, sed etiam propter nos, quibus imputabitur, nobis scilicet credentibus in eum qui suscitavit a mortuis Jesum

D. N.; sic Joh. iii. 16, 36, et alibi passim fides memoratur ut organum receptivum justitiæ Christi et conditio sine qua Christus frustra mortuus esset. Et sane cum Christus a nobis natura sit alienus, et extra nos, quomodo fieri posset noster et a nobis recipi, nisi posita conditione sub qua nobis promittitur et offertur? Adde quod non potest cuiquam in solutum imputari id quod pro ipso alter præstiterit, nisi ipse id velit, admittat et acceptet, siquidem invito beneficium non datur; maxime si satisfactio pro eo præstita, non tantum sic *exsolutiva*, sed etiam *reconciliativa*, ut omnino ea est quam Christus pro nobis præstitit. Ita duplex acceptatio istius solutionis distinguenda est, alia a *parte Dei*, alia a *parte nostri*, illa fit per gratiam, ista per fidem, prima est reconciliationis fundamentum, secunda est ejusdem sensus et argumentum; utraque necessaria est et indivulso nexu inter se conjunguntur, nam ut fides non potest recipere justitiam Christi, nisi quum certo novit a Deo admissam esse in λύτρον pro nobis, ita non admittit Deus justitiam Christi in Redemptionis pretium nisi pro credentibus, et iis qui ipsam sibi applicare voluerint.

XXXII. 3. Absurd. Si Christus pro omnibus satisfecit, ergo omnes, etiam manifeste impii, salvabuntur; nam pro quibus solutum est semel λύτρον, illi injuste æternæ damnationis carcere manciparentur; Sic Ostorod. Resp. 1. Per concessionem damus, si Christus pro omnibus vere satisfecit, omnes etiam salvandos esse: Neque admittere possumus eorum distinctionem, quic hic inter *acquisitionem et impetrationem* salutis distinguunt, et ejus *applicationem*, quasi illa sit latior, hæc angustior, illa ad omnes et singulos homines, ista ad solos fideles pertineat; Cum in Scriptura æqualis sint latitudinis et peripherias, et nemini a Christo impetrata sit salus, quæ actu non conferatur. Non negaverim quidem satisfactionem Christi sufficientissimam esse ad redemptionem totius mundi, imo plurium mundorum, si darentur; Sed aliud est de *sufficientia* loqui *Satisfactionis*, aliud de *consilio et voluntate Satisfacientis*. Prius universaliter potest concipi; Posterius non item; quia non potuit velle satisfacere pro omnibus, quin eo ipso omnium loco se substitueret, et debitum mortis λύτρον penderet. Jam si ipsorum loco reipsa subrogatus, vere debitam ipsis pœnam sustinuit, quomodo eadem pœna jure potest ab iis exigi? quæ tamen exigitur ab omnibus reprobis. Nec valet quod dicitur voluisse satisfacere tantum pro ipsis *conditionate* non *absolute*. Nam vel conditionem illam præscivit ut dubiam et incertam pendentem ex humano arbitrio, vel ut certo futuram et a se decretam, vel ut certo non futuram, et impossibilem, utpote a se non decretam a quo solo effici potest. Si prius, admittenda erunt cum Socinianis decreta Dei conditionata et dubii eventus, quod nefas esse prudenter sancitum a Synodis Galliæ; Si posterius, omnes et singuli certo servabuntur, quod nemo dixerit; Si postremum, fingetur Deus id vehementer velle et intendere, quod tamen certo novit nunquam futurum utpote pendens ex conditione nunquam extitura et eo respectu impossibili, quod an satis conveniat summæ Dei sapientiæ judicandum omnibus relinquitur; Imo sic ne voluisse quidem recte dicitur; Quomodo enim velle dici potest Christus, quod annexam conditionem impossibilem habuit, et quam talem novit ipse, imo quam non dare expresse decrevit, qui solus dare poterat? E. eo deveniendum est dicamus Christum pro omnibus nequaquam vere satisfecisse, satisfecit enim pro iis tantum quorum Vas et Caput factus est, Caput autem et Vas in fœdere gratiæ Electorum tantum constitutus est, quibus datus est a Patre, et qui ab eo ipsi sunt dati, Joh. xvii. 6. Unde redemptio et satisfactio hæc, utut *ad genera singulorum* non-

nunquam pertinere dicatur, ad distinguendam œconomiam V. et N. T., nunquam tamen ad *singula generum* extenditur; imo restringitur passim ad *populum* Christi, Matth. i. 21, ad *oves*, Joh. x. 11, 15, et xi. 51, 52, ad *corpus* suum, Eph. v. 25, ad *multos*, Matth. xx. 28, Rom. v. 18, 19.

XXXIII. 4. Absurd. Posita Satisfactione Christi Gloria et Omnipotentia Dei obscuratur, Nam Deus peccata nostra sine satisfactione remittere vel *noluit*, quod contra gloriam Misericordiæ, vel non *potuit*, quod contra gloriam Omnipotentiæ, Ostorod. cap. 36. Addit Gittichius, Peccata nostra nihil aliud esse quam offensas Majestatis divinæ, offensas autem suas vel vilissimum quemque hominum non modo sine violatione justitiæ, sed etiam cum maxima laude patientiæ et misericordiæ alteri condonare posse. Resp., 1. Utrumque vere dicitur, et quod *noluerit*, et quod non *potuerit*. Non *potuit:* 1. Respectu *Naturæ* quæ cum sit sanctissima, non potest peccatum tolerare, vel inultum dimittere, quin se ipsum abneget, Hab. i. 13. 2. Resp. *Justitiæ*, quæ suum unicuique vult tribui, Rom. i. 32, 2 Thess. i. 6. 3. Resp. *Veritatis* quæ hanc pœnam peccato denunciabat, Gen. ii. 17. Non potuit E. hac de causa peccata sine satisfactione remittere; Neque hoc pacto Omnipotentia ejus ullatenus obscuratur vel imminuitur, neque enim hoc Deus non potest propter defectum potentiæ, sed propter perfectionem naturæ; secus enim seipsum abnegaret. Quod non *voluerit* etiam, patet ex declaratione voluntatis in Verbo facta, ubi constat Deum diserte protestatum esse se velle ut peccatum morte puniatur. Neque hoc pacto misericordiæ ejus ulla fit fraus, quia ita est misericors ut etiam sit justus, et justitia quam exerit adversus peccatum non obstat quominus misericordiam suam demonstret erga peccatorem. 2. Idem absurdum impingi potest sententiæ Adversariorum; Nam pari ratione inferam Deum aut immisericordem esse, aut impotentem, si quosvis homines peccatores in æternum non salvat. Quæro enim cur Deus homines impœnitentes non salvat? Vel quia non potest, et sic quovis homuncione est impotentior, quivis enim offensus offendenti, ut maxime hic reconciliari nolit, culpam tamen dimittere non tantum potest, sed etiam debet ex præscripto Christi, Matth. v. 44, et xviii. 21, 22; Vel quia non vult, et sic non erit summe misericors. Si regerant non posse hoc Deum, quia repugnat justitiæ suæ, quæ peccatores impœnitentes in communionem suam admittere non potest, et quia repugnat voluntati quæ contrarium sanxit; Idem sibi dictum putent a Nobis.

XXXIV. 3. Tantum abest ut per satisfactionem *gloria* Dei ullatenus obscuretur, quin potius summopere ex ejus positione illustretur et negatione atteratur. Nam in Satisfactione vides, 1. Gloriam *Justitiæ* quæ potius quam ut de jure suo cederet et peccatum inultum abire pateretur, etiam proprio Filio non pepercit; sic ab impiorum hominum et diabolorum calumniis vindicatur, sic homines a quibus in hoc speculo agnoscitur injecta horribili formidine a peccato absterret, et ne Dei misericordia abutantur cavet. 2. Gloriam *Misericordiæ* quæ talis et tanta fuit, ut cum nulla ratio commodior suppeteret homines salvandi, etiam proprium filium morti dirissimæ subjicere non dubitavit, ut homines ab ea eximeret. 3. Gloriam *Sapientiæ* quæ mirabile hoc excogitavit temperamentum inter Justitiam et Misericordiam, et rationem nodum alioqui insolubilem solvendi ut altera sine alterius detrimento commode erga homines se exerere posset. 4. Gloriam *Potentiæ*, quæ Diabolum et peccatum illis ipsis armis vicit quibus homines deviceraut, et contraria ex contrariis, vitam scilicet ex morte, benedictionem ex maledictione, felicitatem ex miseria, gloriam ex ignominia,

salutem ex perditione admirando et prorsus inaudito modo eduxit. Contra si tollis Satisfactionem, Dei gloria multo magis obscuratur; Nam transgressiones ferre, et ad eas connivere, indicium est Judicis vel negligentis, si ex incuria permittat, vel iniqui, si volens conniveat. At Deus non est volens iniquitatem, Psal. v. 4, qui odit operantes iniquitatem et perdit loquentes mendacium, ver. 5, 6, cujus oculi sunt puriores quam ut videat malum, Hab. i. Ita obscuratur *Justitia Dei*, qui natura sua judex est mundi, ut qui reum convictum impunito peccato non justificet modo, sed præmiis etiam amplissimis donet; obscuratur *Veritas*, quæ comminationes istas toties peccatoribus intentavit; evertitur *Pax* omnis, et solatium conscientiæ peccatricis; Nec enim videri potest quomodo seposita satisfactione sedari possit æstus conscientiæ, quando obversatur semper animo, et recurrit cogitatio Justitiæ Dei, qui cum sit judex mundi justissimus, omnis judicis justi exemplar perfectissimum, intelligi non potest qui id faciat quod et pugnat cum officio justi judicis, et Deo abominationi esse Spiritus Sanctus testatur, absolvere impios et injustos absque ulla Legi et justitiæ satisfactione, non quidem per se ipsos, sed per aliquem vadem pro ipsis præstita. Accedit et altera *divinæ veritatis* consideratio: quoties enim peccator cogitat Legis comminationes divinas, universales, absolutas et verissimas, fieri non potest quin trepidet, nisi succurrat alia cogitatio, illis esse pro nobis a Sponsore nostro plenissime satisfactum.

XXXV. Quod vero postremo loco affert Gittichius de homine vilissimo qui offensas quascunque gratis condonare, et potest et debet; non huc pertinet. Quia Deus hic non considerandus est ut pars offensa simpliciter, vel ut *privatus creditor*, cui liceat absolute cedere de *jure dominii* vel *crediti*, sed ut *persona publica*, et ut judex et Legislator summus qui Legum autoritatem inviolatam tueri debet. Fateor hominem privatum posse et debere offensas remittere, quia ad ipsum vindicta non pertinet, sed ad Deum: sed de persona publica, de Magistratu et Principe falsum est, quia judex est loco Dei ordinatus ut justitiam administret, et Legis sanctiones exequatur; quod si Lex violatur, cum is cujus est Legis mandatum exequi, id non exequitur, et facit oppositum, non minus violatur, cum is cujus est Legis comminationes et promissiones executioni mandare, id non facit, sed contrarium potius. Cum vero Deus in hoc negotio vices sustineat Judicis et Principis summi, mirum non est si peccata condonare non possit citra satisfactionem; nec hac in parte hominibus censendus est impotentior; quia hoc est effectum non impotentiæ, sed virtutis, juxta quam nec seipsum abnegare, nec justitiæ suæ nuncium potest remittere, ut fusius ostensum est Disp. 2 de Necess. Satisf.

XXXVI. Sed neque hic subsistit Gittichius, ulterius instat, p. 91, et Gloriam munificentiæ Dei et summi gratuitique in nos amoris Dei subrui doctrina hac nostra contendit, quia sic, non tam nostri, quam sui causa Deus Christum in mortem tradidisset, ut nimirum debitum justitiæ suæ acciperet, utque nulla est munificentia creditoris, respectu ære alieno obstricti, nisi de jure suo cedat, et exactionem satisfactionis, a quocunque illa proficiscatur, relinquat: Ita nullam esse in Deo posita satisfactione Christi; Imo stultitiam et sordiditatem videri non munificentiam, donare alteri quippiam, quod statim ab ipso recipias; "Quis enim," inquit, "non delirum, et ab omni ratione alienissimum me diceret, si aperta crumena mea juberem debitorem mea pecunia mihi solvere; Annon præstaret simpliciter sine crimine stultitiæ statim ipsi debitum condonare?" Resp., Ve-

rum ista humanæ et cæcæ rationis figmenta nequicquam obtenduntur sanctissimo Dei consilio in Verbo revelato. 1. Pecca. ignora. Elen. quasi Gloria Dei ob quam Deus principaliter omnia agit, Prov. xvi. 4, et salus nostra, cujus causa Deus secundario Filium suum pro nobis dedit, invicem repugnent, ut ex unius positione sequatur alterius negatio; cum potius subordinentur et se mutuo ponant. Ita non magis prospexit justitiæ suæ quam saluti nostræ; sed ut *in Filium* fuit *justissimus*, *in Nos* fuit *munificentissimus* propter satisfactionem Filii. Paulus hoc clare innuit, Rom. iii. 25, 26, cum dicit, " Deum ordinasse Christum in placamentum per fidem in sanguine ipsius ad demonstrandam justitiam suam prætereundo peccata quæ antecesserunt in illa Dei tolerantia, Ad demonstrationem justitiæ suæ præsenti tempore, ut sit ipse Justus et Justificans eum qui est ex fide Jesu;" Ubi Justitia Dei cum salute nostra conjungitur, quia utriusque rationem habere voluit in opere Redemptionis, et ita sibi satisfieri, ut inde via ad salutem nostram sterneretur, quæ alias inaccessa nobis erat et invia. Tantum abest ergo ut manifestatio unius proprietatis divinæ debeat obesse manifestationi alterius, et Justitiæ ratio pugnare cum misericordiæ exercitio; ut contra mirabili temperamento mutuam operam sibi præstent et se invicem osculentur ex oraculo, Psal. lxxxv. 10, quia Misericordiæ non potest esse locus nisi posita Justitiæ satisfactione, et Justitiæ satisfactio non alium in finem petitur, quam ut ad Misericordiam aperiatur via. 2. Quod additur de *Creditore* verum quidem esset in *privato* et *pecuniario*, qui pro libitu potest de jure suo cedere absque cujusquam injuria, sed in *publico* et *judiciali*, id. Legis vindice, et exactore justitiæ, locum non habet. Hic enim si peccatoribus non indignatur, nec pœnam imponit, hoc ipso iniquus est, non munificus, quia officium deserit, et Legum autoritatem quam debuit sartam tectamque conservare, impune violari sinit. Interim si boni publici causa, tum rationem monstret qua legibus satisfiat et saluti debitoris consuli queat, tum de suo vadem et sponsorem subministret, tantum abest ut propterea minus munificus audiat, quin potius ut sapientissimus et munificentissimus merito ab omnibus celebretur. Quidni ergo Deus potuerit idipsum præstare in hoc negotio et longe excellentius, sine ulla injustitiæ labe, imo cum summæ sapientiæ et clementiæ gloria?

XXXVII. 3. Quod supponit nullam fore munificentiam in Creditore, nisi de jure suo credat, et exactionem satisfactionis a quocunque illa proficiscatur relinquat, in eo fallit et fallitur Adversarius. Nam præterquam quod semper a creditore ad judicem transit et a debito pecuniario ad criminale cum tamen diversa sit utriusque ratio ut sæpius ostensum, Quis neget clementiam Judicis et munificentiam longe maximam in eo se prodere, cum ita de jure suo respectu principalis debitoris seu Rei cedit, ut nihil ab illo requirat, sed omnia illi liberaliter crimina remittat quorum pœnam vas pro illo sustinuit? Ita hic multifariam se nobis exhibet Dei misericordia. 1. Quod salutis rationem excogitaverit et invenerit hominibus, non homines sibi ipsis. 2. Quod viam salutis aperuerit per missionem et traditionem proprii filii. 3. Quod istam conditionem Filius lubens et sola φιλανθρωπίᾳ motus in se susceperit. 4. Et quidem pro hominibus salute indignis eamque contemnentibus, sui juxta et Dei inimicis. 5. Quod nihil ab iis exegerit pro quibus se demittebat. 6. Quod illam satisfactionem alterius pro nobis acceptam et ratam habuerit Deus, quodque mera gratia et misericordia nobis eam applicet; Neque hic dicendum remissionem necessario exigere, non modo ut is qui debet ea obligatione solvatur, sed etiam ut is

cui debetur sibi satisfieri non voluerit; nam ut primam conditionem admittimus, ita secundam negamus, nec enim minus remitti dicitur crimen reo a quo nihil exigitur, licet Judex aliunde sibi satisfieri postulet, ut antea probatum est; Et ipse Socinus non diffitetur Deum exigere aliquid ab iis quibus peccata remittit quod satisfactionis loco haberi queat, nim. vitæ puritatem, quæ causa quædam est ut Deus illis clementer ac benigne peccata condonet. Quod si cum natura et veritate remissionis non pugnat ut Deus aliqua requirat quæ instar causæ sint cur peccata hominibus condonat, imo et fortasse, ut ipse loquitur, satisfactionis loco haberi possint: Quomodo cum illa non consistet, quod Deus satisfactionis loco exigit non ab illis, sed ab alio nim. a Vade? Ut hinc liqueat, non omnem satisfactionem cum remissione pugnare, neque ad istam semper requiri ut Creditor sibi non velit satisfieri.

XXXVIII. 4. Mirum non est si Verbum Crucis istis hominibus stultitia videatur, cum Christus ipse crucifixus *scandalum* his, *stultitia* illis esse dicatur, 1 Cor. i. 23; sed non desinit tamen esse Vocatis *Sapientia* et *potentia* Dei. Ita consilium hoc quod impuri isti homines delirium ore blasphemo et execrando nuncupant, summum est tamen et ineffabile sapientiæ et misericordiæ divinæ miraculum, cui obloqui nemo potest, quin eo ipso deprehendatur θεομαχεῖν. Quid an stultum sordidumve foret si Princeps clementia impulsus ex suo ærario daret pecuniam reo ut mulctam solveret bono publico, ad conservandam legum autoritatem? Donaret sane aliquid de suo, non ut statim acciperet et privato suo commodo applicaret, sed ad procurandam publicam justitiæ et Legis satisfactionem. Qui ergo stultum esse dicitur cum Deus idem facere statuitur? Nempe quia sapientia Dei homini carnali stultitia videtur. Sed quantumvis nihil simile inter homines divinæ huic dispensationi occurreret, an propterea neganda esset et sugillanda? quasi viæ Dei essent sicut viæ nostræ, et supremus rerum Arbiter nostro qui homunciones tantum sumus, et terræ vermiculi metiendus esset pede. Absit vero ut tantum scelus vel cogitemus unquam vel admittamus. Quin potius, ut hoc tandem concludamus argumentum, laudem illi Sapientiæ, Potentiæ, Justitiæ, et Misericordiæ summæ tribuentes, et gratiam pro tanto beneficio accepto indesinenter agentes cum Joanne, et nunc et semper, canticum hoc Eucharisticum accinamus: "Illi qui nos dilexit, et lavit a peccatis nostris in sanguine suo, fecitque nos Reges et Sacerdotes Deo et Patri suo, sit robur et gloria in secula seculorum, Amen."

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. Satisfactionis Christi pro nobis non modo Veritatem, sed et Perfectionem, et Necessitatem agnoscimus.

II. Distinctionem fidei in explicitam et implicitam sensu Pontificio, ut et in formatam et informem, quam sine charitate esse volunt, rejicimus.

III. Sola fides justificat, non tamen justificat sine operibus.

IV. Fides est immortalis; tum respectu Viatorum, licet Israël exciderit, et Petrus Christum abnegans tum ore tum corde peccaverit, Salomonque graviter per γυναικομανίαν lapsus sit; tum respectu Comprehensorum in quibus locum semper obtinebit, quamvis suo sensu sit etiam desitura in cœlis.

V. Gratia efficax non agit per modum auxilii aut causæ partialis tantum,

sed per modum principii, et causæ totalis; ut nec per modum causæ contingentis, et suasione morali, sed per modum causæ necessariæ, et influxu hyperphysico. Quamvis vero ejus efficacitatem, infallibiliter et necessario sequatur effectus, libere tamen evenit.

VI. In conversionis negotio humanum votum quod sic se habet, Converte nos ad te Domine, et convertemur, non pugnat cum hoc præcepto divino, Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

VII. Non tantum Adoptione Dei filii sumus, sed et natura filios ejus non facit Regeneratio.

VIII. Quamvis Sanctos omnes vere beatos in cœlis prædicemus, tamen nec invocandos, nec canonizandos esse, merito statuimus; honorandi sunt propter imitationem, sed non adorandi propter religionem. August.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI PERFECTIONE,

PARS PRIMA.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI PERFECTIONE,

PARS PRIMA.

Respondente Jacobo Morino, *Santo-Torsensi.*

I. Ut gloria salutis nostræ in solidum Christo Redemptori tribuatur, non sufficit agnoscere *necessariam* et *veram* fuisse ipsius Satisfactionem, nisi eam *unicam* et *perfectissimam* confiteamur, qua ita pro peccatis omnibus nostris justitiæ divinæ plene satisfecerit, ut nulla sit admittenda hominum satisfactio, quæ illi assui possit aut debeat, et qua homines vere et proprie Deo satisfacere dicantur, vel pro seipsis vel pro aliis. Non inutile ergo vel ingratum futurum arbitramur, si asserta alias Necessitate et Veritate istius Satisfactionis, de ejus *Perfectione* jam disputare aggredimur ad Salvatoris nostri gloriam, et fidei nostræ confirmationem, et incrementum.

II. Et eo magis necessaria videtur disceptatio, quod hic non jam cum Socinianis apertis Christi hostibus res nobis sit, sed cum Pontificiis, qui licet nomine ejus gloriari soleant, et Satisfactionis istius sufficientiam prolixe videantur deprædicare; non parum tamen illi detrahere deprehenduntur ut suis satisfactionibus falsis et commentitiis locum faciant. Prima equidem fronte tantum abest ut de perfectione Satisfactionis quicquam deterere velle videantur, ut longe luculentius eam asserant, dum Christum non modo abunde pro sceleribus nostris ultrici Dei justitiæ satisfecisse pariter nobiscum confitentur, Verum etiam unicam sanguinis ipsius guttam satisfacere potuisse ad redemptionem generis humani, quod habet Clemens VI. Papa Extravag. Unigenitus, et Bellarminus cum aliis probat lib. i. de Indulg. cap. 4, Imo Satisfactionem Christi usque adeo ὑπερπλεονάζειν ut magnum sit ejus περίσσευμα quod in Thesaurum condatur cum superfluis satisfactionibus Sanctorum, unde Pontificiæ promuntur indulgentiæ. Hinc passim merita Christi sufficere et plusquam sufficere pleno ore pronunciant; et per immanem sycophantiam sibi a nonnullis tribui conqueruntur, quod dicant "Christi passionibus quibus peccata nostra expiavit aliquid defuisse, quominus plena ac perfecta esse possit ejus pro nobis satisfactio." Quod mendacium tam impudens et crassum esse clamant, ut nihil impudentius vel crassius fingi queat, neque ex tanto Scriptorum suorum numero unum allegari posse qui id dicat, ut ait Bellarm. l. ii. de Indul. c. xiv.

III. Verum si ulterius in eorum mentem inquirimus, facile patebit eos nihil minus sentire quam quod profitentur, et satisfactionis Christi perfectionem ore tenus asserere, sed reipsa negare et evertere. Quia vero hæc sententia primo intuitu horridior est, et quam aures Christianæ vix ferant, variis artibus, et scholasticarum distinctionum totidem veluti pigmentis ut solent in rebus falsis et sua falsitate intricatissimis incrustare eam conantur ut sic incautis et minus perspicacibus oculis pulverem injiciant. Primo enim, in peccato culpam et pœnam distinguunt, et pœnam in æternam et temporariam tribuunt. Tum novo et hactenus inaudito exemplo remissionem ipsius culpæ a remissione pœnæ sic dividunt, ut cui remissa sit a Deo integra culpa, posse eidem superesse luendam adhuc aliquam pœnam arbitrentur. Ita sancit Synodus Trident. Sess. 4. cap. viii.; "Sancta Synodus declarat falsum omnino esse et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur." Tum Canon. 12, "Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa semper remitti a Deo, satisfactionemque pœnitentium non aliam esse quam fidem qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, Anathema sit." Deinde censent in baptismo quidem plenariam esse remissionem universæ tum culpæ tum pœnæ, At post baptismum peccatores posse quidem restitui in integrum, sed difficilius quam in baptismo, remitti quidem culpam et pœnam æternam pœnitentibus, sed retineri tamen pœnas quasdam temporales, partim in hac vita partim in futura exsolvendas, et quidem, ut ipsi loquuntur, "usque ad ultimum quadrantem;" Et ne quis putet leves et exiguas esse has pœnas, diserte pronuntiant esse "illam ipsam pœnam sensus quam in gehenna pati debuisset peccator, remota solum æternitate," ut habet Bellarm. lib. iv. de pœnit. c. i.

IV. Tertio, Satisfactionem aliam *culpæ*, aliam *pœnæ*, esse statuunt. Et *culpæ* quidem et *pœnæ* æternæ nullam afferri posse a peccatore communior est apud ipsos sententia, (licet non pauci, ut Scotus, Tapperus, Altenstaig, Valentia, et alii etiam pro culpa et pœna æterna satisfieri posse contendant;) sed pro pœna temporali quæ post dimissam culpam luenda remanet, Deo satisfacere posse fideles in peccatum prolapsos et quidem vere ac proprie satisfacere, sic ut ipsi tantum fecisse jure meritoque censendi sint, quantum satis est ad injuriam compensandam, quantumque Deus peccato læsus juste ab iis exigebat; Imo et eam esse fidelium inter se conjunctionem, ut etiam alii pro aliis satisfacere possint; Concil. Trident. Sess. 4. cap. viii. can. 13, "Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minime Deo per Christi meritum satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut orationibus, jejunio, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis exercitiis, atque adeo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, Anathema sit." Et Catech. Triden. c. de sacramento Pœnitentiæ, *Satisfactionem* definit "Rei debitæ integram solutionem et compensationem qua homo pro peccatis commissis Deo aliquid persolvit." Bellarm. lib. ii. de Indulg. c. 9, "Catholici Theologi docent non solum posse hominem justificatum satisfacere, sed etiam id posse ex condigno;" hinc lib. i. cap. 2, "Operi satisfactorio deberi mercedem ex justitia commutativa" statuit. Unde colligitur ex ipsis satisfactionem Christi non ita esse perfectam, quin semper aliæ satisfactiones a parte hominum requirantur. Hoc aperte habet Bellarm. lib. i. de Purgat. cap. x.: "Si Christus," inquit, "satisfecit pro omni culpa et pœna, cur post remissam culpam adhuc tam multa mala patimur?" Imo nec putat Christi mortem certo sensu esse satisfactionem actualem, sed opera nostra. Dum enim respondet ad quæstionem propositam, An in

applicatione satisfactionis Christi quæ fit per nostra opera sint duæ satisfactiones, una Christi, altera nostra, An una tantum vel Christi vel nostra, ex tribus modis dicit tertium probabiliorem esse, Unam esse satisfactionem eamque esse nostram: "Tertius modus videtur probabilior quod una sit satisfactio, et ea sit nostra," quæ scilicet a nobis peragitur, et per quam homo pœnis suis Deo satisfacit. Sic lib. iii. de Pœnit., cap. 15, "Non est verum per Christum nos semper liberari ab omni reatu pœnæ temporalis etiamsi nulla interveniat satisfactio." Neque hic subsistit Cardinalis, alibi enim, lib. ii. de Indulg. c. 1, pertendit merita Christi omnibus non esse absolute necessaria: "Merita Christi," inquit, "partim sunt omnibus necessaria, partim non necessaria sed utilia; Atque hoc secundo modo ad fundamentum indulgentiarum pertinent." Et ad clariorem rei explicationem addit, "Si quis post reconciliationem adeptam adhuc sit reus luendæ pœnæ temporalis, non necessario eget meritis Christi, ut per ea reatus simpliciter condonetur: non quod sine meritis Christi reatus pœnæ possit simpliciter condonari, sed quia poterit ipse non requirere tantam liberalitatem, contentus ipse suis laboribus et pœnis, vel in hac vita, vel in Purgatorio satisfacere Deo," &c. Vasquez ulterius etiam progreditur, Nam in 4. Thom. quæst. 94, art. 2, non erubescit asserere ipsam Christi Satisfactionem minus esse necessariam: "Dicendum est opera in charitate ex Dei gratia facta esse satisfactoria pro pœna temporali condigne satis, sicut et meritoria vitæ æternæ, nec aliquid eis accrescere meriti aut Satisfactionis propter Christi merita." Quo pertinent ipsius Clementis verba, qui licet loco citato statuat unicam sanguinis Christi guttam sufficere ad Redemptionem generis humani, addit tamen statim, ut facile pateat non serio esse locutum: "Ad Thesauri meritorum Christi cumulum, beatæ genitricis et omnium sanctorum merita adminiculum præstare." Ex quibus omnibus, ne plura jam istius generis addamus testimonia, liquet Pontificios in ea esse sententia, Satisfactionem Christi utut infinita fuerit, non ita plenam et sufficientem fuisse, quin requirantur adhuc variæ satisfactiones, si non pro culpa et pœna æterna, saltem pro temporali, ab hominibus exsolvendæ ad plenam redemptionem obtinendam.

V. Nostra vero sententia est, Satisfactionem Christi pro nobis præstitam, non posse quidem censeri ex parte superfluam et redundantem; quasi minori pœna potuisset fieri satis justitiæ divinæ; sic enim nec debitum nostrum quod ex peccati merito et legis comminatione mors erat, persolutum esset; nec necessaria fuisset mors Redemptoris, quod toties tamen Scriptura inculcat; et Deus millies plus exegisset a Vade nostro quam requirebatur de jure, quod et justitiæ divinæ quam maxime repugnat, et summo illi quo filium suum prosequitur amori; Nihilominus adeo perfectam et sufficientem esse ut cumulatissime pro peccatis omnibus nostris satisfecerit, non tantum quæ facta sint ante, sed quæ fiunt post baptismum, non modo pro culpa, sed et pro pœna; nec pro pœna duntaxat æterna, sed etiam temporali, ita ut nullæ deinceps pœnæ satisfactoriæ fidelibus supersint luendæ, vel in hoc vel in futuro seculo ad remissionem peccatorum obtinendam; licet non raro pœnis castigatoriis et medicinalibus exponantur ad sanctificationem promovendam.

VI. Hoc vero ut demonstremus Argumenta varia nobis suppetunt: 1. *A Dignitate Personæ* satisfacientis. Cum enim duo inprimis in Mediatore requirerentur ad perfecti Vadis constitutionem: Primo ut perfecta sanctitate et justitia ornatus esset; Quomodo enim redimere nos potuisset a peccato si peccato contaminatus ipse Redemptore indiguisset? Secundo ut divina et infinita virtute polleret quæ infinitum meritum infi-

nito peccati demerito opponere posset: Duo hæc perfectissime in Christo deprehenduntur. Nam ut homo innocens fuit et impollutus, Heb. vii. 26, non modo ab omni peccati labe immunis, qui peccatum nec novit nec fecit, 2 Cor. v. 21, sed et perfecte sanctus imo sanctitas ipsa, Luc. i. 35, Ita et verus ac æternus Deus qui proinde summa et infinita virtute præditus potuit humanis passionibus infinitum addere valorem et pretium; quo sensu *Deus* dicitur proprio sanguine Ecclesiam acquisivisse, Act. xx. 28. Hinc duplex *plenitudo* Christo solet tribui. Primo *gratiæ et sanctitatis* quatenus Deus voluit "ut omnis plenitudo in ipso habitare," Col. i. 19, ex qua factus est *plenus gratia et veritate* ut ex ejus plenitudine hauriamus omnes *gratiam pro gratia*, Joh. i. 16. Secundo *plenitudo Deitatis* de qua dicitur quod "in eo habitet corporaliter omnis plenitudo divinitatis," Col. ii. 9, non *mystice* ut in fidelibus, non *symbolice* ut in sacramentis, non *typice* et *umbratice* ut sub Lege, Sed *corporaliter* id. *realiter* et *personaliter*, prout σῶμα vel *umbræ* opponitur vel *personam* designat. Unde jam invictum elicitur argumentum. Nam si Persona satisfaciens non modo sancta et incontaminata, sed etiam infinita fuit, infinitam etiam fuisse satisfactionem necesse est: Jam si infinita fuit; Quis perfectam imo perfectissimam et sufficientissimam neget? Quid enim majus vel perfectius infinito dari potest? Si perfecta fuit et plena, quid opus aliis satisfactionibus? Sane ut infinitæ Christi satisfactioni nihil quicquam potest addi, cum infinitum non augeatur, Ita nec opus est ut aliquid addatur, quia ex se et per se infinitum habet valorem.

VII. Non audent quidem Adversarii certissimæ Veritati palam reluctari, Quomodo enim possent nisi in castra Socini transire vellent? Cæterum eam indirecte labefactare conantur. Bellarm. enim lib. i. de Indulg., cap. 4, respondet "Non esse quidem opus ut adjungantur passiones sanctorum passionibus Christi, quasi hæ per se non sufficiant, sed adjungi tamen quia æquum est, ne passiones illæ coram Deo sint inanes, præsertim cum id sit gloriosum Christo a quo manat omne bonum sanctorum, tum etiam ipsis sanctis perhonorificum." Resp., Sed quum ita ratiocinatur Bellarm., vel ludit, vel aperte causam deserit. Nam si quod hic testatur revera credit, passiones scilicet *Christi per se sufficere*, Cur alias nescio quas illis adjungendas esse censet? Cur in illis unice non acquiescit? Ista enim non cohærent, ut sufficientissimum per se dicas aliquid quo tamen contentus non sis; quippe ex quo ad aliud confugiendum tibi esse arbitraris eo ipso plenam sufficientiam illi denegas. Unde necesse est eum qui ita statuit, vel aliquid putare Christi satisfactioni deesse, vel certe stultum esse cui id quod abunde sufficit satis non est; ut si quis cui præsens est perennis et uberrimus fons, eo posthabito arentes et cænosos rivulus consectetur.

VIII. Quod vero causatur, licet per se sufficiant passiones Christi, adjungi tamen illis oportere sanctorum passiones, *ne istæ coram Deo sint inanes*, multis modis absurdum est. Primo, si ideo tantum adjungendæ sunt ne inanes reddantur, At ego vicissim contendo non addendas esse ne passio Christi inanis reddatur. Quo pacto enim vel plenissima esse censebitur vel per se sufficere, si opus est alias illi superaddi? Secundo, falso supponit passiones Sanctorum inanes fore si ad satisfaciendum non adhibeantur. At innumeri alii fines sunt istarum passionum qui Dei gloriam, Ecclesiæ ædificationem, et fidelium salutem spectant. An inane esse dicitur quod ex officio factum est, quod ad magnam Dei gloriam cedit, quod Ecclesiæ ædificationem non parum promovet, quod Sanctos ipsos ad gloriam et salutem deducit? istos enim passionum fidelium eximios esse fructus negari non potest. Tertio, tantum abest ut gloriosum

sit Christo et ipsis sanctis honorificum, humanas satisfactiones suis adjungere, ut summa sic Christo inuratur contumelia et sanctis probrum. Nam si Christo gloriosum est pro peccatis nostris satisfecisse, quanto satisfactio ejus perfectior erit, quæ nullo alio satisfactionis cujusquam egeat supplemento, tanto major ad eum redundabit gloria, Et tanto minor erit quanto magis inter Christum et Sanctos dividetur. Quis dixerit etiam valde honorificum esse Sanctis multa pati ut actum agant, et justitiæ divinæ cui jam plene satisfactum est satisfaciant, vel ut honorem soli Christo debitum quantum in ipsis est per summum sacrilegium ad se trahere conentur? Quanto rectius et simplicius est Christi unius passionibus totam pro peccatis nostris satisfactionem tribuere; Sanctorum vero passionibus hanc laudem servare quod fidei et pietatis ipsorum fuerint argumenta clarissima, Deo gloriosa, nobisque ad exemplum utilissima.

IX. Addunt secundo Adversarii nihil derogari infinitati et perfectioni Satisfactionis Christi per nostras satisfactiones, Quia satisfecit tantum ea lege ut nobis illa applicetur, applicari autem per nostras satisfactiones, plane eodem sensu quo Sacrificium altaris volunt requiri ad applicationem Sacrificii crucis; sic Bellarm., Costerus, Salmero, Klingius et alii. Sed non felicius elabuntur. Fateor quidem applicandam esse nobis satisfactionem Christi ut ejus fructum sentiamus; Sed applicanda est mediis a Dei verbo præscriptis, non ab humano cerebro temere excogitatis. Media illa sunt partim interna, *fides* scilicet et *charitas*, Eph. iii. 17, 2 Cor. v. 14, partim externa, *Verbum* et *Sacramenta*, baptismus in quo Christum induimus, Gal. iii. 27, s. cœna quæ est communio corporis et sanguinis ejus, 1 Cor. x. 16. His mediis Christum nobis offerri et applicari non semel docet Scriptura. Sed ubi unquam dictum, hoc per satisfactiones nostras fieri debere? Quis unquam audivit solutionem debiti applicandam esse alia solutione, sacrificium alio sacrificio, et medicinam alia medicina? Nonne media applicationis diversi generis et ordinis a re applicata esse oportet? Quis sponsorem ferret qui pro alio quidem solvere vellet, sed ea lege ut si velit beneficium hoc fieri, solvere debeat illud ipsum quod solutum jam est; Nonne egregia esset et mirifica ejus liberalitas? Nam si solvit, cur opus est eum solvere? Et si opus est solvere, nonne inanis et inutilis erat eo ipso præcedens solutio? 2. Deinde Satisfactio nova non magis requiritur ad Satisfactionem Christi applicandam, quam nova Mors, Redemptio, Resurrectio, ad mortem, redemptionem, et resurrectionem Christi applicandam. 3. Quid quod Purgatorii pœnæ et mala similia, nullam vim habent mortem Christi applicandi, quia nec mortem Christi habent ulla ratione pro objecto applicando, nec ullam aptitudinem habent ad illam mortem vel apprehendendam vel significandam; Cum enim ad applicationem Satisfactionis Christi duo potissimum requirantur, primum a parte Dei ut ea nobis imputetur, alterum a parte nostri ut a nobis recipiatur, neutrum potest locum habere in pœnis illis satisfactoriis. 4. Si satisfactio Christi non potest nobis applicari nisi per nostram Satisfactionem, Satisfactio nostra pariter egebit alia Satisfactione per quam applicetur, et sic in infinitum, nulla enim datur ratio cur una Satisfactio possit applicari sine Satisfactione potius quam alia. 5. Si satisfactiones sunt media, *media* sunt *acquisitionis* et impetrationis gratiæ non vero *applicationis*, quia Deum proprie respiciunt non homines. Denique etsi daremus media ista applicationem respicere, quis dixerit contrarium applicari per contrarium, lucem per tenebras, salutarem medicinam per propinationem veneni? An perfecta satisfactio Christi iis mediis applicabitur, quæ ipsius perfectioni manifeste derogant et illi sunt injuriosa?

X. Tertio nullam fieri injuriam Christo ejusque Satisfactioni ex eo pertendunt, quod Satisfactio Christi et hominum non sint causæ sociæ et ejusdem ordinis, quæ causandi vim inter sese partiantur, sed subalternæ et subordinatæ, ea ratione ut humana satisfactio tanquam inferior a Christi satisfactione pendeat, et inde vim suam et efficaciam omnem mutuetur; Sic nihil decedere satisfactioni Christi, sed potius majorem laudem accedere; Majorem esse Christi gloriam, si dicatur non solum pro peccatis nostris satisfecisse, sed etiam id membris suis donasse, ut per ejus gratiam et virtutem etiam aliqua ex parte ipsa satisfacerent, quemadmodum potentiam Dei commendat et celebrat qui dicit Deum non solum per se, sed etiam per servos suos miracula facere; sic efficacitatem meritorum Christi magis elucere quæ non solum per se possunt expiare peccata, et reatus peccatorum, sed etiam efficere ut merita sanctorum vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis; quemadmodum Deus instituit, ut secundæ causæ non sint otiosæ, sed cum ipsa prima causa ad res producendas conveniant, quamvis prima causa sine secundis res omnes æque facile ac perfecte efficere potuisset. Sic ratiocinatur Bellarm., lib. ii. de Indulg. c. 3. Quo pertinet etiam alia ejusdem generis Exceptio, Satisfactionis Christi virtutem et plenitudinem non imminui, quia si non satisfecit *immediate* pro omni pœna, satisfecit tamen *mediate* quia vires nobis dat ut satisfaciamus. Bellarm., lib. iv. de Pœnit., cap. 15. Resp., Verum non una ratione fallitur. Primo, quod causas hic subordinatas et subalternas fingit ubi nullæ sunt. Nam ubi causa solitaria est et unica, absurdum est subordinationem quærere quæ plures causas supponat. At hic ut jam diximus et in sequentibus fusius dicturi sumus, Scriptura testatur clarissime Christum in præstanda satisfactione pro nobis solam et unicam causam fuisse, Isa. lxiii. 5, Act. iv. 12, 2 Cor. v. 14, &c. Secundo, in causis moralibus subalterna causa derogat primæ quum instituitur præter ejus authoritatem et mandatum, v. g., non poterit absque Regiæ authoritatis detrimento prorex aliquis institui citra ejus ordinationem; At istæ Satisfactiones subordinantur Christo præter ejus mandatum, Nihil enim unquam de eo tradidit, imo contrarium potius; non ergo sine insigni ejus injuria. Tertio, causæ illæ non sunt subordinatæ quæ diversos effectus producunt, subordinatorum enim qua talium idem est effectus; At Christi et hominum satisfactio ex Adversariis effectus diversos producunt, illa quidem culpæ et pœnæ æternæ remissionem, ista vero pœnæ temporalis ablationem. Quarto, causæ omnes subordinatæ totales sunt, totum scilicet effectum suo ordine singulæ producunt, ut Deus et homo generant hominem, Deus ut causa prima et universalis, homo ut causa secunda particularis: Ita satisfactiones nostræ si subordinantur satisfactioni Christi, debent totum effectum attingere licet in ordine inferiori, ut et pœnæ et culpæ remissionem obtineant non secus ac Christi satisfactio; quod tamen Adversarii non dixerint. Unde concludimus, nullam hic rationem subordinationis esse quærendam, imo hæc plane ἀσύστατα esse et incompossibilia.

XI. Hinc patet etiam vanum esse et ridiculum quod subjiciunt Christum Satisfactione sua nobis dare vires per quas satisfaciamus. Nam primo huic commento Scriptura repugnat, quæ dicit quidem Christum pro nobis mortuum ut peccata nostra purgaret, nosque a maledictione Legis redimeret, ideoque pro nobis satisfaceret: Sed nuspiam quod ideo mortuus sit ut nobis daret vires satisfaciendi. An ergo nos redemisse dicetur ut ipsi essemus nostri Redemptores, et persolvisse debita nostra ut ipsi ea solveremus? Imo propterea dicitur *per seipsum* fecisse purgationem peccatorum nostrorum, Heb. i. 3, ne ipsi teneremur eam facere;

propterea castigatio pacis nostræ super eum posita est, ut ex ejus livoribus sanaremur; propterea satisfecit, ne nobis sit in posterum satisfaciendum. Secundo, repugnat etiam ipsa rei natura et communis usus loquendi; Aliud enim est satisfacere, aliud præbere gratiam qua alius satisfaciat; Nec unquam pro nobis satisfecisse bene dicetur, nisi qui ære suo debitum nostrum expunxit. Tertio, si Christus satisfacit mediante nostra Satisfactione, tum non semel satisfecisse dici potest, sed semper et quotidie satisfacere, nec *per seipsum*, sed *per nos*, nec tam *pro nobis*, quam *in nobis;* quæ tamen omnia repugnant Scripturæ verbis et naturæ rei. Quarto, si Christus dicitur satisfacere quatenus gratiam dat satisfaciendi, ergo pari ratione dicendus esset credere et resipiscere, quia largitur gratiam credendi et resipiscendi, quod nemo non videt absurdum esse. Denique si hæc ratio valeret, Pater et Spiritus Sanctus non minus pro nobis satisfecisse dici possent, quod absurdum est et inauditum; nam et Christo vim eam omnem dederunt quæ ad satisfaciendum fuit necessaria; et pios animi motus et constantiam in ærumnis nobis largiuntur.

XII. Quod vero majorem esse Christi gloriam statuit Adversarius, si dicatur non solum pro peccatis nostris satisfecisse, sed etiam id membris suis donasse ut per ejus gratiam et virtutem, aliqua ex parte etiam ipsa satisfacerent, Supponit semper πρῶτον ψεῦδος quod Satisfactiones nostræ subordinentur Satisfactioni Christi, cum contra illi aperte repugnent et adversentur. Et sane cum gloria Christi in eo posita sit ut solus sit et perfectus Redemptor noster, Quis dixerit facere ad majorem Christi gloriam si dicatur habere socios? Quasi major sit Dei gloria, si dicatur multos ab ipso factos creatores, quam dicere illum solum esse omnium Creatorem. Nec ratio a miraculis petita contrarium evincit; nam quando Deus dicitur miracula facere per homines, Deus solus proprie et realiter miracula facit, homines vero sunt tantum instrumenta moralia ad quorum præsentiam Deus operatur. Non magis urget quod a causis secundis ducitur argumentum, quippe longum latumque discrimen intercedit inter utrumque. Nam licet Deus qui utitur causis secundis, possit sine illis operari et ita iis utatur ut nihil decedat propterea gloriæ suæ, quia hoc non fit ex indigentia, sed ex indulgentia, et quidem ita ut causæ primæ laus illi maneat illibata quæ in nullam aliam causam transferri potest, Non potest idem statui respectu Redemptionis et Satisfactionis Christi, quia ut hoc infinitam virtutem postulat, ita peculiare et proprium debet esse causæ principali, quæ impatiens est consortis. Fateor quidem in salutis negotio nos non debere esse otiosos, sed salutem nostram operari cum timore et tremore, Phil. ii. 12, atque ita esse Dei συνεργοὺς, 2 Cor. vi. 1, 2. Sed hæc cooperatio non respicit acquisitionem salutis, quæ Christo soli propria est et incommunicabilis aliis, sed tantum applicationem, non ad solutionem præstandam, quam Christus abunde præstitit, sed ad solutionem præstitam amplectendam, non quæ sit causa et fundamentum juris ad salutem propter quod conferatur, sed tantum via et medium ad eam per quod adeatur.

XIII. Sed perfectionem istam Satisfactionis non evincit tantum *Dignitas Personæ*, Sed probat etiam, 2. *Unitas Officii Mediatorii*, et *Oblationis* a Christo ex isto officio peractæ. Nam si unicus est tantum Redemptor noster ut passim Scriptura testatur, Act. iv. 12, 1 Tim. ii. 5, 1 Cor. iii. 11, Joh. xiv. 6, Si unica ejus oblatio et sacrificium quo in perpetuum consummantur sanctificati, unica obedientia qua multi constituuntur justi, unicum pretium quod datum est ad redemptionem animarum nostrarum, ut Paulus non semel docet, Rom. v. 18, Heb. x. 10, 12, et ix. 26, 28, Act. xx. 28; utique plena esse debuit et omnibus nume-

ris absoluta ejus satisfactio: Alias nec finem intentum assequi potuisset, nec solius Redemptoris laudem mereretur. Quis enim jure dixerit unicam esse Christi obedientiam, unicam oblationem quæ plenam redemptionem et justitiam sit nobis adepta, si adhuc supersunt variæ pœnæ a fidelibus in hoc vel in altero seculo ferendæ, si aliud sacrificium ἱλαστικὸν adhuc requiritur? Nec reponi potest unicæ Christi oblationi hoc totum rite acceptum fieri, quando ab ea ipsæ hominum satisfactiones omnem suam vim mutuantur. Nam præterquam quod supponitur gratis tales dari pœnas et satisfactiones quod nunquam probabitur, Falsum etiam est talem vim a satisfactione Christi operibus nostris aut passionibus posse communicari, quando ea tota ab officio ejus oritur et pendet, quod Christo proprium esse et incommunicabile negare non audent. Non negaverim equidem vim quandam et efficaciam a merito Christi in nos et opera nostra defluere, ut scilicet deinceps et personæ et opera Deo grata sint et accepta, atque adeo ut sensum gratiæ Dei in nobis magis ac magis confirment. Sed dari illis vim merendi vel satisfaciendi, nec Scriptura dixit unquam, nec rei natura pati potest, nisi quod Christo proprium est in fideles transferamus.

XIV. Hoc vero adhuc luculentius confirmatur ex ipsa *Redemptoris Unitate;* Nam si præter Satisfactionem a Christo præstitam alia quædam supersunt homini exsolvenda ad redemptionem totalem et a culpa et a pœnis omnibus obtinendam; Quis non videt gloriam Redemptoris inter Christum et fideles dividi, atque adeo perperam hoc illi nomen in solidum vindicari? Et sane Bellarm., licet lib. v. de Christo, cap. 1, agnoscat quartum Mediationis modum qui fit per solutionem et satisfactionem Christo soli competere; tamen alibi sibi turpiter contradicens fatetur *Redemptoris* nomen *aliquomodo* Sanctis posse tribui, lib. i. de Indulg. cap. 4, "At si largo modo Redemptor appelletur quicunque liberat alium ab aliquo debito, non erit absurdum si sancti viri *aliquo modo*, id est secundum aliquid non simpliciter, et largo modo non in rigore verborum, esse Redemptores nostri dicantur." Unde patet quam injuste Adolphus quidam Godefridus Volusius ex Pastore Hanoviensi Apostata factus, et nunc Concionator Moguntinus, in libro, quem non ita pridem publici juris fecit sub titulo Auroræ Pacis Religiosæ divinæ veritati amicæ (ubi Pseudo-Henotica pridem explosa renovans consilia, Augustanæ confessionis socios qui Lutheri partes sequuntur ad Syncretismum cum Ecclesia Romana ineundum hortatur, et quibuscunque potest modis errores exitiales, fœdissimam idololatriam, et Tyrannidem intolerandam Babylonicæ Meretricis vel incrustare vel propugnare satagit, ut fere ab iis fieri solet qui defectionem factam tueri, et alios in idem præcipitium secum pertrahere conantur,) Celeberrimo Maresio, nobisque grandem mendacii dicam homo mendacissimus scribat, pag. 4; Illi quidem quod imposuerit Bellarmino quod scripserit, lib. i. de Indulg. cap. 4, "Sanctos esse quodammodo nostros Redemptores;" Nobis vero quod asseruerimus Disp. 1. de Secess. th. 33, "Pontificios alios Mediatores etiam Redemptionis excogitasse quam Christum, aliud meritum coram Deo quam ipsius obedientiam," &c. Quasi vero hæc ipsissima non sint Bellarmini verba quum dixit loco citato, non esse absurdum, "si sancti viri aliquomodo dicantur Redemptores nostri." Quasi constans apud ipsos non sit sententia Sanctos non tantum Mediatores esse, quorum intercessione sint exaudiendi homines, sed *meritis servandi*, unde Sacerdos in Missa petit remissionem peccatorum et salutem non tantum per preces Sanctorum, sed et *per eorum merita.* Quasi Pius v. et Gregorius xiii. passiones Sanctorum non asserant esse justas pro pœnis com-

pensationes et veras satisfactiones. Quasi denique, suis quemque Christianum et aliorum meritis salutem suam acceptam ferre debere non doceant. At si necessariæ sunt satisfactiones nostræ, necessaria merita quibus redimamur a pœnis debitis et vitam acquiramus: Quid verius dici potuit quam alios Mediatores etiam redemptionis ab ipsis excogitari in quibus fiduciam collocent præter Christum, et alia merita præter ejus obedientiam? Innumera sunt istiusmodi, quæ isti Sycophantæ objici possunt, quibus facile in ruborem dari potest nisi frontem plane posuerit: Sed de his alibi erit dicendi locus, quum vanissimi hominis malam fidem sumus demonstraturi; Nunc enim alio nos vocat instituti nostri ratio.

XV. 3. Argumentum petitur a *Gravitate pœnæ* quæ Christo imposita est; Nam si ille pœnas omnes nobis debitas tulit, fieri non potest quin plenissima fuerit ejus satisfactio. In eo enim perfectio ejus posita est, ut nihil omiserit ex iis quæ a justitia divina requirebantur ad sui satisfactionem, sive in observatione mandatorum, sive in pœnarum latione quæ a sanctionibus Legis denuntiabantur; At utrumque a Christo impletum esse res ipsa clamat. Non modo quia omnem implevit justitiam Patri obediendo usque ad mortem, Matth. iii. 15, Phil. ii. 6, 7, 8, Heb. x. 5, 6, 7, Verum etiam quia patiendo illud omne tulit quod Lex peccatoribus imponebat, sive quoad damnum per desertionem, sive quoad sensum per maledictionem. Hinc vere "dolores nostros bajulasse et languores portasse" dicitur, "imo attritus et vulneratus propter iniquitates nostras," Isa. liii. 4, 5. Hinc dicitur factus κατάρα, Gal. iii. 13, et "peccatum," 2 Cor. v. 21. Hinc, Rom. viii. 32, Pater ei non pepercisse perhibetur per μείωσιν, id. severissime illum habuisse, nulla in filium crudelitate, sed ardentissimo salutis nostræ amore; Quo pertinent lachrymæ illæ et preces vehementissimæ quas Christus dicitur fudisse, Heb. v. 7, et summa Christi tum in horto tum in cruce agonia. De quibus alibi, quum de Veritate Satisfactionis disputatum est. Hæc quippe omnia gravissimam fuisse pœnam Christi et Legi apprime respondentem arguunt luculenter; Quid enim Lex peccatoribus imponebat nisi maledictionem? hæc unica est et tota pœna quam iis interminabatur, At Christus maledictionem istam tulit, factus ipse maledictio, Pœnas ergo nobis debitas omnes tulit, atque adeo vere et plene pro nobis satisfecit.

XVI. Quid vero hic Adversarii? Christum quidem pro omni culpa et pœna etiam æterna satisfecisse facile concedunt; Sed negant eundem pro pœna temporali pariter satisfecisse: Itaque non esse absurdum ut eam nos pendamus. Sed ut nihil jam dicamus de distinctione culpæ et pœnæ, et remissione unius cum retentione alterius, de qua mox erit disserendum; Dico falsissimum esse quod supponunt Christum pro quadam non pro omni pœna satisfecisse. Ubi enim quæso dimidiatam hanc Christi Satisfactionem Scriptura memorat? Ubi pro culpa quidem omni, at non pro omni pœna Christum satisfecisse docet? Nonne ubique universaliter Christum pro peccatis omnibus nostris passum esse asserit? Quis vero non exhorrescat, quam Christo semper Ecclesia tribuit totius Satisfactionis et Redemptionis nostræ gloriam, eam nunc ab istis imminui et decurtari? Nam si Christus pro pœna temporali non satisfecit, Ergo non est noster ex asse Redemptor; Quippe cum redemisse non dicatur nisi quatenus satisfecit, patet eum neque nos ab istis pœnis redemisse pro quibus si istis fides habenda minime satisfecit. Sed longe aliter Paulus. Quorsum enim Christum assereret Chirographum quod erat nobis contrarium delevisse, tulisseque de medio et cruci affixisse, Col. ii. 14, si pœnæ quædam quæ sunt istius Chirographi pars non exigua non exsolutæ sunt a Christo, et a nobis pendendæ? Quorsum "una Christi obla-

tione" dicerentur "in perpetuum consummati qui sanctificantur," Heb. x. 14, si aliquarum pœnarum pro quibus Christus non satisfecit reatu adhuc tenentur? Rursus Christus absque omni dubio pro iis pœnis satisfecit quas ipse perpessus est, quo enim fine tot passiones subiisset, nisi ut Dei justitiæ satisfaceret; At pœnas temporales in corpore suo et vivens et moriens perpessus est, ut Scriptura docet: Ergo satisfecit et pro pœnis temporalibus. Denique a Christi Satisfactione non excludendam esse liberationem a pœnis temporalibus vel ex ipsis Adversariorum hypothesibus colligitur. Quum enim quis per Baptismum recipitur in numerum filiorum Dei, vel quando quis Martyrium pro nomine Christi patitur, docent ei condonari debitum universum pœnæ, ita ut pro peccatis ante baptismum et martyrium commissis nulla pœna temporalis luenda remaneat, quod expresse habet Bellarm., lib. iv. de Pœnit. cap. 1. Superest ergo quod si condonatur pœna temporalis, condonetur propter Christum: Nihil autem remittitur propter Christum, pro quo Christus non satisfecerit. Quod Bellarminum compulit vi veritatis victum ibidem fateri etiam, "restituta amicitia per gratuitam Dei misericordiam, et per redemptionem quæ est in Christo, posse Deum universum pœnæ debitum semper condonare," lib. iv. de Pœn. c. 1.

XVII. 4. Argum. suppeditat *Dei Approbatio:* Si enim Deus et Personam et Oblationem Christi ita approbasse legitur, ut non modo utramque lubens acceptarit ad Redemptionem nostram, sed etiam inde placatus sit et reconciliatus hominibus, dubitari nequit sacrificium istud et satisfactionem perfectissimam fuisse. Nec enim Deus Judex justissimus imperfectam satisfactionem acceptare vel illi testimonium placationis perhibere potuisset; At Christi personam et oblationem Deo probatam fuisse clarissime colligitur, Non modo ex destinatione ejus in sacerdotem quæ ab ejus beneplacito fluxit, Heb. iii. 2, Col. i. 19, 20, ex inauguratione ad munus cum cœlitus clamavit, "Hic est filius ille meus dilectus in quo acquiesco," Matth. iii. 17, non tantum miraculorum variorum patratione, ex quibus ipsum Virum a Deo approbatum fuisse demonstrat Petrus, Act. ii. 22, Sed præcipue ipsius Christi *Resurrectione* quæ non modo luculentum fuit Deitatis ejus testimonium, unde dicitur "ὁρισθεὶς declaratus filius Dei potenter per resurrectionem a mortuis," id. veluti solenni decreto pronuntiatus, Rom. 1, 4, sed etiam illustre perfectissimæ satisfactionis argumentum. Nam nisi cumulatissime satisfecisset, Quo pacto Deus qui ut Judex eum morti tradiderat ad redemptionem nostram, voluisset eum a morte excitare? An judex sponsorem vel debitorem liberat a carcere, nisi prius plena solutione præstita? An placatum se et conciliatum reo vel debitori exhibebit, si pœnam aliquam adhuc ab eo est exacturus? Deus autem et Christum ipse excitavit, ideo dicitur "suscitatus per gloriam," id. potentiam "Patris," Rom. vi. 4, et, Act. ii. 24, "hunc Deus suscitavit solutis doloribus mortis, quia impossibile erat eum ab ea detineri," Et plene sibi satisfactum esse testatus est, cum non tantum eum ex mortuis excitavit, sed et propter perfectissimam obedientiam summe exaltavit et passiones ejus amplissimo præmio coronavit, Phil. ii. 6, &c., Heb. ii., Unde dicitur, "justificatus Spiritu," 1 Tim. iii. 16, et "suscitatus propter nostram justificationem," Rom. iv. 25, quia et ipse justificatus est a Patre, id. probatus tanquam plene defunctus officio suo, et nos in ipso justificati sumus, quum perfectam ab eo peccatorum expiationem obtinemus, cujus resurrectio documentum est certissimum. Quippe ut in Morte solutionem habemus, ita in Resurrectione Apocham qua Pater testatur sibi abunde satisfactum esse. Nec posset Apostolus dicere nos esse Deo reconciliatos per Christi san-

guinem, Rom. v. 10, si pœna satisfactoria adhuc nobis ferenda ex Dei judicio incumberet.

XVIII. Dicent forte, ita enim loquitur Bellarm., lib. iv. de Pœnit. cap. 1, "Non quidem fieri posse ut pro instauranda amicitia cum Deo homines satisfaciant, sed restituta amicitia per gratuitam misericordiam Dei, et per redemptionem quæ est in Christo Jesu, posse quidem Deum universum pœnæ debitum semper condonare, ut certum est eum facere, cum primum nos per baptismum in filios recipit, vel cum martyrium pro nomine ejus subimus, sed posse etiam id velle ut cum peccamus post baptismum, amicitia quidem gratis pœnitentibus et peccata sua confitentibus restituatur, sed maneat tamen debitum luendæ pœnæ qua justitiæ satisfiat." Hic vero, 1. primo gratulamur Adversario ingenuam veritatis confessionem, dum fatetur Deum post redemptionem Christi, "posse universum pœnæ debitum semper condonare," ut facit in baptizatis et martyribus. Nam si hoc verum (ut sane est verissimum,) quis potest locus esse amplius ullis satisfactionibus humanis? An forte, quod Deus non contentus Christi satisfactione alias insuper a parte nostri postulet? Sed hoc nec Scriptura dixit unquam, nec unquam probabitur. 2. Falso supponit amicitia semel restituta posse exigi debitum luendæ pœnæ qua justitiæ satisfiat. Nam hæc sunt ἀσύστατα, Justitiam exigere pœnam, et Amicitiam facere gratiam. An servat Deus amicitiam cum iis quos ut adversarios terribili judicio et fervore ignis vorantis prosequitur? firmane censebitur amicitia inter Jacobum et Petrum si ille amicitiam spondens totum furorem in hunc effundat? Quid quod ex eo sequeretur amicum Dei posse condemnari, quod expresse negat Apostolus, Rom. viii. 1. Fateor quidem amicis varias imponi pœnas nec Deum ipsis parcere, sed istæ pœnæ sunt paternæ, medicinales et castigatoriæ, ut infra dicemus; non satisfactoriæ de quibus quæritur.

XIX. Quinto, Eadem veritas astruitur ex *Effectu Satisfactionis Christi*, qui triplex vulgo censeri solet, Expiatio, Remissio, Consummatio; *Expiatio* peccatorum, et propter eam eorundem *Remissio; Consummatio*, seu perfectio fidelium ex expiatione et remissione pendens. Si ergo Christus triplicem istum effectum per Satisfactionem suam ita plene produxit, ut nihil addendum supersit; nemo negare poterit perfectam fuisse omnimode ejus satisfactionem, perfectio enim effectus, perfectionem causæ necessario arguit: At ista perfecte a Christo fuisse præstita, luce meridiana clarius ostendi potest. Primo de *Expiatione*, Scriptura non semel plenam a Christo peccatorum omnium nostrorum purgationem esse factam docet; Heb. i. 3, dicitur "per seipsum purgatione peccatorum facta sedisse ad dextram majestatis in excelsis," sic Heb. ix. 14, "ejus sanguis purgat conscientiam ab operibus mortuis." Sed omnium clarissime Johannes in prima Epist. quum non tantum propitiationem esse ait pro peccatis totius mundi, cap. ii. 2, sed etiam "ejus sanguinem purgare nos ab omni peccato," cap. i. 7. Nam si ab *omni peccato*, Ergo non tantum ab Originali, sed et ab Actuali, a mortali, sed et a veniali; Non modo ab iis quæ ante baptismum sunt commissa, sed quæ post eum subinde perpetrantur; Non ad eluendam tantum culpam, sed et ad purgandam labem et maculam. Frustra regeres cum Bellarm., agi hic de remissione culpæ, non pœnæ, et Christi quidem sanguinem ab illa nos omnino purgare, sed non pariter ab ista. Nam præterquam quod absurda est et ridicula hæc distinctio ut jamjam dicemus, quia non aliter nos mundat a peccato, quam ejus pœnam ferendo; itaque si ab omni peccato purgat, ergo omnem ejus pœnam tulisse debet: Johannes viam illi præcludit, quum non tantum dicit sanguinem ejus nos mundare ab

omni peccato, sed ita ut "communionem cum ipso habeamus," ver. 7, Jam communio ista haberi non posset nisi sublata omni culpa et pœna.

XX. Eodem etiam pertinet quod Paulus, Rom. viii. 1, dicit "nullam amplius esse condemnationem iis qui sunt in Christo," et ver. 34, neminem accusare vel condemnare posse electos Dei quia Christus mortuus est, &c. Quod luculenter docet Christum plenam omnium nostrorum peccatorum expiationem fecisse. Alias si pœna adhuc quædam superesset ferenda, daretur semper aliqua condemnationis ratio, quod expresse negat Paulus. Non dicit quidem *nihil esse condemnatione dignum* in fidelibus; nam quandiu manet in nobis caro et peccatum, (manet autem semper quandiu in terris versamur,) manet etiam reatus et condemnabilitas quam peccatum post se necessario trahit, scilicet meritum intrinsecum culpæ, quod contra Adversarios perfectionem sanctorum et impeccantiam asserentes constanter defendimus. Sed dicit tantum *nullam esse condemnationem*, quia licet *reatus potentialis*, id. meritum ejus internum, semper sequatur peccatum, tollitur tamen *reatus actualis* seu obligatio ad pœnam, et *condemnatio* quæ eam sequitur, quia Christus maledictionem Legis pro nobis ferendo eam omnem a nobis abstulit, ut jam secure gloriari liceat in Domino, et hostibus nostris insultando dicere cum Paulo, Rom. viii. 32, &c., "Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit, quomodo omnia non gratificabitur cum ipso? Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis condemnabit? Christus est mortuus," &c. Sed cur ergo tam multa patimur etiam post justificationem, regerit Bellarm. Resp., Non patimur ut Deo satisfaciamus, sed ut fidem et constantiam nostram testatam faciamus, non ad punitionem judicialem, sed ad correctionem paternam, non ad justificationem consequendam, sed ad sanctificationem promovendam. Alias si pœnis quibusdam adhuc adjudicarentur fideles non posset dici *nullam* esse *condemnationem*, et ut V.V. adhuc fortius reddit, *nihil condemnationis*. Hoc vidit Thomas, "Nihil damnationis," inquit, "est residuum, quia et tollitur damnatio quantum ad culpam et quantum ad pœnam." Sic Salmero, "ostendit eos qui Christum sectantur, ab omni malo culpæ et pœnæ liberatos esse." Neque hic audiendi sunt qui volunt Paulum non quoscunque Christianos designare, sed eximios quosdam quibus nimirum conversatio sit absque peccato, quia loquitur de iis qui "non secundum carnem incedunt, sed secundum spiritum." Nam falso supponunt posse dari ullos Christianos qui non incedant secundum spiritum, sed secundum carnem: At Paulus non externa professione, sed interna veritate Christianos metitur, nullum enim Christianum agnoscit nisi qui sit in Christo, nullum autem vult esse Christi nisi qui spiritum Christi habeat, ver. 9, "Si quis non habet spiritum Christi, Is non est ejus." Ergo quod addit Apost., "qui non incedunt secundum carnem, sed secundum spiritum," non est restrictio eorum qui sunt in Christo, sed *ἐξήγησις* sive descriptio verorum Christianorum, Ut nemo possit esse in Christo qui non ambulet secundum spiritum, et non secundum carnem. Quo pertinet illud Athenagoræ in Apologia, *οὐδεὶς χριστιανὸς πονηρὸς εἰμὴ ὑποκρίνηται τὸν λόγον*: "Nemo Christianus nequam, nisi professionem simulet:" De aliis vero qui præter nomen Christianitatis nihil obtinet non agitur, nec debemus esse solliciti.

XXI. Hujus autem perfectæ expiationis memorabilis extabat typus in Sacrificiis hilasticis quæ a lege præscribebantur; Nam Dominus qui exactissime omnes expiandi ritus per Mosem exequitur, nuspiam tamen hanc aut illam satisfaciendi rationem constituit, sed totam in sacrificiis compensationem requirit. Qui fit autem ut nullis prorsus operibus admissa delicta procurare jubeat, sed sola in expiationem sacrificia requi-

rat, nisi quod ita testari voluit unicum esse satisfactionis genus, quo judicium suum placatur; Quippe ea quæ tum offerebant sacrificia Israëlitæ, non ab hominum opera, sed a sua veritate, hoc est vero Christi sacrificio æstimabantur. Neque hic audiendus Bellarm. qui lib. iv. de Pœnit. cap. 15, dicit sacrificia ista immunditiem tantum legalem et pœnam temporalem expiasse, sed non culpam et pœnam æternam, ex Psal. li. Nam etsi damus vere et realiter non potuisse expiare peccatum, quia nulla fuit victimarum et cum Dei justitia, et cum hominis peccato proportio, Heb. x. 4, 5, sed tantum potuisse purgare quoad *puritatem carnis*, id. munditiem legalem, Heb. ix. 13, Certum tamen est typice et figurative perfectum Christi sacrificium quod corpus est omnium umbrarum repræsentasse, ut eo tendebat tota Lex Cærimonialis, Heb. x. 1. Ita si non alia expiationis ratio præscribitur quam per sacrificia, signum est non alibi quam in sacrificio Christi quærendam esse expiationem nostram. Nec obstat locus Psal. li., quia non agit de sacrificiis in se spectatis quoad Dei institutionem, sed quoad hominum hypocritarum abusum qui externum cultum ab interno separabant, et cortici seu literæ hærentes, mysterium et veritatem spiritualem negligebant, cujusmodi sacrificia vere Deus rejicit et detestatur.

XXII. Ut vero hæc expiatio in omnibus sacrificiis hilasticis occurrebat, ita luculentius patebat in solenni et anniversario sacro quod die expiationum fieri solebat, et in Hirco vivo qui debuit amandari in desertum, de quo dicitur, Lev. xvi. 20, 21, 22, quod Aaron utramque manum super caput hirci imponeret, et "confiteretur super eum omnes iniquitates filiorum Israëlis, et omnes prævaricationes eorum ex quibusvis peccatis, et cum eas hirci capiti imposuerit, amandabit eum in desertum per manum viri parati, et portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum in terram inhabitabilem," seu desertam, et ab aliis quæ habitantur divulsam. Ex quibus colligitur non unius vel alterius peccati factam fuisse tum expiationem, sed omnium omnino; "Eo die expiationem faciet pro vobis, ad mundandum vos, ab omnibus peccatis vestris coram Jehova mundabimini." Atque hæc videtur fuisse ratio quare hircus iste amandaretur in desertum procul a sanctuario, ut scilicet notaretur remotio et elongatio perpetua peccatorum a facie Dei qui in Sanctuario apparebat. Et hinc etiam non male conjicit Celeberrimus Bochartus in eruditissimo opere de Animalibus, li. ii. c. 56, rationem nominis Azazel quod hic occurrit, quum dicitur, ver. 8, "duobus hircis imponendas esse sortes, unam Jehovæ, alteram לעזאזל Azazeli, ut nimirum designet *separationem* et remotionem hirci qui debuit in desertum mitti; Et nomenclatio peti potest ab Arabibus apud quos verbum Azala *removere* et *separare* significat, unde formari potuit Azazil quod Hebræi עזאזל Azazel efferunt, quod *χωρισμὸν* et *ἀναχώρησιν* notabit. Ita recte hircorum unus dicetur Domino fuisse servatus, nempe ut super altare mactatus illi esset in sacrificium, quod de victimis passim legitur; alter servatus לעזאזל ad Azazel *πρὸς ἀναχώρησιν ad separationem*, ut in locum deserti remotum et ab aliis separatum deduceretur, qui ver. 22, dicitur ארץ גזרה *tertia excisa*, seu *divulsa*. Sic optime duorum istorum hircorum separatio respondebit duplici *Anathemati* quod sustinere debuit ille qui pœnam peccati ferebat: primo ut esset *Deo sacer* utpote ipsi ad satisfactionem justitiæ oblatus; Secundo ut esset ab *aliis separatus* tanquam *ἐπικατάρατος* et exitio devotus; Quod utrumque per *Anathema* designari observant Viri docti.

XXIII. Secundus effectus Satisfactionis Christi est *Remissio peccatorum*, Eph. i. 7, Heb. ix. 15, Matth. xxvi. 28, ex qua non minus quam ex

expiatione perfectio ejus evincitur, Quia non unius tantum aut quorundam, sed omnium peccatorum per eam remissionem consequimur. Col. ii. 13, "vivificavit nos, condonatis omnibus offensis nostris;" Psal. ciii. 3, "condonat omnes iniquitates tuas;" Act. x. 43, "Huic Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum in ejus nomine omnem credentem in ipsum." Sic alibi in formula fœderis testatur quod "peccatorum nostrorum non sit amplius recordaturus," Jer. xxxi. 34, et Heb. x. 17, imo "etsi quæratur iniquitas populi sui, quod non possit inveniri," Jer. l. 20. Jam ubi plenaria est peccatorum remissio, ibi plenam etiam satisfactionem esse necesse est, quandoquidem illa istius effectus est et fructus inseparabilis; nec alio tendit satisfactio quam ad remissionem fidelibus obtinendam; Si ergo perfectus est effectus, perfecta causa debet esse.

XXIV. Ut ab hoc se expediant Argumento distinguunt in peccato *culpam* et *pœnam*, et utriusque remissionem; Et remitti quidem omnem peccati culpam censent, sed non statim omnem pœnam, remanere enim semper etiam remissa culpa luendam pœnam temporalem. Hæc solennis est ipsorum distinctio, cui totum hoc satisfactionum et pœnarum humanarum commentum superstruunt; Sed ipsius falsitas multifariam potest demonstrari. Non negamus quidem *pœnam* et *culpam* posse distingui; Et revera distinguendas esse, Quando culpa ipsius est peccatoris; At pœna Judicis eam infligentis: Culpa causa est quæ pœnam post se trahit: At pœna effectus culpæ. Sed negamus remissionem utriusque posse unquam sejungi: 1. Quia hoc pugnat cum *natura rei:* Nam sic ad culpam refertur pœna, ut hæc sine illa esse non possit, pœna enim non est, nisi quæ alicujus culpæ pœna est, eam enim a culpa oriri, et propter eam infligi jamjam diximus; si quis ergo a culpa omni liber est, eundem etiam a pœna immunem esse necesse est, quia sublata causa non potest non tolli effectus: poterit ergo cui remissa est culpa affligi et cruciari, sed puniri non poterit, quia pœna dicit σχέσιν ad culpam, a qua non magis separabilis est, quam umbra a corpore. Frustra vero hic Bellarm., lib. iv. de Pœnit. cap. 15, regerit, "multa esse quæ sine certis causis non orirentur quæ tamen orta manent causis pereuntibus, ut ædificium sine ædificatore non fieret, quod si semel factum fuerit manebit, licet continuo ædificator pereat." Nam quæ causis pereuntibus manent, ea a causis antequam ipsæ perirent jam effecta erant, ut ædificium quod manet etiam extincto architecto. At causa semel extincta nihil amplius efficit vel efficere potest, ut architectus semel mortuus nihil amplius ædificat. Hic vero non quæritur, An pœnæ jam antea ob culpam peccatori inflictæ, si ei postea culpam remittat Deus, eo momento ipsæ pariter aboleantur; sed de iis pœnis quæritur quas admissa a peccatore culpa est quidem merita, quasque nisi aliud accidat in peccatoris caput certissime aliquando est accersitura, sed quæ tamen nondum sunt ei inflictæ, An scilicet culpa quæ ipsas non dimissa paritura erat, dimissa eas nihilo secius parere queat? Quod si dicatur, necesse est ut vel negetur culpam quæ remittitur tolli, vel statuatur causam licet sublatam et abolitam aliquid tamen efficere posse; quod utrumque absurdissimum. Quid quod hic Adversarius confundit *causam efficientem physicam* cum *causa meritoria et morali*, nec enim culpa proprie efficit pœnam quomodo Architectus domum, sed meretur tantum et post se trahit moraliter.

XXV. 2. Pugnat cum *Vocis ratione et ordinario loquendi usu:* Nam præterquam quod nec ἀφιέναι nec χαρίζεσθαι (quæ duæ sunt voces quibus peccati remissio designatur vulgo) dici possit is qui peccatum impunitum

non relinquit, et pœnam ejus aliquam adhuc exposcit, Accedit quod inauditum est in humano sermone ut ei culpa remissa dicatur, a quo pœna adhuc exigitur. Quis enim judicem ferat pro tribunali pronuntiantem se culpam quidem peccati reo condonare, cæterum ipsi pœnam decernere et velle ut in crucem agatur, vel virgis cædatur? An non merito jocari putabitur et misero isti reo illudere? Quid enim aliud est remittere culpam, quam eam nolle punire? Nec enim potest dici culpa remitti, nisi quia debitum culpæ contractum remittitur. Quodnam autem potest esse illud debitum? An culpa? At ea est debendi causa, non vero id quod debetur. An Pœnitentia? At ea remitti nec potest, nec debet. Quid igitur debemus propter peccata nostra? Profecto nihil nisi pœnam; sola illa ob peccatum admissum potest exigi; Sola ergo pœna proprie et per se potest remitti; culpa nonnisi ratione pœnæ remittitur. Et sane cum homines petunt sua sibi condonari et remitti peccata, quid aliud petunt quam ut liberentur a pœnis quas suis culpis contraxerunt? Cum ergo tritissima sit hæc loquendi ratio, quæ alium sensum habere non potest nisi absurdum: patet inanem esse et ridiculam Adversariorum distinctionem cui totam satisfactionum suarum fabricam superstruere volunt.

XXVI. 3. Sed parum adhuc esset eam adversari ordinario loquendi usui, Nisi impeteret Dei ipsius justitiam et misericordiam. *Justitiam* quidem: Quia sic statuitur Deus punire eum qui caret omni culpa, et qui nullius est criminis reus. Nam si sublata est per remissionem, ut isti pertendunt, omnis culpa, Quid causæ est cur puniatur amplius peccator? quisnam locus esse poterit justitiæ divinæ exercitio? quodnam ejus fundamentum? Nullum, nisi dicamus, Vel remissionem culpæ nondum factam esse, et sic Deum pro uno eodemque debito duplicem exigere solutionem, Vel justitiam Dei non esse σχετικὴν quæ possit sese exerere citra peccati considerationem; Quod utrumque cum sit iniquissimum, impium etiam et falsum esse necesse est illud ex quo deducitur. Quis dixerit Judicem justitiam exercere qui gravissimis pœnis adducit insontem nulliusque criminis reum? Quis contra iniquissimi magistratus et crudelis tyranni nomen jure merito illi non tribuat? Cur vero in Deo censeretur actio justa, quæ si fieret ab homine, accusaretur injustitiæ et crudelitatis maximæ. Absit ut Deus fingatur sic illudens hominibus, et culpam totam condonans, tamen puniens ob culpam, remittens totum debitum, et tamen ejus exigens solutionem: Absit ut Judex mundi non exerceat jus? Gen. xviii. 25.

XXVII. 4. Sed divinæ *Misericordiæ* multo magis adversatur hæc distinctio. Nam cum Scriptura testetur et res ipsa clamet Deum jam sub fœdere gratiæ ex quo nobis per Christum reconciliatus est, non amplius esse justum judicem, sed amantissimum patrem, cujus amor etiam tenerrimos matrum affectus in liberos superat, quique adeo omnia cum Filio gratificari non recusat; Quis facile capiat quo tandem pacto cum tanta ejus in nos misericordia consistere possit tanta ejusdem tamque inusitata severitas, ut pœnas gravissimas a nobis reposcat duratione tantum a pœnis gehennæ differentes, quas, si vere quod isti pertendunt remissa est omnis culpa, minime debemus? An hæc clementissimi patris, an non potius justissimi judicis effecta sunt et argumenta? An non pax et consolatio omnis sic adimitur fidelibus et in sævissimum tormentum conscientiæ constringuntur, quum vident se vindictæ divinæ adhuc subesse, et vehementissimum ejus amorem non obstare quominus severissime adhuc puniantur?

XXVIII. 5. Pugnat cum *phrasibus Scripturæ* quibus remissionem

peccati describere solet, quum dicit Deum peccata nostra "delere, tegere, non imputare, post tergum projicere, in profundum demergere, eorum non recordari," &c., Psal. xxxii. 1, 2, et ciii. 12, Isa. xxxviii. 17, et xliv. 22, Mic. vii. 19, Jer. xxxi. 34, &c. Palam enim est divinos Scriptores tam disertis, tamque emphaticis metaphoris velle ut hoc nobis sit persuasissimum, clementissimum illum Dominum, si semel bona fide cum eo in gratiam redeamus, nullam omnino admissorum a nobis peccatorum rationem habiturum, eaque plane inulta et impunita prætermissurum. Id vero nullo modo stare potest si vera sunt quæ docent Adversarii. Certe si punit Deus peccata, imputat; si vindicat, recordatur; si ad judicium vocat, tecta non habet; si examinat, post tergum non projicit; si inspicit, non obliteravit instar nebulæ; si ventilat, non projicit in profundum maris. Nam cum is qui peccatum punit, in animo et memoria præsens semper habeat, sane non potest dici peccati non amplius recordari et ejus memoriam procul abjecisse, qui pœnas pro eo adhuc exposcit. Unde prophetæ Deum "recordari," dicunt "peccatorum," cum illa ulciscitur, ut non semel apud Oseam legitur, c. viii. 13, et ix. 9, et apud Jer. xiv. 10; quomodo Latini *in scelus animadvertere* dicunt eum qui id punit, et apud Græcos *ἀμνηστίας* nomen invaluit ad plenam reconciliationem designandam. Atque huc faciunt Augustini verba in Psal. xxxii., "Si texit peccata, noluit advertere, si noluit advertere, noluit animadvertere, si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere," &c. Reponit Bellarm. lib. iv. de Pœn. c. 15, "Allatas phrases hoc tantum significare, Deum projicere, delere, non videre, et non imputare peccata eorum, quibus amicitiam suam et gratiam restituit, quia quod attinet ad reatum culpæ et pœnæ æternæ ita illos respicit ac si nunquam peccassent, licet ob eorum utilitatem, aliisque justis de causis aut eos ipse temporaliter castiget, aut ut ipsi se castigent velit." Sed hæc omnia gratis dicuntur, probandum quippe fuit, non supponendum, nihil aliud istis phrasibus significari. Nos enim aliud plane statuimus, et argumento invicto demonstramus pœnæ omnis non minus ac culpæ remissionem innui, quia cujus peccati aliqua pœna exigitur, id dici nequit *projectum post tergum*, vel *nebulæ instar deletum*, vel *tectum* et *non imputatum*. Quis judicem dixerit sontis crimen texisse, obliterasse, et non imputasse, qui extremo quidem supplicio eum non affecerit, cæterum variis et gravissimis pœnis mulctet et afficiat? Quod vero docent Deum ob utilitatem hominum eos castigare temporaliter; Non huc pertinet, quia non agitur de castigationibus et probationibus fidelium, quas facile admittimus, sed de pœnis judicialibus, quas posita Dei remissione locum habere non posse credimus.

XXIX. 6. Pugnat cum *Praxi Christi*, multis enim peccata remisisse legitur in diebus carnis suæ, sed nulli unquam post remissam culpam pœnas satisfactorias inflixisse. Luc. vii. 48, mulieri peccatrici dicit quidem, "Peccata tua tibi remissa sunt, fides tua te servavit, vade in pace," at nullam ei imposuisse dicitur satisfactionem. Imo contrarium innuitur, quomodo enim juberet eam abire in pace, si debuit adhuc pœnas varias a justitia Dei ultrice ad satisfactionem ferre? Sic, Mar. ii. 5, refertur Christum paralytico simpliciter dixisse, "dimittuntur tibi peccata tua," sed nullam satisfactionis mentionem facit; Ita Joh. v. 14, ægrum sanatum compellans Christus, "Ecce sanatus es," inquit, "ne pecca amplius, ne quid pejus tibi accedat;" hortatur quidem ad resipiscentiam, ut is finis esse solet beneficiorum Dei non minus ac castigationum, Psal. lxxxv. 8, et cxxx. 4, sed nullam illi infligit pœnam. Idem in

Publicano observare est qui dicitur descendisse justificatus domum suam; At si vera est sententia Adversariorum, dimissa culpa omni debuit ferre aliquam pœnam. De Petro etiam dubium non est, quin trinæ abnegationis peccatum illi remissum sit, nulla tamen ejus legitur satisfactio. Jubetur quidem oves Christi pascere, et fratres suos confirmare; Sed nemo dixerit hæc ad opera pœnalia esse referenda. Unde Ambros. in xxii. Lucæ recte, "Petri lachrymas lego, satisfactionem non lego." Cum ergo constet Christum iis quibus peccata remisit nullas tamen pœnas inflixisse, frustra volunt remissa culpa superesse tamen fidelibus aliquam pœnam luendam. Hæc enim exempla divinæ in pœnitentes misericordiæ non alium in finem videntur nobis in Scripturis proposita, quam ut peccatores intelligant, quæ qualisque sibi a Domino expectanda sit peccatorum remissio.

XXX. 7. Pugnat cum ratione *peccati* quod sæpe per *debitum* exprimitur, ut Deus Creditoris nomine indigitatur, peccatores debitorum, et condonatio peccati, debiti remissione innuitur. Nam si certum est tunc demum dici remissum debitum quando creditor nihil amplius vult ex eo reposcere, nec debitor tenetur solvere; fatendum etiam est tum vere peccatum posse dici condonatum, quando omnis ejus non tantum culpa, sed et pœna sublata est, ita ut nihil amplius peccator divinæ justitiæ pendere teneatur. Nam si pœna quædam superesset ferenda, perperam et falso diceretur condonatum; quemadmodum is ludibrium deberet qui diceret debitum esse remissum cujus tamen solutio vel totalis vel partialis exigitur. Et hoc ipsum confirmatur ex eo quod Deus velit nos condonare proximis offensas, quemadmodum nostra nobis peccata condonat, Eph. iv. 32, "Estote invicem benigni, misericordes, condonantes invicem, sicut Deus in Christo condonavit vobis." Et in oratione Dominica jubet orare Deum "ut dimittat nobis debita nostra, sicut dimittimus debitoribus nostris," Matth. vi. 12. Jam si Deus condonare dicitur peccatum ratione culpæ, sed non ratione omnis pœnæ, sequetur et nos posse dici offensas fratribus remittere quando illis culpam donamus, licet pœnam vel totam vel ex parte exigamus: Quod cum sit et a præcepto Christi, et a fraterna charitate alienissimum, quæ totalem et culpæ et pœnæ remissionem postulat, sequitur Deum etiam cum remittit utramque respicere, et eo magis quod Deus infinities clementior sit homine.

XXXI. 8. Pugnat cum ratione *pœnæ*. Nam si pœna non alium in finem infligitur nisi ut puniatur culpa, non poterit culpa remitti nisi ipsa pœna tollatur. Nam dempta culpa per integram remissionem nihil amplius superest pro quo satisfaciendum sit: Quippe non fit satisfactio pro pœna, sed pœna satisfacit pro culpa. Unde Christus non aliter satisfecit pro nostra culpa, quam ferendo pœnam quæ illi debebatur; Et ob id pœnam nostram in se recepit, ut nos a reatu culpæ et a pœna propter illam debita eximeret. Si ergo omnem culpam abolevit, ut fatentur Adversarii, Quidni etiam omnem pœnam abstulit, quando ideo tulit in se ut a nobis auferret? Frustra ergo remissionem culpæ dari pertendunt cum retentione pœnæ, cum remittere culpam nihil aliud sit quam eam nolle punire, ut agnoscit Scotus in 4. Dist. Disti. 22, qu. 1; unde August., serm. 141, de Tempore, "Christus communicando nobiscum sine culpa pœnam, et culpam solvit et pœnam."

XXXII. Denique repugnat etiam Veteribus qui culpam a pœna divelli non posse non semel testantur, Tertull. de Bapt. c. 9, "Exempto scilicet reatu eximitur et pœna." Chrysost. homi. 8, ad Rom., "Ὅπου χάρις συγχώρησις, ὅπου δὲ συγχώρησις οὐδεμία κόλασις, ubi gratia ibi venia, ubi

venia ibi nulla punitio." Et ad Col. homi. 6, "Πάντες ἦμεν ὑφ' ἁμαρτίαν καὶ κόλασιν· αὐτὸς κολασθεὶς ἔλυσε, καὶ τὴν ἁμαρτίαν καὶ τὴν κόλασιν, Eramus omnes obnoxii peccato et pœnæ, ipse punitus solvit et peccatum et pœnam." Hieron. in Psal. xxxii., "Quod tegitur non videtur, quod non videtur, non imputatur, quod non imputatur nec punietur." August. de verbis Domi. Serm. 37, "Suscipiendo pœnam et non suscipiendo culpam, et culpam delevit et pœnam." Quo pertinet tritum scholasticorum et Canonistarum distichum,

Larga Dei bonitas veniam non dimidiabit;
Aut nihil, aut totum te lachrymante dabit.

XXXIII. Dices, Sed si Rex sonti crimen remittit ea lege ut parti offensæ satisfaciat, Quidni Deus potuit culpam remittere ea lege ut satisfactio quædam illi detur pro pœna temporali? Resp., Sed hic conferuntur dissimilia. Nam Rex quidem potest crimen remittere sonti ea lege ut parti offensæ satisfaciat, quia Rex et persona offensa sunt duæ personæ diversæ, et si condonat id facit semper *salvo jure Tertii*, de quo non potest dispensare. At hic Judex et persona offensa coincidunt, Deus quippe utriusque σχέσιν sustinet, unde si crimen semel remisit totum, non potest amplius satisfactionem ullam pro eo exigere, nisi statuamus vel remissionem peccati non fuisse plenam, vel Deum duplicem pro uno debito solutionem postulare, quod utrumque nec sine crimine cogitari, nec dici absque blasphemia potest.

XXXIV. Inst. Sed si ubi omnis abest venia, ibi omnis quoque debita abest et abesse debet pœna, qui fit ut Magistratus in fures, adulteros, homicidas severe animadvertat, licet ex eorum pœnitentia judicari possit et debeat ex canone charitatis illos in gratiam rediisse cum Deo, et sua illis peccata esse remissa. Resp., Sed hic confunduntur quæ sunt distinguenda, *Forum soli et poli, Judicium humanum et Divinum.* Non negamus magistratum terrenum plectere facinorosos etiam pœnitentes, quia non respicit pœnitentiam, sed exemplum, et satisfactionem justitiæ, ut majestas legum sarta, tectaque conservetur. Sed aliter se res habet in judicio divino, in quo, pœnitentia semel posita, datur remissio peccati, non virtute pœnitentiæ, sed meriti Christi qui pro pœnitentibus satisfecit. Hinc licet verum sit dimissa culpa in Deum tolli etiam pœnam divinam, et remissa culpa in hominem tolli pœnam humanam; non sequitur tamen remissa culpa in Deum, tolli etiam pœnam humanam, ut remissa culpa in hominem non tollitur statim pœna divina; quia sunt in diverso foro et ordine; Poterunt ergo plecti sine injustitia in foro humano, quibus Deus gratiam fecit in foro divino, nec tamen inde confici potest, remissa culpa superesse pœnam luendam.

XXXV. Ejusdem commatis est quod reponunt Tertio, Quod si post culpam dimissam, nihil restat amplius pro quo Deo satisfiat; frustra preces, jejunia, eleemosynæ et alia ejusmodi pietatis officia fidelibus præscriberentur ab Ecclesia et in Scriptura recenserentur. Nam licet nec preces nec jejunia nec alia istiusmodi pietatis exercitia possint esse satisfactiones pro peccatis, quia nihil habent quo compensatio fiat justitiæ divinæ, nec in pœnam imponuntur, sed in salutem, Non sequitur tamen frustranea esse, suos quippe usus eximios habent si non ad justificationem consequendam quod unus Christus nobis potuit obtinere, saltem ad sanctificationem promovendam, et gratitudinem Deo pro beneficiis acceptis testandam. Ita si Deus ad eorum præsentiam fidelibus gratiam peccatorum dicitur facere, vel pœnas relaxare aut auferre; non

sunt *Causæ* propter quas id faciat Deus, sed *conditiones* cum quibus id exequitur juxta promissa sua, nec notant *quare*, sed *qualibus* hoc beneficium indulgere constituerit Deus.

XXXVI. Sic ex plena peccatorum remissione colligitur Satisfactionis Perfectio. Eadem etiam demonstratur clarissime ex *tertio Satisfactionis effectu*, scilicet *Consummatione fidelium:* Nam si Christus satisfactione sua consummavit fideles in æternum, non potest non esse perfecta ejus satisfactio, quæ istius consummationis causa est et fundamentum. "Unica oblatione," inquit Apost., "τετελείωκε consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur," Heb. x. 14. Ubi voce a sacris petita notat antithesim ad Sacerdotes Leviticos, qui easdem sæpius offerendo victimas non potuerunt tamen auferre peccata, et viam fidelibus ad cœlum et salutem patefacere, quæ eorum est perfectio et consummatio. "Lex enim," ut alibi notat, cap. vii. 19, "nihil ἐτελείωσε perfecit" et consummavit, quia ut infirma fuit in carne, Rom. viii. 3, nihil habuit quo vel peccati reatum expiaret, vel maculam deleret, atque ita cœlum nobis aperiret, quæ tria ad perfectionem fidelium constituendam requiruntur, priora duo *perfectionem gratiæ* constituunt, quæ justificatione et sanctificatione constat, postremum *perfectionem gloriæ* quæ in cœli ingressu et beatifica Dei visione posita est. Unde *Spiritus* τετελειωμένοι dicuntur beati, Heb. xii. 23. At Christus unicam sui ipsius hostiam offerens consummavit in perpetuum sanctificandos; ita ut nulla amplius opus sit alia hostia, quia perfectissimo merito suo et efficacia acquisivit nobis et confert omnia ad salutem necessaria, reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, purgationem conscientiarum, et redemptionem æternam. Unde in ipso habemus unde plene justificemur et sanctificemur, et ad perfectam salutis possessionem adducamur, Heb. xii. 2. Quorsum autem hæc omnia dicerentur, si perfecta non fuit ejus Satisfactio, et si merita et satisfactiones nostræ illi sunt adjungendæ ut perficiantur et consummentur fideles? Sane non poterat dicere Paulus unica ista oblatione consummari fideles, si multa alia adhuc a parte nostra requirebantur ad plenam redemptionem consequendam.

XXXVII. Nec aliud vult Apostolus in vexatissimo loco ad Heb. xi. 39, 40, ubi dicit, "Patres non obtinuisse promissionem, Quoniam Deus de nobis κρεῖττόν τι melius quid providerat, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι ne sine nobis consummarentur." Nam sive τελείωσιν istam intelligamus de consummatione gratiæ quæ hic obtinetur, sive de consummatione gloriæ quæ in cœlis demum expectanda venit, sive (quod satius videtur) de utraque, certum est Patres V.T. non *sine nobis* fuisse consummatos, quia non alio medio et merito, non alio sanguine, aliove Spiritu hoc assecuti sunt quam Christi Redemptoris cujus ὑπάρξωσιν et exhibitionem nostris reservare voluit temporibus, et sic *melius* quid pro nobis prospicere; ut constaret, non diversa via Judæos et Gentes ad salutem pervenire, (quod videretur factum si sub V. T., et sine nobis consummati fuissent), sed utrosque ab eodem fonte salutem haurire, ab eadem Mediatoris satisfactione et gratia, qui Idem fuit heri, hodie et in secula, Heb. xiii. 8, hoc beneficium consequi. Quid ergo, inquies, An non Patres jam sub V. T. vivi et justificati et sanctificati fuere, et post mortem felicitatem adepti? Omnino, Absit enim ut cum Socinianis et aliis a regni cœlorum promissione eos exclusos putemus; Sed ita tamen salvati sunt ut ab eo, qui nostris demum temporibus exhibendus fuit, Christo salus ipsorum semper penderet; quia virtute futuræ satisfactionis Christi et remissionem peccatorum et vitam obtinuerunt. Non ergo χωρὶς ἡμῶν, id. *seorsim* et separati a nobis hoc quicquid est beneficii habuerunt; non quod aliquid

ad ipsius consecutionem contulerimus; sed quia non alio sacrificio quam quo et nos consecrati sunt, non alio sanguine purgati, non alio cibo nutriti, 1 Cor. x. 4, non alio Capite animati. Ut nunc non dicamus, quod tamen huc non incommode potest trahi, pleniorem longe datam fuisse istius mysterii in Ecclesia cognitionem per Christi manifestationem, Sole hoc justitiæ radios suos nunc undiquaque diffundente, et umbras legales non minus ac tenebras Paganas dispellente. Unde nostra longe potior dicitur esse conditio quia videmus et audimus ea quæ Reges et Prophetæ optarunt videre et audire, nec potuerunt tamen, Luc. x. 24. Imo ipsis Angelis dicitur nunc manifesta facta in Ecclesia πολυποίκιλος Dei sapientia, Eph. iii. 10. Quidni ergo dixerimus per exhibitionem Christi et Redemptionis consummationem majori luce quam antea imbutos, et majori etiam gaudio perfusos fuisse Patres, donec omnes ultimo die resurgentes, cœlestem gloriam et in corporibus et in animabus quæ absoluta erit consummatio, una per eundem Christum ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν πίστεως, consequamur? Ita *Promissio* quam Patres dicuntur non obtinuisse, nihil aliud est quam ipsius Christi *manifestatio;* quæ κατ' ἐξοχὴν Ἐπαγγελία dicitur, quia omnium aliarum causa est et fundamentum, per quem consummatio ista fidelium debuit perfici.

XXXVIII. Eodem respicit verbum τετέλεσται *Consummatum est*, quod Christus jamjam moriturus in cruce protulit, Joh. xix. 30. Quamvis enim possit vox ista referri, 1. Ad impletionem *Vaticiniorum* quæ de Christi passionibus et morte edita fuerant, Luc. xviii. 31, et xxii. 37, Joh. xix. 28; 2. Ad impletionem *typorum* qui in ipso moriente complementum suum sunt sortiti, ut qui de Agno paschali, de Serpente æneo, de Victimis vel quotidianis vel annuis dicta fuerant; 3. Ad consummationem *decreti* divini et mandati paterni, quia quicquid de eo Pater decreverat et illi in mandatis dederat ad opus salutis exequendum jam perfecerat, vel brevi perfecturus erat; præteritum enim hic ponitur pro paulo post futuro ut, Matth. xxvi. 28, "Sanguis qui effunditur," id. qui jamjam effundendus est, ut sæpe alibi; 4. Ad Consummationem omnium *passionum* et cruciatuum, qui pro peccatis nostris tolerandi ipsi erant; unde August. Tract. 11. in Joh., "Consummatum est, quia nihil remanserat, quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret:" Quamvis enim hæc et alia id genus hac voce significari non negemus, non dubitamus tamen Christum præcipue respexisse ad consummationem *redemptionis*, ut innuat se peregisse opus illud quod Pater illi commiserat, ut nihil amplius faciendum supersit quod attinet ad satisfactionem justitiæ divinæ et acquisitionem salutis, quod Christus, Joh. xvii. 4, jam testatus erat, "Ego te glorificavi in terra, opus τετελείωκα consummavi quod mihi dedisti ut facerem." Quia licet postremus actus istius operis implendus adhuc superesset, Mors scilicet, quæ, ut corona fuit et complementum ejus obedientiæ, ita absolvere debuit hanc Redemptionem: Tamen cætera omnia quæ antea præstanda erant, præstita jam fuerant, et hoc postremum certissime et brevi erat perficiendum. Sic Scriptura sæpe solet de rebus certo futuris loqui verbis præteriti temporis, ut certitudo et brevitas futuritionis et eventus melius constet. Sic Christus, Joh. xvii. 11, dicit se "non amplius esse in mundo," quia brevi ex eo erat exiturus. Ex quibus omnibus, (ne plura jam addamus argumenta ad veritatis confirmationem,) colligimus Christum quandoquidem opus sibi commissum plene consummavit, conscientias purgando, peccata remittendo, et fideles perficiendo—nihil amplius a Nobis requiri; Atque adeo *perfectam* et *sufficientissimam* fuisse ejus *Satisfactionem*, Quod demonstrandum fuit.

COROLLARIA.

I. An peccata bene distinguantur ex se in mortalia et venialia? *Neg. contra Pontificios.*

II. An mors temporalis sit pœna peccati? *Aff. contra Socinianos.*

III. An fides vel justitia inhærens recte dicatur causa meritoria nostræ Justificationis? *Neg. contra Pontificios et Remonstrantes.*

IV. An objectum Prædestinationis sit homo lapsus? *Aff.*

V. An Patres V. T. caruerint cognitione Trinitatis et Christi? *Neg.*

VI. An Sacramenta sint causæ physicæ gratiæ, quæ agant ex opere operato? *Neg. contra Pontificios.*

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI PERFECTIONE,

PARS SECUNDA.

2 x

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE SATISFACTIONIS CHRISTI PERFECTIONE,

PARS SECUNDA.

I. Asserta Disputatione præcedenti κατασκευαστικῶς *Satisfactionis Christi Perfectione:* Expendenda nunc sunt Adversariorum argumenta, quibus si non directe et γυμνῇ κεφαλῇ, at ex obliquo et indirecte, eam vel convellere vel labefactare conantur. Quia vero pugnare solent diversimode tum ex *Scripturis*, tum ex *Ratione*, ut commentum suum stabiliant et hypothesi suæ serviant, distincte etiam respondendum est. Non quidem ut sigillatim ea omnia persequamur quæ ab ipsis afferri solent ad erroris sui confirmationem; Sed ut ea tantum expendamus quæ majorem videntur habere veri speciem, quæque sæpius ab ipsis solent objici.

II. Et ut a Scriptura primum ordiamur: Palmarius quo subinde uti solent locus extat ad Col. i. 24, ubi Paulus imperfectionem Satisfactionis Christi, et necessitatem Satisfactionum humanarum aperte videtur asserere; "Gaudeo," inquit, "de iis quæ patior pro vobis, et reliquias afflictionum Christi adimpleo in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia;" in quibus verbis, varia, ut ipsis quidem videtur, latent argumenta pro sententia sua. 1°. Quod Paulus vocat passiones suas "ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, reliquias passionum Christi," satis innuit esse aliquid quod supplendum est passionibus Christi: Nam si plenæ erant et absolutæ omnibus numeris, frustra et perperam reliquiæ illis tribuerentur. 2°. Quia non tantum dicit esse reliquias passionum Christi; sed *se vicissim eas implere pro parte sua*, ἀνταναπληρῶ, inquit: At si plenæ fuerunt, quid opus foret eas denuo implere? 3°. Quia dicit *se pati pro ipsis et pro corpore Christi quod est Ecclesia*, quod dici non posset, nisi Satisfactionis locum habituræ fuissent ejus passiones: Hinc Caietanus Tracta. de Indulg. q. 3, "Quod fuerit sanctorum intentio pati pro nobis, testatur Apostolus dicendo, Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi pro corpore ejus quod est Ecclesia, ubi manifeste patet divinam providentiam disposuisse, ut aliquæ sanctorum passiones spectarent ad complementum passionum Christi pro corpore ejus, et hanc ordinationem sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus." Nec aliter Bellarm. lib. i. de Indulg. cap. iii., "Optavit Apostolus fidelibus prodesse omnibus modis quibus id fieri poterat, nihil enim excipit, qui dicit, Libentissime impendar pro animabus vestris, 2 Cor. xii., potuit autem prodesse communicando passiones

suas ad expiandum reatum temporalem, cum sibi ejusmodi satisfactiones abundarent. Quare patiendo adimplebat ea quæ deerant passionum Christi, id est, quæ Christus in sanctis suis adhuc passurus erat, pro corpore ipso Ecclesiæ, sive instruendo prædicationibus, sive confirmando exemplis, sive *expiando satisfactionibus.*"

III. Sed quam parum faveat errori iste locus proclive est ostendere, si ad sequentia attendimus. Primo, ut sciamus quid *Christi* nomine intelligendum veniat; Secundo, quid per *reliquias passionum* ejus innuatur; Tertio, quo sensu *pati* se dicat Paulus *pro Ecclesia.* Et ad prius quidem quod attinet; Certum est *Christi* nomine non semper personam ipsam designari, seu *Christum naturalem,* sed sæpe etiam ejus Ecclesiam seu *Christum mysticum,* Corpus scilicet cum membris, 1 Cor. xii. 12, "sicut corpus unum est et membra habet multa, ita Christus," Ubi clarum est Christum hic non Caput tantum innuere, sed et Corpus seu Ecclesiam huic Capiti unitam. Ita cum Christus cœlitus clamat, Act. ix. 4, "Saul, Saul, cur me persequeris?" proprie personam suam non respiciebat, quæ in cœlum recepta extra telorum omnium jactum erat constituta, nec ullis amplius ærumnis aut persecutionibus erat obnoxia; sed Ecclesiam ipsam, quæ quia unum secum corpus constituit, ideo recte nomine Christi ipsius a potiori facta denominatione insignitur. Hinc *passiones Christi* vel notant passiones Christi naturalis, quas ipse in corpore suo semel in cruce tulit; vel *passiones Christi mystici* seu Ecclesiæ, quæ ipsi ferendæ a Deo subinde imponuntur. Ita quas hic Apost. vocat Χριστοῦ θλίψεις, alibi Χριστοῦ παθήματα appellat, 2 Cor. i. 5, "sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat nostra consolatio." Hoc sensu calamitas Israëlitarum in Ægypto, et abjectissima eorum sors, quam Moses Ægyptiacæ aulæ splendori atque opulentiæ prætulit, Apost. vocat Χριστοῦ ὀνειδισμὸν, Heb. xi. 26, "majores," inquit, "divitias estimans thesauris Ægyptiorum opprobrium Christi."

IV. Si porro quæratur quare passiones istæ vocantur passiones Christi, quadruplex afferri potest ratio: 1. Ratione *causæ,* quia Christus ut supremus Agonotheta nobis eas imponit, quo pertinent illa Christi ad Ananiam, Act. ix. 16, "Ego ostendam illi quanta ipsi patienda sint pro nomine meo." Unde Petrus dicit fideles "ad id vocatos esse," 1ª, cap. ii. 21, et Paulus, Phil. i. 29, "Vobis datum est non modo credere in ipsum, sed et pati pro ipso." 2. Ratione *occasionis,* quia ejus nomine et pro ejus Evangelio a fidelibus perferuntur, nisi enim discipuli Christi essent, hisce calamitatibus nequaquam exponerentur: hinc afflictiones suas Paulus, 2 Tim. i. 8, vocat afflictiones *Evangelii,* id. quæ Evangelii causa et propter Evangelium imponuntur, ut ver. 12, dicit se propter Apostolatum hæc omnia pati. 3. Ratione *unionis,* quia qui eas perpetiuntur fideles, Christi cujus sunt membra censentur; adeo ut quæ ipsi in hac causa ferunt, ille quoque ferre et perpeti dicatur propter mysticam capitis et membrorum communionem; ut usitatum est ut unusquisque sibi tribuat eas passiones quæ inferuntur cuilibet parti corporis sui; ut manus vel pedis vulnera recte dicuntur vulnera ipsius hominis; Ita quia qui patiuntur membra Christi sunt, recte Christus ipse dicitur pati in membris. 4. Ratione *compassionis,* propter maximam συμπάθειαν quam habet in afflictionibus suorum quæ ex prædicta unione oritur. Quippe ut damna et vulnera eorum qui nobis sunt conjunctissimi nostra appellamus, quia æque illorum miseriis afficimur ac nostris: Ita Christus passiones fratrum suorum qui sunt una caro cum ipso suas reputat; quia non minus illis tangitur, quam propriis. Has porro *passiones Christi* ita intelligi posse diu est ex quo August. observavit in

Psal. lxi.; "Passiones Christi non in solo Christo, imo passiones Christi nonnisi in Christo; si enim Christum intelligas Caput et Corpus, passiones Christi nonnisi in Christo; si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo;" et ex eo Ansel. "Patitur adhuc Christus passiones, non in carne sua in qua ascendit in cœlum, sed in mea quæ adhuc laborat in terra." Ita Lyranus in h. l., "Passiones Christi dupliciter accipiantur: uno modo pro illis quas sustinuit in proprio corpore, et sic nihil ibi restat ad implendum; alio modo pro illis quas in finem usque seculi patietur in corpore mystico, et sic restant multarum passionum reliquiæ adimplendæ." Atque huc pertinet duplex Christi σχέσις, vel ut *Vadis* et *sponsoris* qui pro nobis satisfacit, vel ut *Capitis* quod in nobis debet operari, ut nos sibi similes reddat: Priori sensu passiones Christi sunt *satisfactoriæ*, et illi soli exclusis aliis competunt, Sed posteriori sunt *exemplares* et ad imitationem proponuntur.

V. 2. Observandum eam esse debere inter Corpus Christi naturale et mysticum, Caput et membra, harmoniam et conformitatem, ut quod impletum est in illo debeat in istis, servata tamen proportione, impleri, propterea enim prædestinari dicimur a Paulo "ut simus conformes imagini ejus, Rom. viii. 29, et idem, 2 Cor. iii. 18, testatur "nos contemplantes in speculo facie retecta gloriam Domini, transformari in eandem imaginem de gloria in gloriam velut a Spiritu Domini." Hinc toties ad imitationem Christi excitamur, Eph. v. 2, Phil. ii. 5, 6, 1 Pet. ii. 21, 22, 23. Porro ut ista conformitas in cœlis futura est in gloria et felicitate, 1 Joh. iii. 2, Phil. iii. 21, Col. iii. 4, Ita in terris inchoanda est per gratiam, partim in sanctitate, partim in cruce, Rom. viii. 17. Quemadmodum enim Christus, dum in terris versatus est, insignis fuit potissimum tum *sanctitate* qua purus et ab omni peccati labe immunis fuit vere sanctus Domini, tum *calamitate* tanquam vir dolorum, Isa. liii. 3, qui omnigenis ærumnis et passionibus sese subjecit usque ad exinanitionem, Phil. ii. 6, 7; Ita Ecclesiam suam in hisce duobus assimilari et conformem reddi voluit. Primo in *sanctitate*, unde jubemur sancti esse sicut ille sanctus est, 1 Pet. i. 15, et purificare nos ut ille purus est, 1 Joh. iii. 3. Secundo in *passionibus* et cruce, quo sensu dicitur reliquisse nobis exemplar ut sequamur ejus vestigia, 1 Pet. ii. 21, et communicare dicuntur fideles passionibus Christi, quando ad ejus instar et exemplar patiuntur, cap. iv. 13. Ut ergo Christus pro parte sua varias habuit passiones perferendas ad opus Redemptionis perficiendum, Ita Christus mysticus seu Ecclesia et singuli fideles habent quisque pro parte sua certum demensum passionum quod a Deo illis assignatur ad exemplum capitis, singuli debent ex isto calice bibere, singuli crucem post Christum debent suam gestare. Donec ergo fideles ea subierint certamina, et ærumnas tulerint quæ illis a Deo sunt impositæ, superest semper aliquid implendum in passionibus Christi; non quidem Christi naturalis, quia ejus satisfactio fuit perfecta et omnibus numeris absoluta in cruce, quod ipse testatus est cum Consummatum esse clamavit; sed Christi mystici, id. Corporis ipsius, cujus passiones cum non ante finem seculi consummatum iri certum sit, quotidie debent impleri in singulorum fidelium calamitatibus.

VI. Atque huc pertinent verba Petri, 1ª. cap. v. 9, quæ apprime faciunt ad rem nostram, cum ait "easdem passiones" quæ imponebantur fidelibus dispersis ad quos scribit "impleri in societate fratrum qui erant per totum orbem," quæ manifeste evincunt Deum æterno suo consilio decrevisse non modo quas passiones Christus ipse in carne sua subiret pro Redemptione Ecclesiæ, sed etiam quas singula Ecclesiæ suæ membra essent subitura

pro nomine Christi. Dum ergo suo tempore et gradu ista executioni mandantur, recte impleri dicuntur in *societate fratrum*, id. in corpore Christi, istæ passiones. Nec aliud sibi vult Paulus hoc loco, cum dicit se "implere reliquias passionum Christi," quam se partem etiam crucis Christi quæ ipsi ad ferendum erat imposita alacriter gestare. Interim licet utrobique et a Christo et a nobis passiones sint ferendæ, memorabile tamen inter utrasque discrimen est agnoscendum. Nam Christi passiones gravissimæ fuerunt et nulla suavitate temperatæ, quia totam Dei maledictionem nobis debitam ferre debuit, et ad fæces usque calicem istum ebibere. At nostræ, sublata jam per Christum Dei maledictione, temperatæ fiunt et leves Christi gratia, ut gustandus quidem sit ipse calix, sed non ebibendus, et ferenda sint mala, sed benedicta cum Christo: illas prior ferre debuit Christus ad redemptionem nostram, unde non male *προστερήματα* eas dixeris; sed istas post ipsum subire debemus ad sanctificationem, ideo bene *ὑστερήματα* eas Paulus vocat. Nec omittenda est vis phrasis Apostolicæ, cum non tantum dicit se implere, sed *ἀνταναπληροῦν*, id. *vicissim implere*, quod relationem quandam et correspondentiam notat; non tantum cum cæteris fidelibus, qui etiam pro parte sua debebant eidem cruci subjici, sed etiam cum ipso Christo, ut passio membri respondeat passioni Capitis; nimirum ut Christus pro Pauli salute summos in cruce dolores ipsamque legis maledictionem pertulerat, ita Paulus vicissim pro Christi gloria et Evangelio grave certamen sustinere debebat; in quo utriusque fuerunt quædam suæ veluti *vices*, licet alio atque alio fine sint, ut jamjam dicemus.

VII. Tertio, Et illud notandum, Afflictiones quæ a Christo imponuntur fidelibus, etsi nec Redemptionis nec Satisfactionis finem ullum habere possint, habere tamen alios plurimos qui non tantum fidelibus ipsis patientibus prosunt, sed aliis etiam, imo toti Ecclesiæ, sive ad confirmationem fidei, sive ad exemplum patientiæ, sive ad majorem Evangelii profectum. Istos enim ex illis fructus oriri Paulus non semel testatur, ut Phil. i. 12, 13, 14, vincula sua ad Evangelii propagationem, et fratrum confirmationem cessisse significat: "Scire vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in cæteris omnibus, et plures e fratribus confidentes vinculis meis abundantius, auderent sine timore verbum Dei loqui." Fuerunt ergo passiones ejus utilissimæ, non quidem ad satisfactionem, sed ad confirmationem, et constantiæ exemplum. Idem alibi, 2 Cor. i. 6, 7, "Sive premimur," inquit, "id fit pro vestra consolatione et salute, quæ efficitur in tolerantia earumdem perpessionum quibus et nos afficimur, sive consolationem accipimus, id fit pro vestra consolatione et salute," &c. Quibus constat ex mente Pauli perpessiones suas eo fidelibus prodesse, non ut ipsi a similibus pœnis eximantur, (qui satisfactionis est finis,) sed plane contra ut ad simile certamen sustinendum ex patientiæ suæ exemplo fortius animentur. Eodem plane pacto dicit hic "se pati pro ipsis et pro corpore Christi quod est Ecclesia" non redimenda, sed ædificanda, non liberanda a pœnis, sed confirmanda in fide, non ad satisfactionem, sed ad imitationem. Fuerint ergo magno usui fidelibus passiones ejus, ingens ex iis ad Ecclesiam fructus redundaverit, non negamus. Negamus tantum quod Adversarii pertendunt, fuisse peccatorum nostrorum *ἱλαστήριον* et satisfactionem pro pœnis quas peccata eorum merebantur. Nec juvat Bellarminum quod ait Paulum "optasse istis afflictionibus prodesse fidelibus quibuscunque poterat modis, id est non tantum instruendo, confirmando, sed etiam expiando;" Supponit enim quod est in quæstione, et petit prin-

cipium, passiones scilicet Apostoli potuisse esse expiatorias vel satisfactorias; quod probandum fuit, non supponendum.

VIII. Dices, Paulus tamen dicit se pati ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ σώματος *pro corpore ipsius;* Ut autem vox ista respectu Christi et Satisfactionem et substitutionem notat quum dicitur passus pro nobis ut alibi est a nobis ostensum, Quidni et hic etiam eundem sensum obtineat, cum sancti hac in parte patiantur ad exemplum Christi? Resp., Non negamus sæpius hanc esse præpositionis ὑπὲρ vim et sensum, ut inferat et substitutionem personæ et satisfactionem debiti, ut aliquid fieri ὑπὲρ ἡμῶν dicitur, cum fit loco et vice nostra, quo sensu certum est tribui Christo dum dicitur *mori pro impiis*, Rom. v. 6, et pro *ovibus*, Joh. x. &c. Sed hanc unam non esse istius voculæ significationem pertendimus; Imo nec sine gravi absurditate locum hic habere posse consemus, quia, ut nemo pro se satisfacere, ita nec pro aliis potest. Quid ergo? Ut alibi præpositio hæc duplicem sensum obtinet: vel *occasionis* qua aliquid fit, ut cum fideles dicuntur pati ὑπὲρ Χριστοῦ *pro Christo* vel ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ *pro nomine ejus*, Phil. i. 29, Act. v. 41, id. non ad satisfaciendum pro ipso, absit, sed occasione ejus; vel *Causæ finalis* et impulsivæ ob quam res fit, ut cum Paulus dicit se premi *pro consolatione* fidelium, 2 Cor. i. 6; Ita hic recte dicitur *pati pro Ecclesia* gemino hoc significatu: tum quia Ecclesia fuit istarum passionum occasio, quippe dum illi ministrare studet in carcerem conjicitur; tum quia Ecclesiæ ædificatio et confirmatio finis fuit ad quem respiciebant. Hanc porro mentem esse Apostoli verba sequentia clare docent, cum ait se Ecclesiæ "factum ministrum," non ad redemptionem, sed "secundum dispensationem quæ illi commissa erat ad prædicandum Christi Evangelium;" debuit ergo esse minister Ecclesiæ, non Mediator aut Redemptor; ut innuat se non loqui de *passionibus satisfactoris* sed *ædificatoriis*.

IX. Sic August. intellexit, Tract. 47, in Joh.; "Quia," inquit, "oves Christi estis, sanguine estis comparati, Agnoscite pretium vestrum quod a me non datur, sed per me prædicatur;" Deinde subjicit, "Quomodo ipse animam suam posuit, sic et nos debemus animam pro fratribus ponere ad ædificandam plebem, ad fidem asserendam." Hoc ipsum non pauci nec ignobiles ex Adversariis agnoverunt; Thomas in h. l., "Hæc verba secundum superficiem malum possunt habere intellectum, scilicet quod Christi passio non sit sufficiens ad redemptionem, sed additæ sint ad complendum passiones sanctorum, sed hoc est hæreticum;" Et paulo post, "Sic etiam omnes sancti patiuntur propter Ecclesiam, quæ ex eorum exemplo roboretur." Cardin. Contarenus in h. l., "Non ea ratione hæc dicuntur a Paulo quasi passiones Christi non sufficiant ad delenda peccata, et quod illis quidpiam desit quod oporteat in nobis impleri. Absit hoc, sed, Quoniam debemus nos imitari Christum et pati pro ædificatione Ecclesiæ sicut Christus passus est." Sic Jesuïta Justinianus in h. l., "Adimplere se dicit ea quæ desunt passionum Christi non quidem ad meritum aut vim satisfaciendi, (quid enim desit infinito?) sed vim et efficaciam traducendi mortales ad fidem, idque ut corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia, perficiatur. Docendo quippe, monendo, hortando, denique Evangelium promulgando, magni labores tolerandi sunt, pericula subeunda," &c. Postea, "Significat ergo se pati pro Ecclesia amplificanda seu propaganda ad ejus fidem confirmandam ac stabiliendam ut cæteros ad sui imitationem provocet." Mitto alios complures qui nobiscum hic faciunt; quia ex his satis superque liquet passiones Pauli fuisse quidem exemplares et confirmatorias, sed non satisfactorias; atque adeo perperam Adversarios hoc uti argumento ad commentum suum stabiliendum.

X. Non solidius illud confirmant ex iis locis in quibus Redemptionis alicujus ab hominibus per bona opera peragendæ videtur fieri mentio, quæ etiam huc comportare solent, ut Prov. xvi. 6, ubi Sapiens ait "Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo." Ad quæ Bellarm., lib. iv. de Pœnit. cap. 3, "Hic," inquit, "habemus vocem Redemptionis quæ æquivalet voci satisfactionis; certe enim non minus ad justitiam pertinet Redemptio quam satisfactio; Et si absurdum esset dicere nostris operibus satisfieri pro peccatis, multo esset absurdius dicere nostris operibus redimi peccata, quemadmodum ipsi (nos intelligit) commodius ferunt si dici volemus aliqua ex parte Redemptores quam satisfactores; cum igitur in Scriptura non uno in loco disertis verbis tradat nostris operibus redimi peccata, profecto non abhorret ab usu Scripturæ quod nos dicimus nostris operibus satisfieri pro peccatis." Cui loco alterum supparem addunt ex Dan. iv. 27, Ubi Daniel cum Nabucodonozori exposuisset visionem, per quam indicata fuerat pœna quam ille ob scelera sua merebatur, addit statim, "Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miericordiis pauperum." Ad quæ Salmero, "Constat quod per opera gratiam præcedentia culpa non potest redimi, Ergo superest ut de pœnis quæ etiam remisso debentur delicto intelligatur." Huc etiam referunt varia Prophetarum loca in quibus pollicetur Deus se pœnas temporales condonaturum populo suo, si ex animo se convertat, et opera satisfactoria pro peccatis præstet, ut Isa. i., Jer. xviii., Ezech. xviii., et alibi, quæ utique dici non possunt, nisi satisfactionibus nostris daretur locus.

XI. Resp. Sed hæc omnia esse ἀπροσδιόνυσα non obscure evincitur. Nam ut de loco Proverbiorum dicamus primo: quam nihil faciat ad rem patet ex variis: 1. Quia mentio quidem fit *peccati* seu *iniquitatis*, at non *pœnæ* quam solum per satisfactiones humanas expiari volunt; 2. Quia *misericordia* et *veritas* de quibus agitur non possunt ad opera pœnalia et molesta in quibus volunt esse sitas satisfactiones suas referri; nec unquam Scriptura de illis ut de pœnis loquitur, sed ut de virtutibus quæ in sui exercitio magnum fidelibus solatium et gaudium solent afferre; Hinc Jansenius duabus istis virtutibus *observationem mandatorum divinorum* includi censet, Quis vero audivit unquam observationem mandatorum divinorum in pœnis nnmerari? 3. *Misericordia et veritas* vel de *Deo* vel de *homine* intelligi potest: si de *Deo*, quod nonnulli volunt, ut notetur *misericordia* Dei ut clementissimi Patris, et *veritate* id. fidelitate ejus remitti iniquitatem, cadit argumentum Adversarii; si de *homine*, non fortius erit, quia sic notabitur *conditio* cui datur remissio peccati, non *causa* propter quam datur. Nam ut judicium sine misericordia in immisericordes exerceri debet, ita misericordes misericordiam consequuntur, Matth. v. 7; et qui aliis vere et ex animo peccata condonaverint, iis etiam Pater cœlestis certo peccata est condonaturus; non quod misericordia erga alios sit causa misericordiæ Dei erga se, sed quia est tantum conditio quædam necessaria. Atque ita sapiens retundere hic vult hypocritarum vanam opinionem, qui sacrificiis externis et carnalibus contenti in iis solis peccati sui expiationem quærebant, de cultu interno et morali nequaquam solliciti. At hic contra vir Dei docet non tam in sacrificiis esse quærendam, quam in pietatis et charitatis operibus quibus Deus eam passim pollicetur; non quod sint *causa veniæ* quæ innuat quare illa detur, sed quia sunt subjecti dispositio necessaria quæ docet qualibus concedatur, ac si diceret iram Domini residere, ubi a flagitiis nostris quiescimus. Ita non excluditur λύ-

τρον quod a Mediatore dari debuit, sed indicatur hominis officium, sine quo tale beneficium sibi polliceri non potest.

XII. 4. Non omittendum est vim verbi כפר quo utitur Sapiens non semper ad *Redemptionem* proprie dictam pertinere, sed sæpius ad *Remissionem* et condonationem quam Deus peccatori pœnitenti indulget. Sic sæpe et Græci et Latinus reddunt, ut apud Isa. xxii. 14, quod in Hebræo est אם יכפר העון הזה לכם, Græci ita reddunt, εἰ οὐκ ἀφεθήσεται ὑμῖν αὕτη ἡ ἁμαρτία, Lati. "si dimittetur iniquitas hæc vobis." Sic c. xxvii. 9, יכפר עון יעקב, Græci ἀφαιρεθήσεται, Lati. *dimittetur*. Ita planus erit sensus: Misericordia et veritate redimi, id. remitti et deleri iniquitatem, quia qui misericordiæ et veritati studet, ita Deo gratus est ut non possit non peccati remissionem obtinere. 5. Ut verbum כפר non tantum ad *remissionem* peccati sed etiam ad *ablationem* et remotionem moralem rei potest referri, ut Isa. xxviii. 18, "Delebitur fœdus vestrum cum morte," id. abrogabitur, Heb. יכפר, Græci per ἀφελεῖν reddunt; commode potest hic sensus applicari, ut non tam quid per misericordiam et veritatem seu exercitium earum fiat *coram Deo*, quam quid fiat in *nobis*, scilicet earum virtutum studio fieri ut ex hominum animis et vita auferatur et abstergatur iniquitas. Et hoc optime respondebit verbis sequentibus quibus additur, "In timore Dei declinari a malo," quia timor Dei est frænum potentissimum quo a peccato cohibemur. Ita duabus istis sententiis, ut sæpe in hoc libro fieri solet, una eademque veritas continebitur, quæ Timoris divini et charitatis studium et fructum commendabit; sed nihil pro satisfactionibus humanis inde exsculpi poterit.

XIII. Alter qui ex Daniele petitur locus, licet hunc subinde urgere soleant, minus adhuc habet roboris, et quem ex hac sua hypothesi ne exponere quidem commode possunt, nedum ut ex eo dogma suum probare valeant. 1. Certum est ex eorum sententia satisfactiones fieri tantum a piis et iis qui sunt in Ecclesia, quibus scilicet et culpa et pœna æterna jam condonata est; At hic Rex ut notum Ethnicus fuit idololatra et ab Ecclesia Dei alienus: Quomodo illi vere suadere potuit ut satisfaceret pro pœnis temporalibus, qui pœnis æternis adhuc erat obnoxius? 2. Satisfactionem volunt positam esse in operibus quibusdam pœnalibus et laboriosis; At hic de *Justitia* agitur, nam quod Græci et V. V. reddunt per *Eleemosynam* in Heb. est צדקה: Quis vero dixerit justitiam inter peccati pœnas censeri posse? 3. Volunt per satisfactiones pœnas demum temporales redimi, non culpam, vel pœnam æternam; At nihil tale ex hoc loco colligi potest, in quo non *pœnæ* cujusdam temporalis, sed tantum *iniquitatum* et *peccatorum* fit mentio. Ita si, quod pertendunt, peccata eleemosynis tanquam vera satisfactione proprie redimi vult Propheta, sequitur ut non modo pœnam temporalem, sed et æternam, non modo pœnam, sed et ipsam culpam expiari intelligant, nulla enim discriminis ex Prophetæ verbis afferri potest ratio, cum peccatorum tantum meminerit: At hoc non dixerint Adversarii. Et hoc Vasquez non potuit diffiteri qui hunc locum negat huc referri debere. Frustra vero Bellarm. lib. iv. de Pœni. cap. 8, conatur elabi dicendo, Peccatum sæpe sumi pro pœna peccati; Nam licet non diffiteamur peccatum nonnunquam pœnam ipsam connotare, nunquam tamen hoc fit sine aliquo ad noxam respectu, ita ut cum redimi dicitur peccatum non possit pœna sola intelligi sine culpa, ut nec culpa sine pœna.

XIV. 4. Tota vis argumenti nititur verbo *Redimendi* quod non extat in textu originali, sed verbum פרק quod prima et usitatissima significatione nihil aliud est quam *abrumpere*, *abstrahere* et *convellere*, quo sensu sumitur, Exod. xxxii. 2, "פרקו נזמי הזהב separate" id. detrahite "inaures aureos," V. V. "tollite," lxx. περιέλεσθε; sic Gen. xxvii. 40, 1 Reg. xix. 11; inde ducto

tropo *liberare* nonnunquam significat, quia qui liberatur, ab eo quo implicatus tenebatur quodammodo avellitur: At quocunque modo sumatur nullam satisfactionem importabit. Nam si ad posteriorem referas, notabitur quidem liberatio, sed non liberationis modus per satisfactionem aliquam aut λύτρων; Imo nec potest quidem, quia vis vocis infert potius liberationem per potentiam quam per justitiam: præterquam quod ne quidem de peccatis dici potest, quum non peccata, sed peccatores hoc sensu redimantur. At si priori sensu vox intelligatur, quod omnino convenientius ducimus, de abruptione peccati et vitæ immutatione, facilia erunt et expedita omnia; suadebit scilicet Daniel Regi impio et superbissimo, qui abjecto omni Dei hominumque timore per immanem avaritiam et crudelitatem dominatus fuerat, ut cursum vitæ anteactæ abrumpat, et plane contrariam ineat viam, summa non tantum justitia, sed etiam benignitate præcedentis tyrannidis labes eluendo; sic impendens exitium forsan aversum iri et Deum hac conversione commotum res in melius conversurum: Quo pertinent verba sequentia, "si forte erit prorogatio tranquillitatis tuæ;" quasi diceret, Exercuisti, o Rex, violentam et injustam dominationem, oppressisti humiles, spoliasti pauperes, et per omne genus peccatorum impune es grassatus: At nunc, si vis effugere iram Dei imminentem, debes vitam plane immutare et pro injustis exactionibus, pro violentia et oppressione, referre misericordiam et justitiam, et sic injurias beneficentia resarcire, et abrumpere cursum peccatorum tuorum ut melius tibi sit. Sic notabit quidem conversionem et pœnitentiam esse unicam evitandi Dei judicii viam; Sed de satisfactione Dei justitiæ facienda ne cogitarit quidem, tantum abest ut illam hic commendarit.

XV. Nec alio respiciunt loca quæ apud Prophetas passim de pœnitentia agunt, ut necessaria ad remissionem peccatorum vel pœnarum relaxationem obtinendam. Non negamus enim pœnitentiam *conditionem* esse absolute necessariam ad id ut venia peccatorum obtineatur. Non negamus etiam sæpe per eam fieri ut calamitates imminentes et judicia Dei vel declinentur vel mitigentur. Negamus tantum esse *pœnam satisfactoriam* aut compensationem qua satisfiat Justitiæ divinæ: Quia longe aliud est evitare et declinare pœnas, aliud vero satisfacere; aliud rem obtinere, aliud eam per viam pretii et solutionis consequi. Quippe pœnæ istiusmodi ex Adversariis non mode graves sunt et molestæ eas ferentibus, sed etiam censentur indebitæ; At hæc quæ a Prophetis præscribuntur pœnitentiæ exercitia non modo non sunt gravia et dura, sed suavia et jucunda fidelibus, qui impense iis delectantur; Verum ita sunt debita ut nemo sine crimine ea prætermittere possit aut debeat. Præterquam quod in misericordiæ throno versantur fideles, ubi nullus datur vel operibus vel passionibus nostris ad satisfactionem locus, sed soli gratiæ et merito Christi; non vero in Legis foro ubi persona judicatur ex opere, non opus ex persona. Quod si aliquando opera quædam laboriosa cum pœnitentia videntur urgeri, ut jejunia, cilicium, &c., non ideo fit ut pro delictis aliqua apud Deum compensatio interveniat, sed tantum ut per ea veritas et sinceritas pœnitentiæ eo melius testata fiat.

XVI. 3°. Objiciunt Adversarii loca varia in quibus Deus post culpam dimissam dicitur tamen pœnas varias fidelibus immisisse: 1°. 2 Sam. xii. 14, Peccatum condonatur Davidi a Nathane, et tamen mors filioli illi in pœnam decernitur, "Quia blasphemare fecisti Dei nomen ab inimicis Domini, ideo puer qui tibi natus est morietur." 2°. Num. xiv. 20, Deus dicitur ignovisse Israëlitis murmurantibus, quibus tamen postea ingressum in terram Canaan interdixit: et in pœnam peccati mortem in deserto illis inflixit,

quod vocatur *ultio Domini*, ver. 34. 3°. Exod. xxxii. 10, 14, Deus testatur se peccatum idololatriæ ob preces Mosis dimisisse, et tamen propter illud peccatum multa millia Israëlitarum interficiuntur. 4°. Mosi et Aaroni peccatum incredulitatis proculdubio remissum est, tamen manet pœna luenda post culpam remissam, quia moriuntur in deserto, Num. xx. 24, et Deut. xxxii. 50, 51. Ex quibus et aliis similibus locis colligunt fieri posse ut remissa culpa propter Christi Satisfactionem, maneat tamen nobis luenda pœna quædam temporalis.

XVII. Sed non difficile est hoc etiam Adversariorum telum repellere, si modo distinguimus Pœnas *proprie* dictas, a pœnis *analogice* et improprie ita dictis, id. miseriis et calamitatibus. Non negamus enim varia pœnarum genera esse quibus Deus in peccatores animadvertit. Sed inter eas tamen magnum discrimen est constituendum. Quippe licet ab eodem omnes fonte profectæ videantur, peccato videlicet, cujus reatu "hæc malorum terris incubuit cohors," etsi facies externa nihil differat, finis tamen et modus diversissimus est. Nam ut *Deus* bifariam spectari potest, vel ut *Judex* vel ut Pater, ut Judex qui agit ex justitia ad vindictam, ut Pater qui agit ex amore ad correctionem; ut *homines* in duplici ordine censeri possunt, vel ut *impii* qui legis maledictioni subsunt, vel ut *fideles* qui recepti sunt in fœdus gratiæ; Ita duplex est Dei judicium, aliud *legale* vindictæ, aliud *Evangelicum* et paternum castigationis; Et *afflictiones* quæ hominibus immittuntur duorum sunt generum, Aliæ pœnis proprie dictis accensentur, quia peccatori ex ordine justitiæ divinæ infliguntur ad ultionem et satisfactionem Dei offensi, cujusmodi sunt illæ omnes quæ impiis et reprobis vel in hoc mundo infliguntur, vel in altero infligendæ sunt, Aliæ vero analogice tantum ita vocantur, quia non sunt pœnæ judiciales, sed paternæ; non ad vindictam, sed ad medicinam; non ex ira Judicis, sed ex amore patris; non ad destructionem, sed ad correctionem; non supplicia, sed remedia; non satisfactio præteritorum, sed præcautio futurorum; quales pœnæ sunt illæ omnes quæ fidelibus immittuntur, quæ juxta varios fines distribuuntur in tres species: 1. παιδείαν et νουθεσίαν, quæ est paterna castigatio quæ ad peccantium emendationem tantum pertinet, de qua Heb. xii. 6, 7, Apoc. iii. 19; 2. δοκιμασίαν, quæ est pietatis exploratio quæ refertur ad exemplum, de qua Jacob. i. 2, 3, ut visum fuit in Abrahamo et Jobo; 3. μαρτύριον, quod spectat doctrinæ cœlestis per proprium sanguinem obsignationem, de quo 2 Tim. i. 8, et Apoc. vi. 9.

XVIII. Non negamus quidem has calamitates *pœnas* posse dici *improprie* et *figurate*, et sic non raro vocari in Scriptura variis de causis: 1. Quia mala ista et afflictiones natura sua peccati sunt pœnæ et stipendium; Itaque quanquam fidelibus quibus propter Christum nihil pœnale amplius superest ferendum, non ad pœnam, sed ad medicinam et pietatis exercitationem infligantur; tamen quia hoc habent natura sua, mutato statu nomen adhuc retinetur antiquum, et pœnæ dicuntur quia olim fuerunt, et si non *formaliter*, at *materialiter* idem sunt cum eo quod impii patiantur, eadem calamitas utrosque sæpe premit, licet alio atque alio fine. 2. Quia ut in proprie dictis pœnis peccatum est occasio et causa impulsiva illarum, ita calamitates istæ ex occasione peccati et propter illud immittuntur; nisi enim peccatum esset nulla calamitas in mundo cerneretur. 3. Quia caro ipsa luere debet, vetus homo aboleri et destrui, et peccatum in carne condemnari et puniri; nec enim sufficit Christum in carne sua illud condemnasse, Rom. viii. 3, 4, et veterem hominem ac corpus peccati cruci affixisse ad deletionem reatus, nisi illud ipsum in carne nostra crucifigat et con-

suas ad expiandum reatum temporalem, cum sibi ejusmodi satisfactiones abundarent. Quare patiendo adimplebat ea quæ deerant passionum Christi, id est, quæ Christus in sanctis suis adhuc passurus erat, pro corpore ipso Ecclesiæ, sive instruendo prædicationibus, sive confirmando exemplis, sive *expiando satisfactionibus.*"

III. Sed quam parum faveat errori iste locus proclive est ostendere, si ad sequentia attendimus. Primo, ut sciamus quid *Christi* nomine intelligendum veniat; Secundo, quid per *reliquias passionum* ejus innuatur; Tertio, quo sensu *pati* se dicat Paulus *pro Ecclesia.* Et ad prius quidem quod attinet; Certum est *Christi* nomine non semper personam ipsam designari, seu *Christum naturalem,* sed sæpe etiam ejus Ecclesiam seu *Christum mysticum,* Corpus scilicet cum membris, 1 Cor. xii. 12, "sicut corpus unum est et membra habet multa, ita Christus," Ubi clarum est Christum hic non Caput tantum innuere, sed et Corpus seu Ecclesiam huic Capiti unitam. Ita cum Christus cœlitus clamat, Act. ix. 4, "Saul, Saul, cur me persequeris?" proprie personam suam non respiciebat, quæ in cœlum recepta extra telorum omnium jactum erat constituta, nec ullis amplius ærumnis aut persecutionibus erat obnoxia; sed Ecclesiam ipsam, quæ quia unum secum corpus constituit, ideo recte nomine Christi ipsius a potiori facta denominatione insignitur. Hinc *passiones Christi* vel notant passiones Christi naturalis, quas ipse in corpore suo semel in cruce tulit; vel *passiones Christi mystici* seu Ecclesiæ, quæ ipsi ferendæ a Deo subinde imponuntur. Ita quas hic Apost. vocat Χριστοῦ θλίψεις, alibi Χριστοῦ παθήματα appellat, 2 Cor. i. 5, "sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat nostra consolatio." Hoc sensu calamitas Israëlitarum in Ægypto, et abjectissima eorum sors, quam Moses Ægyptiacæ aulæ splendori atque opulentiæ prætulit, Apost. vocat Χριστοῦ ὀνειδισμὸν, Heb. xi. 26, "majores," inquit, "divitias estimans thesauris Ægyptiorum opprobrium Christi."

IV. Si porro quæratur quare passiones istæ vocantur passiones Christi, quadruplex afferri potest ratio: 1. Ratione *causæ,* quia Christus ut supremus Agonotheta nobis eas imponit, quo pertinent illa Christi ad Ananiam, Act. ix. 16, "Ego ostendam illi quanta ipsi patienda sint pro nomine meo." Unde Petrus dicit fideles "ad id vocatos esse," 1ª, cap. ii. 21, et Paulus, Phil. i. 29, "Vobis datum est non modo credere in ipsum, sed et pati pro ipso." 2. Ratione *occasionis,* quia ejus nomine et pro ejus Evangelio a fidelibus perferuntur, nisi enim discipuli Christi essent, hisce calamitatibus nequaquam exponerentur: hinc afflictiones suas Paulus, 2 Tim. i. 8, vocat afflictiones *Evangelii,* id. quæ Evangelii causa et propter Evangelium imponuntur, ut ver. 12, dicit se propter Apostolatum hæc omnia pati. 3. Ratione *unionis,* quia qui eas perpetiuntur fideles, Christi cujus sunt membra censentur; adeo ut quæ ipsi in hac causa ferunt, ille quoque ferre et perpeti dicatur propter mysticam capitis et membrorum communionem; ut usitatum est ut unusquisque sibi tribuat eas passiones quæ inferuntur cuilibet parti corporis sui; ut manus vel pedis vulnera recte dicuntur vulnera ipsius hominis; Ita quia qui patiuntur membra Christi sunt, recte Christus ipse dicitur pati in membris. 4. Ratione *compassionis,* propter maximam συμπάθειαν quam habet in afflictionibus suorum quæ ex prædicta unione oritur. Quippe ut damna et vulnera eorum qui nobis sunt conjunctissimi nostra appellamus, quia æque illorum miseriis afficimur ac nostris: Ita Christus passiones fratrum suorum qui sunt una caro cum ipso suas reputat; quia non minus illis tangitur, quam propriis. Has porro *passiones Christi* ita intelligi posse diu est ex quo August. observavit in

Psal. lxi.; "Passiones Christi non in solo Christo, imo passiones Christi nonnisi in Christo; si enim Christum intelligas Caput et Corpus, passiones Christi nonnisi in Christo; si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo;" et ex eo Ansel. "Patitur adhuc Christus passiones, non in carne sua in qua ascendit in cœlum, sed in mea quæ adhuc laborat in terra." Ita Lyranus in h. l., "Passiones Christi dupliciter accipiantur: uno modo pro illis quas sustinuit in proprio corpore, et sic nihil ibi restat ad implendum; alio modo pro illis quas in finem usque seculi patietur in corpore mystico, et sic restant multarum passionum reliquiæ adimplendæ." Atque huc pertinet duplex Christi σχέσις, vel ut *Vadis* et *sponsoris* qui pro nobis satisfacit, vel ut *Capitis* quod in nobis debet operari, ut nos sibi similes reddat: Priori sensu passiones Christi sunt *satisfactoriæ*, et illi soli exclusis aliis competunt, Sed posteriori sunt *exemplares* et ad imitationem proponuntur.

V. 2. Observandum eam esse debere inter Corpus Christi naturale et mysticum, Caput et membra, harmoniam et conformitatem, ut quod impletum est in illo debeat in istis, servata tamen proportione, impleri, propterea enim prædestinari dicimur a Paulo "ut simus conformes imagini ejus, Rom. viii. 29, et idem, 2 Cor. iii. 18, testatur "nos contemplantes in speculo facie retecta gloriam Domini, transformari in eandem imaginem de gloria in gloriam velut a Spiritu Domini." Hinc toties ad imitationem Christi excitamur, Eph. v. 2, Phil. ii. 5, 6, 1 Pet. ii. 21, 22, 23. Porro ut ista conformitas in cœlis futura est in gloria et felicitate, 1 Joh. iii. 2, Phil. iii. 21, Col. iii. 4, Ita in terris inchoanda est per gratiam, partim in sanctitate, partim in cruce, Rom. viii. 17. Quemadmodum enim Christus, dum in terris versatus est, insignis fuit potissimum tum *sanctitate* qua purus et ab omni peccati labe immunis fuit vere sanctus Domini, tum *calamitate* tanquam vir dolorum, Isa. liii. 3, qui omnigenis ærumnis et passionibus sese subjecit usque ad exinanitionem, Phil. ii. 6, 7; Ita Ecclesiam suam in hisce duobus assimilari et conformem reddi voluit. Primo in *sanctitate*, unde jubemur sancti esse sicut ille sanctus est, 1 Pet. i. 15, et purificare nos ut ille purus est, 1 Joh. iii. 3. Secundo in *passionibus* et cruce, quo sensu dicitur reliquisse nobis exemplar ut sequamur ejus vestigia, 1 Pet. ii. 21, et communicare dicuntur fideles passionibus Christi, quando ad ejus instar et exemplar patiuntur, cap. iv. 13. Ut ergo Christus pro parte sua varias habuit passiones perferendas ad opus Redemptionis perficiendum, Ita Christus mysticus seu Ecclesia et singuli fideles habent quisque pro parte sua certum demensum passionum quod a Deo illis assignatur ad exemplum capitis, singuli debent ex isto calice bibere, singuli crucem post Christum debent suam gestare. Donec ergo fideles ea subierint certamina, et ærumnas tulerint quæ illis a Deo sunt impositæ, superest semper aliquid implendum in passionibus Christi; non quidem Christi naturalis, quia ejus satisfactio fuit perfecta et omnibus numeris absoluta in cruce, quod ipse testatus est cum Consummatum esse clamavit; sed Christi mystici, id. Corporis ipsius, cujus passiones cum non ante finem seculi consummatum iri certum sit, quotidie debent impleri in singulorum fidelium calamitatibus.

VI. Atque huc pertinent verba Petri, 1ª. cap. v. 9, quæ apprime faciunt ad rem nostram, cum ait "easdem passiones" quæ imponebantur fidelibus dispersis ad quos scribit "impleri in societate fratrum qui erant per totum orbem," quæ manifeste evincunt Deum æterno suo consilio decrevisse non modo quas passiones Christus ipse in carne sua subiret pro Redemptione Ecclesiæ, sed etiam quas singula Ecclesiæ suæ membra essent subitura

suas ad expiandum reatum temporalem, cum sibi ejusmodi satisfactiones abundarent. Quare patiendo adimplebat ea quæ deerant passionum Christi, id est, quæ Christus in sanctis suis adhuc passurus erat, pro corpore ipso Ecclesiæ, sive instruendo prædicationibus, sive confirmando exemplis, sive *expiando satisfactionibus.*"

III. Sed quam parum faveat errori iste locus proclive est ostendere, si ad sequentia attendimus. Primo, ut sciamus quid *Christi* nomine intelligendum veniat; Secundo, quid per *reliquias passionum* ejus innuatur; Tertio, quo sensu *pati* se dicat Paulus *pro Ecclesia.* Et ad prius quidem quod attinet; Certum est *Christi* nomine non semper personam ipsam designari, seu *Christum naturalem*, sed sæpe etiam ejus Ecclesiam seu *Christum mysticum*, Corpus scilicet cum membris, 1 Cor. xii. 12, "sicut corpus unum est et membra habet multa, ita Christus," Ubi clarum est Christum hic non Caput tantum innuere, sed et Corpus seu Ecclesiam huic Capiti unitam. Ita cum Christus cœlitus clamat, Act. ix. 4, "Saul, Saul, cur me persequeris?" proprie personam suam non respiciebat, quæ in cœlum recepta extra telorum omnium jactum erat constituta, nec ullis amplius ærumnis aut persecutionibus erat obnoxia; sed Ecclesiam ipsam, quæ quia unum secum corpus constituit, ideo recte nomine Christi ipsius a potiori facta denominatione insignitur. Hinc *passiones Christi* vel notant passiones Christi naturalis, quas ipse in corpore suo semel in cruce tulit; vel *passiones Christi mystici* seu Ecclesiæ, quæ ipsi ferendæ a Deo subinde imponuntur. Ita quas hic Apost. vocat χριστοῦ θλίψεις, alibi χριστοῦ παθήματα appellat, 2 Cor. i. 5, "sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat nostra consolatio." Hoc sensu calamitas Israëlitarum in Ægypto, et abjectissima eorum sors, quam Moses Ægyptiacæ aulæ splendori atque opulentiæ prætulit, Apost. vocat χριστοῦ ὀνειδισμὸν, Heb. xi. 26, "majores," inquit, "divitias estimans thesauris Ægyptiorum opprobrium Christi."

IV. Si porro quæratur quare passiones istæ vocantur passiones Christi, quadruplex afferri potest ratio: 1. Ratione *causæ*, quia Christus ut supremus Agonotheta nobis eas imponit, quo pertinent illa Christi ad Ananiam, Act. ix. 16, "Ego ostendam illi quanta ipsi patienda sint pro nomine meo." Unde Petrus dicit fideles "ad id vocatos esse," 1ª, cap. ii. 21, et Paulus, Phil. i. 29, "Vobis datum est non modo credere in ipsum, sed et pati pro ipso." 2. Ratione *occasionis*, quia ejus nomine et pro ejus Evangelio a fidelibus perferuntur, nisi enim discipuli Christi essent, hisce calamitatibus nequaquam exponerentur: hinc afflictiones suas Paulus, 2 Tim. i. 8, vocat afflictiones *Evangelii*, id. quæ Evangelii causa et propter Evangelium imponuntur, ut ver. 12, dicit se propter Apostolatum hæc omnia pati. 3. Ratione *unionis*, quia qui eas perpetiuntur fideles, Christi cujus sunt membra censentur; adeo ut quæ ipsi in hac causa ferunt, ille quoque ferre et perpeti dicatur propter mysticam capitis et membrorum communionem; ut usitatum est ut unusquisque sibi tribuat eas passiones quæ inferuntur cuilibet parti corporis sui; ut manus vel pedis vulnera recte dicuntur vulnera ipsius hominis; Ita quia qui patiuntur membra Christi sunt, recte Christus ipse dicitur pati in membris. 4. Ratione *compassionis*, propter maximam συμπάθειαν quam habet in afflictionibus suorum quæ ex prædicta unione oritur. Quippe ut damna et vulnera eorum qui nobis sunt conjunctissimi nostra appellamus, quia æque illorum miseriis afficimur ac nostris: Ita Christus passiones fratrum suorum qui sunt una caro cum ipso suas reputat; quia non minus illis tangitur, quam propriis. Has porro *passiones Christi* ita intelligi posse diu est ex quo August. observavit in

Psal. lxi.; "Passiones Christi non in solo Christo, imo passiones Christi nonnisi in Christo; si enim Christum intelligas Caput et Corpus, passiones Christi nonnisi in Christo; si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo;" et ex eo Ansel. "Patitur adhuc Christus passiones, non in carne sua in qua ascendit in cœlum, sed in mea quæ adhuc laborat in terra." Ita Lyranus in h. l., "Passiones Christi dupliciter accipiantur: uno modo pro illis quas sustinuit in proprio corpore, et sic nihil ibi restat ad implendum; alio modo pro illis quas in finem usque seculi patietur in corpore mystico, et sic restant multarum passionum reliquiæ adimplendæ." Atque huc pertinet duplex Christi σχέσις, vel ut *Vadis* et *sponsoris* qui pro nobis satisfacit, vel ut *Capitis* quod in nobis debet operari, ut nos sibi similes reddat: Priori sensu passiones Christi sunt *satisfactoriæ*, et illi soli exclusis aliis competunt, Sed posteriori sunt *exemplares* et ad imitationem proponuntur.

V. 2. Observandum eam esse debere inter Corpus Christi naturale et mysticum, Caput et membra, harmoniam et conformitatem, ut quod impletum est in illo debeat in istis, servata tamen proportione, impleri, propterea enim prædestinari dicimur a Paulo "ut simus conformes imagini ejus, Rom. viii. 29, et idem, 2 Cor. iii. 18, testatur "nos contemplantes in speculo facie retecta gloriam Domini, transformari in eandem imaginem de gloria in gloriam velut a Spiritu Domini." Hinc toties ad imitationem Christi excitamur, Eph. v. 2, Phil. ii. 5, 6, 1 Pet. ii. 21, 22, 23. Porro ut ista conformitas in cœlis futura est in gloria et felicitate, 1 Joh. iii. 2, Phil. iii. 21, Col. iii. 4, Ita in terris inchoanda est per gratiam, partim in sanctitate, partim in cruce, Rom. viii. 17. Quemadmodum enim Christus, dum in terris versatus est, insignis fuit potissimum tum *sanctitate* qua purus et ab omni peccati labe immunis fuit vere sanctus Domini, tum *calamitate* tanquam vir dolorum, Isa. liii. 3, qui omnigenis ærumnis et passionibus sese subjecit usque ad exinanitionem, Phil. ii. 6, 7; Ita Ecclesiam suam in hisce duobus assimilari et conformem reddi voluit. Primo in *sanctitate*, unde jubemur sancti esse sicut ille sanctus est, 1 Pet. i. 15, et purificare nos ut ille purus est, 1 Joh. iii. 3. Secundo in *passionibus* et cruce, quo sensu dicitur reliquisse nobis exemplar ut sequamur ejus vestigia, 1 Pet. ii. 21, et communicare dicuntur fideles passionibus Christi, quando ad ejus instar et exemplar patiuntur, cap. iv. 13. Ut ergo Christus pro parte sua varias habuit passiones perferendas ad opus Redemptionis perficiendum, Ita Christus mysticus seu Ecclesia et singuli fideles habent quisque pro parte sua certum demensum passionum quod a Deo illis assignatur ad exemplum capitis, singuli debent ex isto calice bibere, singuli crucem post Christum debent suam gestare. Donec ergo fideles ea subierint certamina, et ærumnas tulerint quæ illis a Deo sunt impositæ, superest semper aliquid implendum in passionibus Christi; non quidem Christi naturalis, quia ejus satisfactio fuit perfecta et omnibus numeris absoluta in cruce, quod ipse testatus est cum Consummatum esse clamavit; sed Christi mystici, id. Corporis ipsius, cujus passiones cum non ante finem seculi consummatum iri certum sit, quotidie debent impleri in singulorum fidelium calamitatibus.

VI. Atque huc pertinent verba Petri, 1ª. cap. v. 9, quæ apprime faciunt ad rem nostram, cum ait "easdem passiones" quæ imponebantur fidelibus dispersis ad quos scribit "impleri in societate fratrum qui erant per totum orbem," quæ manifeste evincunt Deum æterno suo consilio decrevisse non modo quas passiones Christus ipse in carne sua subiret pro Redemptione Ecclesiæ, sed etiam quas singula Ecclesiæ suæ membra essent subitura

pro nomine Christi. Dum ergo suo tempore et gradu ista executioni mandantur, recte impleri dicuntur in *societate fratrum*, id. in corpore Christi, istæ passiones. Nec aliud sibi vult Paulus hoc loco, cum dicit se "implere reliquias passionum Christi," quam se partem etiam crucis Christi quæ ipsi ad ferendum erat imposita alacriter gestare. Interim licet utrobique et a Christo et a nobis passiones sint ferendæ, memorabile tamen inter utrasque discrimen est agnoscendum. Nam Christi passiones gravissimæ fuerunt et nulla suavitate temperatæ, quia totam Dei maledictionem nobis debitam ferre debuit, et ad fæces usque calicem istum ebibere. At nostræ, sublata jam per Christum Dei maledictione, temperatæ fiunt et leves Christi gratia, ut gustandus quidem sit ipse calix, sed non ebibendus, et ferenda sint mala, sed benedicta cum Christo: illas prior ferre debuit Christus ad redemptionem nostram, unde non male προτερήματα eas dixeris; sed istas post ipsum subire debemus ad sanctificationem, ideo bene ὑστερήματα eas Paulus vocat. Nec omittenda est vis phrasis Apostolicæ, cum non tantum dicit se implere, sed ἀνταναπληροῦν, id. *vicissim implere*, quod relationem quandam et correspondentiam notat; non tantum cum cæteris fidelibus, qui etiam pro parte sua debebant eidem cruci subjici, sed etiam cum ipso Christo, ut passio membri respondeat passioni Capitis; nimirum ut Christus pro Pauli salute summos in cruce dolores ipsamque legis maledictionem pertulerat, ita Paulus vicissim pro Christi gloria et Evangelio grave certamen sustinere debebat; in quo utriusque fuerunt quædam suæ veluti *vices*, licet alio atque alio fine sint, ut jamjam dicemus.

VII. Tertio, Et illud notandum, Afflictiones quæ a Christo imponuntur fidelibus, etsi nec Redemptionis nec Satisfactionis finem ullum habere possint, habere tamen alios plurimos qui non tantum fidelibus ipsis patientibus prosunt, sed aliis etiam, imo toti Ecclesiæ, sive ad confirmationem fidei, sive ad exemplum patientiæ, sive ad majorem Evangelii profectum. Istos enim ex illis fructus oriri Paulus non semel testatur, ut Phil. i. 12, 13, 14, vincula sua ad Evangelii propagationem, et fratrum confirmationem cessisse significat: "Scire vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, Ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, et in cæteris omnibus, et plures e fratribus confidentes vinculis meis abundantius, auderent sine timore verbum Dei loqui." Fuerunt ergo passiones ejus utilissimæ, non quidem ad satisfactionem, sed ad confirmationem, et constantiæ exemplum. Idem alibi, 2 Cor. i. 6, 7, "Sive premimur," inquit, "id fit pro vestra consolatione et salute, quæ efficitur in tolerantia earumdem perpessionum quibus et nos afficimur, sive consolationem accipimus, id fit pro vestra consolatione et salute," &c. Quibus constat ex mente Pauli perpessiones suas eo fidelibus prodesse, non ut ipsi a similibus pœnis eximantur, (qui satisfactionis est finis,) sed plane contra ut ad simile certamen sustinendum ex patientiæ suæ exemplo fortius animentur. Eodem plane pacto dicit hic "se pati pro ipsis et pro corpore Christi quod est Ecclesia" non redimenda, sed ædificanda, non liberanda a pœnis, sed confirmanda in fide, non ad satisfactionem, sed ad imitationem. Fuerint ergo magno usui fidelibus passiones ejus, ingens ex iis ad Ecclesiam fructus redundaverit, non negamus. Negamus tantum quod Adversarii pertendunt, fuisse peccatorum nostrorum ἱλαστήριον et satisfactionem pro pœnis quas peccata eorum merebantur. Nec juvat Bellarminum quod ait Paulum "optasse istis afflictionibus prodesse fidelibus quibuscunque poterat modis, id est non tantum instruendo, confirmando, sed etiam expiando;" Supponit enim quod est in quæstione, et petit prin-

cipium, passiones scilicet Apostoli potuisse esse expiatorias vel satisfactorias; quod probandum fuit, non supponendum.

VIII. Dices, Paulus tamen dicit se pati ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ σώματος *pro corpore ipsius;* Ut autem vox ista respectu Christi et Satisfactionem et substitutionem notat quum dicitur passus pro nobis ut alibi est a nobis ostensum, Quidni et hic etiam eundem sensum obtineat, cum sancti hac in parte patiantur ad exemplum Christi? Resp., Non negamus sæpius hanc esse præpositionis ὑπὲρ vim et sensum, ut inferat et substitutionem personæ et satisfactionem debiti, ut aliquid fieri ὑπὲρ ἡμῶν dicitur, cum fit loco et vice nostra, quo sensu certum est tribui Christo dum dicitur *mori pro impiis*, Rom. v. 6, et pro *ovibus*, Joh. x. &c. Sed hanc unam non esse istius voculæ significationem pertendimus; Imo nec sine gravi absurditate locum hic habere posse consemus, quia, ut nemo pro se satisfacere, ita nec pro aliis potest. Quid ergo? Ut alibi præpositio hæc duplicem sensum obtinet: vel *occasionis* qua aliquid fit, ut cum fideles dicuntur pati ὑπὲρ Χριστοῦ *pro Christo* vel ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ *pro nomine ejus*, Phil. i. 29, Act. v. 41, id. non ad satisfaciendum pro ipso, absit, sed occasione ejus; vel *Causæ finalis* et impulsivæ ob quam res fit, ut cum Paulus dicit se premi *pro consolatione* fidelium, 2 Cor. i. 6; Ita hic recte dicitur *pati pro Ecclesia* gemino hoc significatu: tum quia Ecclesia fuit istarum passionum occasio, quippe dum illi ministrare studet in carcerem conjicitur; tum quia Ecclesiæ ædificatio et confirmatio finis fuit ad quem respiciebant. Hanc porro mentem esse Apostoli verba sequentia clare docent, cum ait se Ecclesiæ "factum ministrum," non ad redemptionem, sed "secundum dispensationem quæ illi commissa erat ad prædicandum Christi Evangelium;" debuit ergo esse minister Ecclesiæ, non Mediator aut Redemptor; ut innuat se non loqui de *passionibus satisfactoris* sed *ædificatoriis*.

IX. Sic August. intellexit, Tract. 47, in Joh.; "Quia," inquit, "oves Christi estis, sanguine estis comparati, Agnoscite pretium vestrum quod a me non datur, sed per me prædicatur;" Deinde subjicit, "Quomodo ipse animam suam posuit, sic et nos debemus animam pro fratribus ponere ad ædificandam plebem, ad fidem asserendam." Hoc ipsum non pauci nec ignobiles ex Adversariis agnoverunt; Thomas in h. l., "Hæc verba secundum superficiem malum possunt habere intellectum, scilicet quod Christi passio non sit sufficiens ad redemptionem, sed additæ sint ad complendum passiones sanctorum, sed hoc est hæreticum;" Et paulo post, "Sic etiam omnes sancti patiuntur propter Ecclesiam, quæ ex eorum exemplo roboretur." Cardin. Contarenus in h. l., "Non ea ratione hæc dicuntur a Paulo quasi passiones Christi non sufficiant ad delenda peccata, et quod illis quidpiam desit quod oporteat in nobis impleri. Absit hoc, sed, Quoniam debemus nos imitari Christum et pati pro ædificatione Ecclesiæ sicut Christus passus est." Sic Jesuïta Justinianus in h. l., "Adimplere se dicit ea quæ desunt passionum Christi non quidem ad meritum aut vim satisfaciendi, (quid enim desit infinito?) sed vim et efficaciam traducendi mortales ad fidem, idque ut corpus ejus mysticum, quod est Ecclesia, perficiatur. Docendo quippe, monendo, hortando, denique Evangelium promulgando, magni labores tolerandi sunt, pericula subeunda," &c. Postea, "Significat ergo se pati pro Ecclesia amplificanda seu propaganda ad ejus fidem confirmandam ac stabiliendam ut cæteros ad sui imitationem provocet." Mitto alios complures qui nobiscum hic faciunt; quia ex his satis superque liquet passiones Pauli fuisse quidem exemplares et confirmatorias, sed non satisfactorias; atque adeo perperam Adversarios hoc uti argumento ad commentum suum stabiliendum.

X. Non solidius illud confirmant ex iis locis in quibus Redemptionis alicujus ab hominibus per bona opera peragendæ videtur fieri mentio, quæ etiam huc comportare solent, ut Prov. xvi. 6, ubi Sapiens ait "Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo." Ad quæ Bellarm., lib. iv. de Pœnit. cap. 3, "Hic," inquit, "habemus vocem Redemptionis quæ æquivalet voci satisfactionis; certe enim non minus ad justitiam pertinet Redemptio quam satisfactio; Et si absurdum esset dicere nostris operibus satisfieri pro peccatis, multo esset absurdius dicere nostris operibus redimi peccata, quemadmodum ipsi (nos intelligit) commodius ferunt si dici volemus aliqua ex parte Redemptores quam satisfactores; cum igitur in Scriptura non uno in loco disertis verbis tradat nostris operibus redimi peccata, profecto non abhorret ab usu Scripturæ quod nos dicimus nostris operibus satisfieri pro peccatis." Cui loco alterum supparem addunt ex Dan. iv. 27, Ubi Daniel cum Nabucodonozori exposuisset visionem, per quam indicata fuerat pœna quam ille ob scelera sua merebatur, addit statim, "Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas miericordiis pauperum." Ad quæ Salmero, "Constat quod per opera gratiam præcedentia culpa non potest redimi, Ergo superest ut de pœnis quæ etiam remisso debentur delicto intelligatur." Huc etiam referunt varia Prophetarum loca in quibus pollicetur Deus se pœnas temporales condonaturum populo suo, si ex animo se convertat, et opera satisfactoria pro peccatis præstet, ut Isa. i., Jer. xviii., Ezech. xviii., et alibi, quæ utique dici non possunt, nisi satisfactionibus nostris daretur locus.

XI. Resp. Sed hæc omnia esse ἀπροσδιόνυσα non obscure evincitur. Nam ut de loco Proverbiorum dicamus primo: quam nihil faciat ad rem patet ex variis: 1. Quia mentio quidem fit *peccati* seu *iniquitatis*, at non *pœnæ* quam solum per satisfactiones humanas expiari volunt; 2. Quia *misericordia* et *veritas* de quibus agitur non possunt ad opera pœnalia et molesta in quibus volunt esse sitas satisfactiones suas referri; nec unquam Scriptura de illis ut de pœnis loquitur, sed ut de virtutibus quæ in sui exercitio magnum fidelibus solatium et gaudium solent afferre; Hinc Jansenius duabus istis virtutibus *observationem mandatorum divinorum* includi censet, Quis vero audivit unquam observationem mandatorum divinorum in pœnis nnmerari? 3. *Misericordia et veritas* vel de *Deo* vel de *homine* intelligi potest: si de *Deo*, quod nonnulli volunt, ut notetur *misericordia* Dei ut clementissimi Patris, et *veritate* id. fidelitate ejus remitti iniquitatem, cadit argumentum Adversarii; si de *homine*, non fortius erit, quia sic notabitur *conditio* cui datur remissio peccati, non *causa* propter quam datur. Nam ut judicium sine misericordia in immisericordes exerceri debet, ita misericordes misericordiam consequuntur, Matth. v. 7; et qui aliis vere et ex animo peccata condonaverint, iis etiam Pater cœlestis certo peccata est condonaturus; non quod misericordia erga alios sit causa misericordiæ Dei erga se, sed quia est tantum conditio quædam necessaria. Atque ita sapiens retundere hic vult hypocritarum vanam opinionem, qui sacrificiis externis et carnalibus contenti in iis solis peccati sui expiationem quærebant, de cultu interno et morali nequaquam solliciti. At hic contra vir Dei docet non tam in sacrificiis esse quærendam, quam in pietatis et charitatis operibus quibus Deus eam passim pollicetur; non quod sint *causa veniæ* quæ innuat quare illa detur, sed quia sunt subjecti dispositio necessaria quæ docet qualibus concedatur, ac si diceret iram Domini residere, ubi a flagitiis nostris quiescimus. Ita non excluditur λύ-

τρεῖν quod a Mediatore dari debuit, sed indicatur hominis officium, sine quo tale beneficium sibi polliceri non potest.

XII. 4. Non omittendum est vim verbi כפר quo utitur Sapiens non semper ad *Redemptionem* proprie dictam pertinere, sed sæpius ad *Remissionem* et condonationem quam Deus peccatori pœnitenti indulget. Sic sæpe et Græci et Latinus reddunt, ut apud Isa. xxii. 14, quod in Hebræo est אם יכפר העון הזה לכם, Græci ita reddunt, εἰ οὐκ ἀφεθήσεται ὑμῖν αὕτη ἡ ἁμαρτία, Lati. "si dimittetur iniquitas hæc vobis." Sic c. xxvii. 9, יכפר עון יעקב, Græci ἀφαιρεθήσεται, Lati. *dimittetur*. Ita planus erit sensus: Misericordia et veritate redimi, id. remitti et deleri iniquitatem, quia qui misericordiæ et veritati studet, ita Deo gratus est ut non possit non peccati remissionem obtinere. 5. Ut verbum כפר non tantum ad *remissionem* peccati sed etiam ad *ablationem* et remotionem moralem rei potest referri, ut Isa. xxviii. 18, "Delebitur fœdus vestrum cum morte," id. abrogabitur, Heb. וכפר, Græci per ἀφελεῖν reddunt; commode potest hic sensus applicari, ut non tam quid per misericordiam et veritatem seu exercitium earum fiat *coram Deo*, quam quid fiat in *nobis*, scilicet earum virtutum studio fieri ut ex hominum animis et vita auferatur et abstergatur iniquitas. Et hoc optime respondebit verbis sequentibus quibus additur, "In timore Dei declinari a malo," quia timor Dei est frænum potentissimum quo a peccato cohibemur. Ita duabus istis sententiis, ut sæpe in hoc libro fieri solet, una eademque veritas continebitur, quæ Timoris divini et charitatis studium et fructum commendabit; sed nihil pro satisfactionibus humanis inde exsculpi poterit.

XIII. Alter qui ex Daniele petitur locus, licet hunc subinde urgere soleant, minus adhuc habet roboris, et quem ex hac sua hypothesi ne exponere quidem commode possunt, nedum ut ex eo dogma suum probare valeant. 1. Certum est ex eorum sententia satisfactiones fieri tantum a piis et iis qui sunt in Ecclesia, quibus scilicet et culpa et pœna æterna jam condonata est; At hic Rex ut notum Ethnicus fuit idololatra et ab Ecclesia Dei alienus: Quomodo illi vere suadere potuit ut satisfaceret pro pœnis temporalibus, qui pœnis æternis adhuc erat obnoxius? 2. Satisfactionem volunt positam esse in operibus quibusdam pœnalibus et laboriosis; At hic de *Justitia* agitur, nam quod Græci et V. V. reddunt per *Eleemosynam* in Heb. est צדקה: Quis vero dixerit justitiam inter peccati pœnas censeri posse? 3. Volunt per satisfactiones pœnas demum temporales redimi, non culpam, vel pœnam æternam; At nihil tale ex hoc loco colligi potest, in quo non *pœnæ* cujusdam temporalis, sed tantum *iniquitatum* et *peccatorum* fit mentio. Ita si, quod pertendunt, peccata eleemosynis tanquam vera satisfactione proprie redimi vult Propheta, sequitur ut non modo pœnam temporalem, sed et æternam, non modo pœnam, sed et ipsam culpam expiari intelligant, nulla enim discriminis ex Prophetæ verbis afferri potest ratio, cum peccatorum tantum meminerit: At hoc non dixerint Adversarii. Et hoc Vasquez non potuit diffiteri qui hunc locum negat huc referri debere. Frustra vero Bellarm. lib. iv. de Pœni. cap. 8, conatur elabi dicendo, Peccatum sæpe sumi pro pœna peccati; Nam licet non diffiteamur peccatum nonnunquam pœnam ipsam connotare, nunquam tamen hoc fit sine aliquo ad noxam respectu, ita ut cum redimi dicitur peccatum non possit pœna sola intelligi sine culpa, ut nec culpa sine pœna.

XIV. 4. Tota vis argumenti nititur verbo *Redimendi* quod non extat in textu originali, sed verbum פרק quod prima et usitatissima significatione nihil aliud est quam *abrumpere*, *abstrahere* et *convellere*, quo sensu sumitur, Exod. xxxii. 2, "פרקו נזמי הזהב separate" id. detrahite "inaures aureos," V. V. "tollite," LXX. περιέλεσθε; sic Gen. xxvii. 40, 1 Reg. xix. 11; inde ducto

tropo *liberare* nonnunquam significat, quia qui liberatur, ab eo quo implicatus tenebatur quodammodo avellitur: At quocunque modo sumatur nullam satisfactionem importabit. Nam si ad posteriorem referas, notabitur quidem liberatio, sed non liberationis modus per satisfactionem aliquam aut λύτρον; Imo nec potest quidem, quia vis vocis infert potius liberationem per potentiam quam per justitiam: præterquam quod ne quidem de peccatis dici potest, quum non peccata, sed peccatores hoc sensu redimantur. At si priori sensu vox intelligatur, quod omnino convenientius ducimus, de abruptione peccati et vitæ immutatione, facilia erunt et expedita omnia; suadebit scilicet Daniel Regi impio et superbissimo, qui abjecto omni Dei hominumque timore per immanem avaritiam et crudelitatem dominatus fuerat, ut cursum vitæ anteactæ abrumpat, et plane contrariam ineat viam, summa non tantum justitia, sed etiam benignitate præcedentis tyrannidis labes eluendo; sic impendens exitium forsan aversum iri et Deum hac conversione commotum res in melius conversurum: Quo pertinent verba sequentia, "si forte erit prorogatio tranquillitatis tuæ;" quasi diceret, Exercuisti, o Rex, violentam et injustam dominationem, oppressisti humiles, spoliasti pauperes, et per omne genus peccatorum impune es grassatus: At nunc, si vis effugere iram Dei imminentem, debes vitam plane immutare et pro injustis exactionibus, pro violentia et oppressione, referre misericordiam et justitiam, et sic injurias beneficentia resarcire, et abrumpere cursum peccatorum tuorum ut melius tibi sit. Sic notabit quidem conversionem et pœnitentiam esse unicam evitandi Dei judicii viam; Sed de satisfactione Dei justitiæ facienda ne cogitarit quidem, tantum abest ut illam hic commendarit.

XV. Nec alio respiciunt loca quæ apud Prophetas passim de pœnitentia agunt, ut necessaria ad remissionem peccatorum vel pœnarum relaxationem obtinendam. Non negamus enim pœnitentiam *conditionem* esse absolute necessariam ad id ut venia peccatorum obtineatur. Non negamus etiam sæpe per eam fieri ut calamitates imminentes et judicia Dei vel declinentur vel mitigentur. Negamus tantum esse *pœnam satisfactoriam* aut compensationem qua satisfiat Justitiæ divinæ: Quia longe aliud est evitare et declinare pœnas, aliud vero satisfacere; aliud rem obtinere, aliud eam per viam pretii et solutionis consequi. Quippe pœnæ istiusmodi ex Adversariis non mode graves sunt et molestæ eas ferentibus, sed etiam censentur indebitæ; At hæc quæ a Prophetis præscribuntur pœnitentiæ exercitia non modo non sunt gravia et dura, sed suavia et jucunda fidelibus, qui impense iis delectantur; Verum ita sunt debita ut nemo sine crimine ea prætermittere possit aut debeat. Præterquam quod in misericordiæ throno versantur fideles, ubi nullus datur vel operibus vel passionibus nostris ad satisfactionem locus, sed soli gratiæ et merito Christi; non vero in Legis foro ubi persona judicatur ex opere, non opus ex persona. Quod si aliquando opera quædam laboriosa cum pœnitentia videntur urgeri, ut jejunia, cilicium, &c., non ideo fit ut pro delictis aliqua apud Deum compensatio interveniat, sed tantum ut per ea veritas et sinceritas pœnitentiæ eo melius testata fiat.

XVI. 3°. Objiciunt Adversarii loca varia in quibus Deus post culpam dimissam dicitur tamen pœnas varias fidelibus immisisse: 1°. 2 Sam. xii. 14, Peccatum condonatur Davidi a Nathane, et tamen mors filioli illi in pœnam decernitur, "Quia blasphemare fecisti Dei nomen ab inimicis Domini, ideo puer qui tibi natus est morietur." 2°. Num. xiv. 20, Deus dicitur ignovisse Israëlitis murmurantibus, quibus tamen postea ingressum in terram Canaan interdixit: et in pœnam peccati mortem in deserto illis inflixit,

quod vocatur *ultio Domini*, ver. 34. 3°. Exod. xxxii. 10, 14, Deus testatur se peccatum idololatriæ ob preces Mosis dimisisse, et tamen propter illud peccatum multa millia Israëlitarum interficiuntur. 4°. Mosi et Aaroni peccatum incredulitatis proculdubio remissum est, tamen manet pœna luenda post culpam remissam, quia moriuntur in deserto, Num. xx. 24, et Deut. xxxii. 50, 51. Ex quibus et aliis similibus locis colligunt fieri posse ut remissa culpa propter Christi Satisfactionem, maneat tamen nobis luenda pœna quædam temporalis.

XVII. Sed non difficile est hoc etiam Adversariorum telum repellere, si modo distinguimus Pœnas *proprie* dictas, a pœnis *analogice* et improprie ita dictis, id. miseriis et calamitatibus. Non negamus enim varia pœnarum genera esse quibus Deus in peccatores animadvertit. Sed inter eas tamen magnum discrimen est constituendum. Quippe licet ab eodem omnes fonte profectæ videantur, peccato videlicet, cujus reatu "hæc malorum terris incubuit cohors," etsi facies externa nihil differat, finis tamen et modus diversissimus est. Nam ut *Deus* bifariam spectari potest, vel ut *Judex* vel ut Pater, ut Judex qui agit ex justitia ad vindictam, ut Pater qui agit ex amore ad correctionem; ut *homines* in duplici ordine censeri possunt, vel ut *impii* qui legis maledictioni subsunt, vel ut *fideles* qui recepti sunt in fœdus gratiæ; Ita duplex est Dei judicium, aliud *legale* vindictæ, aliud *Evangelicum* et paternum castigationis; Et *afflictiones* quæ hominibus immittuntur duorum sunt generum, Aliæ pœnis proprie dictis accensentur, quia peccatori ex ordine justitiæ divinæ infliguntur ad ultionem et satisfactionem Dei offensi, cujusmodi sunt illæ omnes quæ impiis et reprobis vel in hoc mundo infliguntur, vel in altero infligendæ sunt, Aliæ vero analogice tantum ita vocantur, quia non sunt pœnæ judiciales, sed paternæ; non ad vindictam, sed ad medicinam; non ex ira Judicis, sed ex amore patris; non ad destructionem, sed ad correctionem; non supplicia, sed remedia; non satisfactio præteritorum, sed præcautio futurorum; quales pœnæ sunt illæ omnes quæ fidelibus immittuntur, quæ juxta varios fines distribuuntur in tres species: 1. *παιδείαν* et *νουθεσίαν*, quæ est paterna castigatio quæ ad peccantium emendationem tantum pertinet, de qua Heb. xii. 6, 7, Apoc. iii. 19; 2. *δοκιμασίαν*, quæ est pietatis exploratio quæ refertur ad exemplum, de qua Jacob. i. 2, 3, ut visum fuit in Abrahamo et Jobo; 3. *μαρτύριον*, quod spectat doctrinæ cœlestis per proprium sanguinem obsignationem, de quo 2 Tim. i. 8, et Apoc. vi. 9.

XVIII. Non negamus quidem has calamitates *pœnas* posse dici *improprie* et *figurate*, et sic non raro vocari in Scriptura variis de causis: 1. Quia mala ista et afflictiones natura sua peccati sunt pœnæ et stipendium; Itaque quanquam fidelibus quibus propter Christum nihil pœnale amplius superest ferendum, non ad pœnam, sed ad medicinam et pietatis exercitationem infligantur; tamen quia hoc habent natura sua, mutato statu nomen adhuc retinetur antiquum, et pœnæ dicuntur quia olim fuerunt, et si non *formaliter*, at *materialiter* idem sunt cum eo quod impii patiantur, eadem calamitas utrosque sæpe premit, licet alio atque alio fine. 2. Quia ut in proprie dictis pœnis peccatum est occasio et causa impulsiva illarum, ita calamitates istæ ex occasione peccati et propter illud immittuntur; nisi enim peccatum esset nulla calamitas in mundo cerneretur. 3. Quia caro ipsa luere debet, vetus homo aboleri et destrui, et peccatum in carne condemnari et puniri; nec enim sufficit Christum in carne sua illud condemnasse, Rom. viii. 3, 4, et veterem hominem ac corpus peccati cruci affixisse ad deletionem reatus, nisi illud ipsum in carne nostra crucifigat et con-

demnet ad maculæ purgationem, Rom. vi. 6, 7, 8. 4. Quia ut pœnæ sontibus infliguntur ex Judicis arbitrio, et carni sunt graves ac molestæ; Ita non temere sed certa Dei dispensatione nobis immittuntur, et carni nostræ non parum sunt acerbæ et duræ. 5. Denique pœnæ possunt etiam dici ex sensu fidelium qui in paroxysmo tentationis Deum sæpe sibi iratum esse quæruntur: Nimirum quia sæpe infantes sunt adhuc, ideo servorum more, Dominus eos nonnunquam durius tractat, et faciem patris abscondit, ut vultum severum judicis ostentet; Itaque dum latet fides et justificationis sensus, pœnæ vis atque stimulus legis expergescit, Rom. vii. 24, 25, unde in eo sensu ejulant, et iræ divinæ fluctibus opprimi se arbitrantur; conqueruntur dexteram Excelsi esse mutatam, Psal. lxxvii. 10, et se projectos esse ab ejus facie. Ita cum Lex operatur iram, afflictio pœnalitatem videtur inferre; Cæterum ut dispensatio hæc legalis ad hominem tantum veterem compescendum pertinet, statim atque Lex Evangelica discussit tenebras istas, et homo eluctatus est ex gravi illa tentatione, tunc demum agnoscit sapientissimam hanc Dei œconomiam fuisse, qui non ex odio sed ex amore proficiscebatur, nec ad destructionem sed ad salutem tendebat.

XIX. Quamvis autem hisce et similibus de causis, pœnæ nomen afflictionibus piorum improprie et analogice possit tribui; Certum est tamen longe differre a pœnis impiorum, sive *principium*, sive *modum*, sive *finem* respicias. Nam 1. Quoad *principium;* Pœnæ impiorum ex ira Judicis immittuntur: Unde toties David orat, "Domine ne in furore tuo arguas me, nec in ira tua corripias me," Psal. vi. 1, et xxxviii. 1. At pœnæ fidelium ab amore Patris, quia "quem amat Deus castigat," Heb. xii. 6, Apoc. iii. 19. 2. Quoad *modum*, illæ cum ira Dei et maledictione conjunctæ, nulla temperantur gratia, et totum Dei furorem in impios effundunt; istæ ut a paterno affectu proficiscuntur leves sunt et moderatæ, quæ nusquam carent misericordiæ temperamento; Unde "virgis humanis" conferuntur, 2 Sam. vii. 14, quæ ita attemperantur infirmitati nostræ, ut Deus propterea non auferat benignitatem suam; hinc toties Viri Dei qui deprecantur priores illas pœnas, se grato animo et libenter istis submittunt: "Castiga me Domine," inquit Jer. x. 24, "sed in judicio, non in ira tua, ne forte imminuas me; Effunde furorem tuum in gentes quæ te non noverunt," &c.; Hab. iii. 2, "Quum iratus fueris misericordiæ recordaberis;" Quia non patitur "ut virga impietatis quiescat in perpetuum super sortem justorum," &c. Psal. cxxv. 3; "Si ad momentum abscondit faciem, colligit postea in miserationibus æternis," Isa. liv. 8. Ita modum semper adhibet Deus castigationibus suis ne ultra vires pii affligantur, 1 Cor. x. 13, vel toti malis absorbeantur. Cujus lenitatis rationem affert Dominus apud Isa. xlviii. 9, 10, "In igne repurgavi te," inquit, "sed non velut argentum; nam et ipse totus absumptus esses." 3. Quoad *finem;* Nam pœnæ impiorum ut ab ira et maledictione oriuntur, ita tendunt ad ultionem justitiæ et exitium peccatoris: Unde quicquid afflictionum in hac vita sustinent, nobis depingitur ut quoddam inferorum atrium, ubi æternam suam damnationem eminus jam conspiciunt, tantumque abest ut inde emendentur aut fructum aliquem percipiant, ut potius talibus præludiis ad dirissimam quæ eos tandem manet gehennam apparentur; hinc fremunt et calcitrant contra stimulum et in desperationis barathrum sese præcipitant. At fidelium alia ratio est; Nam afflictiones eorum non tendunt ad pœnam, sed ad medicinam, non ad destructionem peccatoris, sed ad interitum peccati, non ut ultrici justitiæ satisfiat, sed ut peccator vel emendetur vel probetur, ut caro crucifigatur, ut corpus peccati enervetur; atque ita homo fidelis

divinæ sanctitatis fiat particeps, Heb. xii. 10, hinc fideles divina ferula verberati placide se ejus manui submittunt, bonum sibi id fuisse agnoscentes, Psal. cxix. 71.

XX. Hanc fuisse sententiam Veterum de fidelium afflictionibus innumeris Testimoniis probari facile posset; Sed unum vel alterum nunc sufficiat. Minutius Felix in Octavio, "Quod corporis humana vitia sentimus et patimur, non est pœna, militia est; fortitudo enim infirmitatibus roboratur, et calamitas sæpius disciplina virtutis est." Chrysost. Hom. 41, in Matth. ad illa Pauli verba "dum judicamur a Domino corripimur, Νουθεσίας γὰρ μᾶλλον ἢ καταδίκης τὸ γινόμενον, ἰατρείας ἢ τιμωρίας, διορθώσεως ἢ κολάσεως; Nam quod fit est magis admonitionis, quam condemnationis, curationis, quam punitionis, correctionis, quam ultionis." Ita alibi de Jobi et Apostolorum perpessionibus loquens, hom. 28, in 1 Cor. ii., "Οὐ γὰρ δὴ κολάσεως ἦν ἅπερ ἔπασχον, ἀλλ' ἀγώνων καὶ παλαισμάτων; Non enim quæ patiebantur punitionis erant sed certaminum et luctarum." Sic in alio loco, "Verberatur filius, verberatur et famulus, sed hic ut servus quia peccavit punitur, ille vero ut liber et filius disciplina indigens castigatur; huic correptio in probationem et emendationem cedit, illi in flagella et pœnas." Sed supra cæteros August. et sæpe et disertissime hoc docuit; Nam contra Faustum Manich., l. xxii. c. 20, "Summus ille," inquit, "vitis agricola aliter parat falcem sarmentis fructuosis, aliter infructuosis; tamen non parcit nec probis, nec reprobis; illis purgandis, istis amputandis; nullus enim hominum est tanta justitia præditus cui non sit necessaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem." Sic de Civi. Dei, lib. i. c. 8, "Quicunque boni malique pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utique perpessi sunt; manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, et licet sub eodem tormento, non est idem virtus et vitium, nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tribula paleæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur; Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vastat, damnat, exterminat; Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur et laudant: Tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur." Idem eximie in Psal. cii., loquens de afflictionibus piorum, "Quod pateris unde plangis, medicina est tibi non pœna, castigatio non damnatio, noli repellere flagellum si non vis repelli ab hæreditate." Gregor. in Ezech. hom. 1, "Agit hoc divina misericordia, ut ex una eademque re in qua carnalibus dat flagellum, in spiritualibus virtutis præstet incrementum."

XXI. Quibus ita positis facile solvitur objectio proposita. Nec enim quæritur inter nos, An post culpam dimissam fideles possit et velit Deus exercere variis calamitatibus, et pœnis improprie et analogice ita dictis. Agnoscimus enim ultro sæpissime istas locum habere in Dei dispensatione erga filios suos, ut vel castigentur, vel probentur, vel in posterum cautiores reddantur. Fatemur hunc esse sapientiæ divinæ ordinem in fœdere gratiæ constitutum, ut per varias afflictiones in regnum cœlorum ingrediamur, et nemo ἀναιμωκτὶ coronam gloriæ obtineat. Sed quæritur tantum, An pœnis proprie ita dictis quibus justitiæ divinæ satisfit obnoxii adhuc sint vel possint esse ex quo semel veniam peccatorum sunt consecuti. Hæc enim constanter negamus. Nec Adversarii hoc ex locis allatis evincere unquam poterunt, in quibus castigationum quidem paternarum exempla occurrunt, sed non pœnarum judicialium; ut ex singulorum examine patebit.

XXII. Nam ut ab exemplo Davidis, quod primum proponit Bellarm., ordiamur. Fatemur quidem mortem filioli quæ illi prædicitur a Nathane post remissum peccatum occasione peccati et propter ipsum fuisse inflictam, ut ejus sensu magis magisque percelleretur. Non negamus etiam fuisse pœnam Davidi paternam, castigatoriam, et medicinalem, qua de præterito peccato confusus erudiri debuit, ne in posterum tale facinus auderet. Sed pœnam proprie dictam quæ a Judice irato ad vindictam et satisfactionem justitiæ inflicta sit negamus. Neque hoc ex duplici ratione quam affert Bellarm. colligi potest. Non ex prima ducta ex his Prophetæ verbis, "Quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter hoc verbum filius tibi natus morietur," quæ videntur ostendere pœnam hanc imponi in ultionem peccati præteriti, non in emendationem futuri; Nam ex eo quidem bene colligas peccatum istud fuisse occasionem et causam inflictionis istius calamitatis; Sed non statim inde elicere poteris, eam fuisse ejus pœnam. Imo satis expresse innuit Vir Dei hanc non tam ad *pœnam* quam ad *exemplum* infligi; nimirum, ut ingens per istud peccatum datum erat profanis hominibus scandalum quasi Deus adulteros et homicidas in sinu suo foveret, debuit hoc quicquid erat scandali ea ratione sarciri, ut documentum esset graviter Deo displicere talia peccata, adversus quæ tantam offensionem in dilecto filio suo declarasset, atque ita divinæ domus disciplina turpissimo hoc scelere violata aliquo exemplo sanciretur, ne vel ipse David, vel alii, ejus exemplo libidinibus vel cædibus in posterum indulgerent. Non ergo infligitur in pœnam sed in medicinam. Nec contrarium potest elici secundo ex eo quod David lachrymis, jejunio, precibus, &c. mortem hanc deprecatur, quod non facturus fuisset vir sanctus, si sibi utilem agnovisset, ut ait Bellarm. loco cit. Nec enim novum est ut sancti deprecentur eas calamitates quas cæteroquin sciunt in bonum a Deo converti, quia hæc est naturæ nostræ indoles ut quicquid est durum et molestum statim refugiat et procul a se amoliri conetur: sic Paulus qui noverat gravem illam crucem sibi a Deo impositam non pœnam esse præteriti, sed remedium futuri, ne scilicet magnitudine revelationum extolleretur, non minus tamen illam deprecatur, 2 Cor. xii. 7, 8, plane sicut æger, cauterii molestiam, et medicinæ amaritudinem vehementer deprecatur, licet eam non pœnam sed remedium esse non dubitet; Ita si David mortem filioli ægre tulit, eamque precibus suis et jejunio avertere conatus est, efficitur quidem ex eo gravem illi et acerbam fuisse hanc mortem, sed non potest inde exsculpi vel propriam ejus pœnam fuisse, vel nullum habuisse ad ejus emendationem usum.

XXIII. Non dissimilis est ratio alterius castigationis quæ dicitur immissa Davidi et toti Israëli ob numeratum populum, 2 Sam. xxiv. 10, 11, 12. Nam licet certum sit hoc flagello Deum testatum fuisse quantopere peccatum illud sibi displicuisset, atque ita tum ad publicum omnium seculorum exemplum, tum peculiariter ad privatam Davidis humiliationem pertinuerit; Licet hæc calamitas non tantum Davidem respexerit, sed et populum qui aliis peccatis eam erat commeritus, et quam occasione peccati Davidis illi immisit; Non sequitur tamen propriam pœnam fuisse Davidi quæ ad vindictam respexerit. Imo contrarium satis aperte colligitur ex peste quam seligit, ut "incideret in manus Dei potius quam hominum, quia multæ sunt ejus misericordiæ," ver. 14. Quia vero horrendum est incidere in manus "Dei irati," Heb. x. 31, debuit omnino David manum "Dei placati" et misericordis intelligere, Atque adeo gravissimum hoc flagellum de severa Patris correptione interpretari, qui non potest filiorum errores et crimina dissimulare et sine disciplina prætermittere;

non vero de pœna aliqua satisfactoria et judiciali ad ultionem peccati sibi imposita.

XXIV. Quod vero subjicit Bellarm. ibid. cap. 2, Deum morte sæpe plectere filios suos ob peccata, non utique ad emendationem, ridiculum enim esset dicere morte puniri homines ut deinceps cautius vivant, sed ad satisfactionem; Non majoris est ponderis. Quippe, 1. etsi mors ad emendationem non infligeretur, non sequitur statim imponi ad satisfactionem, nam præter duos istos fines varii possunt alii esse quos sapientia Dei intendit in suorum morte. Quidni enim dicemus ideo mori ut reliquiæ peccati penitus aboleantur, et homo fidelis ex statù terreno et animali qui *carnis* et *sanguinis* nomine solet indigitari, 1 Cor. xv. 50, ad statum spiritualem et cœlestem vitæ beatæ traducatur, et ita quæ inferorum erat atrium et peccati pœna per se, fiat jam Dei beneficio porta cœli et immortalitatis instrumentum? Quidni mors possit in multis esse *Exercitatio pietatis* quales Martyrum mortes fuere, et variorum fidelium qui paulatim morbis vel senio confecti ex hac vita discedunt? Quidni censeatur esse multis beneficium, quos scilicet Deus per mortem liberat a jugo peccati ut propius sibi admoveat, vel quos immatura morte tollere vult, ut infantes, ne malitia mutet intellectum eorum, ut habet author Sapien., c. iv., ut eximantur a tentationibus mundi et miseriis vitæ, et coronentur ante certamen? Sic bene dicetur immitti non tam in castigationem præteriti, quam ad cautionem futuri, ad præcavenda scilicet et vitanda peccata quæ admissuri fuissent si diutius vixissent. 2. Licet mors actu jam immissa non possit ad emendationem respicere, quando post mortem nullus amplius pœnitentiæ locus esse potest; Quidni denuntiatio vel cogitatio mortis imminentis possit esse potentissimum ad vitam emendandam incitamentum? ut fideles qui incautius vivebant in seipsos descendentes et peccata sua seria pœnitentia deflentes Deo reconcilientur, et iram venturam fugiant; Sic non punientur homines morte ut deinceps cautius vivant, quod revera ridiculum esset asserere, sed mortis illis incumbet necessitas ut hæc cogitatio a peccato eos retrahat, et ad sanctitatem excitet.

XXV. Secundum exemplum quod affert Bellarm. petitur ex Exod. xxxii. 28, ubi tria millia Israëlitarum dicuntur interfecta propter peccatum adorati vituli; Nec tamen credibile est omnes illos in peccato mortuos esse; inquit, cum Dominus testatus sit se ob Mosis preces peccatum illud dimisisse. Sed neque exemplum istud ad rem facit. Nam quamvis dicatur Deus precibus Mosis iræ impetum aliquatenus repressisse, ne populum penitus deleret, ver. 14, tamen nec dicitur remisisse peccatum, quod gratis supponit Adversarius, cum, ver. 31, pro ejus remissione Moses oret, nec eos per hanc pœnam Deo satisfecisse. Fateor vindictam hanc quæ a Levitis Mosis jussu sumpta est respectu impiorum qui in numero fuerunt veram et proprie dictam pœnam fuisse, et dubium non est quin plurimi si non omnes ex iis fuerint, quum verisimile sit in duces et primarios idololatriæ authores justum Levitarum furorem exarsisse. Sed si qui fideles et pii eorum exemplo abducti ejusdem pœnæ socii fuerunt, non continuo pœnas justitiæ ultrici exsolvisse hac morte censendi sunt. Sed tantum castigationem paternam ad propriam salutem et cæterorum exemplum subiisse; Vel si pœnam esse vis, *pœna* erit tantum *politica* inflicta a Mose ut supremo Reip. Israëliticæ rectore ex Legum præscripto, qui cum populum videret immani scelere contaminatum, pro muneris sui ratione exemplum in nocentiores statuendum existimavit. Quod vero addit Dominus, ver. 34, se "visitaturum in die ultionis peccatum ipsorum," infert quidem Deum etsi intercessione Mosis motum manum tunc retraheret ad tempus,

tamen propter illud-ipsum peccatum eos esse castigaturum, quum aliis peccatis eum irritarent, sed non dicit se pœnas de iis sumpturum; Imo non obscure contrarium elicitur ex antecedentibus, in quibus Deus jubet Mosem præire populo, et pollicetur Angelum suum itineris ducem, quæ non Judicis irati, sed benigni Patris sunt argumenta; Itaque *visitatio* hæc de qua loquitur, non est iræ, sed amoris, non ultionis propriæ dictæ, sed castigationis paternæ, quomodo non raro vox ista usurpatur, Psal. lxxxix. 32.

XXVI. Tertium exemplum extat, Num. xiv. 20, ubi Deus dicitur ignovisse Israëlitis murmurantibus et tamen postea in pœnam ingressum in terram Canaan interdixisse, cum omnes in deserto mori voluit exceptis solis Josua et Caleb qui non murmuraverant, Et hanc fuisse pœnam dubitari nequit cum expresse dicat Dominus, "Et scietis ultionem meam," ver. 34. Verum frustra est dum ita ratiocinatur. Nam primo perperam affertur exemplum numerosæ gentis ubi agitur de Satisfactione quæ debetur a singulis; Nec si remissum dicitur peccatum, potest intelligi respectu omnium et singulorum, sed tantum eorum qui crediderant et conversi fuerant; Itaque si qui increduli remanserunt, mors et interdictio terræ Canaan revera fuit pœna et vindicta, sed piis et fidelibus disciplina. Nec contrarium suadet vox *ultionis* quam Dominus addit; Nam præterquam quod, uti jam diximus, potuit locum habere resp. impiorum, et resp. piorum ultionem improprie dici nihil obstat castigationem Dei, quia ob peccatum infligitur et ad exemplum, quomodo et pœna non raro vocatur, Accedit quod vox, Heb. תנואה non *ultionem*, sed potius *fractionem* et lacerationem significat a radice נוא quod in Hiph. est *rumpere* et *irritum facere;* Ita poterit referri ad abrogationem promissionum per concessionem ironicam, qua Deus in detestabilem eorum superbiam invehitur, qui propter exclusionem a terra promissa videbantur Deum inconstantiæ et mendacii arguere, ac si non staret promissis; quasi diceret, Cognoscetis an ego sim mendax, et an inanis sit futurus meus sermo; Imo facile percipietis effectum promissionum mearum, licet toti populo indiscriminatim proponantur, non pertinere tamen ad rebelles et incredulos, sed tantum in piis locum habere, quorum respectu manent semper firmissimæ. Sic objurgabitur quidem incredulitas Israëlitarum; sed ad ultionem et vindictam locus non poterit referri.

XXVII. Quartum a Bellarm. allatum exemplum est Mosis et Aaronis qui propter incredulitatem suam quod Deum ad petram non glorificassent mortui sunt in deserto ut refertur, Num. xx. 24, et Deut. xxxii. 50, 51. "Jam nemo," inquit, "est qui neget Mosem et Aaronem post peccatum illud in gratiam Dei rediisse, mansit ergo pœna luenda post culpam remissam." Sed ex antedictis facile hoc quicquid est difficultatis solvitur. Non negamus enim calamitatem hanc velut paternam castigationem mansisse post culpam remissam; tum ut ipsi peccati sui gravitatem agnoscentes humiliter coram Deo procumberent, et sese ad mortem imminentem accingerent; tum ut aliis exemplo essent, dubitari enim non potest, quin acerrimus ad eos omnes pungendos stimulus fuerit tanta Dei severitas in S. Sacerdotem et populi Rectorem qui prius sua intercessione sæpius Deum placaverant; ut sic Deo vivere discerent superstites, cum nequidem charissimis capitibus parcere voluisset. Adde quod in morte Mosis mysterium aliquod latere voluit Dominus, ut scilicet innueretur non Legis vi cujus Moses minister fuit, patere ingressum vero Israëli in Canaan cœlestem, sed per Evangelii gratiam, Christi Domini nostri auspiciis et ductu, cujus Josua non nomen modo, sed et typum ferebat, ut Apost., Heb. iv., satis clare hoc innuit.

XXVIII. Addunt Adversarii *Judicium* Dei etiam exerceri in Fideles, Imo ex Petro, c. iv. 17, 1ª, "incipere a domo Dei," Judicium autem post se necessario trahere aliquam pœnam. Resp., Judicium duplex esse: aliud *vindictæ* quod ab irato Judice proficiscitur, aliud *castigationis* quod est benevoli Patris. Illo Deus inimicos suos persequitur ad interitum; Isto filios et amicos exercet ad salutem. Illud est maledictionis signum; Hoc amoris. Ut Judex quum facinorosum punit, in ipsum delictum animadvertit, et de facinore ipso pœnam expetit: Sed Pater cum filium severius corrigit, non hoc agit ut vindicet aut mulctet, sed magis ut doceat, et cautiorem in posterum reddat. Petrus non de primo loquitur, sed de secundo, unde Græca scholia bene notant *κρίμα* hic usurpari, non *ἀντὶ κατακρίματος*, sed *ἐξετασίας*, quomodo usurpatur etiam, 1 Cor. xi. 31, "Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique *ἐκρινόμεθα* judicaremur;" Ut vero ostendat se non de Judicio vindictæ, sed paternæ castigationis loqui statim addit, "*κρινόμενοί δὲ* cum judicamur autem a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur." Ad quem locum optime Chrysost., *Οὐκ εἶπεν, εἰ ἐκολάζομεν ἑαυτοὺς, εἰ ἐτιμωρούμεθα, ἀλλὰ μόνον εἰ ἐπιγνῶναι τὰ ἁμαρτήματα ἐβουλήθημεν, εἰ καταδικάσαι ἑαυτοὺς, εἰ καταγνῶναι τῶν πεπλημμελημένων, ἀπηλλάγημεν ἂν καὶ τῆς ἐνταῦθα, καὶ τῆς ἐκεῖσε τιμωρίας*, Non dixit, si castigaremus nos ipsos, si puniremus, sed solum si vellemus agnoscere peccata, si nos ipsos condemnare, si de delictis ferre sententiam, liberaremur ab eo quod et hic et illic est supplicio." Ita Claudius Guillaudus ex Adversariis, "Dum judicamur, non dicit punimur, non pœnas damus, sed corripimur et erudimur, ut ostendat has afflictiones (quibus hic judicari a Domino dicimur, admonitionis esse magis, quam damnationis, medicinæ quam supplicii, correctionis quam pœnæ." Hinc est quod Judicium dicatur "incipere a domo Dei;" Quia licet totius mundi Judex sit Deus, specialiter tamen providentiam suam in Ecclesia vult agnosci, ita ut videatur quodammodo reprobis parcere, prout in electos severus est; Ut paterfamilias in suos potius quorum singularem curam habet, quam in servos et alienos animadvertit: Ita Deus judicia sua temperat, ut reprobos qui servi sunt Diaboli et peccati relinquat sæpe sine disciplina et multa eorum scelera toleret et ad ea veluti conniveat, Sed filios suos quos præ cæteris diligit, promptius etiam corripit, non modo quia peccantes adversus majorem lucem, magis etiam Deum offendunt; sed etiam quia quos tenerius amat eos diligentius castigare solet ut ad meliorem frugem redeant, et sanctitatis suæ fiant participes, Heb. xii. 10, 11, nihilque in domo Dei occurrat quod tanti Numinis puritati et gloriæ non respondeat.

XXIX. *Vindicta* porro illa de qua loquitur Apost., 2 Cor. vii. 11, et quam inter fructus salutaris pœnitentiæ refert, sententiam Adversariorum, ut pertendit Bellarm., confirmare non potest? Nam sive intelligamus per eam (quod facit major pars Interpretum, cum Veteribus) *Excommunicationis sententiam* quæ a Corinthiis in incestuosum ex Pauli præscripto lata fuerat; sive, quod alii volunt, referamus eam ad *exercitium pœnitentiæ* et contritionis, qua homo peccator sibi irascitur et in seipsum quodammodo sævit ob crimen admissum; nulla hic Satisfactionis poterit esse ratio. Nam respectu prioris licet Excommunicatio *pœnam* inferat *Canonicam* et Ecclesiasticam ad scandali reparationem et exemplum, non potest censeri tamen pœna satisfactoria respectu Dei, de qua quæritur; Quia satisfactio fit pro peccato cujus jam remissa est culpa; At excommunicati culpa non remittitur donec excommunicationis vinculis solvatur: Tum satisfactio dicitur opus laboriosum a peccatore sponte susceptum ad expiandum pœnam temporalem, quod de excommunicatione nemo dixerit. Non respectu

posterioris, quia vindicta quam de se sumit peccator eo quidem tendit ut acerrimo dolore tanquam acri stimulo instigetur ad resipiscentiam et emendationem, et ut ardentius misericordiam Dei imploret, sed non eo respicit ut Dei justitiæ per pœnam satisfaciat, quod nec possibile est homini, nec necessarium post præstitam a Christo Satisfactionem: Fuerit ergo *pœna*, si vis, *contritionis* qua peccator in seipso punit et mortificat peccatum suum, et penitissimo dolore veluti perfodit et crucifigit, non repugnabimus; Sed non pœna *Satisfactionis* quæ a Deo Judice ad ultionem inferatur.

XXX. Ejusdem est commatis objectio quæ petitur ex alio Pauli loco 1 Cor. ix. 27, in quo dicit se "castigare corpus suum et in servitutem redigere, ne forte, cum aliis prædicarit, ipse reprobus efficiatur." Nam verba ipsa Apostoli satis innuunt hunc laborem suum et exercitium qualecunque fuerit ad futurum respexisse, non ad præteritum, atque adeo nonnisi perperam ad pœnam et satisfactionem referri. In eo autem loco Paulum figurate loqui clarum est, et in similitudine antea posita et ab agonibus petita qui tum in Græcia notissimi erant, ad describendum indefessum suum in vocatione sua studium pergere. Nam postquam dixit, ver. 25, "Omnis qui in agone contendit ab omnibus est continens, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam," Addit sibi applicans et suo exemplo alios excitans, "Ego igitur sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo." Exponit scilicet certaminis sui modum et rationem, ad similitudinem veterum athletarum. Nam ut qui currebant, palmam et metam semper præ oculis habebant ne a recto tramite unquam declinarent, et ad eum continuato et indefesso cursu ferebantur; Ita Vir Dei non currit in incertum, sed relictis omnibus iis quæ sunt a tergo, contendit ad interiora ad scopum et brabium cœlestis vocationis respiciens, Phil. iii. 13, 14. Ut illi pugiles scilicet non in aërem incassum, sed certis et destinatis ictibus adversarium ferire conabantur, et ut possent melius hoc exequi, corpus solebant in servitutem redigere, non molliter et ex sua libidine quibusvis cibis utendo, sed difficilem et duram vivendi rationem juxta leges gymnasticas sectando; Ita Paulus testatur se in hoc certamine sese comparare, ut non incassum laboret, et tanquam ludibundus pugil in pugna umbratili gladio aërem verberet, sed ut certis ictibus adversarium contundat et confodiat; "Ideo," inquit, "corpus meum castigo et in servitutem redigo." Ὑπωπιάζειν, quod V.V. vertit *castigare*, proprie dicuntur pugiles, cum pugnis aut cæstibus antagonistam obtundunt et vulnerant, unde ὑπώπια vulnera sunt ex contusione accepta quibus facies præsertim, vel aliæ corporis partes luridæ redduntur ex collecto ad cutim sanguine. Sic δουλαγωγεῖν σῶμα est illud duriter habere molesta et difficili vivendi ratione quam instituere tenebantur necessario qui ad certamen se parabant, certis cibis rebusque abstinendo quæ corpus frangere et ad mollitiem corrumpere poterant. Porro per *Corpus* non intelligit Apost. carnem suam quasi eam loris aut flagellis laceraret aut chamæuniis marceraret, (quod Adversarii ex hoc loco sed ridicule elicere contendunt, siquidem non magis castigatio ista proprie est intelligenda, quam cursus et pugna de qua loquebatur, quam metaphoricam esse nemo non videt,) sed notat quicquid erat carnis et veteris hominis in ipso reliquum, quod alibi vocat "corpus peccati," Rom. vi. 6. Ita designare voluit non modo frænationem carnalium affectuum, sed totius carnis mortificationem, abstinentiam a crapula, et omni libidinum genere, denique quarumvis afflictionum tolerantiam.

XXXI. Hoc pacto non satisfaciebat Deo Paulus, sed carnem suam

vere contundebat et mortificabat "ne postquam aliis prædicaret ipse reprobus efficeretur;" Ubi ad rem Athleticam rursus alludit. Mos enim fuit ut athletæ, antequam ad certamen descendere fas esset examinarentur, et si convicti criminis alicujus aut vitii fuissent voce præconis cum ignominia reprobarentur et rejicerentur; Quo pertinent ista Aristidis oratio suasoria de non agendis Comædiis: "Etenim," inquit, "Athletarum facimus ἐγκρίσεις delectus, ut si quis ipsorum sit nauci seipsum pudefaciens discedat, pœnas etiam dans corpore," &c. Quomodo in hastiludiis et torneamentis olim legibus cavebatur ut si quis manifeste reus esset, vel impietatis contra Christianam fidem, vel læsæ majestatis, vel raptus, et violentæ expugnationis virginum, adulterii, homicidii, aut similium flagitiorum publice vapulans ejiceretur. Sic Paulus dicit se ita comparare in vita sua sedulo pietatis et sanctitatis studio ut doctrinæ vita respondeat, nec aliter agat aliter doceat, ne aliorum præco ipse reprobatus et rejectaneus deprehendatur. Quid enim turpius Doctori, quam cum culpa redarguit ipsum? Quid ignominiosius quam si quis Præconis agens officium alios proclamando et traducendo, mox ad certamen descendens et inter pugiles nomen suum adscripturus ipse reprobetur et turpiter rejiciatur? quod est in veteri adagio, "Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, Aliorum medicus ipse scatens vulneribus."

XXXII. Sic ex Scripturis diversimode pugnant Adversarii. Agunt etiam rationibus quibusdam, sed non felicius. 1°. Ex *misericordiæ et justitiæ nexu.* In omnibus Dei actionibus, inquiunt, misericordia juncta est cum justitia, et hæ virtutes pariter elucent, nec possunt ab invicem divelli; Ergo consentaneum est rationi, ut sic Deus ex misericordia condonet, ut etiam justitiæ quoad ejus fieri potest satisfieri velit. Resp., Sed 1. supponunt quod probandum fuerat, In omnibus Dei actionibus misericordiam semper jungi cum justitia. At non erat mens Jacobi, cap. ii. 13, qui, "Judicium sine misericordia futurum adversus eos qui usi non fuerunt misericordia," testatur. Quis dixerit misericordiam exerceri erga Diabolos, et justitiam erga Angelos? In inferis sola Justitia locum habet sine misericordia, in cœlis sola misericordia sine Justitia; virtutes quidem istæ nunquam separantur in Deo, sed potest tamen exercere actus unius sine exercitio alterius; Imo nec possunt locum habere respectu ejusdem; quia sese mutuo tollunt, et circa contraria occupantur; Misericordia dat veniam; et Justitia imponit pœnam, illa salutem hominis, ista exitium spectat. 2. Quamvis non negemus in salutis negotio admirabile visum fuisse istarum virtutum temperamentum, non in eo tamen consistit ut quibus peccata remissa sunt per misericordiam, ab iis satisfactionem exigat justitia; hoc enim et absurdum esse et bonitati ac justitiæ divinæ contrarium antea evicimus: Sed in eo positum est quod justitia in Christum sponsorem sese exeruerit ut satisfaceret pro nobis, et misericordia in nos quibus imputatur Christi obedientia. Illum punivit ut nobis parceret, Ab eo pœnas nobis debitas poposcit, ut nobis veniam indulgeret; Atque ita et summe Justus in Filii morte, et summe Misericors in fidelium salute deprehensus est.

XXXIII. 2°. A ratione *Capitis et membrorum.* Nam si æquum est ut membra sint conformia Capiti, æquum est etiam ut quemadmodum Christus satisfecit, idem etiam post eum præstemus; et cum ipso patiamur, ut cum eo regnemus, Rom. viii. 17. Resp., Conformitatem cum Christo postulare quidem ut ad ejus instar patiamur sequentes ejus vestigia, sed non ut eodem fine aut modo patiamur, multo minus ut satisfaciamus prout satisfecit. Nam ut bifariam Christus in opere Redemptionis spectari potest, Vel ut *Sponsor* qui solvit et solvendo acquirit salutem, Vel ut *Caput* quod acquisitam fidelibus per sui unionem salutem applicat; Et ut fideles vel habent

rationem *Reorum* qui sunt redimendi, vel *Membrorum* quæ sunt sanctificanda; Ita duplex est passionum Christi σχέσις. Nam vel habent rationem λύτρου quod pro nobis solvi debuit, Matth. xx. 28, 1 Pet. i. 18, 19, vel ὑπογραμμοῦ et ὑποδείγματος quod nobis ad imitandum proponitur, 1 Pet. ii. 21, Joh. xiii. 15. Priori sensu nobis communicari nequeunt *transitive* et inhærenter, sed tantum *imputative;* quia sub illa σχέσει ad Christum pertinent Satisfactorem; Sed posteriori communicantur efficaciter et per *Imitationem*, quia pendent a Christo Sanctificatore qui implere debet in membris, quod perfecit in capite. Ita nobis quidem est patiendum cum Christo, si cum ipso glorificari volumus, quia ad id prædestinati sumus, ut nemo coronam gloriæ cum Christo ferat in cœlis, quin cum ipso coronam spineam gestarit in terris: Sed non ideo necesse est ut satisfaciamus quemadmodum ille satisfecit; hoc enim est imputationis fundamentum, non imitationis objectum. Imo propterea Christus satisfecit ut a satisfaciendi necessitate exsolveremur.

XXXIV. 3°. Argumentantur a *Reliquiis peccati* quæ in nobis remanent. Si peccatum, inquiunt, quasdam sui reliquias in anima impressas dimittit, et quædam velut vestigia quæ remisso peccato remanent, necesse est ad illas reliquias abolendas ex charitate satisfacere, et actus illis contrarios exercere; At verum prius: E. Resp., 1. Damus reliquias peccati varias in nobis manere etiam remisso peccato, et quidem sæpe tales quæ suspiria et gemitus a fideli amarissimos eliciant dum videt se ab iis non raro αἰχμαλωτίζεσθαι et sub jugum Legis membrorum denuo retrahi, Rom. vii. 22, 23. Sed istæ reliquiæ qualescunque demum sint non tolli debent per satisfactionem, sed per *sanctificationem*, et continuum pœnitentia exercitium; quia non pertinent ad culpam quæ remissa est in judicio Dei, sed ad *maculam* quæ in nobis manet, et quæ quotidiano pietatis studio debet paulatim mundari, ut contrarii sanctitatis et justitiæ habitus a Spiritu Sancto nobis inditi magis ac magis roborentur et perficiantur. Ita commendat quidem ratio allata sanctificationis necessitatem, quæ toto vitæ nostræ decursu debet continuari ad reliquias istas peccati eradicandas, sed nihil facit pro satisfactionibus de quibus loquimur, quæ tendunt ad reatum pœnæ temporalis auferendum.

XXXV. 4°. Disputant ex *Peccatorum ante et post baptismum admissorum discrimine.* Cum enim peccata quæ post baptismum admittuntur et post acceptam cognitionem veritatis graviora omnino sint et inexcusabiliora iis quæ admittuntur in mediis naturæ tenebris, graviores etiam pœnas proculdubio merentur; Unde omnino "par erat," inquit Bell. lib. iv. de Pœn. c. 5, "ut Deus ministris suis mandaret ut peccantes post baptismum non sine mulcta injuncta ad indulgentiam divinam per januam reconciliationis admitterent." Resp., Sed nequicquam ita argutatur. Quamvis enim non negemus gravius peccare eos qui post baptismum et in media Evangelii luce peccant iis qui nulla dum salutaris gratiæ cognitione vel sensu sunt imbuti, atque adeo graviores omnino pœnas mereri, si ipsis pro talibus peccatis satisfaciendum esset; Negamus tamen ullas propterea illis imponi posse vel debere pœnas satisfactorias, quia eo ipso quo supponuntur esse fideles, omnia ipsorum peccata tam ante quam post baptismum commissa censentur in sanguine Christi expiata et remissa, 1 Joh. i. 7. Ita ut nulla amplius hoc pacto purgatis et Deo reconciliatis possit esse condemnatio, ut supra visum. Fatemur quidem talibus majori et acriori opus esse pœnitentia ad id ut peccatorum istorum remissionem consequantur, atque adeo ministros Dei ad eam fortius hortari eos debere; sed non propterea sequitur hanc illis ut pœnam satisfactoriam imponi, quæ ἀνύ-

στατος est cum remissione quam obtinuerunt; sed tantum ut conditionem et dispositionem in subjecto requisitam ad talis beneficii participationem et sensum.

XXXVI. 5°. Varias Satisfactionis utilitates commemorant. 1°. Quod utilissimum sit peccatori ut non maneat penitus impunitus, ne ex veniæ facilitate ad peccandum iterum incitetur. 2°. Quia non solum coercet a peccando, sed etiam admonet quanta sit peccati gravitas, et eo modo animam erudit et illustrat, atque ex eo lumine ingens quoddam odium peccati nascitur ut jam non timore pœnæ, sed amore justitiæ in actionibus bonis perseveretur. 3°. Inservit ad habitus peccati eradicandos et virtutum inserendos. 4°. Denique ad exemplum, quia ex pœna unius, præsertim si publica sit, sæpenumero corriguntur multi. Hæc et similia Bellarm. habet, lib. iv. de Pœn. c. 5, ut necessitatem satisfactionis commendet respectu fidelium pro quibus Christus satisfecit. Resp., Sed hic non uno modo fallitur. Primo quod rei necessitatem et veritatem metitur ex qualicunque ejus utilitate, cum contra de utilitate non sit agendum, nisi prius constiterit de ejus veritate, et institutione; E., licet daretur aliquam esse satisfactionis utilitatem, non sequeretur tamen statim eam admittendam esse ut genuinam, nisi constaret eam a Deo præscriptam esse. 2. Tantum abest ut ulla utilitas sit in satisfactione, ut magnum inde oriàtur et gloriæ Christi et pietati detrimentum: Quippe et satisfactioni Christi multum detrahit, homines ab ea quadantenus abducendo, et inter sanctos et ipsum opus salutis partiendo, ut antea visum; Et pacem adimit conscientiis quæ nunquam certæ esse possunt, an per eas satisfactiones quas ipsæ sibi indixerunt, vel quæ impositæ sunt ab aliis, revera Deo sit satisfactum, et ita semper inter spem et metum fluctuabunt. Quæ vero utilitates hic finguntur, præter rem afferuntur; Nam præterquam quod nihil tale ex ludicris istis satisfactionibus colligi potest, satis aliunde tum ex morte Christi, tum ex exercitio veræ pœnitentiæ hi fructus habentur. Quippe ut ex illa luculenter colligimus quanta sit peccati gravitas et quam certum sit apud Deum inultum non relinquere peccatum: Ita ex ista odium peccati magis magisque nascitur, habitus vitiosi paulatim eradicantur et boni confirmantur, exemplumque aliis ad idem studium præbetur: Ut nihil opus sit pœnas satisfactorias propterea contingere.

XXXVII. 6°. Denique a Veterum scriptis multum subsidii sperant quia frequens apud ipsos Satisfactionis mentio, qua non tantum satisfieri pro peccatis, sed et ipsi Deo non raro profitentur. Resp., Verum licet nostrum non sit præstare omnia Veterum dicta tum in hoc tum in aliis doctrinæ capitibus, quando illis non stamus vel cadimus; Facile tamen si instituti nostri pateretur ratio, inanem istam Adversariorum esse jactantiam demonstrari posset, atque adeo Satisfactionis vocem sæpius quidem ab iis usurpari, sed alio plane quam Adversarii usurpare solent sensu. Nam *Satisfactionis* nomine Veteres sæpe publicam *Exomologesim* intelligunt, quæ pertinet ad Ecclesiasticam disciplinam et pœnas Canonicas, et quia hæc ratio publice satisfaciendi Ecclesiæ, modo maneat intra limites verbi Dei, ab ipso Deo profecta est; eo fit ut Veteres aliquando dicant eos qui sic Ecclesiæ satisfaciunt, Deo quoque satisfacere, id est, id observare quod a Deo institutum est. Deinde vox Satisfactionis aliquando a Veteribus ita late usurpatur ut ipsam pœnitentiam et seriam imprimis cordis contritionem innuat, significatione ex eo deducta quod apud Latinos Scriptores *satisfacere* is dicitur *qui id facit quod offenso placet.* Cum ergo opera pœnitentiæ summe Deo sint grata, possunt dici per ea homines Deo hactenus satisfacere, non quod tantum fecerint quantum legis jura a peccantibus exi-

gunt, sed quantum summæ Dei misericordiæ et liberalitati satis est, ut innumeris exemplis ostendi posset, si id nunc ageremus. Ita longe differunt Satisfactiones Veterum a Papisticis. Illæ satisfaciebant pro peccatis ipsis, At istæ tantum pro pœnis; Illæ præcedebant remissionem peccatorum, At istæ sequuntur; Illæ reparationem scandali Ecclesiæ dati et exemplum respiciebant, Istæ vero ultionem peccati et Justitiæ divinæ Satisfactionem. Sed ἅλις δ᾽ἐρυὶς. Nec enim nobis constitutum est hoc argumentum nunc persequi, et ea omnia expendere quæ ad Satisfactiones humanas pertinent, de quibus alias, si Deus dederit, fusius dicendi erit locus. Quid superest ergo, nisi ut agnita *perfectissima* Christi *Satisfactione*, in ea sola, missis vanissimis hominum satisfactionibus acquiescamus, et uno Christo contenti, omnem ab eo justitiam et salutem nostram expectemus? ut ita omnia in omnibus nobis sit hic in terris per fidem, donec tandem sit omnia in omnibus in cœlis per aspectum. *Amen.*

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE CIRCULO PONTIFICIO.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE CIRCULO PONTIFICIO.

Respondente ELIA SAURINO, *Pratalgidensi.*

I. Inter varia argumenta quibus Orthodoxi uti solent adversus Pontificios in vexatissima quæstione de *Authoritate* Scripturæ, notum est urgeri potissimum ab illis Circulum quo isti perpetuo in ea demonstranda oberrant, dum Scripturam ex Ecclesia, et rursus Ecclesiam ex Scriptura probare satagunt. Quia vero ut se ab hoc expediant absurdo diversa captare solent effugia, atque adeo, quem illis Circulum objicimus, nobis vicissim impingere non verecundantur, quasi Scripturam ex Spiritu, et Spiritum ex Scriptura demonstramus; Non inutile nobis visum est aliquam in hoc argumento breviter enodando operam collocare, tum ut justitiam accusationis nostræ contra Adversariorum exceptiones tueamur, tum ut injustitiam criminationis ipsorum, firmata sententiæ nostræ veritate, evincamus.

II. Duo E. nobis hic demonstranda erunt: Primo, justissime a nostris progressum circularem objici Pontificiis in stabilienda fide sua de Authoritate Scripturæ, Neque posse hoc incommodum quibuscunque ipsorum commentis tolli. Secundo, iniquissime talem circulum sententiæ nostræ impingi. In antecessum vero pauca quædam in genere de Circulo prænotanda erunt, ut constet quid sit, et quare vitiosa sit argumentandi ratio.

III. *Circulus*, Græce κύκλος, vocatur probatio reciproca qua unum ex altero vicissim concluditur et demonstratur, atque ita metaphorice dicitur, quod circuli instar videatur in se recurrere, ut quum demonstrata ex propositionibus conclusione, ex ea vicissim eædem propositiones demonstrantur, sitque ex conclusione propositio, et e propositione conclusio; De hoc Aristoteles non semel egit, peculiari vero in i. et ii. libro priorum Analyt. c. 5, 6, 7, ubi Circularem demonstrationem qua prisci quidam Philosophi omnia sciri posse asseverabant, absurdam et inutilem esse efficaciter ostendit. Quidam distinguere solent Circulum in logicum et ἄλογον sive sophisticum. *Logicus* duobus dicitur constare syllogismis, quorum alter ex altero deducitur et formatur, dum primi conclusio fit una præmissarum in secundo, eidemque altera, sed conversa jungitur. Unde sequitur conclusio quæ fuerat major primi syllogismi; v. g., Omnes justificati per

Christum pacem cum Deo habent; At omnes credentes sunt justificati: E. omnes credentes pacem cum Deo habent. Unde deducitur posterior syllogismus, Omnes credentes pacem cum Deo habent; Omnes justificati sunt credentes: E. omnes justificati pacem cum Deo habent. Vel simpliciter fit cum illud quod pro medio sumitur in priori syllogismo fit conclusio in posteriori, et quod conclusio erat in priori fit medium in posteriori: Sic, Quicunque pacem habent sunt justificati; fideles pacem habent: E. fideles sunt justificati. Jam resumendo conclusionem pro medio, Quicunque sunt justificati pacem habent; Fideles sunt justificati: E. fideles pacem habent. Ita ex pace tanquam effectu probo justificationem, et vicissim ex justificatione ut causa probo pacem. Verum licet nonnullis hæc argumentandi ratio dicatur Circulus, melius tamen aliis vocatur *Regressus* qui locum habet in conversione demonstrationis ὅτι in demonstrationem διότι, et vice versa, cum ex effectu ad causam fit progressus, et rursus a causa ad effectum; ignota causa ex effectu notiore colligitur, et postea regrediendo ex eadem causa distincte cognita idem effectus demonstratur.

IV. Circulus E. proprie loquendo nullus datur nisi vitiosus, cum scil. fit progressus in infinitum ex probationibus, et vel idem per seipsum, vel dubium per dubium ambitu quodam in se sine fine recurrente demonstratur. Duo autem requiruntur potissimum in Circulo, ut sit formalis et perfectus: prius est, ut *ab eodem in idem fiat;* alterum ut per *eandem fiat viam* idemque causæ genus, servato eodem notitiæ genere, seu ut alii loquuntur, nulla nova cognitione terminorum comparata. Hinc Tannerus, Disp. de fide, spe et charitate, et Gretserus in tract. de agnoscendis Scripturis, c. 14, "Circulus," inquiunt, "est progressus ab eodem ad prorsus idem, nulla interim terminorum variatione, quoad notitiæ rationem interveniente," quod tum accidit, quando consequens ex antecedente illatum nulla alia præterquam antecedentis notitia fultum et probatum, mox ad sui antecedentis probationem assumitur, v. g. ut Aristotelis exemplo utamur, Circulus erit si ex A demonstremus B, et rursus ex B demonstremus A, et utraque sit potissima demonstratio, quæ per causam proximam declaret propter quid effectus sit. Regressus vero est inter causam et effectum quando reciprocantur, et effectus nobis est notior quam causa, cum enim semper a notioribus nobis progrediendum sit, prius ex effectu noto causam ignotam demonstramus, deinde causa cognita ab ea ad effectum demonstrandum regredimur, ut sciamus propter quid est. Unde patet inter circulum et regressum hoc interesse, quod in regressu prior processus sit demonstratio *quod*, posterior vero demonstratio *propter quid;* At in Circulo uterque processus est demonstratio *propter quid*.

V. Circulus autem talis consentientibus Philosophis admitti non potest, quia sequeretur idem esse se ipso prius et posterius, notius et ignotius, causam et effectum, quod ne imaginando quidem fingi potest, ex quo enim assumitur ad probationem alterius, prius debet esse et notius, propter quod enim unum quodque tale, et illud magis tale debet esse; eo ipso vero quod ex altero probatur et demonstratur, posterius et ignotius eo esse necesse est. Dices idem objici posse regressui, fore scil. idem notius et ignotius; nec salvari potest instantia si dicas, Causam notiorem fore effectu secundum naturam, Effectum vero notiorem causa secundum nos, Nam utraque demonstratio fit propter nos, non propter naturam, ideoque utraque procedere debet a notioribus secundum nos. Resp., aliam esse utrobique rationem, nam neque est eadem via nec eadem cognitio, quippe in priori progressu si causa ex effectu colligitur effectus notior est secundum nos

causa *cognitione confusa*, at in posteriori ubi ex causa effectus probatur causa notior est secundum nos effectu *cognitione distincta*, in primo fit processus a *posteriori* per demonstrationem τοῦ ὅτι, in secundo vero a *priori* per demonstrationem τοῦ διότι; non est E. processus ab eodem ad idem, quamvis enim sit ab effectu ad eundem effectum, tamen finis demonstrationis non est effectus præcise, sed ejus scientia, hæc autem non est eadem in fine regressus ac in principio, nam exordium sumitur a notitia ejus confusa, et finis est notitia ejus distincta et perfecta, progressus E. fit a notitia confusa ad distinctam, a cognitione quod sit, ad cognitionem propter quid sit. At in Circulo est processus ab *eodem ad idem*; nam in utroque progressu medium est proxima causa majoris extremi, in demonstratione propter quid, itaque processus est a cognitione distincta ad eandem ut distinctam, id. per eandem plane viam; quo nihil absurdius concipi potest.

VI. Hoc vero semel posito, facile demonstratur Pontificios inexplicabili Circulo sese implicare dum Scripturæ authoritatem probant. Nam ubicunque fit progressus ab eodem ad idem eodem modo cognitum et per eandem viam, ibi non potest non Circulus esse formalis et proprie dictus. At sic procedere Pontificios in hoc negotio ex eorum praxi et doctrina patet. Nam propter Ecclesiæ in testificando infallibilitatem fide divina creditam credunt Verbi authoritatem fide divina, et rursus propter Verbi Dei authoritatem fide divina creditam credunt Ecclesiæ infallibilitatem in testando. Hic est processus ab Ecclesiæ infallibilitate fide divina credita ad eandem infallibilitatem eodem modo creditam, ideoque ab eodem ad idem per eandem viam. Dicamus clarius: Si quæritur a Pontificiis, Unde constet nobis Scripturam esse Canonicam et divinam, Respondent ilico, hoc fieri propter Ecclesiæ testimonium, quia Ecclesia dicit, inquiunt; Sed si regeris, cur Ecclesiæ creditis? quia Spiritu infallibili ducitur, adjiciunt; Sed et hoc quamobrem creditis? quia Scriptura testatur, reponunt, quod sit columna et stabilimentum veritatis, 1 Tim. iii. 15, quod habeat promissionem Spiritus S., Joh. xvi. 13, &c. Jam si rogas denuo, Quomodo certus esse possum de veritate Testimonii hujus in Scriptura? quia Scriptura Dei verbum est, aiunt. At Cur creditis Dei Verbum esse? quia Ecclesia quæ Spiritu infallibili ducitur, dicit, respondent. Itaque eo revolvuntur unde fecerant disputandi initium. Neque hic vel diversa quæstio occurrit, vel diversa via, utrobique enim de ratione et argumento propter quod credimus quæstio instituitur, non de facultate aut instrumento per quod credimus; quippe cum Scripturam ex Ecclesia probant, id ita intelligunt, ut propter Ecclesiæ Testimonium tanquam argumentum inartificiale fides Scripturæ adhibeatur, id est, ut Testimonium istud sit causa propter quam credimus; rursus cum Ecclesiæ infallibilitatem ex Scriptura demonstrant, istud Scripturæ Testimonium volunt esse causam et argumentum propter quod credimus Ecclesiæ; ut infra probabitur. Itaque fit processus ab eodem ad idem a cognitione distincta, et propter quid, ad eandem cognitionem; quæ vera et propria est Circuli ratio formalis.

VII. Hinc patet Pontificios procedere in infinitum in probationibus suis, nec ullum *primum credibile* habere cui primo fides nitatur, et in quod ultimo resolvatur, quod absurdorum omnium absurdissimum. Nam si daretur aliquod primum credibile, vel esset *Scriptura* vel *Ecclesia*; at neutrum dici potest ex eorum hypothesi: Non Scriptura, quia creditur propter Ecclesiam, nec persuaderi quis potest de ejus veritate et authentia nisi ex infallibili Ecclesiæ testimonio; Non Ecclesia, quia creditur propter Scripturam, nisi enim Scriptura Veritatem et Authoritatem ejus infallibilem doceret, fides nostra nunquam in ejus testimonio acquiescere posset. Sic

processus est infinitus a Scriptura ad Ecclesiam et vicissim ab Ecclesia ad Scripturam, nec in æternum, quicquid moliantur, sese ex hoc inexplicabili labyrintho et inextricabili laqueo quo irretiti tenentur expedire poterunt.

VIII. Conantur tamen variis modis elabi; utque facilius scopum hunc assequantur, diversa distinctionum latibula quærunt, in quæ ut ipsis quidem videtur tuto se recipere possint. Sed si facem veritatis paulo propius intulerimus, falsitas earum et εὐλυσία statim patebit. Varii varie respondent; nos præcipuas tantum responsiones attingemus et quæ majorem habent veri speciem, cæteris missis quæ vel ad rhombum non faciunt, vel per se nullo negotio refelli possunt. Primus hic in aciem prodit Gregor. de Valentia, To. iii. disp. 1, q. 1, punct. 1, § 10, distinguens 1°. *Causam principalem* propter quam credimus, et *conditionem requisitam* ad credendum. Ecclesiæ infallibilitatem dicit credi ob Verbi authoritatem, tanquam ob causam principalem propter quam credimus; At Verbi authoritatem credi ob Ecclesiæ testimonium non tanquam ob causam credendi principalem, sed tanquam ob conditionem requisitam ad Verbi authoritatem credendam, ideoque progressum hic fieri quidem ad idem, sed per diversam viam. 2°. Distinguit causam *fidei secundum se* in qua tanquam in principali credendi ratione acquiescit fides nostra, a causa *acceptationis fidei* quæ primum nos impellit et movet ut incipiamus credere; si de causa fidei secundum se quæratur, sistendum esse gradum in revelatione divina tanquam in ultimo resolutionis momento, quia revelatio divina sit unica ratio fidei nostræ in qua proinde acquiescendum: at Ecclesiæ testimonium esse causam acceptationis fidei, quia, ut illi loquuntur, est prima janua qua ad libros Canonicos credendos itur, seu motivum quo inducti volumus credere; quæ etiam responsio est Becani in opusculo suo de Circulo Calvinistico.

IX. Sed uterque vel fucum facit et ludit in terminis, vel aperte causam deserit. 1. Si Ecclesiæ testimonium non est causa principalis credendi, E. propter illud non creditur Verbi authoritas, E. fides in illud testimonium resolvi non poterit; At hæc ipsissima tamen est Pontificiorum doctrina; Bellarm. l. iii. de verbo Dei, c. 10, resp. ad arg. 13, "Non scimus certo quid Deus revelaverit nisi ex testimonio Ecclesiæ;" unde manifeste sequitur revelationem divinam non credi propter seipsam, sed propter Ecclesiæ testimonium. Sic lib. vi. de lib. arb. c. 3, "Credunt Catholici id quod credunt quia Deus revelavit, Deum autem revelasse credunt, quoniam Ecclesiam ita dicentem vel declarantem audiunt;" at hoc si verum est, Ecclesia erit proprie dicta causa credendi, non conditio tantum. 2. *Conditio* ad credendum requisita bifariam intelligi potest, Vel ut notet *instrumentum* tantum et ministerium per quod Scripturæ nobis traduntur et explicantur, Vel ut significet *fundamentum* aliquod quod argumenta et motiva suppeditet. Priori sensu si Valentianus *conditionem* intelligit, facile damus rumpi circulum, sed simul etiam abrumpitur consensus cum Pontificiis, qui Ecclesiam non tantum *instrumenti* locum obtinere contendunt, quod et nos facile largimur, sed et *fundamenti*. Si posteriori, quomodo necessario intelligere debet si sententiæ apud suos receptæ consentanea loquitur, jam Scripturæ non creditur propter seipsam, sed propter Ecclesiam; quod nolebat fateri, et manet semper circulus. 3. Frustranea est distinctio causæ *fidei secundum se* et causæ *acceptationis fidei*, nam quod fundat fidem secundum se, idem etiam aptum natum est ex se fundare acceptationem fidei, quia nulla dari potest fides in subjecto quæ eo ipso non acceptetur ab eo; Itaque si revelatio divina est causa fidei secundum se debet etiam esse causa acceptationis. 4. Meræ hic sunt ambages et captiones verborum; dicunt Scripturæ authoritatem credi debere propter reve-

lationem divinam, attamen nec docent, nec docere possunt ubinam sit illa revelatio. Nam vel est ipsa Scriptura, vel alia quædam revelatio extra Scripturam in traditione aliqua non scripta; Si est ipsa Scriptura, jam habemus quod volumus, scilicet Scripturæ authoritatem per ipsam scripturam sufficienter manifestari, et propter ipsam Scripturam credendam esse; Si est traditio quædam, eadem quæstio recurret de ea unde constet esse divinam, nec enim ex Scriptura, nec ex traditione ipsa, nec ex alia sciri poterit, quia eadem quæstio semper redibit, et sic in infinitum, quæ difficultas ita Valentianum constrinxit ut coactus sit manus dare et nobiscum fateri revelationem divinam non solum credi propter se ipsam sine alia revelatione, sed etiam revelare se ipsam, et divinam suam authoritatem nobis manifestare. "Fides," inquit, tom. iii. disp. 1, q. 1, p. 1, § 5, "præbet assensum revelationi ut revelatæ non per aliam revelationem sed per seipsam." 5. Si in revelatione divina sistendum sit, non opus erit ad testimonium Ecclesiæ progredi; at hoc præcipuum est sententiæ adversariorum fundamentum, ut jamjam vidimus, dum profitentur non posse certo sciri quid Deus revelaverit, seu hanc aut illam revelationem esse divinam, nisi ex Ecclesiæ testimonio.

X. 2°. Alii respondent non servari hic eandem viam; nam Verbi authoritatem credi propter Ecclesiæ testificationem infallibilem, tanquam propter aliquid notius nobis, et rursus Ecclesiæ infallibilitatem in testando credi propter Verbi authoritatem, tanquam propter aliquid prius et notius natura. Sic Malderus Episcop. Antuerp. in 2^am^, 2^æ^, q. 1, art. 1. Quo respicit etiam trita inter eos distinctio *Authoritatis quoad se et quoad nos;* Scripturam quidem authoritatem non habere *quoad se*, sed *quoad nos*, ab Ecclesia. Resp., Sed ut jam non excutiamus penitius distinctionem illam quam identidem reponere solent, satis esto notare vanam esse et plane incommodam, quia cum authoritas sit ἐκ τῶν πρός τι, absolute spectari non debet, ita quicquid dat authoritatem alicui rei quoad se, dat illi etiam quoad nos, et vicissim. Si E. Verbum habet quoad se authoritatem sine Ecclesia, debet et illam obtinere quoad nos sine ipsa, si vero illam obtinet quoad nos ab Ecclesia, pariter et quoad se; motivum enim propter quod adducor ad credendum Verbo, idem est quod ipsi Verbo quamcumque in se habet conciliat authoritatem. 2. Nodus solvi non potest prædicto effugio; nam facile concedimus ubi fit processus ab eo quod notius est nobis, ad id quod notius est natura, et vice versa, et ab effectu ad causam et vice versa a causa ad effectum, variari cognitionis rationem, et sic non esse proprie dictum circulum, nam notitia quæ priori processu acquiritur est confusa et imperfecta, alia vero quæ posteriori comparatur est distincta; Verum hic aliter se res habet, nulla enim est notitiæ variatio in circulo Pontificio, nam ut cognoscunt ex Ecclesiæ infallibili testimonio cognitione certa et fidei divinæ Verbi authoritatem, ita ex Verbo cognoscunt vicissim Ecclesiæ infallibilitatem notitia fidei divinæ; eadem utrobique fides est, eadem cognitio. 3. Supponitur falso propter Ecclesiam credi Scripturæ, cum uti diximus sit instrumentum et medium tantum ad fidem, non argumentum, et *per eam* non *propter eam* credamus; vel si motivi rationem aliquando induit, est tantum motivum secundarium et minus principale quod fidem in credente illustrare quadantenus potest, non fundare in infideli. 4. Si Ecclesiæ infallibilitas est nobis notior authoritate Verbi, ita ut propter illam credatur Verbi authoritas, E. credi debet ante Verbi authoritatem; vel E. creditur fide *divina* et infusa, vel fide acquisita et *humana;* Non fide divina, quia nulla datur talis fides quæ non nitatur verbo Dei, ut ipsimet fatentur; si acquisita, non potest idoneum esse fundamentum illius actus fidei divinæ quo Verbi Dei authoritas creditur, quicquid enim

est fidei Divinæ fundamentum, illud ipsum fide firma et infallibili credi debet.

XI. 5. Duplex potest dari cognitio: alia confusa, alia distincta et certa: Ecclesia potest *notior nobis* esse Verbo cognitione confusa, quatenus primo in sensus incurrit, et Verbum ipsum adhuc ignotum instar Præconis et Interpretis nobis proponit et commendat; atque ita non negamus testimonium Ecclesiæ posse medium esse εἰσαγωγικὸν et ministeriale ad Scripturæ authoritatem credendam. Cæterum licet hoc pacto possit præparare et manuducere ad fidem, non potest tamen fidem ipsam ingenerare, vel fides illa erit tantum humana et fallibilis pro ratione fundamenti sui; quomodo Samaritana mulier se habuit ad concives suos Christo initiandos, non fundando ipsorum fidem, sed tantum excitando et ad ipsum manuducendo, unde ipsi profitentur se non propter verbum ipsius credere, sed propter sermones Christi, quia audiverant et viderant ipsi, Joh. iv. 42. Sed si agitur de cognitione *certa* et *distincta* quæ fundare debet fidem non humanam et probabilem, sed certam et divinam, de qua hic disceptamus, negamus Ecclesiam notiorem nobis esse Verbo, quia ex ipso Verbo tantum talis distincta Ecclesiæ cognitio peti potest. Hactenus ergo fallunt et falluntur Adversarii qui Circulum declinaturi miserum hoc subterfugium quærunt.

XII. 3°. Sunt qui ut ratiocinationem suam a circulo vindicent, excipiunt, tum demum circulum esse quando consequens ex antecedente illatum, nulla alia præterquam antecedentis notitia fultum et probatum, mox ad sui antecedentis probationem assumitur, secus vero esse quando consequens aliunde magis cognitum quam ex antecedente ad suum antecedens probandum assumitur; hoc vero in præsenti quæstione occurrere, quando enim propter Ecclesiæ testimonium creditur Scripturæ authoritas, tum Ecclesiæ infallibilitatem nón credi ex ipsius Scripturæ authoritate, sed ex *communibus fidei motivis.* Sic quando propter Scripturæ testimonium creditur Ecclesiæ infallibilitas, Scripturam tunc non spectari præcise prout ex infallibili Ecclesiæ testimonio discitur, sed prout ex communibus fidei motivis suadetur ejus authoritas; sic Gretserus ratiocinatur in tractat. de agnosc. Script. c. 4, et cum eo Tannerus, disp. de fide, spe et charit., thes. 80. Hoc ipsum latibulum quæsivit etiam Cardinalis Richelius in tract. Gallico de "convertendis iis qui ab Ecclesia secessionem fecerunt," lib. i. c. 10: "Ecclesiæ," inquit, "cognitio non pendet necessario a Scriptura, potest enim Ecclesia cognosci sine scriptura, quod patet ex eo quod a fidelibus agnita sit a creatione usque ad Mosem qui primus verbum Dei scriptis consignavit, et a primis Christianis antequam Apostoli eorumque discipuli Evangelium et libros N. T. conscripsissent, ita cum cognitio Ecclesiæ non pendeat necessario a scriptura, quamvis infallibiliter scriptura cognosci non possit nisi ex Ecclesia, non incurritur in circulum vitiosum qui idem per seipsum probat," &c. Quod si urgeas, quomodo nunc Ecclesia sine Scriptura cognosci possit, regerit Ecclesiam Roman. pro vera Ecclesia cognosci, 1°. Quia nunquam hactenus legitime falsitatis convinci potuit, 2°. Quia eas omnes notas et characteres obtinet quos ex lumine naturali veræ Ecclesiæ competere debere cognoscimus, puta antiquitatem, perpetuitatem, visibilitatem et alias id genus notas ex quibus ratio judicat de veritate alicujus Ecclesiæ; unde cum omnes in Ecclesia Rom. deprehendantur, ex eo sufficienter cognosci etiam sine scriptura veram esse Ecclesiam.

XIII. Quamvis vero mire sibi plaudant Adversarii in hoc commento, non difficile est tamen ejus absurditatem ostendere. 1. Quod supponitur Verbi authoritatem aliunde quam ab Ecclesiæ testimonio cognosci, ipsorum hypothesi aperte repugnat. Nam si revera credunt, ut passim profiten-

tur, Verbi authoritatem non posse credi certo aut cognosci, nisi ex infallibili Ecclesiæ testimonio, quomodo statuere possunt nobis aliunde innotescere, nisi a recepta sententia recedant? Fatemur quidem et agnoscimus Verbum aliunde quam ab Ecclesia probari, a *propriis* scilicet et insitis notis et characteribus suis, quos si per communia fidei motiva intelligunt, habebunt nos consentientes; sed eo ipso testimonii Ecclesiæ necessitas cadit. 2. *Motiva illa communia* quibus fidem niti volunt, vel certa sunt, vel non; si *certa*, corruit principium papisticum, nulla media sufficere ad fidem scripturæ nisi accedat infallibilis Ecclesiæ testificatio, ut antea diximus; si *non certa*, ut ipsi non diffitentur qui fidem hanc non divinam esse, sed conjecturalem et fallibilem et, ut ipsi loquuntur, *assensum prudentiæ prævIæ* agnoscunt, frustra sunt, qui per ea certi aliquid quærunt; nam fundamentum fidei certæ et infallibilis, debet et in se certum esse et a nobis certo cognosci et credi.

XIV. 3. Dico falsissimum esse vel Ecclesiæ veritatem vel infallibilitatem aliunde certo et vere cognosci posse quam ex verbo. Rationes sunt: 1. Quia Ecclesia in verbo fundatur et ab eo specificum esse suum obtinet, nulla enim Ecclesia sine vocatione, nulla vocatio nisi ex verbo, Eph. ii. 20. 2. "Fides est ex auditu," Rom. x. 17, auditus ex verbo, E. vel non credi potest et cognosci fide divina Ecclesiæ veritas, vel teneri debet ex Verbo. 3. Tutissimus et certissimus modus Ecclesiam investigandi est proculdubio per *notas et proprietates* Ecclesiæ, at vel per Ecclesiam vel per communia motiva, vel per Scripturam nobis manifestantur notæ Ecclesiæ, et de eis infallibiliter certi reddimur: Non per *Ecclesiam*, quia de Ecclesia ipsa quæritur, et notam oportet esse aliunde notam quam a re cujus est nota, præterquam quod vera Ecclesia iis qui eam investigant adhuc est ignota; non per *communia motiva*, quia, Primo, Sive certa sive incerta dicuntur, utrobique difficultas est, ut jamjam diximus. Deinde si hujusmodi motiva per se sufficiunt ad certitudinem fidei habendam in veritate Ecclesiæ, cur non etiam per se sufficiant ad habendam certitudinem fidei de authoritate Scripturæ? Et contra, si hæc per se et absque infallibili testimonio Ecclesiæ non sufficiunt ad certitudinem fidei habendam de Scripturæ authoritate, tunc neque per se sufficiunt ad certitudinem fidei habendam de Ecclesia. Tertio, motiva illa vel petuntur a ratione et lumine naturali, vel a lumine revelato in verbo; si ab hoc, coincidunt cum Scriptura; si ab illo, Ergo vel non fundabunt fidem divinam quæ tamen hic quæritur, vel fides erit ex ratione, et non ex verbo, contra Paulum, Rom. x. 17. Superest E. ut a Scriptura sola pendeat certitudo fidei nostræ de Ecclesiæ veritate, ut clare a solo verbo peti possunt veræ et genuinæ notæ et proprietates Ecclesiæ, quod autem de Ecclesiæ veritate dicitur, idem et de ejus infallibilitate dicendum, Quomodo enim extra Verbum cognosceretur, cum tota a Verbo pendeat et in eo fundetur? Quarto, Patres adstipulantur. August. ep. 166, "In scripturis didicimus ecclesiam;" et lib. de unit. Ecclesiæ, c. 3, "Non humanis documentis, sed divinis oraculis Ecclesia demonstratur;" et cap. 10, "Utrum ipsi," scilicet Donatistæ, "Ecclesiam teneant, nonnisi de divinarum scripturarum testimoniis ostendant." Author operis imperf. homil. 50; "Qui E. vult cognoscere veram Christi Ecclesiam, unde cognoscat nisi tantummodo per scripturas?" Quinto, Adversarii ipsi confitentur; Staplet. tom. i. princip. doctr. cap. 24, "Dicimus ergo et libentissime dicimus cum August. in scripturis quærendam esse Ecclesiam, id est quæ sint Notæ, dotes, et proprietates Ecclesiæ, ex Sacræ Scripturæ oraculis, non ex humanis, documentis investigandum esse;" Becanus in apolog. pro Jud. controv. cap. 3, 4, 5, 6, et 7, admittit hanc pro-

positionem tanquam veram, "Sola scriptura primario et infallibiliter terminat et definit quæstionem de Ecclesia per modum normæ;" Driedo Lovani. lib. ii. de dogm. Ecclesiæ, cap. iii. in solut. art. 4, "Fides," inquit, "non amplius ex personis probanda venit, sed ex sua fide probantur personæ sicuti ex Scripturis sacris cognoscitur ea quæ nunc est Ecclesia." Nec aliud sibi vult ordinaria Pontificiorum praxis qui cum urgentur a nobis circa veritatem et infallibilitatem Ecclesiæ suæ, unde scilicet credant Ecclesiam suam infallibilem esse, illico nos ad scripturam amandant et illustres promissiones quæ Ecclesiæ fiunt vel elogia quæ illi ibidem tribuuntur subinde regerunt, quod non facerent proculdubio, nisi fidem infallibilitatis Ecclesiæ non aliunde quam ex Verbo certo peti posse arbitrarentur.

XV. Neque hilum proficiunt Rationes Cardinalis. Prima enim pueriliter confundit Scripturam *materialiter* et *formaliter* consideratam, id. vel quoad *substantiam doctrinæ* vel quoad *accidens scriptionis*. Sane non diffitemur Ecclesiam fuisse cognitam sine Scriptura *formaliter* spectata, et quoad accidens scriptionis, si quidem per bis mille annos et amplius Ecclesia caruit verbo ἐγγράφῳ. Sed negamus cognitam fuisse sine Scriptura *materialiter*, id. sine Dei verbo, quod semper et ubique unicum fuit Ecclesiæ fundamentum, idem enim Verbum quod scriptis consignari voluit Dominus ad præcavendas Diaboli fraudes et hominum corruptelas, jam antea viva voce traditum Patriarchis fuerat in visionibus et somniis, et aliis revelationis modis, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, Heb. i. 1. Christiani vero etsi non haberent ab initio N. T. scriptum, habuerunt tamen Vetus quod perfectum fuit et sufficiens in suo genere, 2 Tim. iii. 15. Secunda Ratio absurde petit principium et supponit quod probandum erat, Ecclesiam scilicet ejusque notas ex lumine naturali certo innotescere posse; quod antea falsum esse demonstravimus, quia ex Verbo solo propriæ notæ et characteres Ecclesiæ peti possunt. Taceo quod pro veris notis eas nobis obtrudit quæ vere sunt nothæ et adulterinæ, ut *antiquitatem*, *visibilitatem*, &c. quæ nec soli Ecclesiæ, nec toti, nec semper conveniunt. Taceo quod hic sophistice a non distributo ad distributum ratiocinatur, ab Ecclesia in genere ad Romanam Ecclesiam hodiernam in specie, supponens eam esse veram Ecclesiam, quod nec concedere possumus, nec in æternum sunt probaturi. Nam quod ita præfidenter gloriatur suam Roman. Ecclesiam veram esse, quia nunquam falsi convinci potuit, in eo vel ignorantiam crassam prodit, vel impudentiam; quot enim et quanta Orthodoxorum volumina centum abhinc annis prodiere, quæ luce meridiana clarius demonstrarunt Ecclesiam Romanam sæpius errasse, et in eo statu quo res sunt, nec esse, nec haberi posse pro vera Christi Ecclesia: Et vel hoc solo argumento probari facile potest: Nam quæ Ecclesia doctrinam salutarem a Christo traditam non retinet, illa vera non potest esse Christi Ecclesia; At Ecclesia Romana talis est: E. Minor quæ proculdubio negabitur ab ipsis, facile cum ad Examen Doctrinæ deventum erit probabitur.

XVI. 4. Alii distinguunt *inter formale objectum* fidei et fidei *regulam;* fidem qua credunt Ecclesiæ infallibilitatem niti verbi Dei authoritate tanquam formali fidei objecto, fidem vero qua credunt verbi Dei authoritatem, niti Ecclesiæ infallibili testimonio, non tanquam objecto formali, sed tanquam regula fidei, ideoque circulum non esse formalem seu per eandem viam. Resp., Sed neque hac ratione evadere possunt, quod facile patebit si terminos distinctionis attendamus, et quid per *objectum*, quid item per *regulam* fidei intelligendum sit. Duplex ergo *objectum fidei* statuitur, *materiale* unum, alterum *formale; materiale* est id quod credimus

et per quod respondemus ad quæstionem *quid credis? formale* est id propter quod credimus et per quod respondemus ad quæstionem *cur credis?* v. g., ea omnia quæ in verbo Dei credenda proponuntur, ut Creatio mundi, providentia, redemptio, &c., sunt materiale fidei objectum, sunt enim id quod credimus, et per ea respondetur ad quæstionem quid credis? sed authoritas verbi est formale objectum fidei nostræ, quia est ratio formalis propter quam credimus omnia alia, et quæ non creditur propter aliud sed propter se. Jam *Regula fidei* diversum quid sonat ab utroque, nam nec est simpliciter objectum materiale sigillatim consideratum et in specie, nec est formale seu ratio propter quam credimus, sed dicit systema et collectionem omnium credendorum, seu principium secundum quod credere debemus; ita differt ab objecto formali diversimode: 1. *Regula fidei* se habet ad modum *causæ exemplaris* quam fides in omnibus sequi et cui se conformare debet; at *formale objectum* habet rationem *causæ objectivæ* seu fundamenti propter quod principaliter et formaliter credimus; 2. *Regula fidei* limitat et determinat eam latitudinem et extensionem quam fides habet in ordine ad objecta materialia, dum docet quot et quæ credenda sunt, sed *formale objectum* specificat, et fundat assensum fidei; 3. *Regula fidei* est comprehensio et συλλογὴ omnium credendorum; sed *formale objectum* est id propter quod et ipsam regulam et omnia quæ in ea credenda proponuntur fide divina credimus, unde fides nostra non resolvitur in ipsam regulam ultimo, sed in ipsum formale objectum.

XVII. Hoc posito vanitas exceptionis patet. 1. Recipimus confessionem quam veritas illis extorquet, fidem scil. niti authoritate Verbi tanquam formali objecto, nam si hoc bona fide profitentur et credunt, ultro manus dare nobis tenentur et causam pontificiam deserere; nam si est formale objectum, ergo ultima fidei analysis in Verbi authoritatem terminabitur, non vero in Ecclesiæ infallibile testimonium, quæ tamen recepta est apud adversarios sententia quam hic impugnamus: audiatur Staplet. lib. viii. princip. doct. cap. 21, "Formalis ratio fidei non est Deus revelans, sed ut sic id est per Ecclesiam," et in controv. relect. controv. iv. q. 3. artic. 2, hanc conclusionem ponit, "tota completa formalis ratio fidei nostræ ordinarie loquendo est Deus per Ecclesiam revelans." Si E. credunt formalem rationem propter quam credimus esse Deum loquentem per Ecclesiam, perperam dicunt doctores isti verbi authoritatem non niti infallibilitate Ecclesiæ tanquam formali objecto. 2. Et illud vehementer falsum est quod hic supponunt, Ecclesiam esse fidei regulam, solum enim Verbum, quod summam omnium credendorum complectitur, est norma illa plena et perfecta cui nihil vel addi debet vel detrahi, ut toties a Spiritu S. est præscriptum. Si E. Ecclesia non potest dici regula fidei, non potest verbum credi propter Ecclesiam tanquam propter regulam.

XVIII. 5°. Quidam confugiunt ad diversos respectus, tum personarum, tum regularum credendi. Nam aliquando esse diversas personas circa diversa errantes, v. g. quum alter Ecclesiæ, alter Scripturæ authoritatem negat, tunc nullum circulum admitti, si quis illum quidem ex Scriptura quam admittit de Ecclesiæ veritate convincat, et contra adversus hunc Scripturam probet per Ecclesiam de cujus infallibilitate non dubitat: sic Becan, in Tract. de Circulo Calvin. 2, caveri circulum ex diversis respectibus regularum credendi, quæ ut totidem causæ, sibique invicem causæ, ex mutua comparatione, magis illustrabiles et per se invicem sunt demonstrabiles, et tunc non esse circulum, sed regressum talem qualem in diversis generibus causarum, probant cum Arist. sapientiores omnes Philosophi. Resp., Sed neutra istarum responsionum difficultatem tollit. Non prima,

quia, 1. Non tantum arguimus adversarios quod circulariter progrediantur contra eos qui vel Scripturæ, vel Ecclesiæ authoritatem negant seorsim, sed etiam in stabilienda sua fide et in reddenda ejus ratione, dum credere se profitentur Scripturæ authoritatem propter Ecclesiæ testimonium, et rursus Ecclesiæ infallibile testimonium propter Scripturam, quamvis utramque admittant et neutram negent. 2. Hæc responsio supponit eum qui dubitat vel negat Ecclesiæ infallibilitatem posse ex Scriptura convinci, sed hoc expresse repugnat hypothesi adversariorum qui aperte profitentur, nullam controversiam sufficienter ex scripturis determinari, et nullum dogma ob scripturæ authoritatem firmiter credi posse, nisi accedat infallibilis Ecclesiæ testificatio et interpretatio: Et sane si audiantur nullum fidei fundamentum assignare possunt in quo eorum fides qui de Ecclesiæ infallibilitate dubitant sistere et acquiescere possit; Vel enim erit ipsa Ecclesia, vel Scriptura, vel Traditio non scripta; At neutrum dici potest: Non Ecclesia, quia ejus infallibilitas est id de quo dubitatur; Non Scriptura aut Traditio non scripta, quia harum authoritas et legitimus sensus ab infallibili Ecclesiæ testimonio ex adversariorum sententia necessario pendent, ac proinde nihil ob earum authoritatem simpli. credere possumus, nisi prius credamus Ecclesiam quæ illis testimonium perhibet esse infallibilem; unde patet neque hic habere ipsos ubi pedem figere possint.

XIX. Sed non tutius habent præsidium causæ suæ in vario respectu regularum credendi quæ et sibi mutuo sint causæ et per se invicem demonstrentur. Nam, 1. Gratis supponitur quod falsissimum est, dari plures credendi regulas, unica enim potest esse totalis et perfecta, alias si plures dantur neutra erit regula. 2. Reciproca demonstratio causarum potest institui in eum finem, ut ex comparatione mutua, non quidem primo et præcipue utraque probetur a priori, sed ut magis illustrentur tantum, earumque consensus appareat: Sed Pontificii longe aliter progrediuntur, probant Scripturam esse Dei verbum ex Ecclesiæ testimonio non ut fides jam inchoata magis confirmetur, sed ut scripturæ sua constet authoritas, quæ alioquin ei constare non posset, et rursus ex Scriptura probant Ecclesiæ infallibilitatem, ut Ecclesiæ sua constet authoritas, quæ aliunde sufficienter probari non potest; Ita volunt Scripturæ authoritatem necessario pendere ab Ecclesia, et vice versa Ecclesiæ authoritatem necessario pendere a Scriptura; quod ne imaginando quidem fingi potest, nam sic sequeretur Scripturæ Authoritatem non posse credi nisi prius credatur Ecclesiæ infallibilitas, vicissim Ecclesiæ infallibilitatem non posse credi nisi prius credatur Scripturæ authoritas, quod ἀσύστατον. 3. *Regressus* Aristotelicus longe differt a Circulo Pontificio: Nam 1. in regressu nova acquiritur cognitio, dum proceditur a cognitione confusa ad distinctam; Sed hic nulla nova accedit, proceditur enim ab authoritate verbi fide divina credita, ad eandem verbi authoritatem fide divina creditam. 2. In regressu est diversus processus ab effectu ad causam, a causa ad effectum, a demonstratione ὅτι ad demonstrationem τοῦ διότι, et vice versa, adeoque non potest idem esse causæ genus; Sed in Circulo Pontificio non est diversus processus, sed ejusdem ordinis et generis, nim. a causa objectiva fidei propter quam credimus, ad eandem causam objectivam, utrobique enim quæritur propter quid vel credatur Scripturæ authoritas vel Ecclesiæ infallibilitas.

XX. 6. Denique Staplet. in defensione authoritatis Ecclesiæ, lib. 3, c. 3, affirmat nihil esse absurdi si Ecclesiæ authoritas quoad nos ex Scripturæ authoritate pendeat, et rursus Scripturæ authoritas quoad nos ab Ecclesiæ authoritate pendeat, utrumque simul verum esse posse, Ecclesiam

mutuare suam authoritatem a Scriptura, et Scripturam itidem suam ab eadem ipsa Ecclesia; quemadmodum videmus Johannem testimonium perhibuisse Christo, et vicissim Christum Johanni, Johannem Evangelistam suo Evangelio, rursus idem Evangelium Johanni, &c. Resp., Sed hic multiplex est hallucinatio. 1. Aliud est *testimonium alicui perhibere*, aliud *authoritatem illi conciliare;* nec pro eodem recte sumitur, testimonium ab aliquo habere, et authoritatem omnem suam ab eodem mutuari; sane nihil obstat quominus mutuo testimonio commendarit Johannes Christum, et Christus Johannem, sed ut a Johanne suam authoritatem mutuatus sit Christus, id vero falsissimum, "Ego," inquit, "ab homine testimonium non capio, et habeo testimonium majus testimonio Johannis," Joh. v. 34, 36. Unde, Joh. i. 7, dicitur "Johannes venisse ut testimonium perhiberet Luci ut omnes crederent per ipsum;" bene dicitur *δι ἀυτοῦ per ipsum*, non *δι αὐτὸν propter ipsum*, quia erat tantum minister qui ducebat ad Christum, non fundamentum et causa formalis fidei in ipsum. 2. Confunditur testimonium necessarium et non necessarium. *Testimonium necessarium* est quando nulla certitudo de re testata quoad nos haberi potest, nisi per illud testimonium, seu quando pendet necessario et per se ab illo testimonio; Testimonium *non necessarium* est quod illustrat aut confirmat rem testatam, ita tamen ut res testata sufficienter aliunde certitudinem quoad nos habeat; duo diversi testes possunt sibi invicem testimonium perhibere, seque mutuo commendare, si agatur de testimonio, quod vel ex utraque vel ex altera saltem parte necessarium non est, qualia sunt mutua illa Testimonia Christi de Johanne Baptista, et Johannis Baptistæ de Christo, Johannis de suo Evangelio et Evangelii de Johanne: At si loquamur de testimonio necessario; omnino absurdum est et apertam contradictionem implicat dicere duorum testium authoritatem quoad nos per se et necessario pendere a mutuo eorum de se invicem testimonio, quia sic, ut dicebamus modo, idem se ipso notius erit et ignotius, v. g., si Ecclesia perhibeat testimonium quoad nos necessarium omni Dei Verbo, impossibile est ut fide Divina credamus hujus authoritatem nisi propter Ecclesiæ testimonium, non possumus autem credere aliquid propter Ecclesiæ testimonium, nisi Ecclesia prius apud nos suam obtineat authoritatem, nam propter quod aliquid scimus aut credimus, illud ipsum a nobis prius sciri et credi oportet, nulla enim ab ignotis fit legitima probatio. Jam si Scriptura perhibet testimonium necessarium quoad nos de Ecclesia, impossibile est ut credamus Ecclesiæ infallibilitatem nisi propter testimonium Scripturæ, non possumus autem aliquid credere propter Scripturæ authoritatem nisi Scriptura prius apud nos suam obtineat authoritatem: ita quamcumque in formam se vertant irretiti semper tenentur, nec in æternum se liberare poterunt ab inextricabili isto labyrintho. Unde patet quid statuendum de Religione illa quæ nullum fundamentum et principium fidei cui nitatur, et in quod resolvatur, assignare potest.

XXI. Sed forte quod aliis objicimus crimen ejus manifesti tenemur: hoc certe non semel ab Adversariis nobis impactum, unde Becanus et alii *Circulum* etiam *Calvinisticum* sunt commenti, quem mire exagitare solent. Videamus ergo quo jure. Scilicet objiciunt Nos *Scripturam ex Spiritu*, et rursus *Spiritum ex Scriptura* probare, atque hoc fieri non posse sine circulari progressu, quia ut Scriptura creditur esse Dei verbum ex interno Spiritus testimonio, ita Spiritus testimonium credi propter Scripturam, in qua Spiritus S. credentibus est promissus. Sic Becanus in Opusculo de Circulo Calvinistico. sect. 6, et Gretser. in tractatu de agnosc. Script. c. iv. Verum quam turpiter hic hallucinentur sola sententiæ nostræ declaratio ab-

unde docebit. Primo distinguendum censent accurate Orthodoxi inter *Causam efficientem* per quam credimus, et *objectivam* propter quam credimus, inter *principium* ἐνεργητικὸν quod fidem alicujus veritatis effective ingenerat, et *motivum* seu argumentum quod objective ad eam fidem adhibendam nos movet et excitat. Ut si de charitate quæstio sit, aliud est loqui de causa ejus efficiente per quam producitur, aliud de motivis quibus excitatur, causa efficiens unica et principalis est Spiritus S., motiva sunt argumenta illa varia quæ in Scriptura nobis exhibentur amoris ineffabilis quem Deus testatus est nobis in filio; Ita de fide pariter ratiocinari debemus, in hoc potissimum argumento, *Causa efficiens* nostræ fidei alia dari non potest præter Spiritum sine quo nec velle aut perficere, imo ne cogitare quidem possumus. Neque diffitentur ipsi adversarii, qui Spiritum ad fidem ingenerandam necessarium agnoscunt, ut Stapletonus sæpe testatur contra Withak. injuriamque sibi fieri ab eo queritur, quasi hoc negaret. Sed *causa objectiva* propter quam credimus est *Verbum ipsum* cum notis, seu potius criteria illa cœlestia et radii divinitatis qui in Verbo fulgent, et propria sua ac insita luce, majestate, ac splendore se ipsos probant, quemadmodum sol propria ac nativa luce seipsum demonstrat. Hinc juxta duplex illud fidei principium, duplex etiam quæstio nascitur ad quam diversimode potest responderi. Nam si quæritur de *causa objectiva* propter quam credimus Scripturæ divinitatem, respondetur esse ipsum Dei Verbum per notas suas insitas; si vero quæstio est de *causa efficiente* per quam et cujus vi credimus, dicitur esse Spiritus S. qui virtutem credendi nobis indit; atque ita verissime dicimus Scripturam demonstrari ex Spiritu, id est per ejus virtutem et efficaciam, quæ fidem ingenerat in animis nostris, quia vero facile quis et seipsum et alios decipere posset jactando Spiritum illum quem non haberet tamen, ideo ut quis persuadeatur de veritate illius Spiritus debet probari ex Scriptura ipsa, quatenus ipsa varias notas et criteria nobis subministrat, ex quibus dignoscimus an Spiritus ille qui in nobis est vere sit ex Deo necne, an Spiritus Christi an vero mundi; sic *Scriptura* probat *Spiritum* non *effective*, sed *objective* per rationes et argumenta quæ in ea elucent.

XXII. Unde jam luculenter colligitur Nos neque in fidei nostræ resolutione progredi in infinitum, neque in circulo agitari. Nam quoad prius, non potest dari progressus in infinitum, quia sistimus tandem in quodam ultimo credibili quod non propter aliud sed propter se creditur, nimirum in ipsa S. Scriptura, quæ creditur esse Verbum Dei non propter aliud, sed propter se; Posterius etiam patet, quia diversa quæstio est, quando enim probamus *Scripturam* ex *Spiritu*, hoc fit per modum *causæ efficientis*, quando vero probamus *Spiritum* ex *Scriptura*, progredimur per viam *causæ objectivæ*. In prima quæstione quæritur qua facultate credamus, sive sub qua dispositione in subjecto seu *per quid* credamus, in altera vero *quo argumento*, sive sub qua formali ratione in subjecto, vel *propter quid* credamus. Quare, cum diversæ sint quæstiones, nunquam petitur principium, vel ab eodem ad idem fit processus, fides enim tandem resolvitur diversimode in utrumque istud principium, in *Scripturam* tanquam in *causam objectivam*, seu formale objectum suum et primum credibile, quod Stapletonus vocat *principium doctrinale*, in *Spiritum* vero tanquam in *causam efficientem* principalem; si quæris unde norimus Scripturam esse divinam id est qua vi et facultate, Respondeo, per Spiritum Sanctum, qui testatur in corde nostro; si instas, unde norimus nos habere Spiritum S. id est, quo argumento, Respondeo, ex variis illis characteribus et effectis quæ in Scriptura Spiritui S. tribuuntur, quæ quum in nobis

deprehenduntur, inde certo colligimus Spiritum in nobis esse; si quæras ulterius unde sciamus tales effectus in nobis esse, non jam itur ad Scripturam quæ neminem nominat, sed hærendum in interna visione cordis, et in operatione Spiritus, cujus præsentia non potest aliter demonstrari quam a posteriori, ut vitam suam homo ex sensu et motu cæterisque vitalibus operationibus bene deprehendit. Si vero ex altera parte quæris unde sciam Scripturam esse αὐτόπιστον, sive quo argumento et propter quid? respondeo quia Scriptura est Verbum Dei. Si instas, unde sciam Scripturam esse Verbum Dei? non dicam jam id cognosci ex Spiritu, quia Spiritus est causa efficiens tantum, non objectiva, sed ex criteriis et notis cœlestibus quibus insignitur. Nec ultra tendimus; nam si quis urgeat denuo unde radios illos et notas perspiciamus, id est, quo argumento, respondeo, eum absurde facere, nihil enim est in hoc ordine argumentorum sive rationum in objecto superius, et rationes rationum perpetuo quærere dementis est, non secus ac rogare qua luce videamus lucem: ita immediate et propter se in genere causæ objectivæ creditur Verbo, quamvis ad hoc credendum maxime necessaria sit interna illa operatio Spiritus Sancti, qui intellectum efficaciter movet in genere causæ effectivæ, ad credendam Scripturæ authoritatem: quemadmodum assentimur scientiarum principiis propter se, licet ad illum assensum producendum necessarius sit habitus ille mentis qui habitus principiorum et intellectus dicitur. Quæ luce meridiana clarius evincunt, male nobis circulum impingi, quia probamus divinitatem Scripturæ *per Spiritum* non *propter eum*, sed veritatem Spiritus probamus *ex Scriptura objective*, non *per eam efficienter*.

XXIII. Dices, sed multi tamen ex Orthodoxis videntur ita Testimonium Spiritus contradistinguere Testimonio Ecclesiæ, ut ejusdem ordinis et speciei testimonium intelligant, hoc est in genere causæ objectivæ, non efficientis tantum; Vide Withak. controv. i. qu. 3. c. 11, Chamier. lib. vi. cap. 1, nec aliud sibi vult Confessio Gallicana, art. 4, "Hos libros agnoscimus," inquit, "esse Canonicos, hoc est, ut fidei nostræ normam et regulam habemus, idque non tantum ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multo magis ex testimonio et intrinseca Spiritus S. persuasione, quo suggerente docemur illos ab aliis libris Ecclesiasticiis discernere, qui ut sint utiles non sunt tamen ejusmodi ut ex iis constitui possit aliquis articulus fidei." Respondeo, 1. Si sint qui opponere voluerint Spiritus testimonium internum seu vim illam vorticordiam qua efficaciter in nobis producit fidem testimonio Ecclesiæ quasi ejusdem ordinis et speciei, minus accurate omnino locuti sunt. Siquidem non quæritur hic inter nos et Pontificios, An testimonium Spiritus sive vis ejus et efficacia requiratur ad cognoscendam et probandam Scripturæ divinitatem, hoc enim ultro largiuntur nobis Pontificii, nec negare quisquam potest nisi in castra Pelagii aperte transire voluerit, Sed tantum An Ecclesiæ testimonium sit medium et motivum illud præcipuum et infallibile propter quod Scripturæ credimus, an vero aliud quodpiam magis principale requiratur? Itaque qui multum operæ collocant in corrogandis Scripturæ locis et argumentis quibus probent Spiritum hic necessario intercedere debere, non videntur præcipuum quæstionis cardinem attigisse, qui non in eo positus erat, An Spiritus opera necessaria esset ad credendum, Sed an Spiritus ad persuadendam hanc authoritatem uteretur vel testimonio Ecclesiæ, tantum vel primario, quod contendunt Pontificii, an potius rationibus ex Verbo petitis quod volunt Orthodoxi. 2. *Testimonium Spiritus* vel *late* sumitur vel *stricte: stricte* prout notat tantum vim illam divinam quæ efficaciter producit in nobis fidem; *late* quatenus cum virtute illa efficaci conjungitur ratio et motivum

quo utitur ad persuadendos animos nostros de rei alicujus veritate. Priori modo induit tantum notionem *causæ efficientis* per quam credimus, posteriori etiam *objectivæ*, quæ duo quia semper in hoc testimonio Spiritus connectuntur, (siquidem non alio tendit ejus operatio in nobis quam ut potenter applicet mentibus nostris veritatem cœlestem in Verbo traditam, adeoque radios illos in ea circumfulgentes majestatis, sublimitatis, efficaciæ, veritatis, sanctitatis, &c., alte imprimat,) hinc factum ut nonnulli in Spiritus testimonio utramque illam σχέσιν conjunxerint, tum objectivam tum efficientem. Atque hoc sensu Confessio Gallicana intelligenda est, cum ait "non tantum ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multo magis ex testimonio et intrinseca persuasione Spiritus Sancti libros sacros agnosci Canonicos;" nam per *Spiritus testimonium* non intelligit tantum vim efficacem qua fides efficienter producitur, sed proprie rationem et motivum verbi quo utitur Spiritus ad persuadendum hanc veritatem, scilicet doctrinam ipsam cœlestem cordibus applicatam per Spiritum, opposite ad rationem naturalem et sensum ac judicium humanum quod plane in istis mysteriis dignoscendis cæcum est, 1 Cor. ii. 14. Quando vero *stricte* testimonium Spiritus sumitur pro ea efficacia gratiæ quæ se tenet *ex parte subjecti* seu potentiæ intellectivæ, quæ habilis et apta redditur ad ea percipienda quæ proponuntur et quæ posita est in infusione habitus fidei, et collatione auxilii specialis ad credendum necessarii, tunc habet tantum rationem caussæ efficientis, non objectivæ, nec bene contradistinguitur testimonio Ecclesiæ.

XXIV. Antequam finis sit, breviter diluenda est criminatio duplex, qua vulgo gravari solet doctrina Orthodoxa circa hunc *Spiritum*: 1. Quod sit *fanaticus* et *Anabaptisticus*; 2. Quod sit *privatus*. Nam prius illud vehementer falsum est et calumniosum, quippe Fanatici Spiritum divellunt a Scriptura, et indulgent revelationibus quibusdam extraordinariis et ἐνθουσιασμοῖς: At Spiritus istud testimonium quo contendimus persuaderi nobis Scripturæ divinitatem, non infert novam aliquam et extraordinariam revelationem immediate a Spiritu S. profectam sine Verbo; imo nihil aliud est quam revelationis in ipsa Scriptura factæ ex parte objecti potens et efficax applicatio et impressio: ita ut neque Spiritus sine Scriptura, nec Scriptura sine Spiritu hic veniant attendenda, sed indivulso nexu conjungenda sint ex fœdere Dei, Isa. lix. 21, "Verbum quod posui in ore tuo et Spiritus qui est in te non recedent," &c. Verbum proponitur extrinsecus, Spiritus intus operatur, Verbum movet et suadet, Spiritus permovet et persuadet, illud est instar seminis in terram projecti, iste instar virtutis vivificæ qua radicatur in nobis et germinat. Nec aliud innuit Christus, Joh. xvi. 14, cum ait Spiritum de suo accepturum, "de meo accipiet," inquit, "et annunciabit vobis," ut enim Spiritus S. operatio quatenus est *Paracletus* et Consolator non alio tendit, quam ad applicationem beneficiorum Christi; tamen alio refertur ejus testimonium quatenus est *Doctor veritatis* quam ad obsignationem doctrinæ ipsius in Evangelio traditæ. Cum ergo Spiritus de quo loquimur a Scriptura nunquam aberret, sed ad Scripturam ducat, et in ea explicanda totus occupetur, patet non sine insigni calumnia, Anabaptisticum et fanaticum dici.

XXV. Sed non minori injuria *privatus* et proprius dicitur, ut Staplet. *privatum* superbiæ *Spiritum* a nobis jactari clamabat, et alii subinde oggerunt nos, contra Petrum, 2ᵃ cap. i. 20, prophetiam facere ἰδίας ἐπιλύσεως. Resp. *Privatus* enim *Spiritus* bifariam dici potest, Vel *originaliter* vel *subjective*, Vel ratione *principii* a quo oritur, vel ratione *subjecti* et potentiæ cui inhæret, Vel pro genio et arbitrio cujusque, vel pro Dei dono singulis fidelibus proprio. Posteriori sensu damus *Spiritum proprium* et *privatum*

dici posse, quia singulis credentibus datur et in iis manet: Sed priori nequaquam, quia non a nobis oritur privatim, sed dispensatur communiter a Christo toti Ecclesiæ, nec enim spiritum jactamus qui proprius sit fœtus liberi nostri arbitrii, sed qui Christi singulare donum est. Ut ergo solem male privatum dixeris quia neminem illuminare potest qui non intus apud se recipiat ejus lumen, ita non meliori jure spiritum nobis omnibus a Christo datum ad nos illuminandos privatum vocabis, quia non extrinsecus tantum afficere, sed in unoquoque fidelium sedem suam eligere debet. Idem de fide statuendum est, nam licet *fides subjective* considerata, et *qua creditur*, propria sit uniuscujusque, quia justus *fide sua* non aliena vivit; tamen fides *objective* seu *quæ creditur* communis est omnium, eadem enim Veritas cœlestis, idem Verbum utrobique fidem nostram fundat, quod ab omnibus fidelibus ex æquo recipitur. Nec alio pertinet locus Petri supra citatus, "Hoc primo scientes quod omnis prophetia Scripturæ" ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται;" Nam sive ἐπιλύσιν per *impulsum* et *afflatum* exponamus, quod Calvino nostro magis placuit, sive reddamus per *interpretationem* et *expositionem*, quæ communior est sententia, ἀπὸ τοῦ ἐπιλύω quod dissolvere et explicare significat, et τῷ פתר Hebræorum non raro respondet, nihil erit quod Pontificiorum causæ faveat; ἰδία enim hæc ἐπίλυσις qualiscunque sit non *subjective* est intelligenda, sed *originaliter*, scilicet pro privato hominis arbitrio et mente, per oppositionem ad supernaturalem gratiam et adventitium Spiritus S. donum; in eo enim est Petrus ut doceat fideles veram et certam Scripturæ Propheticæ explicationem de qua in ver. præced. egerat, eam scilicet non pendere ab hominis legentis arbitrio et sensu quando aliquid de suo infert in Scripturam, sed ex gratiosa Spiritus S. revelatione; privatam itaque et ex proprii cerebri figmento depromptam interpretationem locum hic non habere, sed publicam et divinam quæ ex ipso verbo hauriatur, et ipsis scripturis ut ita dicam sit αὐτοφυὴς et intrinseca. Quod confirmat a pari ver. 21, unico scilicet authore Prophetiæ, quo modo enim primo proposita fuit Prophetia, eodem etiam exponi debet, idem qui author fuit, solus potest esse optimus et legitimus verborum suorum interpres; solus autem Spiritus Verbum nobis tradidit, "Non enim," inquit, "libitu hominis allata est Prophetia, sed Spiritu S. acti locuti sunt Dei viri." Ita quod in ver. præced. dixerat ἰδίαν ἐπίλυσιν, in hoc vocat θέλημα ἀνθρώπου *voluntatem* seu libitum *hominis*; non tantum qui in homine sit, sed qui ab ejus arbitrio oriatur. Hoc sensu bene asserit Petrus, et nos cum ipso, nec ἰδίαν ἐπίλυσιν, nec Spiritum privatum in mysteriorum fidei tractationem inferendum esse; Cæterum non negat Spiritum S. qui loquitur omnibus in verbo, privatim etiam singulis fidelibus in corde de ejus veritate et divinitate testari; alias nec Johannes dicere potuisset, 1ª c. v. 6, *Spiritum* testari quod *Spiritus est veritas*, nec Paulus, 1 Cor. ii. 12, Spiritum datum esse nobis "ut cognoscamus ea quæ nobis data sunt a Deo." Observandum tantum testimonium hoc internum Spiritus cum sit *practicæ* et *privatæ discretionis*, non *authoritatis publicæ*, non posse urgeri in ordine ad alios, sed tantum in ordine ad nos ipsos, Nec inservire ad *aliorum convictionem*, sed ad *persuasionem propriam*, nam qui mihi sufficit ad plenam verbo fidem faciendam, quia eum novi et in me sentio, nec fallax potest esse ejus operatio, frustra adhiberetur erga alios qui eum in me nec vident nec agnoscunt, nisi eadem vis intus eos afficiat, et argumenta in verbo latentia potenter animis insinuando efficaciter persuadeat. Hactenus ergo conclusum esto et Spiritum et Verbum in hoc negotio a nobis bene conjungi, et bene alterum ex altero probari, nec tamen nisi injustissime Circulum nobis impingi.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. An aliquis detur Controversiarum supremus et infallibilis Judex præter Spiritum S. in Scriptura loquentem? *N. contra Pontificios.*

II. An detur Scientia quædam media in Deo, aut Decretum conditionatum? *N. contra Socinianos et Remonstrantes.*

III. An voluntas quæ vulgo *signi* et ea quæ *beneplacti* dicitur inter se pugnent? *N.; imo nulla est voluntas signi quæ non sit etiam sano sensu beneplaciti.*

IV. An Jus Dei bene distinguatur in Naturale et Positivum, ita ut quædam bona sint quia Deus vult, quædam Deus velit quia bona sunt? *Aff.*

V. An quia Deus non otiosa sed efficaci permissione et directione concurrit ad malas hominum actiones possit dici concurrere etiam effective et peccati author et causa proinde censeri? *N. contra Pontificios et alios qui perperam et per insignem calumniam hac blasphemia, quam toto pectore execramur, sententiam nostram gravare solent.*

VI An fides imputetur in justitiam? *D.*

VII. An fides justificans et temporaria gradu tantum et duratione, annon etiam specifice et essentialiter distinguuntur? *N. prius. Aff. post.*

DISPUTATIO THEOLOGICA TEXTUALIS,

DE CONCORDIA PAULI ET JACOBI

IN ARTICULO JUSTIFICATIONIS.

positionem tanquam veram, "Sola scriptura primario et infallibiliter terminat et definit quæstionem de Ecclesia per modum normæ;" Driedo Lovani. lib. ii. de dogm. Ecclesiæ, cap. iii. in solut. art. 4, "Fides," inquit, "non amplius ex personis probanda venit, sed ex sua fide probantur personæ sicuti ex Scripturis sacris cognoscitur ea quæ nunc est Ecclesia." Nec aliud sibi vult ordinaria Pontificiorum praxis qui cum urgentur a nobis circa veritatem et infallibilitatem Ecclesiæ suæ, unde scilicet credant Ecclesiam suam infallibilem esse, illico nos ad scripturam amandant et illustres promissiones quæ Ecclesiæ fiunt vel elogia quæ illi ibidem tribuuntur subinde regerunt, quod non facerent proculdubio, nisi fidem infallibilitatis Ecclesiæ non aliunde quam ex Verbo certo peti posse arbitrarentur.

XV. Neque hilum proficiunt Rationes Cardinalis. Prima enim pueriliter confundit Scripturam *materialiter* et *formaliter* consideratam, id. vel quoad *substantiam doctrinæ* vel quoad *accidens scriptionis*. Sane non diffitemur Ecclesiam fuisse cognitam sine Scriptura *formaliter* spectata, et quoad accidens scriptionis, si quidem per bis mille annos et amplius Ecclesia caruit verbo ἐγγράφῳ. Sed negamus cognitam fuisse sine Scriptura *materialiter*, id. sine Dei verbo, quod semper et ubique unicum fuit Ecclesiæ fundamentum, idem enim Verbum quod scriptis consignari voluit Dominus ad præcavendas Diaboli fraudes et hominum corruptelas, jam antea viva voce traditum Patriarchis fuerat in visionibus et somniis, et aliis revelationis modis, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, Heb. i. 1. Christiani vero etsi non haberent ab initio N. T. scriptum, habuerunt tamen Vetus quod perfectum fuit et sufficiens in suo genere, 2 Tim. iii. 15. Secunda Ratio absurde petit principium et supponit quod probandum erat, Ecclesiam scilicet ejusque notas ex lumine naturali certo innotescere posse; quod antea falsum esse demonstravimus, quia ex Verbo solo propriæ notæ et characteres Ecclesiæ peti possunt. Taceo quod pro veris notis eas nobis obtrudit quæ vere sunt nothæ et adulterinæ, ut *antiquitatem*, *visibilitatem*, &c. quæ nec soli Ecclesiæ, nec toti, nec semper conveniunt. Taceo quod hic sophistice a non distributo ad distributum ratiocinatur, ab Ecclesia in genere ad Romanam Ecclesiam hodiernam in specie, supponens eam esse veram Ecclesiam, quod nec concedere possumus, nec in æternum sunt probaturi. Nam quod ita præfidenter gloriatur suam Roman. Ecclesiam veram esse, quia nunquam falsi convinci potuit, in eo vel ignorantiam crassam prodit, vel impudentiam; quot enim et quanta Orthodoxorum volumina centum abhinc annis prodiere, quæ luce meridiana clarius demonstrarunt Ecclesiam Romanam sæpius errasse, et in eo statu quo res sunt, nec esse, nec haberi posse pro vera Christi Ecclesia: Et vel hoc solo argumento probari facile potest: Nam quæ Ecclesia doctrinam salutarem a Christo traditam non retinet, illa vera non potest esse Christi Ecclesia; At Ecclesia Romana talis est: E. Minor quæ proculdubio negabitur ab ipsis, facile cum ad Examen Doctrinæ deventum erit probabitur.

XVI. 4. Alii distinguunt *inter formale objectum* fidei et fidei *regulam*; fidem qua credunt Ecclesiæ infallibilitatem niti verbi Dei authoritate tanquam formali fidei objecto, fidem vero qua credunt verbi Dei authoritatem, niti Ecclesiæ infallibili testimonio, non tanquam objecto formali, sed tanquam regula fidei, ideoque circulum non esse formalem seu per eandem viam. Resp., Sed neque hac ratione evadere possunt, quod facile patebit si terminos distinctionis attendamus, et quid per *objectum*, quid item per *regulam* fidei intelligendum sit. Duplex ergo *objectum fidei* statuitur, *materiale* unum, alterum *formale*; *materiale* est id quod credimus

et per quod respondemus ad quæstionem *quid credis? formale* est id propter quod credimus et per quod respondemus ad quæstionem *cur credis?* v. g., ea omnia quæ in verbo Dei credenda proponuntur, ut Creatio mundi, providentia, redemptio, &c., sunt materiale fidei objectum, sunt enim id quod credimus, et per ea respondetur ad quæstionem quid credis? sed authoritas verbi est formale objectum fidei nostræ, quia est ratio formalis propter quam credimus omnia alia, et quæ non creditur propter aliud sed propter se. Jam *Regula fidei* diversum quid sonat ab utroque, nam nec est simpliciter objectum materiale sigillatim consideratum et in specie, nec est formale seu ratio propter quam credimus, sed dicit systema et collectionem omnium credendorum, seu principium secundum quod credere debemus; ita differt ab objecto formali diversimode: 1. *Regula fidei* se habet ad modum *causæ exemplaris* quam fides in omnibus sequi et cui se conformare debet; at *formale objectum* habet rationem *causæ objectivæ* seu fundamenti propter quod principaliter et formaliter credimus; 2. *Regula fidei* limitat et determinat eam latitudinem et extensionem quam fides habet in ordine ad objecta materialia, dum docet quot et quæ credenda sunt, sed *formale objectum* specificat, et fundat assensum fidei; 3. *Regula fidei* est comprehensio et συλλογὴ omnium credendorum; sed *formale objectum* est id propter quod et ipsam regulam et omnia quæ in ea credenda proponuntur fide divina credimus, unde fides nostra non resolvitur in ipsam regulam ultimo, sed in ipsum formale objectum.

XVII. Hoc posito vanitas exceptionis patet. 1. Recipimus confessionem quam veritas illis extorquet, fidem scil. niti authoritate Verbi tanquam formali objecto, nam si hoc bona fide profitentur et credunt, ultro manus dare nobis tenentur et causam pontificiam deserere; nam si est formale objectum, ergo ultima fidei analysis in Verbi authoritatem terminabitur, non vero in Ecclesiæ infallibile testimonium, quæ tamen recepta est apud adversarios sententia quam hic impugnamus: audiatur Staplet. lib. viii. princip. doct. cap. 21, "Formalis ratio fidei non est Deus revelans, sed ut sic id est per Ecclesiam," et in controv. relect. controv. iv. q. 3. artic. 2, hanc conclusionem ponit, "tota completa formalis ratio fidei nostræ ordinarie loquendo est Deus per Ecclesiam revelans." Si E. credunt formalem rationem propter quam credimus esse Deum loquentem per Ecclesiam, perperam dicunt doctores isti verbi authoritatem non niti infallibilitate Ecclesiæ tanquam formali objecto. 2. Et illud vehementer falsum est quod hic supponunt, Ecclesiam esse fidei regulam, solum enim Verbum, quod summam omnium credendorum complectitur, est norma illa plena et perfecta cui nihil vel addi debet vel detrahi, ut toties a Spiritu S. est præscriptum. Si E. Ecclesia non potest dici regula fidei, non potest verbum credi propter Ecclesiam tanquam propter regulam.

XVIII. 5°. Quidam confugiunt ad diversos respectus, tum personarum, tum regularum credendi. Nam aliquando esse diversas personas circa diversa errantes, v. g. quum alter Ecclesiæ, alter Scripturæ authoritatem negat, tunc nullum circulum admitti, si quis illum quidem ex Scriptura quam admittit de Ecclesiæ veritate convincat, et contra adversus hunc Scripturam probet per Ecclesiam de cujus infallibilitate non dubitat: sic Becan, in Tract. de Circulo Calvin. 2, caveri circulum ex diversis respectibus regularum credendi, quæ ut totidem causæ, sibique invicem causæ, ex mutua comparatione, magis illustrabiles et per se invicem sunt demonstrabiles, et tunc non esse circulum, sed regressum talem qualem in diversis generibus causarum, probant cum Arist. sapientiores omnes Philosophi. Resp., Sed neutra istarum responsionum difficultatem tollit. Non prima,

quia, 1. Non tantum arguimus adversarios quod circulariter progrediantur contra eos qui vel Scripturæ, vel Ecclesiæ authoritatem negant seorsim, sed etiam in stabilienda sua fide et in reddenda ejus ratione, dum credere se profitentur Scripturæ authoritatem propter Ecclesiæ testimonium, et rursus Ecclesiæ infallibile testimonium propter Scripturam, quamvis utramque admittant et neutram negent. 2. Hæc responsio supponit eum qui dubitat vel negat Ecclesiæ infallibilitatem posse ex Scriptura convinci, sed hoc expresse repugnat hypothesi adversariorum qui aperte profitentur, nullam controversiam sufficienter ex scripturis determinari, et nullum dogma ob scripturæ authoritatem firmiter credi posse, nisi accedat infallibilis Ecclesiæ testificatio et interpretatio: Et sane si audiantur nullum fidei fundamentum assignare possunt in quo eorum fides qui de Ecclesiæ infallibilitate dubitant sistere et acquiescere possit; Vel enim erit ipsa Ecclesia, vel Scriptura, vel Traditio non scripta; At neutrum dici potest: Non Ecclesia, quia ejus infallibilitas est id de quo dubitatur; Non Scriptura aut Traditio non scripta, quia harum authoritas et legitimus sensus ab infallibili Ecclesiæ testimonio ex adversariorum sententia necessario pendent, ac proinde nihil ob earum authoritatem simpli. credere possumus, nisi prius credamus Ecclesiam quæ illis testimonium perhibet esse infallibilem; unde patet neque hic habere ipsos ubi pedem figere possint.

XIX. Sed non tutius habent præsidium causæ suæ in vario respectu regularum credendi quæ et sibi mutuo sint causæ et per se invicem demonstrentur. Nam, 1. Gratis supponitur quod falsissimum est, dari plures credendi regulas, unica enim potest esse totalis et perfecta, alias si plures dantur neutra erit regula. 2. Reciproca demonstratio causarum potest institui in eum finem, ut ex comparatione mutua, non quidem primo et præcipue utraque probetur a priori, sed ut magis illustrentur tantum, earumque consensus appareat: Sed Pontificii longe aliter progrediuntur, probant Scripturam esse Dei verbum ex Ecclesiæ testimonio non ut fides jam inchoata magis confirmetur, sed ut scripturæ sua constet authoritas, quæ alioquin ei constare non posset, et rursus ex Scriptura probant Ecclesiæ infallibilitatem, ut Ecclesiæ sua constet authoritas, quæ aliunde sufficienter probari non potest; Ita volunt Scripturæ authoritatem necessario pendere ab Ecclesia, et vice versa Ecclesiæ authoritatem necessario pendere a Scriptura; quod ne imaginando quidem fingi potest, nam sic sequeretur Scripturæ Authoritatem non posse credi nisi prius credatur Ecclesiæ infallibilitas, vicissim Ecclesiæ infallibilitatem non posse credi nisi prius credatur Scripturæ authoritas, quod ἀσύστατον. 3. *Regressus* Aristotelicus longe differt a Circulo Pontificio: Nam 1. in regressu nova acquiritur cognitio, dum proceditur a cognitione confusa ad distinctam; Sed hic nulla nova accedit, proceditur enim ab authoritate verbi fide divina credita, ad eandem verbi authoritatem fide divina creditam. 2. In regressu est diversus processus ab effectu ad causam, a causa ad effectum, a demonstratione ὅτι ad demonstrationem του διότι, et vice versa, adeoque non potest idem esse causæ genus; Sed in Circulo Pontificio non est diversus processus, sed ejusdem ordinis et generis, nim. a causa objectiva fidei propter quam credimus, ad eandem causam objectivam, utrobique enim quæritur propter quid vel credatur Scripturæ authoritas vel Ecclesiæ infallibilitas.

XX. 6. Denique Staplet. in defensione authoritatis Ecclesiæ, lib. 3, c. 3, affirmat nihil esse absurdi si Ecclesiæ authoritas quoad nos ex Scripturæ authoritate pendeat, et rursus Scripturæ authoritas quoad nos ab Ecclesiæ authoritate pendeat, utrumque simul verum esse posse, Ecclesiam

mutuare suam authoritatem a Scriptura, et Scripturam itidem suam ab eadem ipsa Ecclesia; quemadmodum videmus Johannem testimonium perhibuisse Christo, et vicissim Christum Johanni, Johannem Evangelistam suo Evangelio, rursus idem Evangelium Johanni, &c. Resp., Sed hic multiplex est hallucinatio. 1. Aliud est *testimonium alicui perhibere*, aliud *authoritatem illi conciliare*; nec pro eodem recte sumitur, testimonium ab aliquo habere, et authoritatem omnem suam ab eodem mutuari; sane nihil obstat quominus mutuo testimonio commendarit Johannes Christum, et Christus Johannem, sed ut a Johanne suam authoritatem mutuatus sit Christus, id vero falsissimum, "Ego," inquit, "ab homine testimonium non capio, et habeo testimonium majus testimonio Johannis," Joh. v. 34, 36. Unde, Joh. i. 7, dicitur "Johannes venisse ut testimonium perhiberet Luci ut omnes crederent per ipsum;" bene dicitur δι᾽ αὐτοῦ *per ipsum*, non δι᾽ αὐτὸν *propter ipsum*, quia erat tantum minister qui ducebat ad Christum, non fundamentum et causa formalis fidei in ipsum. 2. Confunditur testimonium necessarium et non necessarium. *Testimonium necessarium* est quando nulla certitudo de re testata quoad nos haberi potest, nisi per illud testimonium, seu quando pendet necessario et per se ab illo testimonio; Testimonium *non necessarium* est quod illustrat aut confirmat rem testatam, ita tamen ut res testata sufficienter aliunde certitudinem quoad nos habeat; duo diversi testes possunt sibi invicem testimonium perhibere, seque mutuo commendare, si agatur de testimonio, quod vel ex utraque vel ex altera saltem parte necessarium non est, qualia sunt mutua illa Testimonia Christi de Johanne Baptista, et Johannis Baptistæ de Christo, Johannis de suo Evangelio et Evangelii de Johanne: At si loquamur de testimonio necessario; omnino absurdum est et apertam contradictionem implicat dicere duorum testium authoritatem quoad nos per se et necessario pendere a mutuo eorum de se invicem testimonio, quia sic, ut dicebamus modo, idem se ipso notius erit et ignotius, v. g., si Ecclesia perhibeat testimonium quoad nos necessarium omni Dei Verbo, impossibile est ut fide Divina credamus hujus authoritatem nisi propter Ecclesiæ testimonium, non possumus autem credere aliquid propter Ecclesiæ testimonium, nisi Ecclesia prius apud nos suam obtineat authoritatem, nam propter quod aliquid scimus aut credimus, illud ipsum a nobis prius sciri et credi oportet, nulla enim ab ignotis fit legitima probatio. Jam si Scriptura perhibet testimonium necessarium quoad nos de Ecclesia, impossibile est ut credamus Ecclesiæ infallibilitatem nisi propter testimonium Scripturæ, non possumus autem aliquid credere propter Scripturæ authoritatem nisi Scriptura prius apud nos suam obtineat authoritatem: ita quamcumque in formam se vertant irretiti semper tenentur, nec in æternum se liberare poterunt ab inextricabili isto labyrintho. Unde patet quid statuendum de Religione illa quæ nullum fundamentum et principium fidei cui nitatur, et in quod resolvatur, assignare potest.

XXI. Sed forte quod aliis objicimus crimen ejus manifesti tenemur: hoc certe non semel ab Adversariis nobis impactum, unde Becanus et alii *Circulum* etiam *Calvinisticum* sunt commenti, quem mire exagitare solent. Videamus ergo quo jure. Scilicet objiciunt Nos *Scripturam ex Spiritu*, et rursus *Spiritum ex Scriptura* probare, atque hoc fieri non posse sine circulari progressu, quia ut Scriptura creditur esse Dei verbum ex interno Spiritus testimonio, ita Spiritus testimonium credi propter Scripturam, in qua Spiritus S. credentibus est promissus. Sic Becanus in Opusculo de Circulo Calvinistico. sect. 6, et Gretser. in tractatu de agnosc. Script. c. iv. Verum quam turpiter hic hallucinentur sola sententiæ nostræ declaratio ab-

unde docebit. Primo distinguendum censent accurate Orthodoxi inter *Causam efficientem* per quam credimus, et *objectivam* propter quam credimus, inter *principium* ἐνεργητικὸν quod fidem alicujus veritatis effective ingenerat, et *motivum* seu argumentum quod objective ad eam fidem adhibendam nos movet et excitat. Ut si de charitate quæstio sit, aliud est loqui de causa ejus efficiente per quam producitur, aliud de motivis quibus excitatur, causa efficiens unica et principalis est Spiritus S., motiva sunt argumenta illa varia quæ in Scriptura nobis exhibentur amoris ineffabilis quem Deus testatus est nobis in filio; Ita de fide pariter ratiocinari debemus, in hoc potissimum argumento, *Causa efficiens* nostræ fidei alia dari non potest præter Spiritum sine quo nec velle aut perficere, imo ne cogitare quidem possumus. Neque diffitentur ipsi adversarii, qui Spiritum ad fidem ingenerandam necessarium agnoscunt, ut Stapletonus sæpe testatur contra Withak. injuriamque sibi fieri ab eo queritur, quasi hoc negaret. Sed *causa objectiva* propter quam credimus est *Verbum ipsum* cum notis, seu potius criteria illa cœlestia et radii divinitatis qui in Verbo fulgent, et propria sua ac insita luce, majestate, ac splendore se ipsos probant, quemadmodum sol propria ac nativa luce seipsum demonstrat. Hinc juxta duplex illud fidei principium, duplex etiam quæstio nascitur ad quam diversimode potest responderi. Nam si quæritur de *causa objectiva* propter quam credimus Scripturæ divinitatem, respondetur esse ipsum Dei Verbum per notas suas insitas; si vero quæstio est de *causa efficiente* per quam et cujus vi credimus, dicitur esse Spiritus S. qui virtutem credendi nobis indit; atque ita verissime dicimus Scripturam demonstrari ex Spiritu, id est per ejus virtutem et efficaciam, quæ fidem ingenerat in animis nostris, quia vero facile quis et seipsum et alios decipere posset jactando Spiritum illum quem non haberet tamen, ideo ut quis persuadeatur de veritate illius Spiritus debet probari ex Scriptura ipsa, quatenus ipsa varias notas et criteria nobis subministrat, ex quibus dignoscimus an Spiritus ille qui in nobis est vere sit ex Deo necne, an Spiritus Christi an vero mundi; sic *Scriptura* probat *Spiritum* non *effective*, sed *objective* per rationes et argumenta quæ in ea elucent.

XXII. Unde jam luculenter colligitur Nos neque in fidei nostræ resolutione progredi in infinitum, neque in circulo agitari. Nam quoad prius, non potest dari progressus in infinitum, quia sistimus tandem in quodam ultimo credibili quod non propter aliud sed propter se creditur, nimirum in ipsa S. Scriptura, quæ creditur esse Verbum Dei non propter aliud, sed propter se; Posterius etiam patet, quia diversa quæstio est, quando enim probamus *Scripturam* ex *Spiritu*, hoc fit per modum *causæ efficientis*, quando vero probamus *Spiritum* ex *Scriptura*, progredimur per viam *causæ objectivæ*. In prima quæstione quæritur qua facultate credamus, sive sub qua dispositione in subjecto seu *per quid* credamus, in altera vero *quo argumento*, sive sub qua formali ratione in subjecto, vel *propter quid* credamus. Quare, cum diversæ sint quæstiones, nunquam petitur principium, vel ab eodem ad idem fit processus, fides enim tandem resolvitur diversimode in utrumque istud principium, in *Scripturam* tanquam in *causam objectivam*, seu formale objectum suum et primum credibile, quod Stapletonus vocat *principium doctrinale*, in *Spiritum* vero tanquam in *causam efficientem* principalem; si quæris unde norimus Scripturam esse divinam id est qua vi et facultate, Respondeo, per Spiritum Sanctum, qui testatur in corde nostro; si instas, unde norimus nos habere Spiritum S. id est, quo argumento, Respondeo, ex variis illis characteribus et effectis quæ in Scriptura Spiritui S. tribuuntur, quæ quum in nobis

deprehenduntur, inde certo colligimus Spiritum in nobis esse; si quæras ulterius unde sciamus tales effectus in nobis esse, non jam itur ad Scripturam quæ neminem nominat, sed hærendum in interna visione cordis, et in operatione Spiritus, cujus præsentia non potest aliter demonstrari quam a posteriori, ut vitam suam homo ex sensu et motu cæterisque vitalibus operationibus bene deprehendit. Si vero ex altera parte quæris unde sciam Scripturam esse αὐτόπιστον, sive quo argumento et propter quid? respondeo quia Scriptura est Verbum Dei. Si instas, unde sciam Scripturam esse Verbum Dei? non dicam jam id cognosci ex Spiritu, quia Spiritus est causa efficiens tantum, non objectiva, sed ex criteriis et notis cœlestibus quibus insignitur. Nec ultra tendimus; nam si quis urgeat denuo unde radios illos et notas perspiciamus, id est, quo argumento, respondeo, eum absurde facere, nihil enim est in hoc ordine argumentorum sive rationum in objecto superius, et rationes rationum perpetuo quærere dementis est, non secus ac rogare qua luce videamus lucem: ita immediate et propter se in genere causæ objectivæ creditur Verbo, quamvis ad hoc credendum maxime necessaria sit interna illa operatio Spiritus Sancti, qui intellectum efficaciter movet in genere causæ effectivæ, ad credendam Scripturæ authoritatem: quemadmodum assentimur scientiarum principiis propter se, licet ad illum assensum producendum necessarius sit habitus ille mentis qui habitus principiorum et intellectus dicitur. Quæ luce meridiana clarius evincunt, male nobis circulum impingi, quia probamus divinitatem Scripturæ *per Spiritum* non *propter eum*, sed veritatem Spiritus probamus *ex Scriptura objective*, non *per eam efficienter*.

XXIII. Dices, sed multi tamen ex Orthodoxis videntur ita Testimonium Spiritus contradistinguere Testimonio Ecclesiæ, ut ejusdem ordinis et speciei testimonium intelligant, hoc est in genere causæ objectivæ, non efficientis tantum; Vide Withak. controv. i. qu. 3. c. 11, Chamier. lib. vi. cap. 1, nec aliud sibi vult Confessio Gallicana, art. 4, "Hos libros agnoscimus," inquit, "esse Canonicos, hoc est, ut fidei nostræ normam et regulam habemus, idque non tantum ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multo magis ex testimonio et intrinseca Spiritus S. persuasione, quo suggerente docemur illos ab aliis libris Ecclesiasticiis discernere, qui ut sint utiles non sunt tamen ejusmodi ut ex iis constitui possit aliquis articulus fidei." Respondeo, 1. Si sint qui opponere voluerint Spiritus testimonium internum seu vim illam vorticordiam qua efficaciter in nobis producit fidem testimonio Ecclesiæ quasi ejusdem ordinis et speciei, minus accurate omnino locuti sunt. Siquidem non quæritur hic inter nos et Pontificios, An testimonium Spiritus sive vis ejus et efficacia requiratur ad cognoscendam et probandam Scripturæ divinitatem, hoc enim ultro largiuntur nobis Pontificii, nec negare quisquam potest nisi in castra Pelagii aperte transire voluerit, Sed tantum An Ecclesiæ testimonium sit medium et motivum illud præcipuum et infallibile propter quod Scripturæ credimus, an vero aliud quodpiam magis principale requiratur? Itaque qui multum operæ collocant in corrogandis Scripturæ locis et argumentis quibus probent Spiritum hic necessario intercedere debere, non videntur præcipuum quæstionis cardinem attigisse, qui non in eo positus erat, An Spiritus opera necessaria esset ad credendum, Sed an Spiritus ad persuadendam hanc authoritatem uteretur vel testimonio Ecclesiæ, tantum vel primario, quod contendunt Pontificii, an potius rationibus ex Verbo petitis quod volunt Orthodoxi. 2. *Testimonium Spiritus* vel *late* sumitur vel *stricte: stricte* prout notat tantum vim illam divinam quæ efficaciter producit in nobis fidem; *late* quatenus cum virtute illa efficaci conjungitur ratio et motivum

quo utitur ad persuadendos animos nostros de rei alicujus veritate. Priori modo induit tantum notionem *causæ efficientis* per quam credimus, posteriori etiam *objectivæ*, quæ duo quia semper in hoc testimonio Spiritus connectuntur, (siquidem non alio tendit ejus operatio in nobis quam ut potenter applicet mentibus nostris veritatem cœlestem in Verbo traditam, adeoque radios illos in ea circumfulgentes majestatis, sublimitatis, efficaciæ, veritatis, sanctitatis, &c., alte imprimat,) hinc factum ut nonnulli in Spiritus testimonio utramque illam σχέσιν conjunxerint, tum objectivam tum efficientem. Atque hoc sensu Confessio Gallicana intelligenda est, cum ait "non tantum ex communi Ecclesiæ consensu, sed etiam multo magis ex testimonio et intrinseca persuasione Spiritus Sancti libros sacros agnosci Canonicos;" nam per *Spiritus testimonium* non intelligit tantum vim efficacem qua fides efficienter producitur, sed proprie rationem et motivum verbi quo utitur Spiritus ad persuadendum hanc veritatem, scilicet doctrinam ipsam cœlestem cordibus applicatam per Spiritum, opposite ad rationem naturalem et sensum ac judicium humanum quod plane in istis mysteriis dignoscendis cæcum est, 1 Cor. ii. 14. Quando vero *stricte* testimonium Spiritus sumitur pro ea efficacia gratiæ quæ se tenet *ex parte subjecti* seu potentiæ intellectivæ, quæ habilis et apta redditur ad ea percipienda quæ proponuntur et quæ posita est in infusione habitus fidei, et collatione auxilii specialis ad credendum necessarii, tunc habet tantum rationem causæ efficientis, non objectivæ, nec bene contradistinguitur testimonio Ecclesiæ.

XXIV. Antequam finis sit, breviter diluenda est criminatio duplex, qua vulgo gravari solet doctrina Orthodoxa circa hunc *Spiritum*: 1. Quod sit *fanaticus* et *Anabaptisticus*; 2. Quod sit *privatus*. Nam prius illud vehementer falsum est et calumniosum, quippe Fanatici Spiritum divellunt a Scriptura, et indulgent revelationibus quibusdam extraordinariis et ἐνθουσιασμοῖς: At Spiritus istud testimonium quo contendimus persuaderi nobis Scripturæ divinitatem, non infert novam aliquam et extraordinariam revelationem immediate a Spiritu S. profectam sine Verbo; imo nihil aliud est quam revelationis in ipsa Scriptura factæ ex parte objecti potens et efficax applicatio et impressio: ita ut neque Spiritus sine Scriptura, nec Scriptura sine Spiritu hic veniant attendenda, sed indivulso nexu conjungenda sint ex fœdere Dei, Isa. lix. 21, "Verbum quod posui in ore tuo et Spiritus qui est in te non recedent," &c. Verbum proponitur extrinsecus, Spiritus intus operatur, Verbum movet et suadet, Spiritus permovet et persuadet, illud est instar seminis in terram projecti, iste instar virtutis vivificæ qua radicatur in nobis et germinat. Nec aliud innuit Christus, Joh. xvi. 14, cum ait Spiritum de suo accepturum, "de meo accipiet," inquit, "et annunciabit vobis," ut enim Spiritus S. operatio quatenus est *Paracletus* et Consolator non alio tendit, quam ad applicationem beneficiorum Christi; tamen alio refertur ejus testimonium quatenus est *Doctor veritatis* quam ad obsignationem doctrinæ ipsius in Evangelio traditæ. Cum ergo Spiritus de quo loquimur a Scriptura nunquam aberret, sed ad Scripturam ducat, et in ea explicanda totus occupetur, patet non sine insigni calumnia, Anabaptisticum et fanaticum dici.

XXV. Sed non minori injuria *privatus* et proprius dicitur, ut Staplet. *privatum* superbiæ *Spiritum* a nobis jactari clamabat, et alii subinde oggerunt nos, contra Petrum, 2ª cap. i. 20, prophetiam facere ἰδίας ἐπιλύσεως. Resp. *Privatus* enim *Spiritus* bifariam dici potest, Vel *originaliter* vel *subjective*, Vel ratione *principii* a quo oritur, vel ratione *subjecti* et potentiæ cui inhæret, Vel pro genio et arbitrio cujusque, vel pro Dei dono singulis fidelibus proprio. Posteriori sensu damus *Spiritum proprium* et *privatum*

dici posse, quia singulis credentibus datur et in iis manet: Sed priori nequaquam, quia non a nobis oritur privatim, sed dispensatur communiter a Christo toti Ecclesiæ, nec enim spiritum jactamus qui proprius sit fœtus liberi nostri arbitrii, sed qui Christi singulare donum est. Ut ergo solem male privatum dixeris quia neminem illuminare potest qui non intus apud se recipiat ejus lumen, ita non meliori jure spiritum nobis omnibus a Christo datum ad nos illuminandos privatum vocabis, quia non extrinsecus tantum afficere, sed in unoquoque fidelium sedem suam eligere debet. Idem de fide statuendum est, nam licet *fides subjective* considerata, et *qua creditur*, propria sit uniuscujusque, quia justus *fide sua* non aliena vivit; tamen fides *objective* seu *quæ creditur* communis est omnium, eadem enim Veritas cœlestis, idem Verbum utrobique fidem nostram fundat, quod ab omnibus fidelibus ex æquo recipitur. Nec alio pertinet locus Petri supra citatus, "Hoc primo scientes quod omnis prophetia Scripturæ" *ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται;*" Nam sive *ἐπιλύσιν* per *impulsum* et *afflatum* exponamus, quod Calvino nostro magis placuit, sive reddamus per *interpretationem* et *expositionem*, quæ communior est sententia, *ἀπὸ τοῦ ἐπιλύειν* quod dissolvere et explicare significat, et *τῷ* פתר Hebræorum non raro respondet, nihil erit quod Pontificiorum causæ faveat; *ἰδία* enim hæc *ἐπίλυσις* qualiscunque sit non *subjective* est intelligenda, sed *originaliter*, scilicet pro privato hominis arbitrio et mente, per oppositionem ad supernaturalem gratiam et adventitium Spiritus S. donum; in eo enim est Petrus ut doceat fideles veram et certam Scripturæ Propheticæ explicationem de qua in ver. præced. egerat, eam scilicet non pendere ab hominis legentis arbitrio et sensu quando aliquid de suo infert in Scripturam, sed ex gratiosa Spiritus S. revelatione; privatam itaque et ex proprii cerebri figmento deprompam interpretationem locum hic non habere, sed publicam et divinam quæ ex ipso verbo hauriatur, et ipsis scripturis ut ita dicam sit *αὐτοφυὴς* et intrinseca. Quod confirmat a pari ver. 21, unico scilicet authore Prophetiæ, quo modo enim primo proposita fuit Prophetia, eodem etiam exponi debet, idem qui author fuit, solus potest esse optimus et legitimus verborum suorum interpres; solus autem Spiritus Verbum nobis tradidit, "Non enim," inquit, "libitu hominis allata est Prophetia, sed Spiritu S. acti locuti sunt Dei viri." Ita quod in ver. præced. dixerat *ἰδίαν ἐπίλυσιν*, in hoc vocat *θέλημα ἀνθρώπου voluntatem* seu libitum *hominis*; non tantum qui in homine sit, sed qui ab ejus arbitrio oriatur. Hoc sensu bene asserit Petrus, et nos cum ipso, nec *ἰδίαν ἐπίλυσιν*, nec Spiritum privatum in mysteriorum fidei tractationem inferendum esse; Cæterum non negat Spiritum S. qui loquitur omnibus in verbo, privatim etiam singulis fidelibus in corde de ejus veritate et divinitate testari; alias nec Johannes dicere potuisset, 1[a] c. v. 6, *Spiritum* testari quod *Spiritus est veritas*, nec Paulus, 1 Cor. ii. 12, Spiritum datum esse nobis "ut cognoscamus ea quæ nobis data sunt a Deo." Observandum tantum testimonium hoc internum Spiritus cum sit *practicæ* et *privatæ discretionis*, non *authoritatis publicæ*, non posse urgeri in ordine ad alios, sed tantum in ordine ad nos ipsos, Nec inservire ad *aliorum convictionem*, sed ad *persuasionem propriam*, nam qui mihi sufficit ad plenam verbo fidem faciendam, quia eum novi et in me sentio, nec fallax potest esse ejus operatio, frustra adhiberetur erga alios qui eum in me nec vident nec agnoscunt, nisi eadem vis intus eos afficiat, et argumenta in verbo latentia potenter animis insinuando efficaciter persuadeat. Hactenus ergo conclusum esto et Spiritum et Verbum in hoc negotio a nobis bene conjungi, et bene alterum ex altero probari, nec tamen nisi injustissime Circulum nobis impingi.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I. An aliquis detur Controversiarum supremus et infallibilis Judex præter Spiritum S. in Scriptura loquentem? *N. contra Pontificios.*

II. An detur Scientia quædam media in Deo, aut Decretum conditionatum? *N. contra Socinianos et Remonstrantes.*

III. An voluntas quæ vulgo *signi* et ea quæ *beneplacti* dicitur inter se pugnent? *N.; imo nulla est voluntas signi quæ non sit etiam sano sensu beneplaciti.*

IV. An Jus Dei bene distinguatur in Naturale et Positivum, ita ut quædam bona sint quia Deus vult, quædam Deus velit quia bona sunt? *Aff.*

V. An quia Deus non otiosa sed efficaci permissione et directione concurrit ad malas hominum actiones possit dici concurrere etiam effective et peccati author et causa proinde censeri? *N. contra Pontificios et alios qui perperam et per insignem calumniam hac blasphemia, quam toto pectore execramur, sententiam nostram gravare solent.*

VI An fides imputetur in justitiam? *D.*

VII. An fides justificans et temporaria gradu tantum et duratione, annon etiam specifice et essentialiter distinguuntur? *N. prius. Aff. post.*

DISPUTATIO THEOLOGICA TEXTUALIS,

DE CONCORDIA PAULI ET JACOBI

IN ARTICULO JUSTIFICATIONIS.

DISPUTATIO THEOLOGICA TEXTUALIS,

DE CONCORDIA PAULI ET JACOBI

IN ARTICULO JUSTIFICATIONIS.

Respondente ABRAHAMO PELEO, *Viviacensi.*

I. Cum nullum in momentosissimo *Justificationis* Articulo et gravissima quæ nobis super hoc cum Pontificiis intercedit Controversia, plausibilius pro *Justificatione operum* argumentum occurrat celebri Jacobi loco, c. ii., nullum certe vel frequentius vel acrius urgeri ab Adversariis soleat; operæ pretium aliquod facturos nos sumus arbitrati, si paulo accuratius velitatione hac Academica in illum locum inquirentes, neque ipsum Sophistis ullatenus favere, nec quicquam a vera et genuina Justificationis gratuitæ doctrina a Paulo tradita alienum continere cum bono Deo demonstraverimus.

II. Ut ergo commode disquisitio hæc institui possit, primo Difficultas ipsa proponenda est, tum expendendi varii vel solutionis vel conciliationis modi. Difficultas per se patet; nam cum Paulus passim in Epistolis suis Justificationem fidei sine operibus tribuere soleat, ut Rom. iii. 28, Gal. ii. 16, Eph. ii. 8, 9, Jacobus tamen expresse illam transcribit operibus, c. ii. 24, "Videtis E. quod homo justificatur ex operibus et non ex fide solum :" Neque in thesi tantum hæc ἀντιλογία videtur occurrere, sed et in hypothesi respectu Abrahami credentium Patris, nam quod Paulus constanter de eo prædicat fuisse ipsum sola fide et non operibus justificatum, Rom. iv. 2, 3, juxta priscum Oraculum, "Credidit Abraham Deo et illi imputatum est ad Justitiam ;" hoc ipsum aperte negare videtur Jacobus, c. ii. 21, "Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est oblato filio suo Isaaco supra altare?" unde statuendum videtur, vel Jacobum repugnare Paulo, vel Paulum non ita præfracte justificationem fidei tribuere, quin possit etiam et debeat operibus tribui ex Jacobo; quod vellent Pontificii.

III. Hæc sane prima fronte plane ἀσύστατα videntur nisi accedatur ad sententiam Adversariorum. Sed videntur tantum, nihil enim tale esse reipsa jam sumus clarissime ostensuri. Non nos equidem latet quosdam vel propter unum hunc locum totam Jacobi Epistolam ex Canone expungere voluisse, et ad libros Apocryphos referre, quasi non posset ullatenus Jacobus cum Paulo et reliqua Scriptura in negotio Justificationis

conciliari, qúa in sententia fuerunt Centuriatores Magdeburgenses, Cent. 1, lib. ii. c. 4, post Lutherum Magistrum suum, quem in primo certaminis cum Pontificiis fervore iniquiorem fuisse huic scripto constat; negavit enim esse Epistolam vere Apostolicam; imo eo usque processit ut Stramineam appellarit, non absolute sed comparate præ Paulinis; quod tantopere Pontificii exagitarunt, quamvis non durius quam Eusebius multo prius ita sit locutus, et postea re melius perpensa duriora hæc verba deleverit, et judicium suum de hac Epistola correxerit, ut editiones posteriores Bibliorum Germanicorum testantur. Nec tantum inter Evangelicos reperti sunt qui de authoritate hujus Epistolæ dubitarint; fuerunt etiam et inter Pontificios, Caietanus præcipue qui in eodem luto hæsisse videtur, ut apparet ex indice errorum illius quem Catharinus collegit. Utrisque vero præivisse videntur Eusebius et Hieronymus, qui hanc Epistolam jam olim a nonnullis νοθεύεσθαι "pro adulterina habitam esse" scribunt, Euseb. lib. ii. hist. Eccles. c. 23, Hieron. in Catal. Script. Ecclesiasticorum.

IV. Sed hoc est nodum secare non solvere, neque istius loci tanta videtur esse difficultas ut cogamur eo devenire, et Epistolam quæ se tot κειτηρίας et in stylo et in doctrina vere divinam prædicat propter leves scrupulos statim pro ψευδεπιγράφῳ vel saltem libro Apocrypho et dubiæ fidei habere debeamus; facile enim conciliatio institui poterit, siquidem accurate utriusque Apostoli et scopus et verba expendantur; quod ut clarius fiat, primo omnium refellendæ erunt Pontificiorum glossæ qui hanc conciliationem tentarunt infeliciter; deinde afferenda erit vera et genuina conciliationis ratio, et a cavillis Adversariorum vindicanda.

V. Pontificii non eodem modo omnes hic sese comparant ad hanc tollendam ἀντιλογίαν. Plerique putant commodissime nodum posse solvi distinctione *Justificationis primæ et secundæ;* duplicem enim vulgo constituunt, primam qua homo ex injusto fit justus, secundam qua ex justo fit justior per justitiæ incrementum, illam, quæ peragitur per infusionem habitus fidei et charitatis, istam, quæ per exercitium harum virtutum et bona opera promovetur; illi præparationes et merita congrui præstruunt, isti merita condigni substernunt. Paulum ergo volunt loqui de Justificatione prima formali per habitum charitatis et hanc negare operibus; Jacobum vero de Justificatione actuali per bona opera, et hanc tribuere operibus. Sic Tridentinum Conciliabulum, sess. 6, c. 10, Bellarmin. de Justifi. lib. ii. c. 16, et lib. iv. c. 18, "Nos igitur dicimus Paulum loqui de prima Justificatione qua homo ex impio fit justus, Jacobum de secunda qua Justus efficitur justior." Sic alii bene multi ex illa communione.

VI. Verum σοφὸν hoc φάρμακον difficultati mederi nequit, nec adversantes sententias bene componere. Nam distinctio hæc Justificationis vanissimum est ingenii ipsorum figmentum, quod nec cum Scriptura nec cum recta ratione stare potest. Primo, supponitur falsa hypothesis, quod πρῶτον ψεῦδος est Adversariorum, *Justificationem* seilicet esse *actum physicum* qui in infusione habituum consistat, cum constet ex Scriptura *actum* esse mere *forensem* et judicialem qui non *in nobis inhærenter*, sed *pro nobis* et *de nobis* coram Deo *relative* perficitur, utpote qui situs sit in remissione peccatorum et imputatione Justitiæ, Rom. iv. 5, 6, 7, unde condemnationi et accusationi opponitur, Rom. viii. 34, et per processum Judicialem describitur, Rom. iii. 22, Rom. iv. &c. Secundo, confunditur *Justificatio* cum *sanctificatione*, nam quod illi vel de infusione charitatis, vel de ejusdem incremento per bona opera loquuntur, pertinet quidem ad alterum illud beneficium Christi quod in regeneratione situm est, quæ cum paulatim et successive tantum perficiatur, paulatim augeri et crescere debet, ita ut

fideles de luce in lucem, de robore in robur, de gloria in gloriam progrediantur, et, virtutem virtuti addentes, 2 Pet. i., crescant in omnibus in eo qui Caput est, Eph. iv. 15, sed nihil commune habet cum Justificatione forensi quæ uno actu apud Deum semel peragitur, unde etsi ejus *sensus* potest in nobis vel major vel minor fieri pro vario hominis statu, quo videtur respicere locus Apoc. xxii. 11, "qui justus est justificetur adhuc," *Jus* tamen ipsum semel collatum idem semper manet ἀμεταμελήτως, nec augeri potest aut minui. Tertio, falso Justificationem primam de qua Paulum locutum fuisse volunt adscribunt charitati, cum ipse constanter fidei, nunquam vero charitati eam tribuat. Quarto, duæ istæ Justificationes se mutuo elidunt, prima evertit secundam, secunda enervat primam; nam si per primam perfecte sumus Deo reconciliati, et in statu felicitatis constituti, quid opus est secunda? si secunda necessaria est, E. prima non vere nos justificaverit, et sic ne Justificationis quidem nomen merebitur; primam autem absolutam esse omnibus numeris et perfectam ex adjunctis et effectis patet, quia pacem conscientiæ post se trahit, Rom. v. 1, gloriationem apud Deum, ibid. ver. 2, 11, felicitatem et salutem omnimodam, Rom. iv. 6, 7. Quinto, sic non tantum duæ statuendæ essent Justificationes, sed multo plures, prout enim varii sunt et pene infiniti gradus incrementi Justitiæ, cur non pariter tertia, quarta, et quinta, et sic deinceps pro variis illis gradibus admitteretur Justificatio? Sexto, contumeliosum est in sanctissimum meritum Christi, asserere secundam Justificationem quæ in nostris operibus consistit, majorem, auctiorem, digniorem esse apud Deum, quam primam quæ solo Christi merito nititur, et quidem non primam, sed secundam Justificationem mereri vitam æternam; Ita scilicet meritum Christi deprimitur et superbiæ venenum ad gloriandum coram Deo cordibus hominum afflatur, dum liberum arbitrium gratiæ cooperari in hac justificatione fingitur, sic *opera nostra meritum* Christi vel *superabunt*, quod blasphemum, vel *perficient*, quod ridiculum.

VII. Quamvis vero daremus quod falsissimum est, distinctionem hanc ex Scriptura probari posse, certum tamen est eam huic Jacobi loco applicari non posse nec debere. Primo, quia loquitur quidem de Justificatione, sed de Justificationis incremento verbum nullum facit, unde perperam illi hæc affingitur sententia. Secundo, quia ex serie patet eum verba facere de homine qui fidem jactans sine operibus se existimet per eam solam justificari, ostendit vero inanem esse hanc gloriationem, fidem enim illam *mortuam* esse quæ careat operibus, et necessario opera requiri ad id ut justificetur; at si mortua censetur fides sine operibus, mortuus pariter censendus est spiritualiter qui illam sibi tribuit, atque ita non potest justior fieri per opera, sic enim supponeretur jam habere aliquam justitiam, quam nullam habet tamen, sed justus tantum reddi dum per opera talia justificatur. Tertio, si vera esset illa conciliatio, sequeretur Abrahamum simul eodemque tempore fuisse utroque modo justificatum; at posterius ex istis absurdum foret, quia sic opera fidei utramque justificationem præcederent, quod ipsi Adversarii negant; Consequentia patet ex Jac. ii. 23, ubi inquit, "tum impletam fuisse illam Scripturam asserentem Abrahamum Deo credidisse et illi hoc imputatum esse ad justitiam, quum Isaacum obtulit in sacrificium," id. quum ex operibus fidem suam ostendit; unde ita colligere liceret conferendo Jacobum cum Paulo, Quando Abrahamo fides sua ad justitiam imputata est, tum justificatus est absque operibus, ex Paulo ad Rom., ac proinde prima illa Bellarmini Justificatione, At quando per bona opera, et nominatim per filii sui oblationem fidem suam demonstravit, tum fides ejus ipsi ad Justi-

tiam imputata est, ex Jacobo ; E. tum etiam justificatus absque operibus, ac proinde simul et per opera fidei, et absque operibus ex fide justificatus est, in secunda. Quarto, Omne opus justum et vitæ æternæ meritorium est ex fide, teste Adversario qui asserit, li. iv. c. 18, non posse quemquam ea edere opera ex quibus coram Deo justificetur nisi prius a Deo justus fiat prima illa justificatione quæ est ex fide absque operibus; At illa fides Abrahami quæ illi ad Justitiam reputata est, fuit opus justum et meritorium, proque tali a Deo judicatum et acceptum, quæ sunt ipsa Bellarmini verba ibidem; unde fides illa debuit esse ex alia fide, et illa deinceps ex alia, eadem enim semper valet ratio, et sic in infinitum; Quum E. justificatus est ex fide absque operibus ut vult Paulus, justificatus est ex operibus ex Bellarmino, ac proinde coincidit utraque hæc quam statuit Justificatio. Viderunt hoc et ipsi Jesuïtæ ; Unde Justinian. in ep. ad Rom. c. iv., hanc conciliationem rejicit duabus potissimum adductus rationibus : 1. quia si locus Gen. xv. agit de prima Justificatione impii, ut Paulus docet, necesse est Jacobum abuti hoc testimonio ad Justificationis secundæ naturam declarandam; 2. quia non bene Justificationi secundæ tribui potest quod illi tribuit Jacobus quod Abraham per eam dicatur amicus Dei factus, siquidem jam pridem fuit amicus et Justus. Idem sentit Estius in Jac. c. ii., non ignobilis ex eadem Societate Scriptor.

VIII. Alii E. Pontificii quibus non placuit istiusmodi commentum, aliam conciliationis viam iniverunt, non distinguendo Justificationem, sed *opera* quæ fiunt *ante et post fidem*, Paulum negare quidem nos justificari operibus, sed iis quæ præcedunt fidem et quæ facta solius naturæ viribus sine gratia Christi, qualia Gentiles exercebant et jactabant Judæi, Jacobum vero Justificationem tribuere operibus, sed iis quæ fidem sequuntur et fiunt per gratiam Christi. Itaque nullam hactenus inter eos esse repugnantiam. Hæc est frequentissima distinctio apud eos qua conantur eludere loca omnia Paulina quæ adducere solemus contra Justitiam inhærentem sive Justificationem ex operibus, quam ex Lombardo et Thoma haustam retinent omnes fere recentiores, Bellarm. Becan. Alphonsus a Castro, Salmero, alii; Justinian. vero peculiariter, Estius, Tirinus illam urgent ad istorum locorum conciliationem.

IX. Sed non commodior est hæc solutio præcedenti. Primo, quia falsissima nititur hypothesi, Paulum nimir. in Disputatione sua excludere tantum irregenitorum opera quæ fiunt ante fidem, non vero alia quæ a renatis fiunt illamque consequuntur; At contrarium patet innumeris argumentis, primo dicimus cum Salmerone, dum ipse rejiciebat distinctionem operum cæremonialium a moralibus quæ ab aliis afferri solet, "non esse limitandum quod Apostolus non limitavit," sed Apostolus absolute et simpliciter excludit a Justificatione opera omnia absque ulla restrictione et limitatione, E. non quædam tantum, sed omnia intelligit. Secundo, operibus malis nihil necesse fuit tanto molimine justificationem detrahere, hoc enim apud omnes fuit in confesso; at omnia opera sine fide facta mala sunt, siquidem, teste Apost., "quicquid fit sine fide peccatum est," Rom. xiv. 23. Tertio, sic intelligenda est exclusio operum apud Paulum ut omnis excludatur gloriatio, Rom. iii. 27; At nisi simpliciter omnia omnino excludantur opera etiam facta post fidem, non erit exclusa gloriatio, siquidem opera illa finguntur procedere simul cum gratia ex virtute liberi arbitrii, et statuuntur esse merita condigni, at ubi est meritum aliquod ibi est gloriatio, "si Abraham ex operibus justificatus est, habet de quo glorietur," Rom. iv. 2. Quarto, Exempla a Paulo allata Abrahami et Davidis, Rom. iv., non sunt de ipsis ante conversio-

nem et fidem, sed de iis jam conversis. Si de Abrahamo locutus fuisset cum primum ex Ur Chaldæorum evocatus est, aliqua cum veri specie exclusiva posset restringi ad opera quæ vocationem ejus præcesserant, sed loquitur de eo jam converso et in medio pietatis curriculo constituto, in quo procul dubio multa jam bona opera ediderat, et tamen cum quærit rationem justificationis ejus, pronunciat non operanti sed credenti fidem imputatam fuisse ad Justitiam. Sic David quum μακαρισμὸν hominis prædicat in remissione peccatorum, et deprecatur judicium Dei, Psal. xxxii. 1, et cxliii. 2, non loquitur de se ut infideli et irregenito, sed fideli jam et converso. Sic Paulus ipse non tantum de operibus præcedentibus conversionem suam factis in Pharisaismo dixit ea ducere se detrimenta et pro nihilo habere, sed et de cæteris omnibus quæ ab ipso ut Christiano proficisci poterant; postquam enim dixit, ver. 7, "quæ mihi erant lucra duxi damnum propter Christum," loquens in præsenti inquit, ἀλλὰ μενοῦν γε ἡγοῦμαι ζημίαν εἶναι, non tantum, Illa abjicio, "sed etiam hæc omnia reputo damnum esse," &c., Phil. iii. 8. Quinto, id ipsum etiam colligitur evidentissime ex scopo Epist. ad Gal. et statu quæstionis quam persequitur Paulus; neque enim quæstio erat an solis operibus ante fidem et sine Christo possent justificari, quod pertendebant Judæi qui Justitiam suam coram Deo stabilire satagebant, sed an opera conjungenda essent cum fide in articulo Justificationis, quod urgebant Pseudo-Apostoli et alii falsi fratres Judaizantes; nam certum est ex serie orationis et scopo epistolæ eos adversus quos disputat Apost. non fuisse puros Judæos, sed tales qui Christianismum professi Legem cum Evangelio, vires humanas cum gratia Dei, opera cum fide in Justificationis negotio conjungere nitebantur; nam si cum apertis Judæis res illi fuisset, minus solida et firma viderentur pleraque ejus argumenta quum ita concludit, "si per Legem Justitia, E. Christus frustra mortuus est," Gal. ii. 21, "si ex Lege hæreditas, E. non ex promissione," Gal. iii. 18, &c., quod haud gravate concessuri erant Judæi, sed cum adversus semi-Judæos et Pseudo-Christianos disputet, firmissima est istius argumenti consecutio, quia ne minima quidem officii a Christo præstiti pars nostris quibuscunque operibus tribui potest quin gratia desinat esse gratia.

X. Sexto, si non excludantur omnia omnino opera etiam renatorum quæ fidem sequuntur, non poterit constare antithesis quam toties urget Paulus inter duo fœdera, Legale et Evangelicum, ut plane ἀσύστατα et incompatibilia, quia in illo obedientia propria, in hac aliena et imputata justificamur, Rom. iv. 5, et x., Gal. iii. 12, Phil. iii., per illud in nobis, per istud in Christo, 2 Cor. v. 21. Jam vero si per opera etiam justificamur in fœdere gratiæ, utique perperam Apost. hunc justificationis modum tanquam fœderis Legalis proprium constanter Evangelico detraxit, sic enim non minus sub Evangelio quam sub Lege per opera justificaremur. Septimo, si ea fuit Pauli sententia quæ illi tribuitur ab Adversariis, excludendi scilicet tantum opera naturæ et ante fidem, mirum est quod Apost. toties tam diserte et constanter fidem opponit operibus, nunquam vero *opera naturæ*, *operibus gratiæ*, quod tamen inprimis fecisset ad ejus propositum ad declinandam invidiam qua gravari solebat, nam ipsius Adversarii ejus doctrinam ex eo potissimum traducere solebant, quasi laxaret habenas carni et peccatorum esset pulvinar gratuitam peccatorum remissionem promittendo; si itaque credidisset Justificationem fieri ex operibus gratiæ, nonne proclive illi fuisset respondere se non negare simpliciter Justificationem ex operibus, sed tantum ex operibus naturæ sine fide factis, Cum vero toties tam diserte et constanter Apost. Justificationem fidei tribuat et adimat operibus, nulla unquam adhibita exceptione

aut distinctione operum, liquidum est eum omnia omnino opera ab hoc negotio exclusa voluisse. Ex quibus, ne plures rationes congeramus quæ ad evertendam hanc Adversariorum hypothesim afferri possent, satis constat non posse hac via tolli repugnantiam inter Apostolos, cum Paulus utraque opera et naturæ et gratiæ complexus fuerit. Accedit etiam quod neque admissa hac glossa Jacobus cum seipso consentire videretur, dum ait Scripturam quæ describit Justificationem fidei Abrahami impletam fuisse cum obtulit filium suum; nam duobus modis tantum hoc intelligi potest, vel ut sensus sit Abrahamum credidisse et ejus fidem imputatam fuisse in partem Justitiæ, vel in solidam et plenam justitiam: si posteriori sensu intelligatur, cadit Adversariorum sententia, nam si fides pro solida justitia reputata est, nihil opus fuit operibus; si priori, non minus absurda erit ratiocinatio, Scriptura testatur Abrahamum fuisse quadantenus Justificatum cum credidit, E. hoc testimonium Scripturæ impletum est cum offerret filium, nulla vero hic est cohæsio et dependentia, ne jam dicamus perperam Justitiam hominis in partes dividi, quasi posset dici imputari ad Justitiam quod locum Justitiæ tantum partialis et imperfectæ obtinet.

XI. Missis ergo Pontificiis qui cæco errorum suorum præjudicio fascinati verum nec vident nec videre volunt, et nihil aliud agere videntur, quam ut quibuscunque possunt modis *τῇ ὑποθέσει δουλεύωσι*; Age videamus quid hac in parte statuant Orthodoxi. Diversimode enim scrupulum hunc tollere etiam sategerunt; Quidam distinguendo *Justificationem coram Deo* et *coram hominibus*, ita ut de illa Paulus, de hac vero Jacobus loquatur; Alii distinguendo *opera* quæ vel *proprie* sumi possunt, vel *metonymice* pro causa sua, nimirum *fide*, ut Paulus operibus proprie sumptis justificationem detrahat, Jacobus vero eandem illis tribuat, sed metonymice intellectis, id. fidei vivæ et efficaci. Verum quia neutra videtur plane satisfacere, Non prior, quia ut ex progressu patebit, aliquid ulterius in Jacobo videtur insinuari præter ostensionem justificationis coram hominibus, Non posterior, quia durior est et minus usitata hæc metonymica locutio, nec cum textus circumstantiis ubi fides et opera distinguuntur et præsertim ver. 22, satis consentire videtur; dispiciamus annon facilior quædam locum interpretandi, et difficultatem propositam tollendi ratio nobis suppetat.

XII. Hic vero duo ante omnia præstruenda sunt fundamenti loco: Primo, hanc non esse veram et realem, sed tantum apparentem contradictionem, nam quis dixerit Apostolos hosce qui manus conjunxerant ad cooperandum, Gal. ii. 9, linguas tamen divisisse ad contendendum? imo cum idem Spiritus per utrumque Apostolum locutus sit, qui non est *Etiam et Non*, sed *Etiam in Christo*, 2 Cor. i. 19, id. constantissima veritas, fieri nequit ut quicquam sibi ipsi adversum et repugnans asseruerit; itaque si per Paulum Justificationem soli fidei, per Jacobum vero eandem et operibus acceptam refert, illud utique intelligendum est *κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο*. Secundo, tenenda etiam est Theologorum regula "nullum esse fidei dogma quod non alicubi in Scriptura claris et perspicuis verbis proponatur," nam ut bene August. de doctr. Christi. l. ii. c. 6, "magnifice et salubriter Spiritus S. Scripturas ita modificavit ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus vero fastidia detergeret, nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur quod non planissime alibi dictum reperiatur," perspicuitas vero illa quærenda est potissimum iis in locis ubi argumentum tractatur ex professo et tanquam in propria sede sua; Unde quum quæstio circa tale aliquod dogma oritur, recurrendum est ad illa loca, ut ex iis de cæteris judicium fiat in quibus Scriptores sacri forte obscurius

vel saltem obiter tantum et aliud agendo de eodem verba fecerunt. Cum ergo quæstio sit de momentosissimo Religionis nostræ articulo, videndum inprimis ubi dogma istud expresse et velut in propria sede tractetur; Constat autem, et nemo ut opinor diffiteri audebit argumentum hoc propriissimis et clarissimis effatis a Paulo proponi non semel in epist. ad Rom. Gal. et Ephes., ideoque non Paulus ex Jacobo qui semel tantum et aliud agens justificationis meminit, sed potius Jacobus ex Paulo exponendus, qui toties tamque perspicue mentem suam hic aperuit; videndumque diligenter ne quid in enodatione loci Jacobi afferatur quod analogiæ fidei in hoc articulo a Paulo constitutæ repugnet; Hoc vero facile fieri poterit si quatuor hæc diligenti examine ponderemus: 1. Occasionem et *Scopum* utriusque Apostoli; 2. Nomenclationem *fidei* quæ utrobique usurpatur; 3. Vocabulum *Justificationis* de qua fit mentio; 4. Σχέσιν variam *Hominis* qui justificatur. Ex hisce enim quatuor plenam Jacobi cum Paulo conciliationem pendere arbitramur.

XIII. Hic E. obversari primo illud debet Hilarii, "Intelligentiam dictorum ex causis sumendam esse dicentium;" ex varia enim sermonis occasione, varius oritur loquentis scopus et diversus loquendi modus, ut aliter Christus loquitur ad præfractos et superbos Pharisæos, aliter ad auditores cupidos veritatis et demissos, aliter Paulus se comparavit cum Timotheum in gratiam infirmorum circumcidit, Act. xvi. 3, aliter cum Titum ob falsorum fratrum contentionem circumcidi noluit, Gal. ii. 3. Ita hic occasio et scopus utriusque Apostoli mirum quantam lucem inferat huic negotio. Et ad Paulum quod attinet, *Scopus* ejus in Epistolis suis non est obscurus, nimirum, ut potissimum illi certamen fuit cum Pharisæis et Pseudo-Apostolis qui merita sua et justitiam vel pro gratia substituebant, vel cum gratia conjungebant, ita in eo totus fuisse videtur ut justificationis veram rationem et causam declararet, eamque gratiæ in solidum per fidem apprehensæ, nullis autem operibus nostris quæcunque tandem illa sint, transcriptum iret: in eumque finem adducit exempla Abrahami et Davidis qui non alio modo justificati sunt. Jacobus vero longe aliud intendit, aliud quippe hominum genus aggreditur, Epicureos scilicet et Libertinos qui verbo et ore tenus fidem Christianam professi, vita et factis eandem abnegabant, atque ita gratiam Dei in carnalem licentiam et profanam peccandi securitatem convertebant, acquiescentes interim in tali fidei simulachro quasi propterea essent omnium justissimi; Jacobo ergo propositum est arguere neglectum hunc operum et stultissimum eorum delirium qui inter Christianos fidem cujus nomen erat illustre externa tantum specie et professione metiebantur, fidem jactabant, opera negligebant. Hi autem quia Justificationis fidei nomine abutebantur, et ex sententia Pauli perperam intellecta, nec non ex Abrahami exemplo, studium bonorum operum ceu inutile et supervacaneum susque deque habebant, Jacobus eodem exemplo in illos retorto inanem illam jactantiam contundit, ut ne sola professio tantum sufficere, vel in ea vera fides sita existimaretur. Vidit hoc Aug. in Psal. xxxi., "Jacobus," inquit, "vult corrigere eos qui male Paulum intelligendo, nolebant bene operari, de sola fide præsumentes." Itaque adversus utrosque sicut contraria plane fuit controversia, contrario etiam modo fuit disputandum. Illi adversus quos disputat Paulus operum Justitiam stabiliebant, Isti cum quibus agit Jacobus, non operum modo justificationem, sed ipsa etiam opera quasi parum homini Christiano necessaria de medio tollebant; sicut E. adversus illos ita defenditur gratuita Justificatio ex fide, ut bona opera non tollantur quin potius passim efficacissime commendentur, sed tantum Justificandi vis illis detrahatur; ita adversus

istos liquidum est opera ita stabiliri, non ut justificandi vis illis tribuatur, sed ut vera Justificatio ex illis tanquam ex effectis colligatur. Illic de Causa Justificationis quæritur, hic de effectis, Illic excluduntur opera tanquam Justificationis causæ, hic admittuntur tanquam effecta, Illic disceptatur quomodo justificemur, hic quomodo justificatos nos esse intelligamus, Illic negantur opera præcedere justificandos, hic dicuntur justificatos consequi, Illic agitur cum Pharisæis et Justitiariis, hic cum Epicureis et Profanis. Ergo pro ratione scopi quem intendebant et hominum ad quos scribebant, diversimode Apostoli mysteria hæc fidei ad institutum suum accommodare debuerunt; Ut enim parum apposite Paulus opera ursisset adversus Pharisæos qui nihil nisi opera quærebant, Ita frustra Jacobus adversus profanos probasset nos non justificari operibus, qui opera ne ut testimonia quidem et effecta justitiæ requirebant, nedum ut plusquam par esset illis tribuerent.

XIV. Ex quibus jam satis liquet nullum hic esse Jacobo cum Paulo certamen, quandoquidem enim diversum plane scopum respiciebant, diversa itidem ineunda fuit via ut geminum illum errorem, et *superbiæ Pharisaicæ* ex operum falsa confidentia, et *Profanæ licentiæ* cum vana fidei jactantia, ex cordibus hominum radicitus evellerent. Ut vero ad superbam retundendam eorum arrogantiam qui bona sua opera jactantes iis præfidebant, indeque se justificatum iri præsumebant, nullum Abrahami exemplo aptius afferri potuit, qui sane si quisquam alius mortalium ex bonis operibus quibus ejus vita sancta relucebat, justificari debuisset, quod cum ne ipsi quidem contigisse coram Deo doceat Apostolus, quantominus cuiquam ex ejus posteris hoc idem sperandum fuerit aut præsumendum? Ita ad larvatam impietatem carnalium hominum retegendam, Rahabæ exemplum inter alia convenientissimum fuit, quippe quæ nuper tantum ad veri Dei cognitionem et cultum conversa et in vera religione adhuc neophyta, fidei tamen suæ veritatem insigni illo charitatis et misericordiæ opere erga veri Dei servos comprobavit et testata est, quanto magis idem Christianos homines deceat in Christi schola sub luce et gratia Evangelica enutritos?

XV. Quanquam vero Bellarm. lib. iv. de Justific., c. 18, nonnihil hic reponere conetur, dum contendit scopum Jacobo fuisse non demonstrare "Quæ sit vera fides," sed "Fidem veram atque Catholicam ad salutem sine operibus non sufficere," et fidelem qui bene operatur in justitia crescere, qui male operatur justitiam amittere, et fidem in eo mortuam et otiosam manere, quod probare vellet, tum ex auctoritate Augustini qui, lib. de fid. et oper. c. 14, docet Jacobi Epistolam dirigi adversus hæresin tunc recens exortam eorum qui dicebant fidem ad salutem sine operibus sufficere, tum ex c. i. 22, "Estote factores verbi non tantum auditores," et c. ii. 1, ubi hortatur eosdem ne habeant fidem D. N. in προσωποληψίᾳ. Hoc, inquam, nullius est ponderis et facile retunditur; 1. Peccatur ignoratione Elenchi, aliud enim est loqui de scopo totius Epistolæ generali, aliud de scopo particulari hujus capitis, atque inprimis postremæ ejus pericopes, damus enim facile scopum generalem Jacobi in hac Epistola non esse tantum ostendere *quæ sit vera fides*, siquidem constat totam Epistolam parænetícam esse quæ hortatur fideles ad constantiam in afflictionibus, perseverantiam in fide, et profectum in vita Christiana; sed negamus peculiarem hunc scopum esse istius capitis. Imo contrarium evincimus ex ipso textu, ex quo constat Jacobum non agere primario et principaliter de "Justificatione, sed de fide, non de justificatione hominis peccatoris, sed de manifestatione hominis fidelis," atque adeo de ipsa fidei demonstratione. Patet tum ex propositione Apostolicæ disputationis, tum ex ejusdem conclusione. Propositio duplex est, tum remota, ver. 1., tum proxima, ver. 14.

Illic inquit, "Fratres mei, ne ἐν προσωποληψίαις habete fidem Domini nostri Jesu Christi gloriosi." Isthic, "Quæ utilitas, fratres mei, si quis fidem habere dicat, opera vero non habeat, potestne ista fides eum servare?" Ex quibus liquet, de fide tantum quæstionem fuisse, eaque ostendenda operibus citra προσωποληψίαν, nam ut in primo versu docet prosopolepsiam non posse cum fide bene consistere, ita ver. 14, generale notat hypocritarum vitium qui inani fidei jactantia gloriabantur, licet operum curam negligerent, occupans enim objectionem alicujus hypocritæ qui fidem solam obtendens, de justificatione et salute securus videbatur, ait *quæ utilitas, fratres mei*, &c. Insequentibus omnes probationes suas hinc petit Apost. quod fides absque operibus nulla sit, quod sit mortua, &c. Conclusio idem ostendit, ver. 26, "quemadmodum enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est," de fide enim concluditur quæ vera sit et vitalis, non de justificatione. Ex quibus liquet verum scopum Apostoli esse docere, non eam esse veram et salvificam fidem quæ per opera se non ostendit de qua gloriabantur isti hypocritæ, sed inane tantum ejus simulachrum, ut corpus vivum non est quod non respirat: Itaque fideles si velint esse reipsa quod videntur debere in id sedulo incumbere ut fidem suam operibus testatam faciant. 2. Peccatur etiam falsiss. hypoth. nim. fidem quæ operibus destituitur esse veram et Catholicam quamvis ad salutem non sufficiat, cum tamen Jacobus eam *mortuam* vocet et *Diabolicam*. 3. Aliud est ad salutem sine operibus non sufficere, aliud ad salutem acquirendam sive ad justificationem, prius non illibenter concedimus, fidem scilicet non sufficere sine operibus ad salutem possidendam et adeundam, ut qui novimus opera viam esse ad cœlum quam Deus paravit ut in ea ambulemus, Eph. ii. 10, sed posterius negamus contra Pontificios qui vellent opera fidei adjungere in articulo justificationis, cum tamen luce meridiana clarius sit Scripturam eam soli fidei tribuere, nec aliter fieri posse quin abrogetur fœdus gratiæ. 4. Merum est figmentum quod ait Jacobum loqui de incremento Justitiæ, cum nihil tale vel expresse in ejus verbis contineatur, vel per necessariam et evidentem consequentiam ex illis elici possit.

XVI. Frustra vero ad August. provocat, nam dicit ille quidem temporibus Apostolorum, non bene intellectis quibusdam sententiis Pauli, putasse quosdam ad salutem obtinendam fidem solam sufficere, id. solam fidei professionem et præsumptionem, quod patet statim ex ipso loco cum ait, "Apostolus quum dicit hominem justificari fide sine operibus, non hoc vult ut præcepta et professa fide opera justitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi Legis opera non præcesserint, sequuntur enim Justificatum, non præcedunt Justificandum;" interim tamen fidem hanc nuspiam veram et Catholicam vocat, sed contra *mortuam* diserte dicit et per consequens inanem et ψευδώνυμον, "Quousque igitur," inquit, "falluntur qui fide mortua sibi vitam pollicentur;" Ita August. non urget *opera* ut *Justificationis causas*, sed ut *fidei fructus*, ut ibid. testatur; præterquam quod aliud est, "fidem sine operibus non prodesse," quod ait August. et nos cum ipso agnoscimus, aliud "fidem sine operibus non sufficere ad Justificationem," quod vellet Adversarius, et nos negamus. Nihil Ergo præsidii habet in authoritate Augustini. Nihil etiam juvant loca allata, nam ex primo, Jac. i. 22, colligitur tantum finis generalis Epistolæ, hortatio scilicet ad sanctitatis studium, quia Lex non auditores tantum sed et factores postulat, Evangelium enim cum promissionibus, sua etiam habet mandata, ad quorum observationem nos hortatur. Ex altero vero, c. ii. 1, nihil potest inferri nisi fidem eam vanam esse quæ laborat prosopolepsia, et destituitur charitate seu bonis operibus, quod illud ipsum est quod intendimus.

XVII. Secundo, Præter considerationem scopi, qui utrobique diversus est, distinguenda etiam est *vox fidei*, quæ aliter a Paulo sumitur, aliter a Jacobo intelligitur. Paulo *fides* veram et vivam fidem designat, Jacobo vero fidem mortuam, larvam tantum fidei quæ καταχρηστικῶς demum nomen hoc sibi vindicat, et quam per meram concessionem, ne de verbis litigare videatur, eo titulo insignivit. Paulum enim non aliam quam fidem vivam intelligere, clarius est quam ut probatione indigeat, cum non semel testetur eam esse efficacem per charitatem; Jacobum vero disputare contra inanem fidei jactantiam, et huic Justificationem detrahere, multa sunt quæ demonstrent. Primo, scopus Jacobi jam indicatus, qui potissimum aciem styli stringit in eos qui male Paulum intelligendo nolebant bene operari, de sola fide præsumentes, ut dicebat Augustinus; Igitur fides Jacobo nihil aliud est quam professio vel præsumptio fidei, fides nolens bene operari, quæ fides non salvifica sed inanis, non viva sed mortua, non efficax sed otiosa et sterilis est. Secundo, *Omnes textus circumstantiæ*. Nam eam intelligit fidem, non quam quis habeat revera, sed quam quis dicat se habere, ver. 14, "Quæ utilitas," inquit, "fratres mei, si quis fidem dicat se habere?" Secundo, eam quæ in verbis duntaxat et externa professione consistat, ut si quis pauperi nudo et stipem petenti bona det verba, sed nihil subsidii, ver. 15, quemadmodum enim charitas hæc quæ in verbis tantum consistit inanis est et falsa, ita fides sine charitate et operibus. Tertio, non aliam notat quam ea quæ sit mortua, ver. 17, "Sic fides," inquit, "si opera non habeat, mortua est quoad se." Quarto, eam quæ sit homini communis cum Dæmone, et quæ sit tantum divinæ Essentiæ, non item benevolentiæ et gratiæ specialis, quod proprium et peculiare fidei Justificantis est objectum, ver. 19, "Tu credis Deum esse, diaboli pariter credunt, et contremiscunt." Quinto, eam quæ vana sit et vanum hominem reddat, ver. 20, "Vis cognoscere, o homo vane, quod fides sine operibus est mortua." Ex quibus clarum est Jacobum loqui de inani nomine, et mere externa fidei professione, quæ instar nummi adulterini ostentet quidem summi Magistratus ἐπιγραφὴν, et insignia, sed cuprum habeat pro auro, vel stannum pro argento. Unde colligitur fidem aliam a Paulo, aliam a Jacobo prædicari, et per consequens nullam inter eos esse repugnantiam, quia non affirmant idem de eodem, sed de diverso; Paulus tribuit Justificationem soli fidei, sed vivæ et efficaci; Jacobus vero detrahit, sed mortuæ et hypocriticæ, quæ in nuda hominis professione posita est, vel mere historica veritatis notitia qualis in Diabolos cadit. Facit hic nobiscum Justinianus in Rom. iv., "Semper ego existimavi, tam Paulum quam Jacobum de prima Abrahæ Justificatione disputare, sed Jacobum suæ fidei otiosæ detrahere quod vivæ tribuebat Paulus;" facit Salmero in istum Jacobi locum, "Accedit ad confutandum eorum errorem, qui inani tantum fidei vocabulo gloriantur, et Christianam libertatem suorum peccatorum velamentum faciunt, et sibi et mundo, non autem Christo vivunt, ut canes redeuntes ad vomitum;" facit Tirinus qui agnoscit intelligi fidem a Jacobo "quæ vana sit, inanis, infructuosa possessori suo, item exsucca, exsanguis, elumbis et fœda instar cadaveris putrescentis," quæ sane elogia fidei Justificanti quam Paulus urget nemo sanus tribuere ausit. Hoc autem jam observatum fuerat ab August. lib. de fide et operibus, c. 14, et quæst. ad Dulciti. qu. 1.

XVIII. Quamvis vero distinctio hæc luce meridiana clarior sit, non vult tamen eam agnoscere Bellarminus, imò omnem movet lapidem, ut eam evertat, et Jacobum ostendat non minus quam Paulum loqui de vera et salvifica fide; rationes affert varias: 1°. Quia Jacobus eam absolute fidem appellat, quod nomen in sacris literis semper veram fidem significare solet. 2°. Quia in eodem capite, ver. 22, de eadem fide loquens in persona

Abrahæ dicit eam cooperatam esse operibus et ex operibus esse consummatam; At fides Abrahami non umbra fidei, nec inanis articulorum notitia, sed fides verissima fuit. 3°. Quia dicit fidem bene justificare, sed non solum, "Videtis quod ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum," ver. 24, supponit ergo fidem aliquatenus et ex parte justificare; At fidei umbra et larva non justificat. 4°. Quia comparatur homo habens fidem sine operibus diviti qui cognoscat quidem inopiam pauperis, sed nihil tamen subsidii illi eroget; Ut ergo verissima est illa cognitio inopiæ pauperis, ita et vera fides, quæ operibus destituitur, ver. 15. Comparatur etiam *corpori sine spiritu* quod non potest negari verum esse corpus, licet mortuum, ver. 26, "Sicut corpus absque spiritu mortuum est, ita et fides illa quæ est absque operibus mortua est." Sic ille lib. i. de Justific. c. 15.

XIX. Verum etsi sudat nitendo, ne hilum tamen ratiunculis suis proficit. In prima peccatur bifariam: Primo dum supponitur fidem dum absolute ponitur semper veram fidem designare, id est salvificam et Justificantem de qua Paulus agit et quæstio nostra instituitur (alias si laxius sumatur *veræ fidei* nomen, non diffitemur fidem historicam vel temporariam etiam suo modo veram esse *objective* quatenus vere assentitur Verbo et verum esse credit). Falsum autem hoc esse innumeris exemplis ostendi potest; fides Simoni Mago tribuitur, Act. viii. 13, qui et ipse credidisse dicitur, nec vere tamen, sed simulate; sic dæmones credere dicuntur, non tamen ad fiduciam et salutem, sed ad terrorem et desperationem; multi dicuntur credidisse in Christum propter miracula quæ patrabat, Joh. ii. 23, nec tamen vere et salvifice, quia "Christus se illis non credebat cognoscens quid in homine esset," ver 24, 25. Sic sæpissime absolute fides cum ponitur vel fidem miraculorum significat, 1 Cor. xiii. 2, Matth. xxi. 21, 22, &c., vel doctrinam ipsam fidei, Act. vi. 7, vel professionem doctrinæ Evangelicæ, Rom. i. 8, Act. xvi. 5, &c. Porro non insolitum est hoc loquendi genus in Scriptura ut τοῖς φαινομένοις dentur nomina τῶν ὄντων, sive κατὰ συγχώρησιν ad hominem argumentando, ut Paulus dicit "Dei beneplacitum fuisse salvare credentes per stultitiam prædicationis," 1 Cor. i. 21, non quod tale sit reipsa Evangelium, sed quod tale habeatur mundo et carni, sive *ironice*, ad hominum vanitatem redarguendam, ut 1 Cor. iv. 8, "Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis hactenus regnum adepti estis," quod postea corrigit in sequentibus, "atqui utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus." Ita Jacobus per meram concessionem fidem hanc hypocriticam fidem vocat, quia illi qui eam profitebantur fidem eam nominabant et de ea gloriabantur, licet fidei nihil haberet præter externam professionem, vel inanem quandam mysteriorum sacrorum notitiam. Vidit hoc Oecumenius, "Ad duo fidei significata refertur fidei nomen; nam fidem solemus usurpare, tum de simplici concessione ejus quod apparet, sicut etiam dæmones scimus credere Dei filium; Et rursus appellamus fidei nomine id quod consequitur ex firma dispositione cum certo assensu." Secundo, falso etiam supponit Jacobum absolute fidem vocare, nam et articulus quem addit vim suam habet ad eam peculiariter et διακριτικῶς distinguendam, *num potest ἡ πίστις servare ipsum*, non tantum fides, sed *hæc fides*, talis fides; et circumstantiæ connexæ eam satis determinant, quum vocat eam fidem mortuam, et dæmonibus communem, imprimis vero illud evincit, quod non dicitur fides haberi, sed tantum jactari, *Si quis dicat* se fidem habere, hoc enim tam generale est ut non tantum τὰ ὄντα, sed etiam φαινόμενα complectatur, ut 1 Joh. ii. 4, "Qui dicit, Novi eum, et mandata non servat, mendax est," et ver. 9, "qui dicit se esse in luce, et fratrem suum odit, in tenebris est," &c.

XX. Ad 2[um] falso iterum supponit Adversarius, fidem contra quam Jacobus disputat, et de qua quæritur inter nos eandem esse cum fide Abrahami de qua loquitur postea; cum certum sit Apostolum has a se invicem distinguere; nam ut doceat fidem illam de qua hypocritæ isti gloriabantur falsam et inanem esse, opponit fidem Patris credentium, quæ mortua non fuit, sed efficax per bona opera; patet ex ver. 20, 21, &c., "Vis vero cognoscere, o homo vane, quod fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est oblato filio suo," &c.; quasi diceret, Vis hoc amplius cognoscere, fidem scilicet quam jactas veram fidem non esse nec qua secure niti possis? confer fidem illam cum Abrahami exemplari, nam cum a Deo proponatur ut Pater credentium cujus fidei vestigiis insistere omnes decet, dubium non est quin veram fidem habuerit, quid vero ille nonne Isaacum obtulit? Itaque non habuit fidem quam opera non consequerentur, sed illum vere per fidem justificatum fuisse res ipsa ostendit quum opus hoc ederet justitiæ, ver. 22, et tum plene patefactum est quam merito de eo scriptum sit quod crediderit Deo et illi imputatum sit ad Justitiam, ver. 23, unde solide colligit Jacobus, cum fides istorum nihil simile habeat cum fide Abrahami, falso tanquam veram et salvificam obtendi. Nemo ergo dixit unquam quod nobis imponit Bellarm., Abrahami fidem umbram fuisse, sed ex Abrahami fide fidem definire omnium, et eorum maxime qui solam externam fidei larvam haberent, iniquum esse pronunciamus et plane contra mentem Jacobi, qui hæc comparat ut dissimilia, ut ex unius veritate alterius vanitatem evincat. Cæterum quod fides dicitur "cooperata bonis operibus ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ," non referendum est ad ipsam Justificationem, sed simpliciter ad connexionem operum cum fide, ut significetur neque opera fuisse sine fide, neque fidem fuisse absque operibus, quod præcipue quærebatur, sed efficacem fuisse et fœcundam per bonum illud opus, quatenus oblatio illa filii fuit egregium fidei opus, ut, Heb. xi. 17, dicitur *per fidem obtulisse;* Atque ita non incommode posset hoc verbum compositum quod apponitur, per tmesin satis Jacobo usitatam, c. ii. 6, 13, et iv. 11, resolvi in simplex "ἡ πίστις ἡ σὺν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ ἤργει, fides cum operibus existens operabatur," id est non sterilis et otiosa mansit, ut isti volebant; Quo sensu vero *consummata* dicatur, non quoad essentiam, sed quoad declarationem jamjam dicemus.

XXI. In tertia Exceptione, peccat fallacia interpretationis, quasi Jacobus, ver. 24, cum ait "videtis quod ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum," Justificationem fidei aliquatenus et ex parte tanquam causæ sociæ cum operibus tribueret. At hoc ex verbis elici nequaquam potest, non partitur enim Justificationem inter opera et fidem, sed totam operibus tribuit, fidei totam derogat, scilicet illi fidei de qua quæstio erat et quam hypocritæ præ se ferebant. Non dicit, Videtis quod homo non fide tantum, sed etiam operibus simul cum fide Justificatur, vel videtis quod etiam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum; particula enim καὶ vel alia aliqua similis addenda fuisset ad denotandam conjunctionem operum cum fide in Justificatione tanquam causarum sociarum, sed dicit simpliciter, "Videtis quod ex operibus Justificatur homo, et non ex fide tantum," id est, non ex fide illa solitaria et operibus vacua quam pertendebant, quæ revera nihil aliud est quam umbra et larva fidei; hominem autem non justificari ex illa fide, evicit exemplo fidei Abrahami, quæ alia plane fuit, viva nimi. et efficax, unde colligit per consequentiam necessariam transeundo ab hypothesi ad thesim, neminem posse justificari per illam inanem fidem, quæ ultra professionem exter-

nam fidei quæ creditur non pergit, sed fide salvifica quæ veram suam ἐνέργειαν ostendat per bona opera, quia eadem omnium fidelium debet esse Justificatio et fides illius organum; qua fide enim justificatus est Abrahamus credentium Pater, eadem et omnes ejus filii, Rom. iv. 12.

XXII. Ad 4um Resp., Comparatio prima adversarium jugulat, nam sicut charitas illa divitis, quæ bona verba dando pauperi, nullum tamen reale subsidium erogat, ficta est et inanis, et charitatis nihil nisi nomen habet, siquidem, teste Johanne, Charitas non in lingua sed in opere et veritate sita est, 1 Joh. iii. 17, 18, "Nam qui habuerit mundanas facultates, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua coram eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Amemus," inquit, "non lingua, sed ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ;" Ita omnino fides illa quæ caret operibus vana est et inanis. Altera vero similitudo quam subjicit, non magis ad rem facit, nam ut Corpus sine spiritu mortuum est, id. ex respirationis cessatione agnoscitur esse mortuum, ita fides deprehenditur esse mortua ex defectu operum. Dices, At sicut Cadaver est verum corpus licet sit mortuum, ita et fides vera erit licet mortua. Resp., Cadaver esse quidem verum Cadaver, sed non esse verum corpus ejusdem speciei et naturæ cum Corpore vivente, ideo, ut cadaver et corpus vivens, juxta Philosophos, tota specie differunt, necesse quoque est tota specie differre fidem vivam et mortuam; nec σῶμα hic præcise sumi debet pro mole corporea, cujus partes sunt extra partes, sed potius pro homine vel pro animali, quod vivere intelligatur si adhuc respirat, si vero secus, censeatur mortuum, quomodo non raro sumitur vox σώματος, et apud Sacros, et apud profanos Scriptores, Apoc. xviii. 13, nundinatio σωμάτων id. *hominum* proponitur, hinc et illud Σώματα πολλὰ τρέφειν, &c. Ita vox πνεύματος non innuit proprie *animam*, sed spiritum, id est *spirationem*, halitum, flatumve vitæ, quo cessante cessat vita moriturque animal, sic Isa. ii. 22, Psal. civ. 29, et sic lxx., Psal. cxix, 131, *attraxi* πνεῦμα id. halitum; eodem sensu *spiritus* vocabulum usurpat Tertulli. Apol. c. 6, "Ideo et oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu indicarentur." Mens ergo Jacobi erit, Ut corpus ex defectu respirationis mortuum esse agnoscitur, ita et fides si careat bonis operibus, nam hoc est inter omnes gentes commune corporis mortui experimentum, unde ad majorem certitudinem mortuorum ori speculum adhiberi solet ut ex illius claritate vel obscuratione cognoscatur an spiritus insit. Soli autem non sumus in ea sententia, Caietanus inter Pontificios hoc ipsum agnovit, cujus verba quia eximia sunt referre non pigebit: "Appellatione Spiritus non significatur anima, sed halitus, ceu flatus, et apte comparat opera flatui, quemadmodum enim corpus animalis si non spirat mortuum est, ita fides si non parit opera mortua est, flatus siquidem est effectus corporis vivi, et similiter operatio est proprius effectus fidei vivæ, unde apparet quo sensu dixerit superius fidem sine operibus mortuam esse, non quod sentiat opera esse formam fidei, sed quod sentiat opera esse concomitantia fidem, sicut halitus comitatur vitam corporis." Ita πνεῦμα non intelligendum est οὐσιωδῶς, sed potius ἐνεργητικῶς, ipsa vitalis agitatio, qualis est in homine vel in anima πνοὴ καὶ ἀναπνοὴ, qua præsente manet corpus animatum, deficiente vero fit cadaver; nec sane aliter sine gravi absurditate potest intelligi; alias dicendum esset quod ut ex anima et corpore resultat tertium scilicet homo, ita ex fide mortua et operibus resultaret tertium quid nimirum fides salvifica: at fides justificans suam habet formam οὐσιώδη a natura sua, non vero a charitate, quæ est quidem *essentiale consecutivum*, sed non *constitutivum* fidei, *fides* enim *non est vera et viva, quia operatur* per charitatem, sed ideo operatur per charitatem *quia est viva*, ut charitas sit effectus et signum vitæ fidei, non causa.

XXIII. Licet autem hæc distinctio fidei multum jam conferat ad conciliationem quam quærimus, non tamen sola sufficere potest, nisi et *Justificatio* distinguatur. Cum enim Jacobus non dicat tantum hominem non justificari fide, sed pertendat justificari operibus, quod negat diserte Paulus, contradictio plane tolli non poterit nisi cum fide distinguamus etiam *Justificationem* et *Justificandi verbum*, bifariam enim sumi potest, et non semel usurpatur in Scriptura, vel pro *Justificatione ipsa*, hoc est absolutione illa quam ex Justitiæ Christi imputatione consequimur apud Deum, vel pro ejusdem *declaratione* et ostensione, et coram Deo et coram hominibus. Prima *Justificatio causæ* bene dicitur, quia in ea nomenclatione involvitur consideratio causæ, et rationis formalis propter quam a Deo justi pronunciamur; posterior *Justificatio effecti et signi*, quatenus includit testimonia et argumenta ex quibus a posteriori cognoscitur et declaratur justificatio; prima *fidei* est, altera *operum;* illa primaria est et præcipua istius vocis significatio, ista secundaria et minus propria, nec tamen plane insolens et inusitata in Scriptura. Nimirum ut habet Canon Theologorum, "Verba quæ fieri, esse, vel agere aliquid significant, quandoque non tam essentiam, vel actum, quam ejusdem notificationem qualiscumque illa sit, denotant;" sic Levit. xiii. 3, ubi agitur de leproso qui adducendus est ad Sacerdotem, postquam eum inspexit וטמא אתו *tum impurabit illum*, id est impurum eum declarabit, seu immundum pronunciabit, et ver. 13, טהר *mundabit*, id est mundum pronunciabit; sic Matth. v. 45, "diligite inimicos vestros, orate pro iis qui vobis maledicunt, ut sitis filii patris vestri qui est in cœlis," quomodo filiatio dicitur consequi dilectionem cujus est causa, nisi enim jam essent filii, non possent talia opera charitatis præstare; hic ergo valere debet regula posita, Tunc dici aliquid esse aut fieri, quum esse intelligitur aut declaratur, "ut sitis filii," id est, ut reipsa vos tales exhibeatis et demonstretis; sic Act. x. 15, "quæ Deus purificavit tu ne κοίνου profanes," id est, ne profana esse dicas vel ducas, ut ipse Petrus, ver. 28, interpretatur. Ita, ne longius recedamus ab instituto nostro, ipsum *justificandi* verbum non raro sumitur, Luc. vii. 29, "Omnis populus audiens, et Publicani ἐδικαίωσαν justificaverunt Deum, baptizati baptismo Johannis," id est, tribuerunt Deo laudem bonitatis et justitiæ humili peccatorum confessione et baptismi susceptione, et ver. 35, "Sapientia justificata est a filiis suis," id est justa declarata, et Rom. iii. 4. Sic Christus ipse dicitur, 1 Tim. iii. 16, *justificatus Spiritu*, id est, interprete Paulo ad Rom. i. 4, "declaratus filius Dei secundum Spiritum sanctitatis, per resurrectionem a mortuis." Eadem est hujus loci ratio, Abraham dicitur ex operibus Justificatus, id est declaratus et compertus revera Justificatus, nam Jacobum non loqui de *Justificatione causæ*, hoc est, de absolutione ipsa, sed de *Justificatione signi*, id est, de ejusdem declaratione, multa sunt quæ probent.

XXIV. Primo, Scopus et Consilium Jacobi, quod nequaquam est disputare quomodo Justificemur, sed cujusmodi sit et quod ingenium fidei illius qua Justificamur, non de *causa justificationis*, sed de *qualitate justificati*, ex quibus effectis et argumentis recte colligi possit quinam sint vere justificati; Patet hoc ex ver. 18, "Ostende mihi fidem tuam ex operibus, et ostendam tibi ex operibus fidem meam;" Compellat scilicet hypocritam et inanem ejus jactantiam retundit, qui cum fidem profiteatur, et præ se ferat, nullo tamen argumento, et testimonio externo ostendere eam potest, vult ergo fieri ostensionem fidei per opera, ita ut fides quæ per opera se non exerit, eo ipso deprehendatur falsa et inanis. Secundo, ipsa historiæ series, quæ notatur, ver. 21, "Abrahamus Pater ille noster nonne ex operibus justificatus est, cum obtulisset Isaac filium suum super altare?" Jus-

tificatus ergo dicitur per oblationem filii sui; at coram Deo Abraham multo ante fuerat jam justificatus, testibus Mose et Paulo, nam triginta minimum annis antequam offerret filium dicitur credidisse Deo et fides illi imputata ad Justitiam, Gen. xv.; ergo per opus immolationis non est justificatus *causative* et *meritorie*, ut contendunt adversarii, quasi illa immolatione filii tum demum vere et perfecte fuisset justificatus, nam jam acceperat *sigillum Justitiæ fidei*, Rom. iv. 11, et propositus erat in exemplar justificationis omnibus post futuris fidelibus tam Judæis quam Gentibus; sed justificatus est *ostensive* et *declarative*, quia fidei salvificæ et justificantis et suæ per illam justificationis, hoc reddidit testimonium. Quod confirmatur, tertio, ex ipsius Angeli verbis ad Abrahamum, Gen. xxii. 12. Cum enim Isaacum obtulisset, vel in eo esset ut jamjam offerret, sublata ad cædendum filium manu, impetu ejus inhibito, ad eum Jehovæ nomine verba facit, "Ne extendas manum tuam in puerum, quia nunc cognovi quod times Deum nec prohibuisti filium tuum unicum a me;" hoc ergo opus eo tantum pertinuit, non ut justum eum redderet, hoc enim jam de illo prædicatum fuerat, sed ut insigni aliquo experimento probaret omnibus quam serio Deum timeret et quam vere fides illi in Justitiam fuisset imputata. Quarto, hoc colligitur ex verbis Jacobi, nam nisi intelligeret justificationem illam Abrahami ex operibus *declarative*, quorsum diceret, ver. 23, "Scripturam impletam fuisse," quum obtulit filium, "quæ dicit Abrahamum credidisse Deo et illi imputatum fuisse ad Justitiam?" sane hoc absurdissime diceretur si de proprie dicta justificatione intelligendum esset, quomodo enim impleta dicitur Scriptura quæ loquitur de justificatione fidei, cum justificatus est ex operibus? sed commodissime exponitur de declaratione, quia fides seipsam probavit per opera, et tunc apparuit vere et non hypocritice Abrahamum Deo credidisse, eamque fidem ut vivam et efficacem illi non abs re imputatam fuisse ad justitiam, quatenus scilicet promissionem gratiæ amplectebatur. Ita *impletio* hæc *metonymice* intelligenda erit, pro *impletionis declaratione* et certitudine, quæ ex hoc effecto clarissime innotuit; quomodo verba istiusmodi in Scriptura semel usurpari alibi diximus.

XXV. Ex quibus colligitur justificationem hanc Abrahami, de qua Jacobus agit, proprie ad *declarationem a posteriori* referendam esse. Porro, cujusmodi sit illa *declaratio*, et *quibus facta* si quæritur, Responderi quidem solet, nec male, factam esse *hominibus*, nam etsi oblatio illa filii facta fuerit remotis arbitris, solo teste Isaaco, qui mentem patris non potuit nosse nisi ex eventu, atque ita eo momento nemini proprie cognita fuerit hæc insignis Abrahami obedientia; potuerunt tamen homines cæteri ad quos istius facti rumor perlatus est postea illud dignoscere, imo quotidie fides Abrahami nunc etiam nobis innotescit per istiusmodi oblationem, ex ea quippe ut ex argumento certo et indubitato colligimus non vanam et mortuam, sed vivam et efficacem fuisse ipsius fidem. Verum ulterius *ad Deum* ipsum extendendam esse illam fidei ostensionem verba Angeli ad Abrahamum nos docent, sic enim expresse Angelus, *Nunc novi quod times Deum*, &c. E. Deo etiam innotuit et probata est hoc facto Abrahami fides. Sed quid opus Deo experimento qui καρδιογνώστης, vel quomodo aliquid in tempore innotescere illi potest cui ab æterno omnia fuerunt nota et præsentia, Act. xv. 18? Hic nodus non levis videtur, atque eo magis vindice dignus, quod infaustus ille Socinus, hæreticorum omnium audacissimus, loco hoc etiam abusus est ad negandam divinam præscientiam; Nam si infallibili scientia omnia novit antequam fiant, non posse explicari, inquit, quomodo Deus dicat se tum de-

mum agnovisse Abrahamum fuisse timore vero Dei præditum, cum filium suum charissimum immolare non recusavit, Prælect. c. xi. Verum frustra clamitat os impurum, et blasphemias in Deum evomit. Sane si quæcunque in Scriptura de Deo enuntiantur ad vivum essent resecanda, et proprie ad literam ut verba sonant essent intelligenda, utique aliquam veri speciem habere videretur ratio hæretici: sed quis nescit innumera esse in scriptura quæ ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur, et intelligenda sunt tantum θεοπρεπῶς, nisi velimus Deum fingere corporeum cum Anthropomorphitis, mutabilem, pœnitentiæ, dolori, et tristitiæ et similibus affectibus obnoxium, quod aures Christianæ hactenus ferre non potuerunt, quidquid Conradus Vorstius, Socini discipulus, impie contra Dei immensitatem, immutabilitatem, et alias proprietates blaterare sit ausus; itaque et jam olim et etiamnum hodie Christiani interpretes ita locum hunc interpretati sunt, ut nihil detractum voluerint præscientiæ divinæ, sed quocumque tandem modo illum reddiderint, agnoverunt tamen et confessi sunt nullam novam cognitionem proprie Deo accedere posse. Duobus autem modis potissimum locus hic est expositus; alii enim cum August. qu. 58, in Genesim, illud *cognovi* interpretantur transitive pro *cognoscere feci* ידעתי pro הודעתי, ut id referatur, tam ad Abrahamum ipsum et Isaacum, quam ad alios quibus hoc facto, Deo id procurante, innotuit fides Abrahæ, qua in sententia fuit etiam Chrysostomus, νῦν, φησὶν, ἅπασιν ἐγνώρισα ὅπως εἰλικρινῆ φόβον ἔχεις πρὸς τὸν Θεὸν, "per te declaravi," inquit, "et innotescere feci omnibus, quomodo sincero timore Deum colas," nam ibidem addit, "Ego noveram famulum meum, quæ autem nunc a te facta sunt, in doctrinam sunt tam præsentibus quam futuris." Alii satius existimant et minus coactum hoc de Deo dici figurate et per ἀνθρωποπάθειαν, quia in toto hoc negotio, se habuit ad modum hominis alium tentantis, et experimentum quærentis animi latentis; quemadmodum ergo metaphorice et figurate dicitur *tentasse* Abrahamum Deus, eodem modo cognovisse ex eventu dicitur quia experimentum hoc elicuit fidei Abrahami; ita nihil aliud vult Deus quam Abrahamum hoc facto testatam fecisse coram Deo et hominibus fidem suam et pietatem, eamque Deum gratam et acceptam habuisse. Quæ commodior videtur sententia; nam etsi Deus non egeat experimento, non desinunt tamen homines præbere experimentum sui Deo, unde illud Pauli, "Studemus nos approbare Deo," 2 Cor. v. 9. Deus enim ut seipsum vehementissime amat, non potest non probare et deosculari lineamenta imaginis suæ ubicunque illa fulgere videt; ita etsi noverit jam ab æterno omnia fidelium opera quoad *præscientiam* et *prædestinationem*, novit tamen ea peculiariter ex eventu quoad *complacentiam* et *approbationem*.

XXVI. Quibus ita positis, facile tollitur omnis inter Apostolos pugna, nam si Abrahamus apud Paulum Justificatus dicitur fide sine operibus, intelligenda est *Justificatio propria causæ*, quatenus per solam fidem metonym. consideratam justus est coram Deo pronuntiatus et remissionem peccatorum obtinuit, at idem Justificatus bene dicitur apud *Jacobum* ex operibus, et non ex fide, *Justificatione effecti et signi*, quatenus opera vere declararunt eum fidelem esse et justificatum, in ea enim declaratione opera intercedere potissimum debent ut argumenta ex quibus res interna et latens in corde patefit et dignoscitur. Porro non nobis solis hoc visum; Agnovit id ipsum Thomas in cap. iii. epist. ad Gal. Lect. iv., ubi conciliaturus Jacobum cum Paulo, "opera," inquit, "non sunt causa quod aliquis sit justus apud Deum, sed sunt potius executiones et manifestationes justitiæ." Idem sentiunt Hugo Cardinalis, et Dionys. Carthusi., quod jam

Glossa ordinaria in Jac. ii. expresserat his verbis : "Abraham per opera quæ fecit justus non fuit, sed sola fide, oblatio vero ejus est opus et testimonium fidei et justitiæ."

XXVII. Sua tamen hic etiam κρησφύγετα, Bellarm. habet, quibus distinctionem positam eludat, pertendit quippe justificationem apud Jacobum non posse sumi pro Justitiæ ostensione seu declaratione, sed pro ejus incremento, Primo, quia *fides dicitur cooperata operibus*, at fides ex nostra hypothesi nullo modo cooperatur ad Justitiæ declarationem, sola enim opera nos justificant declarative, non fides. Secundo, fides per opera dicitur consummata, ver. 22, quod non alio sensu intelligi potest quam Justitiam, inchoatam per fidem, accepisse incrementum et perfectionem per opera, unde Jacobo justificatio non esset justitiæ declaratio, sed incrementum. Tertio, de Rahabæ meretricis justificatione agitur, ver. 25, sed absurdum est dici eam declaratam fuisse justam quæ meretrix erat, sed vere justificata dicetur, id est ex infideli fidelis facta ; Bellarm. lib. iv. de Justificatione, c. 18.

XXVIII. Verum inanes has esse cavillationes cuivis paulo attentius verba et scopum Apostoli expendenti proclive est agnoscere. Nam in prima, ut jam ante observatum fuit, gratis supponitur fidem dici cooperatam operibus ad justificationem, cum dicat tantum Jacobus *fidem cooperatam esse operibus*, nimir. tum ad *bonitatem ipsorum*, siquidem quod fit sine fide peccatum est, tum *ad sui per opera patefactionem*, ut Abraham ea præstaret et per ea se fides extrinsecus proderet, nam nisi fides ista efficax fuisset, nunquam tam insigne et rarum obedientiæ edidisset opus. Porro si quæritur cur Apostolus dixerit potius συνεργεῖν, quam simplex ἐνεργεῖν? Responsio potest facile dari, hoc ideo factum ab eo fuisse, quia illi res erat cum hypocritis et Pseudo-Christianis qui unicum opus fidei putabant esse τὸ credere, cum Apostolus aliquid amplius requirat, non tantum *actum* ejus *elicitum* qui in credendo versatur, et solius fidei est, sed et *actum* ejus *imperatum* qui in operando consistit, et ad charitatem etiam pertinet, nam fides movet charitatem ut bene operetur, ideo dicitur *per eam* ἐνεργουμένη *efficax*, Gal. v. 6.

XXIX. Ad secundam, 1. Peccatur ignoratione elenchi, nec enim Jacobus dicit Justitiam, sed *fidem consummatam esse per opera*, non disputamus autem hic de incremento, vel perfectione fidei quam agnoscimus suos habere gradus et progressus, sed de augmento justificationis ; Quo vero sensu verba Apostoli sint intelligenda, non difficile est intelligere, si distinguatur *perfectio essentialis et constitutiva* a *perfectione accidentali declarativa*, prior hic intelligi non potest, quia fides eam habet a forma propria interna, extrinsecus autem eam non mutuatur ab ulla alia re, multo minus vero a charitate, aut operibus quæ a fide proficiscuntur tanquam a causa. Secundo, quia sequeretur fidem Abrahami ante immolationem filii non fuisse formatam, sed informem et imperfectam, quæ per consequens etiam ex mente adversariorum justificare non potest, et tamen justificatus dicitur triginta annis ante oblationem filii, et Paulus justificationem illam pro perfecto justificationis exemplari nobis ad finem usque sæculorum communi proponit. Tertio, sequeretur etiam initium justificationis gratiæ Dei, perfectionem autem meritis humanis esse adscribendam, atque ita salutem nostram non esse mere gratuitam, contra Paulum, Rom. iii. et iv., et Eph. ii. Unde sequitur ut perfectio altera scilicet declarativa connotetur, quatenus vera et sincera per opera declarata est, nam et *sinceritatem* sæpius per *perfectionem* denotari in scriptura, notius est quam ut probatione indigeat, Matth. v. 48, Col. iv. 12, et "rem dici fieri seu perfici cum

declaratur," vel perfectam se aliquo testimonio probat; sic 2 Cor. xii. 9, "virtus Dei in infirmitate perficitur," id est perfecta ostenditur et declaratur, *in infirmitate* tanquam in *subjecto*, non *per infirmitatem* tanquam per *effectum*, non quod Christi potentia quidquam mutuetur a nostra infirmitate, sed quia in ea se exerit; sic Jac. iii. 2, "*perfectus vir*" dicitur qui in sermone non labitur, in eo enim non consistit perfectio nisi tanquam in signo ex quo ea deduci potest; sic fides dicitur perfici per opera quia per ea se prodit; ut actus primus dicitur a Philosophis perfici ab actu secundo, ut voluptas dicitur, Arist. Ethi. x. 4, perficere actionem sed "ὡς ἐπιγινόμενόν τι τέλος, ut finis quispiam accedens," et perfectionem actionis demonstrans, fides enim eo perfectior cognoscitur, quum efficacius vires suas exerit quæ prius non ita apparebant, quia enim de causa judicamus ex effectis, videtur quodammodo causæ vis minui vel augeri ex effectorum proportione; sed hoc ex effectis intelligitur quidem et æstimatur, at non oritur tamen et emanat.

XXX. Ad 3um de Rahab meretrice. Primo, κατὰ τὸ βίαιον, si Rahab dicitur ex operibus justificata, quia ex infideli fidelis est facta, ergo Jacobus non loquitur de incremento justitiæ, sed de prima justificatione, alias non ex infideli fidelis facta fuisset, sed ex fideli, vel justa justior. Secundo, directe per negationem antecedentis, Rahab scilicet non fuisse operibus suis justam declaratam, sed reipsa effectam, imo cum opera sequantur justificatum, non præcedant justificandum, ex August., siquidem nulla præstari possunt bona nisi ex spiritu, spiritus conferri non potest nisi a Deo placato et propitio, nunquam illa charitatis et hospitalitatis opera edere potuisset nisi jam justificata; unde statuendum est omnino eam jam ante peculiari Spiritus sancti impulsu ex rumoribus qui percrebuerant de mirandis Dei operibus erga Israëlem et judiciis ejus in hostes fidem qua justificata fuit concepisse, quod innui videtur ex Jos. ii. 8, 9, 10, ubi sibi certo persuasum esse profitetur quod Deus Israëlitis promiserat, "Novi," inquit, "quod Dominus tradiderit vobis terram," &c., "Audivimus quod siccaverit aquas maris rubri ad vestrum introitum," &c., "Dominus Deus vester ipse est Deus in cœlo sursum et in terra deorsum," fidemque eam confirmatam esse ex exploratorum sermonibus qui proculdubio clarius et certius hæc omnia et maxime quæ pertinebant ad promissiones gratiæ populo factas ipsi retulerunt; ne quis vero arbitraretur inanem fuisse fidem illam, eximiis benevolentiæ et hospitalitatis operibus in occultandis et pacifice dimittendis exploratoribus suo etiam periculo eam comprobasse demonstrat, ita ex operibus illis non quidem justa fuit constituta, nam jam ante per fidem justa esse debuit, alias bonum opus nuncios occultandi et dimittendi præstare non potuisset, sed justa declarata, quia fidem suam et justificationem per ea opera foris ostendit. Tertio, neque hic obstare potest quod *meretrix* dicatur, nam ut nunc non dicamus quod quibusdam post Judæos placuit non tam vocari meretricem quam Cauponariam, ut vertit Chaldæus, quia זנה quod Hebræis est scortari est etiam cauponari, forte quia non raro hæc duo conjunguntur; cum enim Jacobus post lxx. diserte eam πόρνην vocet, dubium nullum est quin meretrix vere fuerit, sed ita non appellatur quod tum temporis cum justificaretur ex operibus meretrix adhuc esset in *sensu composito*, sed διαιρετικῶς, quia meretrix antea fuerat in *sensu diviso*, secundum tritum loquendi modum scripturæ, quæ "mutato statu rei sæpe retinere solet nomen antiquum," sic in Evangelio dicuntur "cæci videre, claudi ambulare," id est qui tales erant antea, sic Hierosolyma vocatur "Urbs plena judicii et civitas fidelis," Isa. i. 21, quia talis olim fuerat, sic Matth. xxvii. 53, 2 Thess. ii. 4, Antichristus dicitur sessurus in *Templo*

Dei quod tale antea fuit, sic Virgo dicitur quæ nuper esse desiit, Joël i. 8, "Plange sicut virgo sacco accincta super virum pubertatis suæ," quod de innupta intelligi non potest, ita Poëta de Pasiphaë tauro subdita dixit, *At Virgo infœlix*, et Terent. de puella imminuta *Virgo lacrymans* quæ scilicet antea talis fuit; Ita non obscurum cur Apostolus hoc nomine designare eam voluit distinctionis causa propter præcedentem statum; quemadmodum hoc exemplo usus est ad amplificandam Dei gratiam, et exceptionem omnem tollendam, quia enim fides Abrahami de qua in præcedentibus egerat extraordinaria poterat videri, et ad quam assurgere omnibus forte non esset concessum, exemplum hoc vilis mulierculæ producit, quæ et Gentilis et meretrix fuit, nam si in ista fides non caruit suis operibus, nonne pudore suffundi debent Christiani fidem jactando sine operibus? sic rursus ostendit nullum esse fidei gradum, nec sublimem et excelsum qualis fuit in Abrahamo, nec infimum et tenuem qualis fuit in Rahab, qui non debeat et non possit fructus aliquos bonorum operum producere.

XXXI. Ex his autem ita discussis plana jam satis et aperta redditur conciliationis ratio. Ne quid vero scrupuli superesse possit, distinguenda est, 4. "Persona ipsa quæ justificatur;" Cum enim *homo* sub duplici σχέσει considerari possit, vel ut *peccator* in statu naturæ, vel ut *vocatus* in statu gratiæ, vel ut *homo* simpliciter qui versatur in mundo, vel ut *Christianus* et fidem professus in Ecclesia; juxta geminum hunc hominis statum, *duplex* instituitur Dei *judicium* cum ipso, primum severum est et rigidum *Dei qua Judicis* ex lege, secundum mitius est et benignius ejusdem *ut Patris* ex Evangelio. Huic duplici judicio, *duplex* etiam respondet *justificatio*, non quidem sensu Pontificio qui a nobis antea confutatus est, sed plane diverso; Prima *hominis peccatoris* et impii in statu naturæ, quæ fit propter unam Christi satisfactionem fide apprehensam, quia enim in hoc foro justitiæ Divinæ acceptilationi locus esse non potest, sed solutione adæquata opus est, ideo sola justitia Christi quæ perfectissima est et consummatissima hoc examen ferre potest; quia vero sola fides apta nata est ad recipiendam et amplectendam hanc justitiam, sola etiam fide hoc respectu justificari dicimur tanquam causa organica; Secunda justificatio est *hominis vocati* et *fidelis* in statu gratiæ jam versantis ex operibus, in hoc enim judicio non quæritur, An legi satisfecerit homo ut ex ea vitam habeat, hoc enim in primo jam supponitur factum, quatenus scilicet hominem in se peccatorem et reum mortis æternæ, propter justitiam Christi plenissimam ipsi imputatam et per fidem apprehensam, a maledictione legis Dei absolvit, et jus illi ad vitam concedit; sed quæritur an homo Christianus qui inter fideles nomen profitetur suum Evangelio responderit, et duas partes essentiales fœderis gratiæ quas Deus ab homine requirit fidem scilicet et opera vere conjunctas servaverit. Cum enim Deus in novo fœdere *duo beneficia* nobis polliceatur, hinc remissionem peccatorum quæ ex dono Filii pendet, inde sanctificationem quæ opera Spiritus Sancti producitur, Heb. x. 16, 17, *Duo* etiam *officia* a nobis vicissim exigit, *fidem* qua recipiamus gratiam Dei et meritum Christi ad redemptionem nostram, et *charitatem* sive bona opera, quibus debitum cultum et gratitudinem Deo reddamus. Quemadmodum vero duo beneficia quæ a Deo promittuntur inseparabilia sunt, et indivulso nexu inter se juncta, nam cui Christus est justitia, illi etiam est sanctificatio, qui habet Filium habet et Spiritum, et qui Spiritum non habet non habet Filium, Rom. viii. 9, prout in SS. Trinitate duæ istæ personæ sunt inseparabiles; Ita vicissim arctissimo vinculo connexa esse debent hominis fidelis officia, ita ut fides nunquam sit sine charitate,

nec charitas sine fide, nam et illa sine hac peccatum est, et hæc sine illa mortua, unde neutram habent qui utramque non habent, et utramque perdunt, qui utramvis non custodiunt. In hoc ergo judicio quod ex fœdere gratiæ Deus instituit cum vocatis, hoc potissimum quærit, an vere et sincere si non perfecte fidem quam professi sunt ore, habuerint in corde, et cum fide charitatem quæ ejus comes est inseparabilis. Quod si falso jactasse deprehenduntur fidem et religionem, condemnantur ex lege Evangelico tanquam pseudo-christiani et hypocritæ qui formam pietatis habentes ejus tamen vim factis abnegarunt et separando duas hasce fœderis partes, neutram se vere possidere demonstrarunt. Si vero habere comperiantur, justificantur ex eadem lege Regia, id est declarantur et approbantur tanquam veri fideles et filii Dei, qui ἀδιαιρέτως retinent quæ Deus conjunxit. Ad hoc autem examen necessaria sunt omnino opera utpote ex quibus solis tanquam ex signis et effectis certissimis demonstrari potest et probari veritas et sinceritas fidei. Prior *justificatio* opponitur *condemnationi* generali *peccatoris*, posterior *condemnationi* speciali *hypocritæ;* priori notione justificare est absolvere hominem peccatorem et impium, qualis est in se obnoxius legi et reus mortis, propter justitiam Christi ipsi imputatam, posteriori vero nihil aliud est quam *approbare* in judicio benigno et paterno hominem qua fidelem et filium Dei vere respondentem fœderi gratiæ per fidei et operum exercitium; in prima est ipsa justificatio proprie accepta, in ista justificationis tantum declaratio et patefactio; sic Abraham justificatus est fide in primo illo judicio dum fuit in se peccator et impius, at idem jam conversus et credens *justificatus* est *ex operibus*, id est, se per opera declaravit vere fidelem, et a Deo agnitus est, et probatus *in secundo.*

XXXII. De posteriori autem hoc judicio quod Christianos et vocatos peculiariter spectat loqui omnino videtur Christus, Matth. xxv. 31, 32, &c., in graphica illa ultimi judicii descriptione, ut August. observat sermone 38, de sanctis. Nam etsi extremum judicium procul omni dubio universale sit futurum, hic tamen de eo in tota latitudine sua sermonem non esse, sed relate tantum ad eos qui sunt in Ecclesia variis rationibus ostendi potest. Primo, ex ipsa orationis serie, quemadmodum enim duæ parabolæ præcedentes de Virginibus et Talentis referebantur ad eos qui erant vocati in Ecclesia, verisimile est Christum de iisdem loqui in eodem orationis filo. Secundo, ex Ezech. xxxiv. ad quem locum alludere videtur Christus, ubi de judicio Dei loquitur quod in Ecclesia exercendum est, "Ecce ego judicaturus sum," inquit, ver. 17, "inter parvas pecudes, arietes et hircos," et cap. xx. 37, "transmittam vos sub virgam," ut pastor cum numerat et recognoscit gregem suum, "et inducam vos ad vincula fœderis." Tertio, quia hic tantum mentio fit Hœdorum et Ovium, quæ animalia sunt domestica, non autem Luporum, Leonum, Ursorum, et aliarum id genus ferarum quibus impii conferri solent, ut scilicet notetur de eorum tantum hic agi judicio qui sunt in domo Dei, in societate externa Ecclesiæ, non de aliis qui extra eam manent. Quarto, quia causa damnationis hœdorum hæc affertur quod non cibarint et non visitarint Christum, &c., opera charitatis et misericordiæ erga membra Christi præstando; At gentiles quibus nunquam innotuit Christus quomodo propterea damnari merito possent? damnabuntur quidem propter legem naturæ violatam quæ cordibus ipsorum insculpta fuit; sed propter defectum fidei vel charitatis in Christum qui ipsis ignotus plane fuit jure condemnari non possent. Itaque superest ut de iis loquatur Christus vel qui in Ecclesiæ communionem asciti et fidem ore tenus profitentes neglexerunt bonorum operum studium

et Christianorum nihil nisi nomen et titulum retinuerunt, vel qui vocationi divinæ sedulo respondentes fidei opera conjunxerunt. Propterea opera hic adducuntur a Judice non tanquam *fundamenta juris* quod obtinent in felicitatem et vitam, nam propria Causa istius fruitionis indicatur in verbis præcedentibus, cum eos vocavit *benedictos Patris*, quibus *paratum jam fuerat ab æterno regnum*, quodque ideo debebant κληρονομεῖν, id est *titulo hæreditatis* qua filii obtinere; sed in medium afferuntur tanquam *argumenta* et *testimonia* clara et indubitata ex quibus de veritate fidei ipsorum constare poterat, et simul etiam de latæ sententiæ æquitate. Ita non proponuntur ut ποιητικὰ sed ut σημαντικὰ, et particula γὰρ non est *causalis*, sed *ratiocinativa*, quæ non *causam rei efficientem* vel *meritoriam* notat, sed *rationem* et *argumentum* quo a posteriori aliquid cognoscitur, ut alibi sæpe, Matth. xvi. 2, 3, 1 Cor. x. 5, causam non *consequentis*, sed *consequentiæ*, non *rei* ipsius, sed *patefactionis* et *probationis*; nam ut bene Bernar., tract. de Grat et lib. Arbi., opera "sunt spei seminaria, charitatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi."

XXXIII. Hoc ipsum vero clarius adhuc si possumus explicemus. Certum est justificationem opponi accusationi ex Apost., Rom. viii. 32; quot modis ergo accusari possumus apud Deum, tot modis debemus etiam justificari. *Duabus* vero *accusationibus* potissimum urgemur vulgo: Primo, *accusamur peccati* et rei peragimur violatæ legis; Secundo, *accusamur hypocriseos* et violati fœderis Evangelici. A prima accusatione *sola fide* justificamur, quia sola justitia Christi per fidem apprehensa nos liberat a maledictione legis. A posteriori justificamur *operibus*, quatenus iis fides vera et sincera fuisse demonstratur. Si ergo Satan nos accusat coram Deo et peccatores esse arguit ac per consequens mortis reos, quid reponere possumus? Nihil aliud quam *fidem nostram*, fatendo nos revera peccatores esse atque adeo æternæ mortis in nobis reos, sed spem nobis meliorem facere dilectum Dei filium Redemptorem nostrum in quo credimus, eum enim factum κατάραν et peccatum pro nobis, ut essemus benedictio et justitia Dei in ipso, ita sub justitiæ istius pallio et clypeo latentibus, nihil ab ira Dei nobis metuendum esse, quia nulla sit condemnatio iis qui sunt in Christo per fidem. Quod si regerat Diabolus, Ita est omnino, si vere credis salvaberis, sed quo argumento probabis te vere credidisse, nonne falsa et hypocritica fuit fides tua quæ Christi nomen profitebatur ore, sed factis abnegabat? Quid dicemus ut nos liberemus ab hac nova criminatione et ignito hoc Diaboli telo? Non sufficiet fidem in medium afferre, quia de fide ipsa quæstio est, sed jam succedere debent *opera* quibus apud Judicem Cœlestem veritatem fidei tanquam effectis et argumentis indubitatis a posteriori testatam faciamus. Ita "Fides justificat hominem, Opera vero justificant fidem." Paulus respiciens ad priorem accusationem sola fide hominem sine operibus justificari recte dixit, Jacobus vero respiciens ad alteram, operibus justificari et non ex fide tantum merito affirmavit.

XXXIV. Unde tandem concludimus, nullam esse hac in parte Jacobo cum Paulo σύῤῥαξιν, sed summam concordiam. Nam sive distinctio adhibeatur in voce *fidei*, sive in verbo *justificandi*, sive in homine ipso, sive, quod malimus, in hisce tribus conjunctim, amice inter se consentient. Paulus loquitur de homine peccatore in statu naturæ, Jacobus de homine vocato et fidem professo in statu gratiæ; Paulus de fide viva et efficaci, Jacobus de mortua et otiosa; Paulus de justificatione primaria et proprie dicta quæ in absolutione et remissione peccatorum consistit, Jacobus de

justificatione secundaria et minus propria quæ in declaratione et probatione externa versatur. Paulus enim vult hominem peccatorem et impium justificari, id est vere absolvi coram Deo et justum pronuntiari sola fide sine operibus, id est unico actu fidei apprehendentis meritum et justitiam Christi, quod asserit contra Pharisæos et Pseudo-Apostolos, qui justitia Dei posthabita, justitiam suam stabilire satagebant. Jacobi vero mens est hominem fidelem et conversum justificari, id est justum declarari coram hominibus et probari a Deo in judicio paterno, non fide tantum, id est fide mortua et sterili, sed fide viva et efficaci quæ se exerat per bona opera, quod urget contra profanos Pseudo-Christianos et hypocritas, qui in Ecclesia versantur. Ut ergo verissimum est effatum Pauli, hominem fide sine operibus justificari, quia nihil habemus quo stare possimus coram judicio Dei præter justitiam Christi quem fides intuetur et sibi applicat, quæ ut est infiniti valoris et ponderis sola potest satisfacere justitiæ Divinæ et mereri remissionem peccatorum; Ita certissimum est Jacobi pronuntiatum Christianum vere fidelem et justificatum agnosci demum ex operibus quia sunt essentialia consecutiva ex quibus tanquam ex fructibus arbor dignoscitur, ita ut qui non habet opera neque habeat etiam fidem et justificationem, quod falso sibi tribuebant illi adversus quos Jacobus disputet. Unde in Paulo habemus argumenta *humilitatis* adversus typhum superbiæ Pharisaïcæ, in Jacobo incentiva *sanctitatis* adversus impiam profanorum ἀσέλγειαν. Ita quemadmodum operibus nuncium remittere tenemur quæ justificationem præcedunt ex doctrina Pauli; sic illis studere par est ut eam sequantur ad sanctimoniæ progressum ex mente Jacobi. Non sunt conjungenda quæ Deus divisit, sed nec sunt dividenda quæ Deus conjunxit; Fidem ab operibus sejunxit in *negotio justificationis*, Opera cum fide conjunxit *in vita justificati*, non possunt *coefficere* justificationem, sed *coexistere* tamen debent in justificato, *fides* enim *sola*, sed non *solitaria* justificat. Itaque abjectis omnibus operibus nostris, nostram justitiam unice in Christo quæramus ex fide, ne simus *injurii* ipsius merito, sed ne *ingrati* simus erga Spiritum, in bonis operibus nunquam segnescamus; non possunt justificationem obtinere a *priori* ut merita, sed possunt declarare et probare a *posteriori* ut τεκμήρια, non conducunt ad salutem acquirendam, sed necessaria sunt omnino ad eam possidendam, sunt *via regni*, non *causa regnandi*. Sequamur ergo hanc viam ut tandem perveniamus ad Patriam, quod faxit Clementissimus Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus, cui sit laus, et Gloria in sæcula sæculorum. Amen.

COROLLARIA.

I. An fides melius per ignorantiam definiatur quam per notitiam, ut vult Bellarm. li. i. de Justific. c. 7? *N.*

II. An merita ulla dentur vel de congruo vel de condigno? *N.*

III. An sacramenta conferant gratiam ex opere operato? *N.*

IV. An Pædobaptismus admittendus sit et ex Scriptura probari possit? *Aff.*

V. An si non peccasset Adamus, nunquam fuisset moriturus? *Aff.*

VI. An primi Reformatores legitimam habuerint vocationem? *Aff.*

FINIS.

INDICES

RERUM ET VERBORUM,

NECNON

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

QUÆ IN HIS DISPUTATIONIBUS TRACTANTUR.

I. INDEX RERUM,

QUÆ IN DISPUTATIONIBUS DE SECESSIONE AB ECCLESIA ROMANA TRACTANTUR.

II. INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

QUÆ IN DISPUTATIONIBUS DE SECESSIONE AB ECCLESIA ROMANA VEL ILLUSTRANTUR VEL VINDICANTUR.

III. INDEX RERUM,

QUAE IN DECADE DISPUTATIONUM MISCELLANEARUM TRACTANTUR.

D

E

F

I

L

M

N

O

P

R

S

T

V

IV. INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

QUÆ IN DECADE DISPUTATIONUM MISCELLANEARUM EXPLICANTUR VEL VINDICANTUR.

V. INDEX RERUM,

QUÆ IN DISPUTATIONIBUS DE SATISFACTIONE CHRISTI OCCURRUNT.

T

V

VI. INDEX

LOCORUM S. SCRIPTURÆ,

QUÆ IN DISPUTATIONIBUS DE SATISFACTIONE CHRISTI VEL EXPLICANTUR VEL VINDICANTUR.

PRINTED AT THE UNIVERSITY PRESS,
32 THISTLE STREET.